VETERA MONUMENTA

HISTORICA

HUNGARIAM SACRAM

ILLUSTRANTIA

MAXIMAM PARTEM NONDUM EDITA EX TABULARIIS VATICANIS

DEPROMPTA COLLECTA AC SERIE CHRONOLOGICA DISPOSITA

AB

AUGUSTINO THEINER

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII, CONSULTORE SS. CONGREGATIONUM INDICIS LIBRORUM PROHIBITORUM, EPISCOPORUM ET REGULARIUM, AC SANCTI OFFICII, SOCIO COLLEGII THEOLOGORUM ARCHIGYMNASII ROMANI, ACADEMIAE PONTIFICIAE ARCHAEOLOGIAE ET ACADEMIAE HERCULANENSIS, TABULARIORUM VATICAN. PRAEFECTO ETC. ETC.

TOMUS SECUNDUS

AB INNOCENTIO PP. VI. USQUE AD CLEMENTEM PP. VII.

1352—1526.

ROMAE

TYPIS VATICANIS.

PARISIIS APUD FIRMIN DIDOT FRATRES. PESTINI APUD SOCIETATEM S. STEPHANI. VINDOBONAE APUD GUILIELMUM BRAUMÜLLER.

MDCCCLX.

ARGUMENTA.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VI.

1352. 31. Dec. Episcopis Hungariae Innocentius suam creationem et assumptionem ad summum pontificatum notam facit. Nr. 1. pag. 1.

— 31. „ Salvus conductus et provisio pro Raymundo de Galantio ad partes Hungariae misso. Nr. 2. pag. 2.

1353. 2. Apr. Universis Christi fidelibus capellam B. Mariae in Culphina Zagrabiensis dioecesis visitantibus conceduntur indulgentiae. Nr. 3. pag. 3.

— 31. Maii Archiepiscopis Strigoniensi et Pragensi, ut de excessibus episcopi Vesprimiensis sese informent et referant. Nr. 4. pag. 3.

— 17. Iunii Ludovico regi Hungariae gratiarum actio redditur de exultatione, quam de creatione papae habuit. Nr. 5. p. 3.

— 31. Aug. Abbatissae et sororibus S. Clarae in Veteri Buda fundatio dotatioque sui monasterii confirmatur. Nr. 6. p. 4.

— 31. „ Eisdem indulgetur, ut omnibus sui ordinis privilegiis uti valeant. Nr. 7. pag. 4.

— 31. „ Reginis Hungariae, matri et consorti regis, ut cum honesta mulierum comitiva idem monasterium ingredi possint. Nr. 8. pag. 4.

— 31. „ Ludovico regi Hungariae conceditur, ut praedictum monasterium cum quatuor honestis viris intrare possit. Nr. 9. pag. 5.

— 31. „ Iudicibus mandatur, ut de permutatione castri in Veteri Buda ad ecclesiam S. Mariae pertinentis sese informent. Nr. 10. pag. 5.

— 6. Oct. Regi Hungariae in favorem Guilielmi card. S. Mariae in Cosmedin contra episcopum et custodem Albensem, qui eundem de archidiaconatu Albensi impedire nituntur. Nr. 11. pag. 5.

— .... Pluribus clericis de canonicatibus praebendisque providetur. Nr. 12. pag. 6.

1354. 29. Iunii Ludovico regi Hungariae, ut archiepiscopo Colocensi in decima exigenda suum impertiatur auxilium et favorem. Nr. 13. pag. 7.

— 4. Iulii Petrus dictus Ungarus monasterio S. Mauritii de Beel Vesprim. dioec. in abbatem praeficitur. Nr. 14. p. 7.

— 17. Aug. Ludovico regi Hungariae super liberatione episcopi Iauriensis, quem in carcere detinebat. Nr. 15. pag. 8.

— 29. „ Stephano regi Rasciae super receptione litterarum et nuntiorum suorum, ut papa viros in fide catholica plenius eruditos illuc mittat. Nr. 16. pag. 8.

— 25. Oct. Regi Hungariae in favorem decani de Brassho et rectorum parochialium ecclesiarum in dicto decanatu super decimis, quae per officiales regis usurpantur. Nr. 17. pag. 9.

— 10. Nov. Archiepiscopo Gnesnensi et episcopis Cracoviensi et Vratislaviensi mandatur, ut contra Tartaros per Hungariam, Bohemiam et Poloniam verbum crucis praedicandum curent. Nr. 18. pag. 10.

— 22. „ Ludovico regi Hungariae Bartholomaeus Traguriensis et Petrus Pactensis episcopi ad regnum Rasciae destinati commendantur. Nr. 19. pag. 11.

— 24. Dec. Stephano regi Rasciae de restitutione praelatorum etc. in suo regno grates redduntur, et de eo quod capitaneum contra Turcas se offert, et quod viros in lege peritos ad informandum populum illuc mitti petit. Nr. 20. pag. 11.

— 24. „ Helenae reginae Rasciae et Orosio regi Helenae patri super eodem. Nr. 21. pag. 13.

— 24. „ Iohannichi patriarchae Serviae, ut episcopos Traguriensem et Pactensem benigne recipiat et favorabiliter prosequatur. Nr. 22. pag. 13.

1354. 24. „ Universis archiepiscopis et episcopis per Rasciae, Serviae et Albaniae regna constitutis super eodem argumento. Nr. 23. pag. 14.
— 25. „ Deano Savascotratori Serviae et aliis magnatibus super eodem. Nr. 24. pag. 15.
— 27. „ Bartholomaeo Traguriensi et Petro Pactensi episcopis, ut ad illas partes pro corrigendis excessibus et reformandis deformatis accedant. Nr. 25. pag. 16.
— .... Quibusdam clericis canonicatus et praebendae conferuntur. Nr. 26. pag. 17.
1355. 8. Dec. Archiepiscopo Colocensi, et archiepiscopo Strigoniensi et aliis episcopis et capitulis Hungariae, ut de alicuius militaris gentis auxilio ecclesiae Romanae subvenire procurent. Nr. 27. pag. 17.
— 8. „ Ludovico regi Hungariae, ut ecclesiae Romanae auxilium impendat, Bonioanni episcopo Firmano fidem adhibeat. Nr. 28. pag. 18.
— .... Tribus clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 29. pag. 19.
1356. 1. Iulii Regi Hungariae respondetur circa ea, quae ab episcopo Firmano petierat, et negotia ecclesiae Romanae in Italia commendantur. Nr. 30. pag. 20.
— 4. „ Episcopo Firmano, ut privilegia praelatorum Croatiae, Sclavoniae et Dalmatiae transcripta ad Sedem Apostolicam mittat. Nr. 31. pag. 20.
— 4. „ Ludovico regi Hungariae super concordia reformanda inter ipsum et Ludovicum et Robertum de Duracio. Nr. 32. pag. 21.
— 4. „ Eidem, ut Bonioannem episcopum Firmanum ad pacem inter ipsum et ducem Venetiarum reformandam missum benigne recipiat. Nr. 33. pag. 21.
— 4. „ Reginis Hungariae, matri et uxori regis, ut apud eundem praemissis dent operam. Nr. 34. pag. 22.
— 4. „ Archiepiscopo Strigoniensi, ut praedictum episcopum informet et adiuvet opportune. Nr. 35. pag. 22.
— 17. „ Patriarchis Aquileiensi et Gradensi et archiepiscopo Salisburgensi, ut fautores haereticorum et schismaticorum sententias contra tales promulgatas incurrisse denuntient. Nr. 36. pag. 22.
— 17. „ Duci Venetiarum, ut foedus ac ligam, quam cum Rascensibus et aliis haereticis et schismaticis habet, revocet. Nr. 37. pag. 23.
— 10. Aug. Eidem duci super pace inter ipsum et regem Hungariae reconcilianda. Nr. 38. pag. 23.
— 11. „ Ludovico regi Hungariae de praedicando verbo crucis in suo regno, exhortando, ut infideles et schismaticos expellat. Nr. 39. pag. 24.
— 11. „ Eidem circa pacem inter ipsum et ducem Venetiarum reformandam. Nr. 40. pag. 25.
— 11. „ Eidem, ut Franciscum de Ordelaffis Foroliviensem et Guilielmum atque Ioannem de Manfredis Faventinos cives expugnandos curet. Nr. 41. pag. 26.
— 18. „ Eidem episcopus Vincentinus ad recuperanda bona et iura, quibus est spoliatus, commendatur. Nr. 42. p. 26.
— 18. „ Eidem, ut haereticos et schismaticos a regno suo expellat. Nr. 43. pag. 27.
— 18. „ Universis Christi fidelibus, ut Deum pro rege et statu regni Hungariae rogent. Nr. 44. pag. 27.
— 18. „ Regi Hungariae, ut Ioanni Cantolini damna, quae in Castro Argentii dudum per gentes suas capto habuit, faciat emendari. Nr. 45. pag. 27.
— 21. „ Eidem, ut Pactensem et Sisopolitanum episcopos ad partes Romaniae pro negotiis fidei catholicae missos commendatos habeat. Nr. 46. pag. 27.
— 25. „ Eidem super retentis suis litteris, quarum vigore electus Zagrabiensis procurator quaedam dicti regis nomine iuravit. Nr. 47. pag. 28.
— 4. Sept. Eidem Aegidius episcopus Vincentinus ad recuperanda bona et iura, quibus iamdiu est spoliatus, commendatur. Nr. 48. pag. 28.
— 5 „ Nicolao patriarchae Aquileiensi idem episcopus Vincentinus commendatur. Nr. 49. pag. 28.
1357. 13. Ian. Ludovico regi Hungariae et pluribus aliis circa pacem inter marchionem Moraviae et ducem Austriae reconciliandam. Nr. 50. pag. 28.
— 13. „ Eidem regi, ut ad debellandum Franciscum de Ordelaffis de haeresi condemnatum praesidia impendat opportuna. Nr. 51. pag. 29.
— 23. Apr. Dominico episcopo Transilvano, ut ad suam dioecesim proficiscatur eamque commendatam habeat. Nr. 52. p. 29.
— 1. Maii Regi Hungariae, ut gentem armigeram, quam in subsidium Ecclesiae miserat, faciat per aliquod tempus longius immorari. Nr. 53. pag. 29.
— 1. „ Archiepiscopo Strigoniensi, ut circa praemissa apud eundem regem instet. Nr. 54. pag. 30.
— 6. „ Aegidio episcopo Sabinensi legato, ut praedictas litteras regi et archiepiscopo praesentet, et in illis partibus adhuc immoretur. Nr. 55. pag. 30.
— 27. „ Ludovico regi Hungariae, ut cuidam hominum societati in Italia studeat resistere, et eorum pravos eludere conatus. Nr. 56. pag. 31.
— 11. Iunii Eidem, ut episcopo Gurcensi de certis negotiis eidem commissis fidem adhibeat. Nr. 57. pag. 31.
— 27. „ Eidem circa restitutionem cuiusdam castri Febusino de la Turre faciendam. Nr. 58. pag. 32.
— 7. Aug. Omnes bonorum ad ecclesiam etc. pertinentium alienationes per quondam Ladislaum archiepiscopum Colocensem factae revocantur. Nr. 59. pag. 32.
— 7. „ Episcopo Varadiensi eiusque collegis mandatur, ut praedictum decretum solemniter promulgent et exsequantur. Nr. 60. pag. 32.
— 11. „ Ludovico regi Hungariae decima triennalis in suo regno conceditur. Nr. 61. pag. 33.
— 11. „ Praelatis Hungariae, ut eandem decimam solvant, et a subditis exigant regi assignandam. Nr. 62. p. 34.
— 18. Dec. Regi Hungariae, quod gentem armigeram ad servitia Ecclesiae misit, gratiae redduntur. Nr. 63. pag. 35.

1358. 6. Aug. Universis Christi fidelibus ecclesiam Vesprimiensem visitantibus et manus porrigentibus adiutrices conceduntur indulgentiae. Nr. 64. pag. 36.

— 19. Dec. Thomae episcopo olim Cenadiensi in archiepiscopum Colocensem electo mittitur pallium. Nr. 65. p. 36.

— .... Pluribus viris ecclesiasticis de canonicatibus providetur. Nr. 66. pag. 36.

1359. 13. Febr. Ioanni de Keech dicto de Agria ord. Minor. quaedam bulla a Ioanne PP. XXII. edita 25. Iul. 1321. transcripta mandatur. Nr. 69. pag. 37.

— 15. „ Elisabethae reginae Hungariae super receptione litterarum et nuntiorum suorum, atque expeditione supplicationum, pro quibus supplicarat, scribitur. Nr. 70. pag. 39.

— 18. „ Ludovico regi Hungariae, ut nuntios filiorum regis Franciae benigne recipere et favorabiliter expedire velit. Nr. 71. pag. 39.

— 18. „ Elisabethae reginae et Rodulpho et Friderico ducibus Austriae super negotio memorato. Nr. 72. p. 39.

— 18. „ Nicolao archiepiscopo Strigoniensi et aliis praelatis Hungariae super eodem negotio. Nr. 73. pag. 40.

— 21. „ Abbatissae et conventui S. Mariae de Veteri Buda ord. S. Clarae privilegia ab Innocentio IV. ordini Minor. concessa conceduntur. Nr. 74. pag. 40.

— 25. „ Ludovico regi Hungariae, ut episcopo Sabinensi legato in Italia gentes armigeras ad resistendum magnae societati mittat. Nr. 75. pag. 41.

— 26. „ Monasterio S. Mariae de Veteri Buda ord. S. Clarae quaedam privilegia concessa a Benedicto XI. ordini Minorum conceduntur. Nr. 76. pag. 42.

— 14. Mart. Eidem monasterio privilegia ordini Minorum a Bonifacio VIII. concessa transmittuntur. Nr. 77. pag. 43.

— 18. Maii Universis Christi fidelibus capellas S. Ladislai Vesprimiensis dioecesis et S. Benedicti in Albaregali visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 78. pag. 43.

— 21. „ Regi Hungariae grates pontifex reddit de devotione, quam erga Romanam ecclesiam habet. Nr. 79. p. 44.

— 21. „ Eidem, ut ducem Austriae ad restituenda ecclesiae Aquileiensi quaedam castra inducat. Nr. 80. pag. 44.

— 23. Oct. Gregorio electo Cenadiensi indulgetur, ut a quocumque antistite catholico consecrari possit. Nr. 81. p. 45.

— 26. Dec. Episcopo Agriensi, ut cum Petro comite de Borisad et Anna de Fey suae dioecesis super matrimonio iam contracto dispenset. Nr. 67. pag. 37.

— 31. „ Abbatissae S. Clarae de Veteri Buda indulgetur, ut fratres ord. Minor. omnibus saecularibus in eodem monasterio permanentibus sacramenta ministrare valeant. Nr. 68. pag. 37.

1360. 26. Apr. Reginis Hungariae, ut apud regem efficaciter instent, ut legato Sedis apostolicae pro defensione civitatis Bononiensis et terrarum Ecclesiae auxilia praestet. Nr. 82. pag. 45.

— 26. „ Nicolao archiepiscopo Strigoniensi et pluribus praelatis et nobilibus super negotio antedicto. Nr. 83. p. 46.

— 26. „ Ludovico regi Hungariae super eodem. Nr. 84. pag. 46.

EPISTOLAE URBANI PP. V.

1362. 7. Nov. Ludovico regi Hungariae Urbanus suam assumptionem ad universalis Ecclesiae regimen annuntiat, exhortans, ut iustitiam colat, ac Romanam et universalem Ecclesiam suis favoribus prosequatur. Nr. 85. pag. 48.

— 7. „ Elisabethae reginae (seniori?) Hungariae super eodem. Nr. 86. pag. 49.

— 7. „ Praelatis Hungariae idem annuntiat, exhortans, ut pro ipso ad Deum devotas faciant orationes. Nr. 87. p. 49.

1363. 24. Ian. Episcopo Vulterano, ut inter imperatorem et marchionem Moraviae ex una parte, et regem Hungariae ac ducem Austriae ex altera pacem studeat reconciliare. Nr. 88. pag. 50.

— 24. „ Ludovico regi Hungariae, ut praefato episcopo fidem adhibeat et a bello desistat. Nr. 89. pag. 51.

— 24. „ Rodulpho duci Austriae et Ioanni march. Moraviae super eodem argumento. Nr. 90. pag. 51.

— 24. „ Reginis seniori et iuniori Hungariae super eodem pacis negotio. Nr. 91. pag. 52.

— 24. „ Nicolao archiepiscopo Strigoniensi et aliis praelatis Hungariae circa idem pacis negotium. Nr. 92. p. 52.

— 24. „ Dionysio voivodae Transylvano et aliis principibus et nobilibus viris super eodem. Nr. 93. pag. 52.

— 2. Febr. Regi Hungariae, ut episcopum Vulteranum circa negotia Ecclesiae et regni Siciliae statum audiat, et quae sibi exposuerit, reapse exsequatur. Nr. 94. pag. 53.

— 10. „ Eidem de reginae matris suae obitu litterae consolatoriae dantur. Nr. 95. pag. 53.

— 15. Apr. Eidem, ut Simoni magistro ordinis Praedicatorum de passagio transmarino fidem adhibeat. Nr. 96. p. 53.

— 25. „ Eidem, ut regem Maioricarum, qui reginam Siciliae desponsavit, fraterne diligat et honoret. Nr. 97. p. 54.

— 10. Maii Eidem, ut nuntiis sedis apostolicae commissum officium in suo regno libere exercere permittat. Nr. 98. p. 54.

— 10. „ Nicolao archiepiscopo Strigoniensi, ut regem ad praemissa facienda inducat. Nr. 99. pag. 54.

— 25. „ Regi Hungariae super generalis passagii transmarini negotio, et ut ad illud faciendum potenter se disponat. Nr. 100. pag. 55.

— 27. Iunii Eidem super decimae triennalis impositione in suo regno. Nr. 101. pag. 56.

— 10. Iulii Eidem annuntiatur negotium, pro quo episcopum Tinniensem nuntium miserat, expediri occurrentibus impedimentis non posse. Nr. 102. pag. 57.

— 13. „ Eidem super regressu suorum nuntiorum, et ut iisdem fidem adhibeat. Nr. 103. pag. 57.

— 27. Aug. Eidem magister et conventus maior hospitalis S. Ioannis Ierosolimitani commendantur. Nr. 104. pag. 57.

— 5. Dec. Eidem, ut regi Cypri subveniat, et eius nuntios ac negotia habeat commendatos. Nr. 105. pag. 58.

1364. 13. Febr. Eidem regi in favorem Ioannis Cantelini domini civitatis Bivinensis scribitur. Nr. 106. pag. 59.

— 25. „ Ludovico regi Hungariae grates pontifex refert, quod gentes armigeras ad servitia Ecclesiae per annum moraturas se missurum obtulit. Nr. 107. pag. 59.

— 27. „ Eidem pro episcopo Vaciensi super solutione decimae per Cumanos ipsi episcopo persolvendae. Nr. 108. p. 59.

1364. 28. „ Eidem regi, ut decimam per collectores sedis apostolicae a praelatis et clero regni sui exigi permittat. Nr. 109. pag. 60.

— 12. Mart. Eidem circa translationem Gurcensis et Tinniensis episcoporum. Nr. 110. pag. 60.

— 1. Iunii Eidem gratulatur de pace inter ipsum et imperatorem reconciliata, de bono animo erga regnum Siciliae, deque magnifica oblatione Ecclesiae facta. Nr. 111. pag. 60.

— 1. „ Elisabethae reginae seniori Hungariae super eodem. Nr. 112. pag. 61.

— 1. „ Nicolao archiepiscopo Strigoniensi, Nicolao Kunt palatino etc. super eodem. Nr. 113. pag. 61.

— 1. Iulii Ludovico regi Hungariae et aliis, ut procuratores Guilielmi card. S. Mariae in Cosmedin favorabiliter prosequantur. Nr. 114. pag. 61.

— 19. „ Elisabethae seniori reginae respondetur de quibusdam eius petitionibus, quod sine iustitiae laesione concedi non possunt. Nr. 115. pag. 62.

— 31. „ Ludovico regi Hungariae in favorem Caroli de Duracio. Nr. 116. pag. 62.

— 4. Aug. Archiepiscopo Salisburgensi, ut Sifridum abbatem de Toplica Zagrabiensis dioecesis a violentiis laicorum tueatur. Nr. 117. pag. 62.

— 13. „ Ludovico regi Hungariae in favorem Ioannis Cantelini domini civitatis Bivinensis. Nr. 118. pag. 63.

— 3. Sept. Archiepiscopo Strigoniensi et aliis super pace inter archiepiscopum Salisburgensem ducesque Austriae et Bavariae reconcilianda. Nr. 119. pa. 63.

— 3. „ Ludovico regi Hungariae, ut ad eandem pacem reconciliandam partes suas efficaciter interponat. Nr. 120. p. 64.

— 7. „ Eidem super receptione suarum litterarum et nuntii, super concessione gratiarum, de quibus supplicabat, et excusatione de archiepiscopo Strigoniensi facta, et ut ducem Austriae a gravaminibus viris ecclesiasticis inferendis faciat abstinere. Nr. 121. pag. 65.

— 11. „ Eidem regi, ut pacem inter Rodulphum ducem Austriae et Franciscum de Carrara reconciliet. Nr. 122. p. 65.

— 11. „ Eidem, ut ad pacem inter eumdem ducem et patriarcham Aquileiensem reconciliandam partes suas efficaciter interponere studeat. Nr. 123. pag. 65.

— 18. Nov. Archiepiscopo Strigoniensi eiusque suffraganeis, ut matrimonia in gradibus prohibitis contracta, dispensatione non obtenta, fore nulla denuntient. Nr. 124. pag. 66.

— 30. Dec. Regi Hungariae, ut Simoni magistro generali ord. Praedicatorum in quodam negotio ad eum misso fidem adhibeat. Nr. 125. pag. 66.

1365. 24. Febr. Eidem de matrimonio inter Albertum iuniorem ducem Austriae et Catherinam filiam marchionis Moraviae ineundo. Nr. 126. pag. 67.

— 10. Apr. Processus et sententiae, quae fiunt in Coena Domini. Nr. 127. pag. 67.

— 14. Maii Ludovico regi Hungariae in favorem Guilielmi cardinalis S. Mariae in Cosmedin. Nr. 128. pag. 68.

— 23. „ Eidem, ne ad matrimonium inter ducem Austriae et neptem suam perficiendum procedat. Nr. 129. p. 68.

— 23. „ Elisabethae reginae seniori super eodem. Nr. 130. pag. 69.

— 23. „ Archiepiscopo Strigoniensi eiusque suffraganeis, ne praedictum matrimonium fieri permittant. Nr. 131. p. 70.

— 10. Iunii Ludovico regi Hungariae, ut filiam fratris sui duci Burgundiae in uxorem dare velit. Nr. 132. pag. 71.

— 10. „ Elisabethae reginae super eodem matrimonio. Nr. 133. pag. 71.

— 10. „ Guilielmo episcopo Quinqueecclesiensi et aliis praelatis super eodem matrimonio. Nr. 134. pag. 71.

— 29. Sept. Ludovico regi Hungariae, ut regem Poloniae ad reginam revocandam efficaciter inducat. Nr. 135. p. 72.

1366. 11. Iunii Eidem, ut nuntios sedis apostolicae commendatos habeat. Nr. 136. pag. 72.

— 11. „ Elisabethae reginae seniori super eodem argumento. Nr. 137. pag. 73.

— 11. „ Nicolao archiepiscopo Strigoniensi super eodem. Nr. 138. pag. 73.

— 22. „ Ludovico regi Hungariae prorogatur terminus, in quo Graecis succursum dare promiserat. Nr. 139. p. 73.

— 1. Iulii Eidem gratiae redduntur de eo, quod negotium reducendorum Graecorum ad unitatem ecclesiae Romanae ardenter promovet. Nr. 140. pag. 73.

— 1. „ Elisabethae reginae seniori super eodem. Nr. 141. pag. 74.

— 1. „ Eidem regi Turcas hostiliter invadendi licentia datur. Nr. 142. pag. 74.

— 1. „ Eidem Elisabethae reginae, quod regem ad praemissa sollicitabat, venia omnium suorum peccatorum conceditur. Nr. 143. pag. 75.

— 1. „ Cont comiti palatino Hungariae, ut in praedicti negotii prosecutione studiosum se reddere velit. Nr. 144. p. 76.

— 1. „ Archiepiscopo Strigoniensi et aliis praelatis et nobilibus Hungariae super eodem. Nr. 145. pag. 76.

— 1. „ Eidem archiepiscopo super indulgentiis concessis cum rege Hungariae proficiscentibus contra Turcas, et praedicatione verbi crucis scribitur. Nr. 146. pag. 76.

— 11. „ Ludovico regi Hungariae matrimonii dispensatio pro Casimiro rege Poloniae petita negatur. Nr. 147. p. 79.

— 11. „ Elisabethae seniori reginae Hungariae super eodem argumento. Nr. 148. pag. 80.

— 14. „ Regi Hungariae in favorem procuratorum Guilielmi cardinalis S. Mariae in Cosmedin. Nr. 149. pag. 80.

— 23. „ Eidem, ut nuntiis propter Graecorum reconciliationem missis fidem adhibeat. Nr. 150. pag. 80.

— 1. Aug. Praeposito B. Mariae in Albaregali indulgetur, ut in sua ecclesia pontificalibus uti possit. Nr. 151. p. 81.

— 1. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae Virginis in Albaregali visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 152. pag. 81.

— 1. „ Fundatio capellae S. Ladislai Aquisgrani per regem Hungariae facta confirmatur. Nr. 153. pag. 82.

— 1. „ Ludovico regi Hungariae indulgetur, ut rectores praedictae capellae Hungaris eam visitantibus absolutionem in casibus episcopalibus dare et sacramenta ministrare valeant. Nr. 154. pag. 82.

— 16. Sept. Eidem regi et Elisabethae suae matri, ut de commissis per episcopum Zagrabiensem libentius sese informent. Nr. 155. pag. 82.

1366. 6. Oct. Eidem regi, ut regi Cypri et fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosol. de aliqua gente armigera subveniat. Nr. 156. pag. 83.

1367. 17. Dec. Eidem, ut praeposito Nemausensi nuntio sedis apostolicae fidem adhibeat. Nr. 157. pag. 83.

— 17. „ Ioanni episcopo Vaciensi et Guilielmo ep. Quinqueeccl. super eodem. Nr. 158. pag. 84.

— 17. „ Universis praelatis et nobilibus regni Hungariae super eodem. Nr. 159. pag. 84.

— 18. „ Nicolaus comes palatinus Hungariae de devotione, quam erga Ecclesiam habet, collaudatur. Nr. 160. p. 84.

1368. 31. Ian. Ludovico regi Hungariae Bertrandus Ebrardi, qui de gerentibus camerae apostolicae negotia inquirat, commendatur. Nr. 161. pag. 84.

— 14. Mart. Regula S. Augustini et habitus, quem prior generalis et fratres S. Pauli primi eremitae in Hungaria gestant, approbantur. Nr. 162. pag. 85.

— 10. Maii Petro praeposito Scepusiensi, ut in abbatem monasterii Scepusiensis ord. Cisterc. de bonorum dilapidatione inquirat, eumque veritate comprobata suspendat. Nr. 163. pag. 85.

— 25. „ Fratribus Zupanis Zentae congaudet pontifex, quod ad Ecclesiae unitatem redire sese disponunt. Nr. 164. pag. 86.

— 2. Iunii Episcopo Vesprimiensi, ut de statu ecclesiae parochialis in Kestel inquirat, et quod canonicum fuerit, declaret. Nr. 165. pag. 86.

— 13. Iulii Ludovico regi Hungariae pontifex gratulatur de schismaticorum conversione, super qua suos continuet favores. Nr. 166. pag. 87.

— 27. Aug. Eidem circa nuntium sibi missum respondet. Nr. 167. pag. 87.

— ...... Duobus clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 168. pag. 88.

1369. 16. Nov. Ludovico regi Hungariae, ut Iacobo Gabrutio celeris iustitiae complementum fieri faciat. Nr. 169. p. 88.

— 4. Dec. Archiepiscopo Iadrensi, ut cum Elisabetha commitissa Serviae de voto S. Sepulchrum visitandi, si mille ducatos, quos expendere intendebat, ad opus fratrum in Tartariam pro fide catholica mittendorum solvat, dispenset. Nr. 170. pag. 88.

— 5. „ Pontifex, licet cum filiabus regis Poloniae dispensaverit, intentionis suae fuisse et esse declarat, ne hoc regi Hungariae reginaeque eius matri in successione praeiudicet. Nr. 171. pag. 89.

— 9. „ Nuntiis apostolicis sponsalia inter filium imperatoris et neptem regis Hungariae contracta dissolvendi, et absolvendi a iuramentis praestitis datur potestas. Nr. 172. pag. 90.

— 9. „ Elisabethae seniori reginae Hungariae, ut Ioanni episcopo Vaciensi in his, quae sibi refert, fidem adhibeat. Nr. 173. pag. 91.

— 11. „ Ludovico regi Hungariae liberalitas erga Carolum de Duracio commendatur. Nr. 174. pag. 91.

— 13. „ Fratribus ord. Minorum in Bosnia conceditur, ut extra provinciam suam possint mendicare. Nr. 177. p. 92.

— 14. „ Ludovico regi Hungariae, ut Stephanum iuniorem banum Bosniae, qui a fratre schismatico opprimitur, quamdiu fuerit catholicus, habeat commendatum. Nr. 175. pag. 91.

— 14. „ Stephano iuniori bano Bosniae pontifex compatitur et ad patientiam hortatur, ac de palafredo misso grates reddit. Nr. 176. pag. 91.

— 16. „ Anglico episcopo Albanensi regem Hungariae per suos nuntios in auxilium ecclesiae Romane cum decem millibus armatorum venturum se obtulisse annuntiat. Nr. 178. pag. 92.

1370. 8. Ian. Cum Philippo imp. Constantinopol. et Elisabetha nepte regis Hungariae dispensatur, ut (dummodo iuramenta inter ipsam et filium imperatoris sponsaliorum causa olim praestita remittantur) matrimonium inire possint. Nr. 185. pag. 95.

— 9. „ Ludovico regi Hungariae, ut Carolum de Duracio, cum quo et Margaretha ad matrimonium ineundum dispensatum est, ad devotionem ecclesiae Romanae confortet. Nr. 179. pag. 93.

— 10. „ Eidem, ut pro gratiis et favore sibi per ecclesiam Romana exhibitis ecclesiae ipsi contra hostes subveniat. Nr. 180. pag. 93.

— 11. „ Eidem super dispensatione, quam pro Carolo et Margaretha de Duracio petierat. Nr. 181. pag. 93.

— 13. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Mariae in Bozin Strigoniensis dioecesis visitantibus conceduntur indulgentiae. Nr. 182. pag. 94.

— 13. „ Iisdem ad augendum et sustentandum pauperum hospitale in castro Bozin adiuvantibus veniam pontifex largitur. Nr. 183. pag. 94.

— 13. „ Philippo imp. Constantinopolitano et Elisabethae nepti regis Hungariae indulgetur, ut matrimonium sub certa conditione inire possint. Nr. 186. pag. 95.

— 19. „ Clara relicta quondam Alexandri voivodae Valachiae, quod natam suam imperatricem Bulgariae ab errore et schismate retraxerit, commendatur. Nr. 184. pag. 95.

— 27. Febr. Anglico episcopo Albanensi in favorem Petri de Scortis domicelli Placentini per regem Hungariae commendati scribitur. Nr. 187. pag. 96.

— 12. Mart. Dispensatur cum neophitis et schismaticis redeuntibus ad fidem, ut in matrimoniis in gradibus prohibitis contractis remaneant. Nr. 188. pag. 96.

— 8. Apr. Ludovico regi Hungariae, operam det, ut filia ducis Dalmatiae et Croatiae, quam banus Bosniae secum tenet, parentibus restituatur. Nr. 189. pag. 97.

— 8. „ Twarcho bano Bosniae, ne filiam ducis Dalmatiae absque parentum voluntate nuptui tradat alicui infideli; sed eam restituat ipsis vel regi Hungariae. Nr. 190. pag. 97.

— 8. „ Ladislao voivodae Valachiae, ut a schismate recedat. Nr. 191. pag. 97.

— 17. Iunii Capitulo basilicae principis Apostolorum de Urbe, ut oratoribus regis Hungariae et sociis sacrum sudarium ostendant. Nr. 192. pag. 98.

1369. 18. Iunii Ludovico regi Hungariae, ut suis oratoribus redeuntibus super referendis credat, et ecclesiam Romanam habeat commendatam. Nr. 193. pag. 98.

— 18. Iulii Elisabethae seniori reginae, ut Ioanni episcopo Aquensi nuntio apostolico de auxilio ecclesiae Romanae impendendo credat. Nr. 194. pag. 98.

— 18. „ Episcopo Aquensi sedis apostolicae nuntio, ut cum rege Hungariae nomine ecclesiae Romanae pacta, ligam etc. contra eiusdem ecclesiae hostes facere possit. Nr. 195. pag. 99.

— 18. „ Archiepiscopo Strigoniensi et aliis praelatis et nobilibus Hungariae, ut in hoc negotio suas partes apud regem interponant. Nr. 196. pag. 99.

— 24. „ Archiepiscopo Pragensi et Vratislaviensi et Cracoviensi episcopis committitur, ut omnis schismatis abnegationem per Laczkonem ducem et populum Moldaviae faciendam recipiant, et ipsis in fide catholica instructis firmatisque quoddam oppidum Ceretense in civitatem erigant, et in eadem ecclesiam cathedralem instituant et eximant a iurisdictione episcopi Halicensis. Nr. 197. pag. 99.

— 24. „ Iisdem super eodem argumento. Nr. 198. pag. 101.

— 25. „ Carolo Romanorum imp. ut regem Hungariae ad ferendum ecclesiae Romanae contra Bernabonem de Vicecomitibus auxilium suis litteris exhortetur. Nr. 199. pag. 101.

— 26. „ Eidem circa adventum regis Hungariae in Italiam Ioannem episcopum Aquensem mitti nuntiat. Nr. 200. p. 102.

— 4 Aug. Nicolao de Melsac ord. Minorum conceditur, ut ad partes Russiae, Lithuaniae et Valachiae xxv. fratres sui ordinis conducere possit. Nr. 201. pag. 102.

— 11. „ Philippo imp. Constantinopolitano pontifex ultra montes omnino se recessurum annuntiat, et si secundum spem conceptam rex Hungariae in auxilium ecclesiae Romanae veniat, duos cardinales remanentes eidem in agendis assistant. Nr. 202. pag. 103.

— 25. „ Fratribus Zupanis Zentae quidam episcopi commendantur. Nr. 203. pag. 103.

EPISTOLAE GREGORII PP. XI.

1370. 30. Dec. Ludovico regi Hungariae Gregorius suam promotionem ad papatum notam facit. Nr. 204. pag. 104.

1371. 30. Ian. Eidem, ut episcopum Corbaviensem suae ecclesiae possessione libere gaudere permittat. Nr. 205. p. 105.

— 30. „ Elisabethae seniori reginae super eodem. Nr. 206. pag. 105.

— 30. „ Archiepiscopo Strigoniensi super eodem. Nr. 207. pag. 105.

— 14. Febr. Ludovico regi Hungariae, ut quaedam bona Romanae ecclesiae per quondam regem Poloniae debita restitui iubet. Nr. 208. pag. 106.

— 21. Maii Eidem, ut bona dotalia Adelaidi reginae Poloniae pro usu suo assignata dimittat. Nr. 209. pag. 106.

— 21. „ Eidem, ut reginae Siciliae pro pacifico regni statu favorem praebeat, et imperatori Constantinopolitano, ut ei obediat, scribat. Nr. 210. pag. 106.

— 25. „ Eidem, ut per suas litteras Franciscum de Carraria et Canem de la Scala ad veram pacem tenendam exhortetur. Nr. 211. pag. 107.

1. Iunii Eidem, ut reginam Siciliae excusatam habeat, si principatum Salernitanum Philippo imperatori Constantinopolitano non concedat, cum propter processus Romanorum pontificum non possit. Nr. 212. pag. 107.

— 7. Sept. Guilielmo episcopo Quinqueecclesiensi, ut Galvanum de Bononia commendatum habeat, et laboret pro pace inter imperatorem et regem Hungariae reconcilianda. Nr. 213. pag. 108.

— 7. „ Elisabethae seniori reginae Hungariae et Poloniae, ut laboret pro pace inter regem Hungariae et imperatorem reconcilianda. Nr. 214. pag· 109.

— 7. „ Elisabetha iunior regina Hungariae de devotione erga Ecclesiam collaudatur. Nr. 215. pag. 109.

— 16. „ Ludovico regi Hungariae, ut Nicolaum episcopum Milkoviensem in recuperandis suis iuribus commendatum habeat. Nr. 216. pag. 110.

— 16. „ Nicolao archiepiscopo Strigoniensi, ut bona iuraque ecclesiae Milkoviensis eidem Nicolao episcopo restituat. Nr. 217. pag. 110.

— 28. „ Ludovico regi Hungariae, ut nuntios apostolicos in exigendo pecuniario subsidio a personis ecclesiasticis regni sui pro bello contra Bernabonem de Vicecomitibus commendatos habeat. Nr. 218. pag. 111.

— 28. „ Stephano archiepiscopo Colocensi et aliis praelatis et baronibus Hungariae, ut apud regem pro pace inter ipsum et imperatorem insistant, et nuntio apostolico assistant. Nr. 219. pag. 111.

— 27. Oct. Reginis seniori et iuniori Hungariae, operam efficacem dent, ut rex ordinem Cisterciensem commendatum habeat. Nr. 220. pag. 111.

— 27. „ Ludovico regi et archiepiscopo Strigoniensi episcopisque Quinqueeccl. et Zagrabiensi, ut ordinem Cisterciensem et abbates eiusdem ordinis visitatores commendatos habeant. Nr. 221. pag. 112.

— 11. Nov. Eidem regi ad litteras et dicta per suum nuntium respondetur et offertur favor. Nr. 222. pag. 112.

— 11. „ Elisabethae reginae idem respondetur. Nr. 223. pag. 113.

— 10. Dec. Ludovico regi Hungariae, ut Florentinos colligatos cum Romana ecclesia et marchione Estensi ad ipsum marchionem iuvandum, ut tenentur, exhortetur. Nr. 224. pag. 113.

1372. 10. Apr. Carolo imperatori de pace cum rege Hungariae facta pontifex gratulatur. Nr. 225. pag. 114.

— 15. „ Ludovico regi Hungariae, ut nuntio apostolico in exigendis decimis in Hungaria et aliis partibus impositis assistat, et fidem adhibeat. Nr. 226. pag. 114.

— 21. „ Eidem regi litterae dispensationis pro filiabus Casimiri regis Poloniae mittuntur. Nr. 227. pag. 114.

— 21. „ Eidem quemdam alterum de praepositura Albensi iam provisum esse notificatur. Nr. 228. pag. 115.

— 10. Maii Eidem, ut Petrum Stephani nuntium apostolicum in suis regnis commendatum habeat. Nr. 229. p. 115.

1372. 14. Maii Eidem, ut contra Turcas, qui iam intraverunt regnum Rasciae, exsurgat, et resistat eis, antequam ad ulteriora procedant. Nr. 230. pag. 115.

— 16. Iunii Vicario ord. Minorum in Bosnia, ut certa loca fratribus Minoribus in quibusdam partibus ultramontanis constituere possit. Nr. 231. pag. 116.

— 22. „ Universis ministris provincialibus et custodibus ac guardianis ord. Minorum, ut fratribus sui ordinis ad partes Bosniae fidei dilatandae causa eundi licentiam dent. Nr. 232. pag. 117.

— 27. „ Ludovico regi Hungariae, ut cum ducibus Austriae et Cane de la Scala operari studeat, ne difficultatis materiam concordiae inter Venetos et Fr. de Carraria faciendae praebeant. Nr. 233. pag. 118.

— 28. „ Eidem, ut partes suas pro treugarum prorogatione inter duces Austriae et patriarcham Aquileiensem sub spe pacis faciendae interponat. Nr. 234. pag. 118.

— 22. Iulii Patriarchae Alexandrino nuntio apostolico, ut conventui imperatoris et regis Hungariae pro omnimoda concordia facienda interesse studeat, et requirat eosdem ad subveniendum ecclesiae Romanae contra Bernabonem et Galeazum de Vicecomitibus. Nr. 235. pag. 118.

— 22. „ Ludovico regi Hungariae, ut praefato patriarchae in subveniendo ecclesiae Romanae credat. Nr. 236. p. 119.

— 28. „ Priori Carmelitarum provinciali Alamanniae superioris, ut locum recipere possit in oppido Budae Vesprimiensis dioecesis. Nr. 237. pag. 119.

— 19. Aug. Episcopo Vesprimiensi, ut fundatio duarum ecclesiarum parochialium in Agriensi dioecesi facta per Iacobum de Stepez confirmetur. Nr. 238. pag. 120.

— 30. „ Universis Christi fidelibus ecclesiae S. Sapientiae Titulensis Colocensis dioecesis manus adiutrices porrigentibus venia datur. Nr. 239. pag. 121.

— 30. „ Iisdem ecclesias S. Stephani prope Strigonium et S. Trinitatis de Aquiscalidis Vesprimiensis dioecesis visitantibus venia datur. Nr. 240. pag. 121.

— 30. „ Iisdem ecclesiam B. Ioannis Baptistae Agriensem visitantibus, eiusque fabricam adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 241. pag. 121.

— 30. „ Iisdem ecclesiam SS. Petri et Pauli de Clewregh Colocensis dioecesis visitantibus et operam praestantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 242. pag. 122.

— 27. Sept. Ludovico regi et Elisabethae reginae Hungariae, ut partes suas pro concordia inter Venetos et Franciscum de Carraria facienda interponat. Nr. 243. pag. 122.

— 27. „ Guilielmo episcopo Quinqueecclesiensi, ut super hoc penes regem et reginam praefatos suas partes efficaciter interponat. Nr. 244. pag. 123.

— 27. „ Regi Hungariae grates de oblatis redduntur, et ut concordiam inter imperatorem et duces Bavariae reconciliandam curet. Nr. 245. pag. 123.

— 30. „ Priori Carmelitarum provinciali Alamanniae superioris, ut in civitate Quinqueecclesiensi locum recipere possit. Nr. 246. pag. 124.

— 3. Oct. Ludovico regi Hungariae, ut Bartholomaeo Spiefamae de certa pecunia debita satisfieri iubeat. Nr. 247. p. 124.

— 3. „ Elisabethae seniori et Elisabethae iuniori reginis super eodem. Nr. 248. pag. 125.

— 3. „ Episcopo Vaciensi super eodem. Nr. 249. pag. 125.

— 4. „ Eidem, ut dicto Bartholomaeo de eadem pecunia, quantum in se fuerit, satisfieri faciat. Nr. 250. p. 125.

— 12. „ Archiepiscopo Strigoniensi, ut nuntium apostolicum habeat commendatum et in agendis det auxilium ac favorem. Nr. 251. pag. 125.

— 21. „ Ludovico regi Hungariae, ut Petrum Stephani canonicum Agriensem nuntium apostolicum in regnis suis habeat commendatum. Nr. 252. pag. 126.

— 25. „ Eidem, ne per ullos Guilielmum card. S. Clementis in beneficiis suis molestari permittat. Nr. 253. pag. 126.

— 25. „ Eidem, ut magistrum et conventum Cruciferorum sigillo communi uti permittat. Nr. 254. pag. 126.

— 25. „ Eidem, ut Emericum de Bir in expeditione agendorum suorum habeat commendatum. Nr. 255. pag. 127.

— 25. „ Nicolao de Garda bano de Machow, ne cardinalem S. Clementis in iuribus praepositurae suae S. Sapientiae Dei Titulensis Colocensis dioecesis molestari permittat. Nr. 256. pag. 127.

— 29. „ Ludovico regi Hungariae quaedam utilia pro statu regni Siciliae, visis suis capitulis, reserantur, et super hoc credat nuntio apostolico et nihil in praeiudicium dicti regni moveat. Nr. 257. pag. 127.

— 29. „ Elisabethae seniori reginae, ut eidem regi annuendum scriptis pontificiis persuadeat et nuntio apostolico credat. Nr. 258. pag. 128.

— 29. „ Elisabethae iuniori reginae super eodem. Nr. 259. pag. 129.

— 29. „ Thomae archiepiscopo Strigoniensi et aliis praelatis et nobilibus Hungariae super eodem. Nr. 260. p. 129.

— 13. Nov. Ludovico regi Hungariae commendatur Dominicus episcopus Nitriensis. Nr. 261. pag. 129.

— 13. „ Eidem, ut procuratores ad civitatem Thebanam ad foedus ineundum cum aliis fidelibus contra Turcas mittat. Nr. 262. pag. 130.

— 14. „ Elizabethae seniori reginae Hungariae et Poloniae, ut camerae apostolicae de certis pecuniis, quas debebat Casimirus rex Poloniae, satisfieri iubeat. Nr. 263. pag. 130.

— 1. Dec. Ludovico regi Hungariae, ut nuntium apostolicum et procuratores cardinalis S. Clementis commendatos habeat. Nr. 264. pag. 131.

— 18. „ Eidem, ut militibus, quos auxiliares Fr. de Carraria misit, si cum eisdem hostibus facta sit pax, ad ecclesiae Romanae serviendum remanere iubeat. Nr. 265. pag. 131.

— 18. „ Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi eorumque suffraganeis, ut decimam impositam sine ulla excusatione persolvant. Nr. 266. pag. 131.

1372. 18. Dec. Ludovico regi, ne molestum ferat, si suae petitioni non annuatur, videlicet ne praelati suorum regnorum decimas impositas solvant. Nr. 267. pag. 132.

1373. 1. Ian. Eidem, ut milites, quos Francisco de Carraria contra Venetos misit, in auxilio ecclesiae Romanae destinare velit. Nr. 268. pag. 133.

— 1. „ Eidem, ut Canem de la Scala ad foedus cum ecclesia Romana faciendum, et Florentinos ad auxilium ferendum contra Vicecomites inducat. Nr. 269. pag. 133.

— 23. Mart. Archiediscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut in regnis et terris regis Hungariae verbum crucis contra Turcas praedicent. Nr. 271. pag. 135.

— 23. „ Omnibus crucesignatis regnorum regis Hungariae volentibus contra Turcas proficisci consuetae indulgentiae conceduntur. Nr. 270. pag. 134.

— 23. „ Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi atque episcopo Quinqueecclesiensi, ut pecunias, quae ex praedicatione crucis contra Turcas in truncis ponantur, conservent, et ad mandatum regis Hungariae pro dicto negotio expendant. Nr. 272. pag. 138.

— 23. „ Iisdem, ut antequam litteras apostolicas de praedicatione crucis pervulgent, a rege ad istud onus infra annum assumendum et prosequendum personaliter recipiant iuramentum. Nr. 273. pag. 138.

— 15. Maii Archiepiscopo Strigoniensi, ut quosdam christianos suae dioecesis portantes seu vendentes ferrum et alia prohibita Turcis denuntiet excommunicatos. Nr. 274. pag. 139.

— 17. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Annae Varadiensem visitantibus et adiuvantibus conceduntur indulgentiae. Nr. 275. pag. 139.

— 1. Iunii Vicario caeterisque fratribus ord. Minorum Bosniae datur facultas constituendi seu fundandi sex loca sui ordinis in illis partibus. Nr. 276. pag. 140.

— 22. Iulii Vicario ord. Minorum in partibus Russiae sacramenta fidelibus et neophytis illarum partium ministrandi facultas datur. Nr. 277. pag. 140.

— 22. „ Universis neophytis in terra Lembergae et aliis Russiae partibus de ipsorum conversione ad fidem catholicam pontifex congratulatur. Nr. 278. pag. 141.

— 5. Nov. Gaufrido Corisopitensi episcopo et aliis conceditur, ut declarationem cunctorum dubiorum inter praedicantes verbum crucis in partibus infidelium factam extendant ad partes Corsicae et Russiae. Nr. 279. p. 141.

— 25. „ Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi et episcopo Quinqueecclesiensi, ut decimam pro necessitatibus ecclesiae Romanae impositam solvant. Nr. 280. pag. 142.

— 30. „ Episcopo Quinqueecclesiensi indulgetur, ut sibi coadiutorem eligere possit. Nr. 281. pag. 142.

1374. 7. Ian. Guilielmo episcopo Senensi nuntio apostolico, potestatem cum rege Hungariae et aliis foedus ineundi datur. Nr. 282. pag. 143.

— 8. „ Ludovico regi Hungariae de ineundis matrimoniis inter natas suas et filios regis Franciae, et ad quaedam alia respondetur. Nr. 283. pag. 143.

— 8. „ Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi exemplar quarundam regis litterarum, quem super eis informent, mittitur. Nr. 284. pag. 144.

— 8. „ Bonifacio de Lupis, ut apud regem Hungariae super his, pro quibus missus est Guilielmus episcopus Senensis, insistat. Nr. 285. pag. 144.

— 18. „ Ludovico regi Hungariae, ut Simonem de Podio habeat commendatum, et in certis Romanae ecclesiae negotiis eidem commissis credat. Nr. 286. pag. 145.

— 18. „ Episcopo Senensi nuntio apostolico, ut negotia Romanae ecclesiae, pro quibus penes regem Hungariae insistit, communicet cum Simone de Podio. Nr. 287. pag. 145.

— 12. Febr. Ludovico regi Hungariae litteras testimoniales de fama Dominici archiepiscopi Iadrensis, quibus credit, recepisse pontifex annuntiat. Nr. 288. pag. 145.

— 13. Mart. Eidem regi Rogerius comes Mileti in his, pro quibus mittitur, commendatur. Nr. 289. pag. 145.

— 13. „ Elisabethae seniori reginae, ut penes regem efficacem super praedictis det operam. Nr. 290. pag. 146.

— 24. „ Ludovico regi Hungariae, ut supplicationes Henrici de S. Severino exaudire velit. Nr. 291. pag. 146.

— 12. Apr. Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi, ne decimam impositam solvere, et in suis dioecesibus solvi facere postponant. Nr. 292. pag. 146.

— 12. Iulii Fratribus ord. Minorum in Bosnia, ut libros fratrum suorum morientium in subsidium fidei valeant retinere. Nr. 293. pag. 147.

— 9. Aug. Universis fidelibus manus adiutrices porrigentibus ecclesiae parochiali de Bresna Bosnensis dioecesis veniam pontifex largitur. Nr. 294. pag. 147.

— 11. „ Ludovico regi Hungariae, ut procuratores cardinalis S. Angeli in adipiscenda possessione dignitatum in suo regno habeat commendatos. Nr. 295. pag. 148.

— 11. „ Episcopo Quinqueecclesiensi super eodem. Nr. 296. pag. 148.

— 10. Sept. Universis fidelibus adiuvantibus ecclesiae parochialialis fabricam Omnium Sanctorum Agriensis dioecesis indulgentiae conceduntur. Nr. 297. pag. 148.

— 15. „ Elisabethae seniori reginae Hungariae et Poloniae, ut camerae apostolicae de certis pecuniis, quas Casimirus rex Poloniae a collectoribus acceperit, satisfieri iubeat. Nr. 298. pag. 149.

— 18. „ Ludovico regi Hungariae de nuntiis sibi missis et ad multa alia pontifex respondet. Nr. 299. pag. 149.

— 18. „ Eidem, ut foedus contra Turcas inire velit et super hoc respondeat, et nuntiis apostolicis fidem adhibeat. Nr. 300 pag. 150.

— 22. „ Ioannae reginae Siciliae scribitur, quod rex Hungariae petit se declarari successorem in regno Siciliae post eius obitum. Nr. 301. pag. 150.

1374. 8. Oct. Ludovico regi Hungariae pontifex accessum ad Urbem faciendum mense Sept. proxime futuro annuntiat. Nr. 302. pag. 151.

— 13. „ Eidem, ut benigne audiat et exaudiat archiepiscopos Strigoniensem et Colocensem de conversione Valachorum facta et facienda ad fidem catholicam, et prosequatur dictam conversionem. Nr. 303. pag. 152.

— 13. „ Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi, ut sese informent, an utile sit cathedralem Valachorum conversorum ecclesiam erigere. Nr. 304. pag. 152.

— 6. Dec. Carolo imp. Romanorum indulgetur, ut Sigismundus natus suus cum filia regis Hungariae matrimonium inire possit. Nr. 305. pag. 153.

— 13. „ Ludovico regi Hungariae, ut regiis favoribus Ioanni de Riparia priori hosp. S. Ioan. Hierosol. in Hungaria in assecutione ipsius prioratus ac recuperatione bonorum assistat. Nr. 306. pag. 153.

— 13. „ Thomae archiepiscopo Strigoniensi, insistat penes eundem regem, ut scriptis papae in negotio ipsius prioratus annuat. Nr. 307. pag. 154.

— .... Quibusdam clericis de canonicatibus providetur. Nr. 308. pag. 155.

1375. 8. Dec. Priori ac praeceptoribus hospit. S. Io. Hierosol. in Hungaria, ut ad passagium in terram sanctam milites contra Turcas mittant. Nr. 309. pag. 155

1376. 16. Ian. Capitulo Quinqueecclesiensi libertates etc a pontificibus et regibus concessa confirmantur. Nr. 310. p. 156

— 16. „ Valentino episcopo Quinqueecclesiensi cum certis personis de defectu natalium dispensandi datur facultas. Nr. 311. pag. 156.

— 16. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam de Alsam Quinqueecclesiensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 312. pag. 157.

— 26. „ Stephano archidiacono de Vynar, ut una cum archidiaconatu ecclesiam parochialem de Galhano retinere possit. Nr. 313. pag. 157.

— 27. „ Episcopo Zagrabiensi et Varadiensi mandatur, ut a Petro episcopos Iauriensi olim Bosnensi fidelitatis iuramentum recipiant. Nr. 314. pag. 158.

— 13. Febr. Archiepiscopo Strigoniensi et episcopo Cenadiensi, ut a Dominico episcopo Bosnensi solitum fidelitatis iuramentum recipiant. Nr. 315. pag. 158.

— 15. „ Episcopis Quinqueecclesiensi et Vesprimiensi, ut a Demetrio episcopo Zagrabiensi olim Transilvanensi fidelitatis iuramentum recipiant. Nr. 316. pag. 159.

— 31. Maii Demetrio episcopo Zagrabiensi indulgetur, ut per certum tempus ab ecclesia sua abesse, in locis interdictis divina celebrare et sibi confessorem eligere possit. Nr. 317. pag. 159.

EPISTOLAE URBANI PP. VI.

1380. 23. Maii Demetrio cardinali SS. Quatuor Coronatorum in Hungaria existenti, ut sese informet de spoliis Floriani episcopi Cracoviensis. Nr. 318. pag. 160.

1381. 11. Ian. Eidem cardinali ecclesia Strigoniensis denuo confertur. Nr. 319. pag. 161.

1382. 24. Iunii Eidem cardinali, ut in subsidium domini Papae duodecimam omnium beneficiorum ecclesiasticorum in regno Hungariae exigat. Nr. 320. pag. 161.

1389. 22. Ian. Collectoribus Hungariae, ut cum Petro Zowdinger de Buda de voto limina Apostolorum visitandi dispensent. Nr. 321. pag. 163.

EPISTOLAE BONIFACII PP. IX.

1390. 10. Dec. Ladislao abbati Scepusiensi ordinis Cisterciensis, ne ipse caeterique Cistercienses in Hungaria monachi abbati generali eiusdem ordinis, Clementis VII. antipapae sectatori, adhaereant. Nr. 322. pag. 164.

1391. 13. Apr. Georgio Stratimiri principi Zentae, ut civitatem Duracensem, Clementi VII. antipapae adhaerentem, ad obedientiam S. Romanae ecclesiae reducat. Nr. 323. pag. 165.

— 13. „ Idem Georgius se subiicit una cum suis terris, civitatibus etc. sedi apostolicae et sub eius protectione suscipitur. Nr. 324. pag. 165.

1396. 18. Ian. Andreae Blasii canonico Transilvano, ut Iacobo Ruffi Vesprim. dioecesis presbyter canonicatum in ecclesia Albaregalensi conferat. Nr. 325. pag. 166.

— 21. Apr. Lectori Bosnensi, ut Antonio Petri presbytero Zagrabiensi ecclesiam parochialem S. Laurentii M. de Diato Bosnensis dioecesis conferat. Nr. 326. pag. 167.

— 10. Maii Episcopo Zagrabiensi, ut Nicolao de Chap clerico Agriensi ecclesiam parochialem S. Laurentii de Hay Colocensis dioecesis conferat. Nr. 327. pag. 168.

— 26. Iulii Bertrando episcopo Eugubino, ut controversiam inter Georgium Galli custodem ecclesiae Quinqueecclesiensis et Benedictum Blasii clericum eiusdem dioecesis de canonicatu in ecclesia Quinqueecclesiensi exortam examinet et dirimat. Nr. 328. pag. 168.

1398. 9. Oct. Antonius de Teramo constituitur administrator ecclesiae Iadrensis. Nr. 329. pag. 169.

— 15. „ Eidem censuram ecclesiasticam in quascumque personas in Hungaria et Sclavonia exercendi facultas conceditur. Nr. 330. pag. 170.

1399. 6. Mart. Paulo episcopo Calcedoniensi nuntio apostolico, ut verbum crucis in Hungaria contra Turcas in subsidium imperatoris Constantinopolitani praedicet et praedicari faciat. Nr. 331. pag. 170.

1400. 8. Apr. Episcopo Varadiensi, ut electum Transilvanensem ad solvendos fructus primi anni censura ecclesiastica cogat. Nr. 332. pag. 172.

1403. 1. Iunii Angelus card. S. Laurentii legatus a latere in regnum Hungariae mittitur. Nr. 333. pag. 172.
— 2. „ Eidem absolvendi ab excommunicationis poena conceditur facultas. Nr. 334. pag. 174.
— 2. „ Eidem schismaticos et adhaerentes antipapae absolvendi facultas datur. Nr. 335. pag. 174.
— 2. „ Eidem extendit iura et facultates legationis suae ad Bohemiae et Poloniae regna. Nr. 336. pag. 176.

EPISTOLAE GREGORII PP. XII.

1407. 18. Oct. Henrico de Piscina fructuum ac proventuum camerae apostolicae in Strigoniensi et Colocensi provinciis collectori et collegae suo super caritativi subsidii impositione. Nr. 337. pag. 177.
— 9. Nov. Universis Christi fidelibus, ut cum rege Hungariae per se vel alios pro se mittentes contra Turcas et infideles eant. Nr. 338. pag. 179.
1408. 21. Maii Universis Christi fidelibus Gregorius XII. intimat, quae ad sopiendum Benedicti XIII. antipapae schisma egerit. Nr. 339. pag. 180.
1414. 17. Oct. Sigismundo regi Hungariae, ne fautoribus schismatis adhaereat. Nr. 340, pag. 181.
— 18. Nov. Eidem regi nuntiat, quae ad tollendum schisma egerit. Nr. 341. pag. 182.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXIII.

1410. 21. Iulii Valentinus de Strigonia ord. S. Augustini in capellanum pontificium recipitur. Nr. 342. pag. 184.
— 1. Aug. Brandae episcopo Placentino nuntio apostolico, ut se informet de loco, ubi generale litterarum studium in Hungaria erigi possit. Nr. 343. pag. 184.
— 1. „ Eidem, ut varios abusus apud clerum tam regularem quam saecularem reformet. Nr. 344. pag. 185.
— 3. „ Pontifex Sigismundum pro rege Hungariae habere, et eius successores ut tales habituros esse declarat. Nr. 345. pag. 186.
— 3. „ Sigismundo regi Hungariae fructus reditusque ecclesiastici per ipsum suosque in eodem regno hactenus percepti ad conterendos fidei hostes conceduntur. Nr. 346. pag. 187.
— 16. „ Brandae episcopo Placentino nuntio apostolico, ut iniquos Ladislai de Duratio in usurpando regno Hungariae conatus reprimat. Nr. 347. pag. 189.
— 18. „ Eidem facultatem ecclesias parochiales olim a Tartaris aliisque infidelibus destructas denuo instaurandi, eisque idoneos praeficiendi pastores tribuit. Nr. 348. pag. 191.
— 18. „ Eidem, ut omnia privilegia etc. ab antipapis in Hungaria tempore schismatis concessa irritet et annullari faciat. Nr. 349. pag. 191.
— 25. „ Andreae electo Varadiensi et suae ecclesiae omnia debita cum camera apostolica contracta remittuntur. Nr. 350. pag. 192.
— 25. „ Cardinalibus S. Laurentii in Damaso, S. Viti in Marcello et S. Georgii in Velabro mille florenorum super mensis episcopalibus Colocensi et Syrmiensi conceduntur. Nr. 351. pag. 192.
1411. 12. Oct. Branda card. S. Clementis legatus sedis apostolicae cum solitis facultatibus in Hungariam et alia regna Sigismundi regi subiecta mittitur. Nr. 352. pag. 193.
1413. 15. Maii Eidem legato legationis suae facultates in Alamanniae et Lombardiae partes extenduntur. Nr. 353. p. 193.
1414. 15. Iulii Archiepiscopis Colocensi et Strigoniensi, ut praelatos et dominos temporales provinciarum suarum ad comparendum in concilio generali Constantiensi moneant et exhortentur. Nr. 354. pag. 194.

EPISTOLAE MARTINI PP. V.

1418. 28. Febr. Iudicibus committitur, ut raptores bonorum archiepiscopi Strigoniensis, qui ad generale concilium venerat, absolvant. Nr. 355. pag. 195.
— 10. Iulii Ioannes card. S. Sixti ad regna Hungariae et Bohemiae pro rebus fidei mittitur sedis apostolicae legatus. Nr. 356. pag. 196.
— 14. „ Conradus lector Varadiensis suscipitur in pontificium acolytum. Nr. 357. pag. 199.
— 1. Aug. Idem Conradus constituitur nuntius et collector decimarum in Hungaria. Nr. 358. pag. 199.
— 1. Sept. Benedictus de Guidalottis fit procurator ecclesiae Strigoniensis vacantis, ut bona archiepiscopo defuncto depraedata exigat. Nr. 359. pag. 201.
1421. 18. Iulii Ioanni Georgii de Capruncha cantori Zagrabiensi conceditur salvus conductus. Nr. 360. pag. 202.
1422. 19. Febr. Fernandus episcopus Lucensis mittitur nuntius apostolicus in Hungariam. Nr. 361. pag. 203.
— 23. Oct. Sigismundi Romanorum, Hungariae et Bohemiae regis consilium Bohemos haereticos ad sinum matris Ecclesiae reducendi laudatur. Nr. 362. pag. 203.
1423. 19. Febr. Idem episcopus Lucensis pro pace inter Sigismundum imperatorem et regem Poloniae reconcilianda nuntius apostolicus in Hungariam mittitur. Nr. 363. pag. 204.
1426. 16. Ian. Iordanus episcopus Albanensis ad Hungariae et Bohemiae regna legatus a latere mittitur. Nr. 364. p. 205.
1427. 10. Sept. Sigismundo regi Hungariae et Bohemiae super reductione Bohemorum haereticorum ad gremium sanctae matris Ecclesiae. Nr. 365. pag. 205.
1432. 1. Ian. Iulianus card. S. Angeli legatus a latere in regnum Bohemiae etc. mittitur. Nr. 366. pag. 206.
— 9. „ Eidem certae facultates conceduntur. Nr. 367. pag. 209.
1432. 11. Mart. Iuliano card. S. Angeli legato facultas datur statuendi, ut monasteria fratrum Minorum in confinibus Hungariae consistentia sub domus Bosnensis gubernio sint. Nr. 368. pag. 210.

1432. 11. Mart. Eidem revocandi privilegia cleri Transilvani de non contribuendis subsidiis contra Turcas licentia datur. Nr. 369. pag. 211.

— 3. Sept. Pontifex quasdam litteras ecclesiae Albaeregalis iurisdictioni obnoxias revocat. Nr. 370. pag. 212.

1438. 13. Ian. Ioannes episcopus Signensis, ut Hungaros ad bellum contra Turcas excitet, nuntius apostolicus in regno Hungariae constituitur. Nr. 371. pag. 215.

— 13. „ Eidem nuntio certae facultates conceduntur. Nr. 372. pag. 217.

— 15. Nov. Alberto Romanorum et Hungariae regi Iacobus de Marchia ord. Minorum inquisitor in Hungaria commendatur. Nr. 373. pag. 218.

— 30. „ Eidem regi circa ecclesiam Zagrabiensem primo cuidam Abel, deinde Benedicto praeposito Albaeregalis conferendam, et de unione cum Graecis facienda scribitur. Nr. 374. pag. 218.

1439. 23. Apr. Eidem Alberto circa quietem Hungariae, et pacem inter ipsum et regem Poloniae reconciliandam respondetur. Nr. 375. pag. 219.

1440. 9. Maii Iudicibus mandatur, ut fratribus ord. Minor. S. Francisci decem monasteria in Hungaria erigere permittant. Nr. 376. pag. 221.

1443. 2. Nov. Episcopo Vesprimiensi, ut Andreae Vladislai regis Hungariae et Poloniae vicecancellario praeposituram B. Mariae Albaeregalis conferendam curent. Nr. 377. pag. 221.

1445. 23. Ian. Vicarii ord. Minorum in Bosnia constituuntur inquisitores haereticae pravitatis, et alii conventus iisdem subiiciuntur. Nr. 378. pag. 223.

— 24. „ Divisio inter fratres Hungaros, Bosnenses et caeteros Sclavos ord. Minorum facta revocatur. Nr. 379. p. 225.

— 27. „ Universis fidelibus ecclesiae B. Mariae in Somlio Transilvanensis dioecesis manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur. Nr. 380. pag. 226.

1445. 31. Ian. Fratribus ord. Minorum in Bosnia conceditur, ut fratres tertiarios etc. in Hungaria possint recipere, loca accipere, ordinare etc. Nr. 381. pag. 226.

— 16. Febr. Reges principesque ac praelatos etc. Moldaviae, Valachiae etc. pontifex exhortatur, ut vicario Bosnensi et fratribus ord. Minorum inquisitoribus auxilium favoremque praebeant. Nr. 382. pag. 228.

1446. 15. Oct. Petro Woyslau voivodae partium inferioris Bosniae domum Bosnensem fratrum Minorum a superioritate vicarii eiusdem provinciae exemptam esse notificatur. Nr. 384. pag. 231.

— 23. „ Thomae episcopo Pharensi, ut Petrum Voyslaulich a sententia contra eum lata ob decimas in regno Bosniae absolvat. Nr. 383. pag. 230.

EPISTOLAE NICOLAI PP. V.

1447. 15. Maii Pontifex extinctionem praepositurae S. Ladislai Cibiniensis confirmat. Nr. 385. pag. 232.

— 18. Iunii Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Thomae in Bosnia nullius dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 386. pag. 233.

— 18. „ Iisdem ecclesiam SS. Trinitatis in Verlau in Bosnia nullius dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur Nr. 387. pag. 234.

— 18. „ Iisdem ecclesiam S. Georgii de Iesero in Bosnia nullius dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 388. pag. 234.

— 18. „ Iisdem ecclesiam S. Mariae de Virben in Bosnia nullius dioecesi visitantibus conceduntur indulgentiae. Nr. 389. pag. 234.

— 18. „ Petro voivodae partium inferiorum Bosniae, ut duos fratres Minores de observ. sibi in capellanos eligere possit. Nr. 390. pag. 235.

— 18. „ Stephano Thomae regi Bosniae conceditur, ut duos fratres Minores de observ. in suos capellanos recipere et apud se tenere possit. Nr. 391. pag. 235.

— 18. „ Petrus Voyslaulich voivoda Bosniae inferioris sub apostolicae sedis protectione suscipitur. Nr. 392. p. 235.

— 18. „ Sladoc voivoda dominus de Requi una cum Gregorio et Wulrich suis germanis sub apostolicae sedis protectione suscipitur. Nr. 393. pag. 236.

— 18. „ Salvus conductus pro Thoma episcopo Pharensi legato apostolico ad regem Bosniae etc. misso. Nr. 394. p. 236.

— 19. „ Stephanus Thomas rex Bosniae una cum suis haeredibus et bonis sub apostolicae sedis protectione suscipitur. Nr. 395. pag. 237.

— 20. „ Thomae episcopo Pharensi legato apostolico in Bosnia et Croatia munus et facultates ab Eugenio IV. concessae confirmantur. Nr. 396. pag. 237.

— 21. „ Archiepiscopo et capitulo Spalatensi, ut Thomae episcopo Pharensi legato apostolico de habitatione in civitate Spalatensi provideant. Nr. 397. pag. 238.

— 22. „ Decano ecclesiae Cibiniensis, ut fratres Praedicatores in capiendo aliquem locum in oppido Cibiniensi adiuvet. Nr. 398. pag. 238.

— 30. „ Archiepiscopo Strigoniensi et episcopo Albensi, ut partes suarum dioecesium in Transylvania visitent et disciplinam ecclesiasticam reforment. Nr. 399. pag. 238.

— 30. „ Universis praelatis ordinum in Transylvania, ut in suis monasteriis disciplinam restaurent. Nr. 400. p. 239.

— 4. Aug. Ioannes card. S. Angeli legatus a latere ad Fridericum imperatorem et regnum Hungariae ad pacem vel treugas inter ipsos procurandas mittitur. Nr. 401. pag. 239.

— 4. „ Eidem legationis officium in regnum Bohemiae extenditur. Nr. 402. pag. 240.

— 6. Oct. Eidem, ut Benedictum episcopum ad ecclesiam Zagrabiensem restituat. Nr. 403. pag. 241.

— 10. Nov. Friderico Ciliae comiti, bano Sclavoniae, conceditur, ut sibi confessorem eligere possit. Nr. 404. pag. 242.

1447. 10. Nov. Eidem et suis confessorem sibi eligendi conceditur facultas. Nr. 405. pag. 242.

— 10. „ Monasterio in Vallisau Aquileiensis dioecesis a praedicto Friderico bano Sclavoniae erecto indulgentiae conceduntur. Nr. 406. pag. 243.

1448. 10. Iulii Michael de Castellacio prioratuum hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani in Alamannia, Hungaria et Bohemia visitator constituitur. Nr. 407. pag. 243.

— 22. „ Eidem mandatur, ut intrusum in prioratu Hungariae amoveat, et Iacobum de Soris substituat. Nr. 408. p. 249.

— 24. Oct. Thomae episcopo Pharensi conceditur, ut fratres Minores in Bosnia sibi eligere proprium possint vicarium. Nr. 409. pag. 250.

— 17. Maii Valentinus de Catha praepositus Vesprimiensis, et Andreas episcopus Signensis constituuntur in Hungaria,

— 26. Oct. Dalmatia et Croatia collectores. Nr. 410. pag. 251.

1449. 2. Febr. Restor protovestarius regni Bosniae una cum suis terris etc. sub apostolicae sedis protectione suscipitur. Nr. 411. pag. 251.

— 20. Apr. Valentino Laurentii de Capus prioratus sanctae Margarethae Dimesiensis Vesprimiensis dioecesis conceditur. Nr. 412. pag. 251.

— 24. „ Nicolao de Wylack, voivodae Transilvano, eiusque uxori conceditur altare portatile. Nr. 413. pag. 252.

— 24. „ Eidem Nicolao salvus conceditur conductus. Nr. 414. pag. 252.

— 25. „ Episcopo Vaciensi eiusque collegis, ut clericos Strigoniensis provinciae ad duo millia ducatorum pro ecclesia cathedrali Strigoniensi reficienda compellant contribuenda. Nr. 415. pag. 253.

1450. 11. Iunii Ioannes episcopus Constantiensis constituitur nuntius apostolicus in Bosnia, qui errantes ad viam veritatis reducat. Nr. 416. pag. 254.

— 13. „ Stephano Thomae regi Bosniae eiusque sociis euntibus ad bellum contra Turcas et infideles conceduntur indulgentiae. Nr. 417. pag. 255.

— 13. „ Ioanni episcopo Constantiensi nuntio apostolico in Bosnia conceditur salvus conductus. Nr. 418. pag. 255.

— 17. Iulii Vincentius electus Vaciensis praeficitur in episcopum. Nr. 419. pag. 256.

— 17. „ Capitulo ecclesiae et clero populoque civitatis et dioecesis Vaciensis, ut eidem Vincentio episc. humiliter obediant. Nr. 420. pag. 257.

— 17. „ Archiepiscopo Strigoniensi idem Vincentius commendatur. Nr. 421. pag. 257.

— 17. „ Eidem Vincentio, ut a quocumque antistite catholico consecrationis munus accipere possit. Nr. 422. p. 257.

1451. 30. Apr. Monitorium super translatione episcopi Tinniensis ad Zagrabiensem ecclesiam ad instantiam Demetrii episcopi cum advocatione causae et litis extinctione. Nr. 423. pag. 258.

— 11. Dec. Episcopo Gurcensi super sua translatione ad ecclesiam Tinniensem. Nr. 424. pag. 260.

1452. 22. Febr. Ioanni de Capestrano ord. Minorum in partibus cismontanis generali vicario certae conceduntur facultates. Nr. 425. pag. 261.

— 6. Mart. Eidem et aliis fratribus ord. Minorum in Bohemia, Austria, Istria etc. existentibus certa conceduntur privilegia. Nr. 426. pag. 262.

— 1. Iulii Thomas episcopus Pharensis cum solitis facultatibus legatus apostolicus in Bosnia et Croatia constituitur. Nr. 427. pag. 263.

— 1. „ Vladislao Elestich voivodae Bosniae pax inter ipsum et regem Bosniae et promissiones factae confirmantur. Nr. 428. pag. 265.

— 1. „ Pacem inter regem et voivodam Bosniae factam pontifex confirmat. Nr. 429. pag. 265.

1453. 19. Iulii Thomae episcopo Pharensi, ut domos fratrum Minorum Ragusii et in insula Daxae vicariae Bosnensi uniat et subiiciat. Nr. 430. pag. 266.

— 22. Sept. Quaedam litterae Gregorio episcopo Milkoviensi super Brassovia concessae in favorem cardinalis Strigoniensis revocantur. Nr. 431. pag. 267.

1454 19 Oct. Episcopo Quinqueecclesiensi eiusque collegis mandatur, ut contra Raphaelem archiepiscopum Colocensem procedant. Nr. 432. pag. 268.

EPISTOLAE CALISTI PP. III.

1455. 30. Apr. Pontifex prohibet, ne domus ord. Minorum in Dalmatia ab vicariatu Bosnensi separentur. Nr. 483. p. 271.

— 30. „ Stephanus Thomas rex Bosniae et filius etc. sub apostolicae sedis protectione suscipiuntur. Nr. 434. p. 272.

— 1. Iunii Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae in Zassovice Transilvanensis dioecesis visitantibus conceduntur indulgentiae. Nr. 436. pag. 273.

— 5. „ Iudicibus mandatur, ut Nicolao Baruis Agriensis dioecesis quaedam beneficia conferant. Nr. 437. p. 274.

— 18. „ Paulus presbyter Agriensis dioecesis absolvitur ab excommunicatione, eidemque dispensatio irregularitatis conceditur. Nr. 435. pag. 272.

— 7 Iulii Stephano de Warada archidiacono de Pacha indulgetur, ut praeposituram ecclesiae Agriensis obtinere possit. Nr. 438. pag. 275.

— 29 „ Universis fidelibus ecclesiam S. Nicolai in Vethes Transilvanensis dioecesis devote visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 439. pag. 276.

— 1. Sept. Dionysius S. Cyriaci cardinalis constituitur legatus a latere in regno Hungariae. Nr. 440. pag. 277.

— 17 „ Ioannes Carvajal S. Angeli cardinalis in Germaniam, Hungariam et alias terras legatus a latere mittitur. Nr. 441. pag. 278.

1456 30 Iulii Episcopo Milopotamensi ut Bernardo Grimani laico Agriensis dioecesis de certis libris etc. satisfieri curet. Nr. 442. pag. 279.

1456. 24. Aug. Pontifex archiepiscopum Atrebatensem, narrata gloriosa Hungarorum victoria ab Turcis relata, hortatur, ut ducem Burgundiae ad Hungaros contra eosdem Turcas adiuvandos excitet. Nr. 443. pag. 280.
— 8. Oct. Ioanni card. S. Angeli legato, ut causas Nicolai episcopi Quinqueecclesiensis de quibusdam decimis decidat. Nr. 444. pag. 281.
— 2. Nov. Legatis sedis apostolicae, ut principes christianos ad prosequendum contra Turcas bellum et adiuvandos Hungaros exhortentur. Nr. 445. pag. 281.
— 8. „ Cardinali S. Angeli legato de suo egregio opere in expugnandis Turcis in Hungaria pontifex gratulatur. Nr. 446. pag. 282.
— 23. Dec. Episcopo Varadiensi super dispensatione Stephano de Czasar canonico Varadiensi concessa. Nr. 447. p. 283.
1457. 23. Mart. Cardinali S. Angeli legato, ut ecclesiam parochialem B. Mariae Budensis, supplicante rege, in collegiatam erigendam, eidemque monasterium de Zeek ord. S. Benedicti uniendum curet. Nr. 448. pag. 284.
— 23. „ Eidem mandatur, ut Thomam in episcopatum Zagrabiensem restituat, et canonice procedat in adversarium Nr. 449. pag. 286.
— 10. Apr. Eidem legato, ut ad concordiam Hungaros, qui unitis viribus Turcas expugnent, admoneat. Nr. 450. p. 287.
— 10. „ Ladislao Hungariae et Bohemiae regi de praeclaro aggrediendi Turcas consilio gratulatur. Nr. 451. p. 288.
— 10. „ Cardinali archiepiscopo Strigoniensi, ut regem in eodem consilio confirmet. Nr. 452. pag. 289.
— 13. „ Augustino episcopo Iauriensi exercendi in suos subditos iurisdictionem conceditur facultas. Nr. 453. p. 290.
— 21. „ Regi Bosniae, ut Ioannem de Gradis, in Hungariam missum, in itinere per Serviam captum pristinae libertati restitui iubeat. Nr. 454. pag. 290.
— 21. „ Philippo de Ragusio ord. Minorum in regno Bosniae vicario, vel in eius absentia fr. Nicolao de Apulia super eodem. Nr. 455. pag. 291.
— 23. „ Stephanus Thomas rex Bosniae in suo proposito Turcas aggrediendi confirmatur. Nr. 456. pag. 291.
— 23. „ Cardinali S. Angeli legato, ut regem Bosniae ad bellum in Turcas prosequendum animet. Nr. 457. p. 292.
— 26. „ Christianis in partibus Rasciae existentibus indulgetur, ut in ecclesia S. Nicolai de Novomonte Antibarensis dioecesis possint confiteri etc. Nr. 458. pag. 292.
— 17. Maii Iacobus de Marchia ord. Minorum in Hungariam ad praedicandum verbum crucis contra Turcas mittitur. Nr. 460. pag. 294.
— 17. „ Praelatis et baronibus regnorum Hungariae et Bohemiae idem Iacobus commendatur. Nr. 461. pag. 295.
— 17. „ Regi Hungariae praedictus Iacobus commendatur, omniaque prospera contra Turcas augurantur. Nr. 462. pag. 295.
— 21. „ Thomas verus et legitimus ecclesiae Zagrabiensis episcopus declaratur, et silentium imponitur adversariis. Nr. 459. pag. 292.
— 24. „ Cardinali S. Angeli legato, Hungaros hortetur, ut semotis omnibus intestinis discordiis, Turcas alacriter aggrediantur. Nr. 463. pag. 296.
— 22. Iunii Eidem fratres Minores oratores regis Bosniae commendantur, et ut eidem regi S. R. E. vexillum ad aerius expugnandos Turcas concedat. Nr. 464. pag. 296.
— 26. Iulii Francisco Foscari duci Venetiarum, ut regem Bosniae in suscepto contra Turcas bello adiuvet, Dalmatasque eidem sese coniungere permittat. Nr. 465. pag. 297.
— 28. „ Stephanus comes in Bosnia de egregio Turcas expugnandi consilio collaudatur. Nr. 466. pag. 297.
— 28. „ Mariano de Senis ord. Minorum, nuntio et collectori apostolico, ut verbum crucis in Hungaria, Bosnia etc. praedicet, collectasque eleemosynas regi Bosniae assignet. Nr. 467. pag. 298.
— 29. „ Regi Bosniae de capto consilio Turcas propediem aggrediendi pontifex gratulatur, promittitque se ipsi in omnibus praesto fore. Nr. 468. pag. 298.
— 29. Aug. Episcopis Passaviensi et Secoviensi, ut Friderico imperatori ab episcopo Iauriensi de summa trium millia florenorum satisfieri curent. Nr. 469. pag. 299.
— 3. Sept. Presbyteris Graecis ubilibet existentibus mandatur, ut in ecclesiis et missarum solemniis nomen summi pontificis alte cantent et pro felici statu S. R. E. orent. Nr. 470. pag. 300.
— 8. „ Cardinali S. Angeli legato, ut partibus auditis iustitiam faciat super ecclesia Zagrabiensi. Nr. 471. p. 301.
— 11. „ Georgio Castriotti Scanderbech, ut contra Turcas fortiter agat, ipsique quaedam subsidia ex eleemosynis in Dalmatia collectis mittuntur. Nr. 472. pag. 303.
— 17. „ Cardinali S. Angeli legato, ut regi Bosniae quaedam subsidia ex eleemosynis in Servia et Dalmatia collectis pro bello contra Turcas assignanda curet. Nr. 473. pag. 304.
— 12. Nov. Iudicibus mandatur, ut Matthaeo praeposito ecclesiae Corporis Christi Iauriensis de certis possessionibus satisfieri curent. Nr. 474. pag. 394.
— 29. „ Cardinali Strigoniensi de egregio in sedem apostolicam studio pontifex gratulatur, mandatque, ut regem caeterosque principes ad mittendos Romam suos oratores pro sacro contra Turcas bello prosequendo admoneat. Nr. 475. pag. 305.
— 10. Dec. Cardinali S. Angeli legato, ut inter Demetrium et Thomam ecclesiae Zagrabiensi utiliorem eligat, et sedi apostolicae significet. Nr. 476. pag. 306.
1458. 9. Febr. Eidem legato, ut Hungarorum animos ad concordiam inducat, et apud regem efficiat, ut Mathias Hunyad pristinae libertati restituatur. Nr. 477. pag. 308.
— 14. Mart. Eidem legato, ut regnum Rasciae sub apostolicae sedis protectione suscipiat. Nr. 478. pag. 308.
— 14. „ Eidem de compositis Hungarorum animis, et de electione Mathiae Hunyadis in regem gratulatur, mandatque, ut electum regem ad bellum Turcicum viriliter prosequendum incitet. Nr. 479. pag. 309.
— 14. „ Cardinali Strigoniensi super eodem. Nr. 480. pag. 311.

1458. 14. Mart. Mathiae regi Hungariae de sua in regem electione gratulatur, hortaturque, ut totis viribus sacrum bellum prosequatur. Nr. 481. pag. 312.

— 14. „ Michaeli gubernatori regni Hungariae super eodem. Nr. 482. pag. 313.

— 14. „ Baronibus primatibusque regni Hungariae super eodem. Nr. 483. pag. 314.

— 26. Maii Mathiae regi Hungariae denuo admonitio adhibetur, ut bellum contra Turcas prosequatur, et pacem cum ipsis ineundam repudiet. Nr. 484. pag. 315.

— 26. „ Michaeli gubernatori regni Hungariae, ut regi in Turcis debellandis assistat. Nr. 485. pag. 316.

— 26. „ Relictae Ioannis de Hunyad de electione filii in regem, et fratris in gubernatorem regni pontifex gratulatur, exhortaturque, ut utrumque ad sacrum bellum continuandum excitet. Nr. 486. pag. 316.

EPISTOLAE PII PP. II.

1458. 13. Dec. Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Catharinae in castro Iayce in Bosnia visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 487. pag. 318.

1459. 21. Febr. Cardinali S. Angeli legato, ut proceres regni Hungariae exhortetur, et censura ecclesiastica compellat ad regem in Turcis debellandis adiuvandum. Nr. 488. pag. 318.

— 18. Mart. Ioannes episcopus Varadiensis una cum suo capitulo ab omni quorumcumque metropolitanorum et legatorum superioritate eximitur. Nr. 489. pag. 319.

— 18. „ Eidem coadiutor in regimine ecclesiae Varadiensis, quamdiu sibi placebit, conceditur. Nr. 490. pag. 320.

— 18. „ Quinqueecclesiensi et Chanadiensi (Cenadiensi) episcopis mandatur, ut in ecclesia Varadiensi collegium videlicet praepositi et XII. beneficiatorum erigendum, eidemque praeposituram S. Stephani protomart. et monasterium Zonthiob uniendum curent. Nr. 491. pag. 320.

— 23. „ Cardinali S. Angeli legato mandatur, ut regem principesque Hungariae ad comitia Mantuana venire hortetur, nec recedat ex eodem regno. Nr. 492. pag. 322.

— 31. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Gregorii in Gynorgy Quinqueecclesiensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 493. pag. 322.

— 2. Apr. Antonio Iscevichi comiti eiusque filio conceditur altare portatile: item Emerico filio quondam Ladislai voivodae de Zapulia. Nr. 494. pag. 323.

— 2. „ Cardinali S. Angeli legato, ut vexillum S. R. E. regi Hungariae ad Turcas debellandos tradat. Nr. 495. pag. 323.

— 2. „ Imperatori, ne suggestionibus quorumdam seductus regnum Hungariae ambiat. Nr. 496. pag. 324.

— 3. „ Michaeli Ozag de Guth palatino aliisque indulgetur, ut sibi missam ante diem celebrari facere possint. Nr. 497. pag. 324.

— 13. „ Imperatori, ne regnum Hungariae ambiat. Nr. 498. pag. 325.

— 14. „ Cardinali S. Angeli legato de imperatore et rege Hungariae inter se pacificandis. Nr. 499. pag. 325.

— 3. Maii Duci Burgundiae, ut ad res Hungariae prae primis componendas Mantuam veniat. Nr. 500. pag. 326.

— 9. „ Mariano de Senis ord. Minorum, ut se conferat ad regnum Bosniae. Nr. 501. pag. 327.

— 2. Iunii Cardinali S. Angeli de re bene gesta in Hungaria pontifex gratulatur, invitatque, ut Mantuam veniat, et absolutis comitiis in Hungariam redeat. Nr. 502. pag. 327.

— 6. Iulii Eidem de rebus praeclare gestis in Hungaria gratulatur. Nr. 503. pag. 328.

— 6. „ Regi Hungariae, ut contra Turcas fortiter agat. Nr. 504. pag. 329.

— 6. „ Imperatori, ut ad res Hungariae componendas Mantuam veniat, vel saltem oratores mittat. Nr. 505. p. 329.

— 30. „ Cardinali S. Angeli legato, ut indictis comitiis imperialibus curet interesse, et imperatorem ad pacem cum rege Hungariae firmandam hortetur. Nr. 506. pag. 330.

— 4. Aug. Blasio de Litio ord. Praedicatorum conceditur, ut cum quibusdam aliis monasteria in Albania de novo erigere et construere possit. Nr. 507. pag. 331.

— 11. „ Idem Blasius in dominio Scanderbech principis Croyae, et in Albania et aliis vicinis partibus nuntius apostolicus constituitur. Nr. 508. pag. 332.

— 27. „ Imperatorem pontifex valde increpat, quod ad res Hungaricas componendas Mantuam non venerit, nec oratores miserit. Nr. 509. pag. 333.

— 1. Sept. Dionysio cardinali Strigoniensi, ut causas inter capitulum Strigoniense et monasterium Petrivaradiense pendentes circa quasdam decimas decidat. Nr. 510. pag. 334.

— 6. „ Imperatori, ut tandem circa res Hungariae componendas oratores suos Mantuam mittat. Nr. 511. pag. 336.

— 8. „ Cardinali S. Angeli, ne cessante Turcarum invasione, subsidium XX. millia ducatorum regi Hungariae promissum eroget. Nr. 512. pag. 336.

— 13. „ Episcopo Chanadiensi eiusque collegis, ut in causa Bernardi Ladislai contra filios quondam Thomae Zobny Transilvanensis dioecesis priores sententias exsequantur. Nr. 513. pag. 336.

— 25. „ Priori et fratribus S. Pauli primi eremitae in Hungaria ab ordinariis decimis persolvendis exemptio conceditur. Nr. 514. pag. 337.

— 27. „ Episcopo Vesprimiensi, ut rectori parochialis ecclesiae de Pentekel circa quoddam homicidium absolutionem etc. concedat. Nr. 515. pag. 338.

— 11. Oct. Alberto archidiacono Nitriensi, ut quemlibet sibi confessorem, qui eum plenarie absolvat, possit eligere. Nr. 516. pag. 338.

— 11. „ Archiepiscopo Colocensi, ut de ecclesia Chanadiensi vallo etc. munienda inquirat, et capitulum ad partes suas in hoc conferendas compellat. Nr. 517. pag. 339.

1459. 11. Oct. Episcopo Varadiensi eiusque collegis, ut in cives Cibinienses, qui Albertum episcopum Chanadiensem oratorem regium cum sociis captivarunt, inquirant et sententias ferant. Nr. 518. pag. 340.

— 11. „ Dionysio S. Cyriaci et Ioanni S. Angeli cardinalibus in regno Hungariae apostolicae sedis legatis, ut in causa Alberti episcopi Chanadiensis et Georgii de Sebes de praepositura Agriensi inquirant et decidant. Nr. 519. pag. 341.

— 11. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae de Bogard Vesprimiensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 520. pag. 342.

— 6. Nov. Dionysio cardinali Strigoniensi, ut causam Io. Stock praepositi contra quosdam canonicos Scepusienses audiat et terminet. Nr. 521. pag. 343.

— 17. „ Ioanni Stock praeposito ecclesiae collegiatae S. Martini Scepusiensis licentia conceditur testandi. Nr. 522. p. 344.

— 17. „ Universis Christi fidelibus praedictam ecclesiam S. Martini et capellam S. Andreae visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 523. pag. 344.

— 17. „ Privilegia praedictae ccclesiae S. Martini Scepusiensis confirmantur. Nr. 524. pag. 345.

— 27. „ Capitulo Strigoniensi certa sententia arbitralis contra abbatem et conventum Petrivaradiensem confirmatur. Nr. 525. pag. 346.

— 19. Dec. Provisio nationis Germanicae in comitiis Mantuanis facta et imperatori per pontificem transmissa, et de dieta indicta ad tollendum dissidium inter imperatorem et Mathiam de Hunyad. Nr. 526. pag. 347.

— 22. „ Imperatori de oratoribus Mantuam tandem missis pontifex gratulatur, quaeque in reipublicae commodum statuta fuere, notificat. Nr. 527. pag. 348.

1460. 10. Ian. Cardinali S. Angeli legato cardinalem Bessarionem in perfungenda legatione coadiutorem pontifex mittere annunciat, mandatque, ne ex Hungaria discedat. Nr. 528. pag. 348.

— 13. „ Eidem narrat, quae pro rebus Hungariae componendis Mantuae egerit. Nr. 529. pag. 349.

— 18. „ Mathiae regi Hungariae, ut quae sapienter in comitiis Mantuanis pro pace inter ipsum et imperatorem componenda, et ad Turcas repellendos statuta fuere, exsequatur. Nr. 530. pag. 350.

— 29. „ Praelatis nec non baronibus etc. regni Hungariae, quae Mantuae pro pace concilianda statuta fuere, annunciat, mandatque, ut ea religiose exsequantur. Nr. 531. pag. 351.

— 20. Febr. Regi Hungariae pontifex per suum legatum XL. mill. ducatorum in subsidium contra Turcas tradere promittit. Nr. 532. pag. 351.

— 21. „ Archiepiscopo Strigoniensi eiusque collegis mandatur, ut in monasterio monialium in insula Danubii ord. S. Augustini iuxta insertam eiusdem pontificis bullam dat. Senis XV. Kal. Aprilis Anno I. perpetuum instituant vicarium. Nr. 533. pag. 352.

— 4. Apr. Fratribus ord. Minorum de observantia in vicaria Bosniae conceditur, ut vinum, lignum aliaque necessaria ab infidelibus ad sufficientiam accipere possint. Nr. 534. pag. 354.

— 4. „ Iisdem certa privilegia conceduntur. Nr. 535. pag. 355.

— 25. „ Cardinali S. Angeli legato suum dolorem de luctuosa Hungariae conditione pontifex exprimit, eumque forti animo esse monet. Nr. 536. pag. 356.

— 25. „ Imperatori in debellandis Turcis omnia prospera augurat. Nr. 537. pag. 357.

— 8. Maii Priori et fratribus ord. S. Pauli primi eremitae Zagabriensibus quasdam possessiones a Benedicto episcopo donatas confirmat. Nr. 538. pag. 357.

— 7. Iunii Mathiae regi Hungariae annunciat, perfidis Thomae regis Bosniae insinuationibus se aures haud praebiturum. Nr. 539. pag. 358.

— 7. „ Cardinali S. Angeli legato super eodem. Nr. 540. pag. 358.

— 10. Iulii Cardinali Nicaeno Bessarioni de rebus inter imperatorem et regem Hungariae in sua legatione Germanica bene gestis gratulatur. Nr. 541. pag. 359.

— 9. Dec. Universis fidelibus domui fratrum ord. Minorum in Varalgha Zagrabiensis dioecesis manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur. Nr. 542. pag. 360.

— 20. „ Cardinalibus S. Cyriaci et S. Angeli et episcopo Chanadiensi, ut quod ecclesiae Zagrabiensi expedire viderint, statuant. Nr. 543. pag. 361.

1461. 2. Maii Regi Hungariae de egregio consilio Turcas aggrediendi capto pontifex gratulatur, nuntiatque cardinalem S. Angeli in Hungaria remansurum. Nr. 544. pag. 362.

— 2. „ Cardinali S. Angeli mandatur, ne ex Hungaria discedat, et in sua legatione egregie perfungenda perseveret. Nr. 545. pag. 362.

— 5. Apr. Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae V. in Zolionok Iauriensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 553. pag. 371.

— 12. „ Iudicibus mandatur, ut conventum monialium S. Aug. in insula Danubii Vesprimiensis dioecesis a iurisdictione generalis ac prioris provincialis ord. Praedicatorum eximant. Nr. 552. pag. 369.

— 2. Aug. Georgius Cachiginich et alii ad fidem catholicam conversi regni Bosniae sub sedis apostolicae protectione suscipiuntur. Nr. 546. pag. 363.

— 16. „ Ladislaus electus Neupoliensis praeficitur in episcopum. Nr. 547. pag. 364.

— 16. „ Eidem indulgetur, ut extra suam dioecesim in civitate et dioecesi Agriensi pontificalia officia exercere valeat. Nr. 548. pag. 364.

— 16. „ Eidem indulgetur, ut a quocumque antistite catholico consecrationis munus recipere possit. Nr. 549. pag. 365.

— 17. „ Eidem conceditur, ut canonicatum et praebendam Agriensis et praeposituram Misiliensis ecclesiarum retinere possit. Nr. 550. pag. 365.

1461. 5. Nov. Natali episcopo Nonensi legato apostolico conceditur facultas, inserta eiusdem pontificis bulla dat. xix. Kal. Febr. An. II., cruciatam in regno Bosniae alibique promulgandi. Nr. 551. pag. 366.

— 7. „ Sanctus Gregorius, petente Stephano rege, declaratur regni Bosniae patronus. Nr. 554. pag. 371.

— 3. Dec. Mathiae regi Hungariae, Elisabethae reginae, Emerico Zapolya, Stephano archiepiscopo Colocensi et Michaeli Orsag palatino indulgetur, ut sibi confessorem eligere possint. Nr. 555. pag. 371.

1462. 7. Ian. Praeposito de Vaska Zagrabiensis dioecesis mandatur, ut de matrimonii promissione Ladislai de Zienche se informet et decidat. Nr. 556. pag. 372.

— 23. Mart. Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Catharinae in laice Bosnensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 557. pag. 373.

— 23. „ Iisdem ecclesiam S. Georgii in Thesagy Bosnensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 558. pag. 373.

— 23. „ Laurentio archiepiscopo Spalatensi in regno Bosniae legato, ut bullam cruciatae insertam, si Turcae regnum Bosniae invaderent, ubique promulget. Nr. 559. pag. 374.

— 23. „ Stephano regi Bosniae altare portatile conceditur, et ut sibi ante lucem missas celebrari facere possit. Nr. 560. pag. 374.

— 1. Maii Guardiano et fratribus B. Mariae Virg. in Silva extra Igal ord. Minorum Vesprimiensis dioecesis privilegia et indulta confirmantur. Nr. 561. pag. 375.

1463. 5. Maii Pax et capitula inter Fridericum imperatorem et Stephanum regem Hungariae facta confirmantur et inseruntur. Nr. 562. pag. 375.

— 30. Iunii Universis crucesignatis etc. contra Turcas indulgentiae conceduntur. Nr. 563. pag. 378.

— 30. „ Universis fidelibus capellam S. Georgii in ecclesia Vesprimiensi visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 564. pag. 378.

— 30. „ Episcopus Quinqueecclesiensis, abbas S. Aegidii de Somovar et vicarius eiusdem episcopi dantur episcopo Vesprimiensi conservatores. Nr. 565. pag. 379.

— 12 Sept. Liga seu confoederatio inita inter serenissimum dominum regem Hungariae et illustrissimum dominium Venetiarum anno MCCCCLXIII. Nr. 566. pag. 380.

— 22. Oct. Concordiam inter imperatorem et regem Hungariae factam Pius II. approbat et confirmat. Nr. 567. p. 382.

— 15. Nov. Dionysio card. S. Cyriaci super advocatione causae Martini de Frangipanibus comitis contra capitulum ecclesiae Zagrabiensis. Nr. 568. pag. 391.

1364. 13. Ian. Thomas episcopus Zagrabiensis ad ecclesiam Nitriensem translatus, nisi ipsius ecclesiae pacificam possessionem adipiscatur, iterum ad ecclesiam Zagrabiensem redeat. Nr. 569. pag. 393.

— 13. „ Thomae olim Zagrabiensi nunc Nitriensi episcopo monasteria S. Martini de Pannonia et B. Mariae Virg. de Zeek in commendam dantur. Nr. 570. pag. 394.

— 6. Apr. Thomae episcopo Nitriensi olim Zagrabiensi, ut sententias in Demetrium episcopum Tinniensem, Balthassarem et alios suos adversarios in ecclesia Zagrabiensi exsequendas curet. Nr. 571. pag. 395.

EPISTOLAE PAULI PP. II.

1464. 29. Sept. Hieronymo archiepiscopo Cretensi per Hungariam et terras Turcis subiectas nuntio apostolico constituto, ut expeditionem contra Turcas promoveat. Nr. 572. pag. 398.

1465. 21. Maii Guilielmo episcopo Ostiensi suisque collegis, ut Valentino de Capus monasterium S. Mauritii in Beel in commendam conferendum curent. Nr. 573. pag. 399.

— 14. Iunii Demetrius episcopus Zagrabiensis ab excommunicationis sententia, si ligatus existat, absolvitur. Nr. 574. pag. 400.

— 14. „ Idem Demetrius ab ecclesia Tinniensi ad Zagrabiensem transfertur, et capitulo, clero, populo et vassallis, ut moris est, commendatur. Nr. 575. pag. 401.

— 14. „ Archiepiscopo Colocensi idem Demetrius commendatur. Nr. 576. pag. 402.

— 14. „ Mathiae regi Hungariae idem episcopus commendatur. Nr. 577. pag. 402.

— 20. „ Iudicibus, ut Lucae canonico Strigoniensi archidiaconatum Hontensem conferendum curent. Nr. 578. p. 403.

— 2. Iulii Pontifex quamdam bullam a Pio II. monasterio monialium in insula Danubii ord. S. Aug. concessam, Mathia rege Hungariae et Elisabetha eius matre petentibus, confirmat. Nr. 579. pag. 404.

1466. 10. Nov. Mathias rex Hungariae Paulo II. mittit solitum fidelitatis iuramentum, quod Georgius rex Bohemiae in sua electione Pragae die 6. Maii 1458. emiserat, et nunc in sua coronatione repetierat. Nr. 580. pag. 405.

1469. 26. Ian. Laurentius episcopus Ferrariensis ad extirpandam in Bohemia Hussitarum haeresim constituitur nuntius apostolicus in regno Hungariae cum facultatibus legati a latere. Nr. 581. pag. 406.

— 31. „ Ioanni episcopo Agriensi conceditur facultas septimam decimarum partem ab omnibus beneficiatis suae dioecesis pro ecclesia cathedrali reparanda exigendi. Nr. 582. pag. 407.

— 2. Maii Universis, qui per trimestre ad defendendum comitatum Metlicensem ibunt, indulgetur, ut confessor ipsis indulgentiam plenariam elargiri possit. Nr. 583. pag. 408.

— 11. Iulii Universis archiepiscopis, episcopis, abbatibus etc. ut vicariam et fratres Minores provinciae Bosniae in calicibus, libris etc. recuperandis adiuvent. Nr. 584. pag. 409.

— 11. „ Fabiano de Ygal ministro prov. ord. Minorum conventualium in Hungaria quaedam inter ipsum et fratres de observ. concordia facta confirmatur. Nr. 585. pag. 411.

1470. 7. Iulii Episcopo Zagrabiensi, ut inquirens de permutatione certarum possessionum ab episcopo Quinqueecclesiensi et monasterio S. Spiritus extra muros Quinqueecclesiarum facta decidat. Nr. 586. pag. 412.

1470. 7. Iulii Praeposito et capitulo ecclesiae Quinqueecclesiensis confirmatur, ut bona canonicorum ab intestato decedentium ad utilitatem ipsius ecclesiae convertantur. Nr. 587. pag. 413.
— 22. Aug. Episcopo Vesprimiensi, ut de decimis ecclesiae S. Mathiae ab Elisabetha regis Hungariae matre aedificatae appropriandis statuat. Nr. 588. pag. 414.
— 7. Nov. Mathiae regi Hungariae negotium comitis Segniae commendatur. Nr. 589. pag. 415.
— 31. Dec. Eidem regi Hungariae de victoria ab haereticis relata pontifex gratulatur. Nr. 590. pag. 415.
— 31. „ Casimiro regi Poloniae, ut in oratores suos, qui clandestina quaedam pacta in Poloniae et Hungariae detrimentum cum asseclis Georgii Podiebrad regis Bohemiae inierant, animadvertat. Nr. 591. pag. 416.
— 31. „ Episcopo Ferrariensi nuntio apostolico super eodem. Nr. 592. pag. 416.
1471. 8. Ian. Ioanni archiepiscopo Strigoniensi, ut regi in reducendis Bohemis continue assistat. Nr. 593. pag. 417.
— 11. „ Episcopo Ferrariensi nuntio apostolico, ut regi Hungariae pro bello contra haereticos Bohemos certas pecunias collectas assignet. Nr. 594. pag. 417.
— 13. „ Mathiae regi Hungariae quaedam subsidia contra Bohemos et Turcas mittuntur. Nr. 595. pag. 418.
— 14. „ Eidem Pontifex ensem et pileum benedictos transmittit. Nr. 596. pag. 418.
— 14. „ Ferdinando imp. Rom. de foedere cum rege Hungariae contra Turcas inito gratulatur. Nr. 597. pag. 419.
— 14. „ Stephano archiepiscopo Colocensi annunciat nuper eum cardinalem creavisse, monetque, ut regi in Turcis debellandis assistat. Nr. 598. pag. 419.
— 13. Febr. Episcopo Ferrariensi de missione cardinalis legati ad conventum Ratisbonensem. Nr. 599. pag. 420.
— 24. „ Eidem, ut conventui Ratisbonensi pro negotio Bohemico et Turcis debellandis interesse curet. Nr. 600. p. 421.
— 26. „ Gabrieli de Verona nuntio apostolico dolorem de inopinato cardinalis Colocensis obitu exprimit. Nr. 601. p. 421.
— 18. Maii Elisabethae regis Hungariae matri commendat Radichium, ut in bonorum suorum possessionem restituatur. Nr. 602. pag. 422.
— 3. Iunii Episcopus Ferrariensis, nuntius apostolicus, pontificem de confirmatione electionis regis Hungariae in regem Bohemiae certiorem reddit. Nr. 603. pag. 422.
— 22. „ Archiepiscopo Colocensi, ut Vincentium episcopum Vaciensem, eo quod contra Turcas et haereticos Bohemos ivit, ab excessibus et censuris absolvat. Nr. 604. pag. 423.
— 25. „ Mathiae regi Hungariae de prospero contra Bohemos successu gratulatur. Nr. 605. pag. 424.
— 25. „ Episcopo Ferrariensi nuntio apostolico pontifex mandat, ut figmenta contra se in negotio Georgii Podiebrad sparsa refellat. Nr. 606. pag. 424.
— 30. „ Archiepiscopo Strigoniensi, ut episcopum Nitriensem iuribus suis frui permittat. Nr. 607. pag. 425.
— 30. „ Episcopo Vesprimiensi negotium episcopi Nitriensis commendatur. Nr. 608. pag. 426.
— 13. Iulii Cardinali Senensi legato in Germania de rebus Bohemiae, et de electione et confirmatione regis Hungariae in comitiis Ratisbonensibus tractanda. Nr. 609. pag. 426.
— 14. „ Episcopo Ferrariensi nuntio, ut regem Hungariae de rebus Bohemicis edoceat et adhortetur. Nr. 610. p. 426.
— 15. „ Mathiae regi Hungariae, ut audaciae haereticorum resistat. Nr. 611. pag. 427.

EPISTOLAE SIXTI PP. IV.

1471. 23. Dec. Marcus card. S. Marci mittitur apostolicae sedis legatus in Germaniam, Hungariam et Poloniam. Nr. 612. p. 428.
1472. 1. Mart. Eidem legato facultas conceditur excommunicandi Casimirum regem Poloniae eiusque primogenitum, et omnes fautores haereticorum in Bohemia, et benedicendi omnibus faventibus Mathiae regi Hungariae. Nr. 613. pag. 431.
— 1. Mart. Magister et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum absolvuntur a iuramento regi Poloniae praestito, ut regi Hungariae faveant. Nr. 614. pag. 433.
— 1. „ Declarantur excommunicati Casimirus et eius filius et fautores in regno Bohemiae. Nr. 615. pag. 434.
— 7. „ Episcopo Zagrabiensi, ne Robertum de Claramonte Romam venire impediat. Nr. 616. pag. 434.
— 12. „ Nicolao electo Tinniensi indulgetur, ut a quocumque episcopo catholico consecrari possit. Nr. 617. p. 435.
— 13. „ Archiepiscopo Colocensi et episcopo Quinqueecclesiensi Hieronymus Gandulfi civis Ianuensis enixe commendatur. Nr. 618. pag. 435.
— 19. „ Blasio de Glauniaza plebano S. Trinitatis de Moranza Zagrabiensis dioecesis indulgetur, ut post tres annos ad sacerdotium promoveri possit. Nr. 619. pag. 435.
— 2. Apr. Marco card. S. Marci legatio extenditur usque ad Daniae, Norvegiae et Svetiae regna. Nr. 620. p. 435.
— 1. Maii Eidem legato, ut omni, quo possit, modo inter reges Poloniae et Hungariae et magistrum fratresque hosp. S. Mariae Teutonicorum componat pacem, et defectus iuris suppleat. Nr. 621. pag. 436.
— .... Instructio pro eodem cardinali legato ad pacem et concordiam inter reges Hungariae et Poloniae reconciliandam. Nr. 622. pag. 436.
— 30. Aug. Regi Hungariae, ut, semotis inter suos discordiis, Turcas repellat. Nr. 523. pag. 439.
— 9. Sept. Marco card. S. Marci legato facultas concordiam inter reges Hungariae et Poloniae ineundam auctoritate apostolica approbandi conceditur. Nr. 624. pag. 440.
1473. 21. Ian. Eidem de pace inter praedictos reges reconcilianda. Nr. 625. pag. 440.
— 21. „ Eidem legato quaedam facultates conceduntur. Nr. 626. pag. 441.
— 12. Apr. Archiepiscopo Colocensi indulgetur, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum retinere possit. Nr. 627. pag. 441.
1474. 8. Iulii Simoni archiepiscopo Patracensi in Urbe, ut Ioannem Renechey presbytero Cenadiensis dioecesis absolvat, et super irregularitate cum eo dispenset. Nr. 628. pag. 442.

1475	16. Mart	Episcopo Albensi, ut causam Emerici de Zapolya comitis Scepusiensis contra Iob de Gara sine strepitu iudicii debito fine decidat. Nr. 630. pag. 444.
—	20. „	Episcopo Vesprimiensi committitur, ut privilegia fratrum Minorum in regno Hungariae hactenus observata confirmet. Nr. 629. pag. 443.
—	20	Indulgentia fidelibus visitantibus et adiuvantibus ecclesiam B. Mariae Virg. in oppido Corona alias Brascho Strigoniensis dioecesis conceditur. Nr. 631. pag. 446.
—	2. Maii	Stephanus Iztro lector Bachiensis a reatu homicidii absolvitur. Nr. 632. pag. 447.
1476.	1. Mart.	Dominico episcopo Reatino nuntio apostolico in Hungaria, Germania etc. quaedam facultates conceduntur. Nr. 633. pag. 448.
	9. Apr.	Ecclesiae Moldaviensi, petentibus Stephano voyvoda, Petro episcopo et aliis, in subsidium fidei conceditur iubilaeus. Nr. 634. pag. 449.
—	30. „	Litterae Nicolai V. super vicariarum divisione fratribus ordinis Minorum in Hungariae et Bosniae regnis confirmantur. Nr. 635. pag. 451.
1477.	13. Ian.	Iubilaeus in ecclesia Moncastri Stephano voyvodae in subsidium contra Turcas conceditur. Nr. 636. p. 452.
—	28. „	Praelatis in regno Hungariae et alibi constitutis, ut certos christianos, qui ritu Graeco baptizati sunt, benigne mansueteque ab aliis christianis tollerandos curent, et in coemeteriis sepeliri permittant. Nr. 637. p. 454.
—	20. Sept.	Instructio pro episcopo Aleriensi nuntio apostolico ituro ad partes Germaniae pro pace vel treuga cum rege Hungariae ineunda. Nr. 638. pag. 454.
1478.	15. Iulii	Monasterium S. Crucis in Wertes domui S. Margarithae extra oppidum Albaeregalis ord. fratrum Praed. petente Mathia rege, unitur. Nr. 639. pag. 455.
—	7. Aug.	Episcopo Zagrabiensi causa super quibusdam decimis inter episcopum Iauriensem et communitatem oppidi Civitatisferreae nuncupati vertens committitur. Nr. 640. pag. 456.
—	7. „	Episcopo Zagrabiensi, ut causam super quibusdam decimis inter episcopum capitulumque Iauriensis et Nicolaum de Zeech domicellum Iauriensis dioec. dirimat. Nr. 641. pag. 458.
—	27. Oct.	Conceditur exemptio quibusdam monasteriis ord. S. Benedicti Colocensis, Vesprimiensis et Zagrabiensis dioecesium. Nr. 642. pag. 459.
—	7. Dec.	Concordia inter Mathiam regem Hungariae et Wladislaum regem Bohemiae inita. Nr. 643. pag. 460.
1479.	1. Iunii	Ioannes de Aragona card. S. Hadriani mittitur legatus apostolicus ad Hungariae, Bohemiae et Poloniae reges etc. ut eos contra Turcas excitet. Nr. 644. pag. 466.
—	22. „	Exemptio et concessiones factae per duos episcopos Quinqueecclesienses quibusdam rectoribus et capellanis suae dioecesis confirmantur. Nr. 645. pag. 469.
1480.	3. Febr.	Episcopo Moldaviensi, ut Ladislaum Thabiasi absolvat et rehabilitet. Nr. 646. pag. 472.
—	25. „	Ioanni card. S. Hadriani, legato in Hungaria, causa a Rota advocata inter episcopum Zagrabiensem et comitem Zagoriae super non solutis certis decimis vertens committitur. Nr. 647. pag. 473.
	15. Mart.	Nicolaus electus Tinniensis et Benedictus de Chepel Osvaldo episcopo Zagrabiensi constituuntur conservatores. Nr. 648. pag. 474.
—	13. Iulii	Reformantur quaedam in statutis canonicorum ecclesiae Albaregalensis. Nr. 649. pag. 475.
—	27. Oct.	Regi Hungariae, ut Georgium episcopum Nonensem iuribus suis frui sinat. Nr. 650. pag. 476.
—	14. Dec.	Episcopo Vesprimiensi, ut precibus Mathiae regis de civitate Budensi ornanda accedat. Nr. 651. p. 476.
1481.	15. Febr.	Conceditur plenaria indulgentia anni iubilaei visitantibus quandam ecclesiam in dominio regis Hungariae et Bohemiae per episcopum Vesprimiensem statuendam. Nr. 652. pag. 477.
1482.	19. Mart.	Beatrici Hungariae et Bohemiae reginae indultum de lacticiniis cum caeteris conceditur. Nr. 653. p. 478.
—	19. „	Ioanni electo Sirmiensi indulgetur, ut plura beneficia ecclesiastica accipere possit. Nr. 654. pag. 479.
—	18. Oct.	Regi Hungariae, ut episcopum Zagrabiensem libertati restituat et Romam mittat. Nr. 655. pag. 481.
1483.	18. Febr.	Cardinali Agriensi denuo confirmatur collatio ecclesiae parochialis B. Mariae de Cellulis Vulteranae dioecesis. Nr. 656. pag. 481.
—	21. Mart.	Archiepiscopo Colocensi eiusque collegis, ut Dominicum Chalmancher praepositum Albensem de quibusdam beneficiis providendum curent. Nr. 657. pag. 481.
—	22. „	Episcopo Vesprimiensi mandatur, ut certas exemptiones revocet. Nr. 658. pag. 482.
—	22. „	Regi Hungariae super eodem argumento. Nr. 659. pag. 483.
	17. Apr.	Archiepiscopo Strigoniensi, ut de matrimonio inter primogenitum regis Poloniae et filiam marchionis Branddeburgensis inito vel ineundo inquirat et referat. Nr. 660. pag. 483.
—	27. Maii	Episcopo Agriensi et suis collegis, ut episcopo Quinqueecclesiensi monasterium S. Michaelis de Zebegen in commendam tradendum curent. Nr. 661. pag. 483.
—	14. Iunii	Cardinali Agriensi quaedam beneficia ecclesiastica in Italia sibi collata confirmantur. Nr. 662. pag. 485.
—	21. „	Regi Hungariae pontifex refert, quam ob causam archiepiscopum Colocensem in sacrum cardinalium senatum cooptare non possit. Nr. 663. pag. 485.
—	16. Iulii	Eidem regi de electione et provisione episcopi Modrusiensis. Nr. 664. pag. 485.
—	12. Aug.	Archiepiscopis Colocensi et Strigoniensi, ut fratres eremitas S. Augustini ad regularem disciplinam reducant. Nr. 665. pag. 486.
—	20. „	Regi Hungariae, se votis eius satis fecisse, pontifex annunciat. Nr. 666. pag. 486.
—	20. „	Eidem indulget, ut columnas lapidesque cuiusdam vetusti templi collapsi ad ecclesiam Albensem reaedificandam transferre possit. Nr. 667. pag. 486.
—	20. „	Georgio ord. Minorum de observantia, ut episcopatum Nitriensem a rege sibi oblatum accipiat. Nr. 668. p. 486.
—	28. Oct.	Nicolao de Cassovia ord. Praed. committitur inquisitio haereticae pravitatis in Hungaria. Nr. 669. p. 487.

1483. 27. Nov. Mathiae regi Hungariae pontifex in pace reconcilianda assistere promittit. Nr. 670. pag. 487.
— 4. Dec. Eidem, ut haereticos in suo Bohemiae dominio reprimat. Nr. 671. pag. 488.
— 4. „ Episcopo Civitatis Castelli nuntio apostolico, ut apud imperatorem et regem Hungariae hac de causa instet. Nr. 672. pag. 488.
1484. 10. Mart. Regi Hungariae, ut foederi a papa et principibus Italis contra Venetos inito accedat, ipsisque in defendenda Ferraria contra eosdem assistat. Nr. 673. pag. 489.
— 10. „ Eidem, ut pacem cum imperatore tandem firmare velit. Nr. 674. pag. 490.
— 16. Apr. Episcopus Sibinicensis a legati munere apud imperatorem et regem Hungariae revocatur. Nr. 675. p. 490.
— 25. Maii Universis fidelibus ecclesiam in villa S. Elisabethae Zagrabiensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 676. pag. 490.
— 14. Iulii Episcopo Civitatis Castelli nuntio apostolico, ut imperatorem caeterosque principes Germaniae ac reges Hungariae et Poloniae ad extirpandam in Bohemia haeresim exhortetur. Nr. 677. pag. 492.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VIII.

1484. 19. Sept. Nicolao de Zechis comiti licentia in ecclesia B. Mariae de Misinee domum fratribus de observantia construendi etc. conceditur. Nr. 678. pag. 493.
— 19. „ Indulgentia ecclesiam parochialem S. Nicolai de Sombatel Iauriensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus conceditur. Nr. 679. pag. 494.
— 19. „ Indulgentia ecclesiam parochialem S. Andreae de Lonastereny Vesprimiensis dioecesis visitantibus etc. conceditur. Nr. 680. pag. 495.
— 19. „ Indulgentia ecclesiam B. Mariae comitatus Saladiensis visitantibus et adiuvantibus conceditur. Nr. 681. p. 495.
— 19. „ Indulgentia VII. annorum pro altari B. Mariae Virg. in ecclesia S. Petri Veterisbudensis certis diebus festivis conceditur. Nr. 682. pag. 496.
— 19. „ Indulgentia ecclesiam parochialem S. Demetrii in villa de Zil, a Moyse Buslay comite restauratam, visitantibus et adiuvantibus conceditur. Nr. 683. pag. 497.
— 24. „ Regi Hungariae, ne in causa contra archiepiscopum Colocensem procedat. Nr. 684. pag. 497.
— 29. „ Archiepiscopo Strigoniensi confertur administratio ecclesiae Salisburgensis, dimisso ecclesiae Strigoniensis titulo, cuius administratio cardinali S. Sabinae est concredita. Nr. 685. pag. 497.
— 1. Oct. Gregorius electus Nitriensis confirmatur, et indulgetur, ut munus consecrationis a quovis catholico antistito accipere possit. Nr. 686. pag. 498.
— 30. „ Iudicibus mandatur, ut causam inter praepositum et capitulum B. Mariae de Albaregali ortam dirimant. Nr. 687. pag. 499.
— 8. Nov. Episcopo Transilvano confertur munus legati apostolici in Hungaria. Nr. 688. pag. 500.
— 21. „ Mathiam regem Hungariae pontifex adhortatur, ut viriliter agat contra Turcas. Nr. 689. pag. 501.
— 21. „ Ferdinando Germanorum regis gratias reddit de iis, quae de timenda Turcarum invasione in Italiam et Hungariam sibi nuntiaverat, promittitque se ipsi praesto fore ad eorum impetus repellendos. Nr. 690. p. 502.
— 21. „ Regibus Hispaniae, ut Hungaros adiuvent contra Turcas. Nr. 691. pag. 502.
1485. 19. Febr. Ioanni archiep. Strigoniensi praecepta pro ecclesia Salisburgensi administranda dantur. Nr. 692. p. 503.
— 10. Apr. Indulgentia plenaria ecclesiam B. Mariae de Albaregali Vesprimiensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus conceditur. Nr. 693. pag. 504.
— 5. Aug. Imperatori, ut bona demortui episcopi Foroliviensis nuntii apostolici de iure ad cameram apostolicam spectantia restitui iubeat. Nr. 694. pag. 505,
— 5. „ Archiepiscopo Strigoniensi super eodem argumento. Nr. 695. pag. 505.
— 7. Oct. Episcopo Transilvano, ut certas indulgentias quibusdam ecclesiis concessas revocet. Nr. 696. pag. 506.
— 7. „ Eidem facultas suae legationis ad omnia regno Hungariae subiecta dominia extenditur. Nr. 697. p. 506.
1486. 13. Ian. Ioanni cardinali S. Vitalis pensio trium milium ducatorum auri super fructibus mensae archiepiscopalis Strigoniensis assignatur. Nr. 698. pag. 506.
— 1. Mart. Mathiae regi Hungariae pontifex nuntiat, quae in negotio regis Siciliae, eius soceri, egerat, ac refellit, quae ea de re minus recte in vulgus sparsa fuerant. Nr. 699. pag. 507.
— 6. „ Eidem, ut archiepiscopum Colocensem in carcere detentum pristinae libertati restituat. Nr. 700. pag. 508.
— 15. „ Pontifex administratorem ecclesiae Agriensis ob rem male gestam capi iubet. Nr. 701. pag. 509.
— 6. Iunii Regi Hungariae exponit, quare ecclesiam Strigoniensem Hippolito ducis Ferrariae nato, infantulo, conferre non possit. Nr. 702. pag. 509.
— 7. „ Eidem, ne malevolorum insinuationibus contra sedem apostolicam faciles praebeat aures. Nr. 703. p. 510.
1488. 9. Maii Litterae episcopi Agriensis super facto Anconitanorum. Nr. 704. pag. 511.
— 10. „ Litterae regis Hungariae super eodem negotio. Nr. 705. pag. 511.
— 12. Iunii Regi Hungariae, ut episcopum Syrmiensem administrationem episcopatus Olomucensis exercere permittat. Nr. 706. pag. 513.
— 12. „ Episcopo Agriensi, ut episcopum Varadiensem censura ecclesiastica ad ecclesiam Olomucensem episcopo Agriensi resignandam cogat. Nr. 707. pag. 513.
— 15. „ Regi Hungariae conceditur, ut in locum Clementis Pannonii subpoenitentiarii in Urbe alium sibi gratum mittere possit. Nr. 708. pag. 514.
— 11. Aug. Eidem conceditur, ut episcopus Varadiensis circa ecclesiam Olomucensem a censuris ecclesiasticis ad tres menses absolvatur. Nr. 709. pag. 514.

1488. 27 Aug. Universis fidelibus ecclesiam B. Mariae in villa de Feleghaz Bachiensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus conceditur indulgentia. Nr. 710. pag. 514.

— 1 Sept. Angelus episcopus Hortanus in Germaniam et Hungariam etc. sedis apostolicae cum plena potestate legati a latere mittitur nuntius, ut principes populosque contra Turcas excitet. Nr. 711. pag. 515.

— 1 „ Angelo episcopo Hortano nuntio apostolico ad regnum Hungariae destinato, ut in Ioannem episcopum Varadiensem inquirat et referat. Nr. 712. pag. 517.

— 1. „ Eidem, ut certa privilegia, indulta, immunitates et exemptiones revocet. Nr. 713. pag. 517.

— 1. „ Eidem, ut Ioannem episcopum Varadiensem ad restituendam integre Ioanni episcopo Syrmiensi ecclesiam Olomucensem moneat. Nr. 714. pag. 518.

— 1. „ Eidem de monasteriis Rodich et Cherich pro certa pecuniarum summa pignoratis. Nr. 715. pag. 519.

— 1 „ Eidem, ut contra usurarios procedat. Nr. 716. pag. 520.

— 1. „ Eidem, ut de causa archiepiscopi Colocensis inquirat et referat. Nr. 717. pag. 520.

1489 25 Iunii Relatio per epistolam facta Innocentio VIII. ab episcopo Hortano nuntio apostolico apud regem Hungariae. Nr. 718. pag. 521.

— .... Pontifex suas actiones, de quibus rex Hungariae querebatur, iustificat. Nr. 719. pag. 530.

1490 30. Mart. Indulgentia plenaria ecclesiam B. Mariae de Albaregali visitantibus et adiuvantibus conceditur. Nr. 720. p. 534.

1491 2. Dec. Universis fidelibus ecclesiam S. Mariae Petervaradiensem Quinqueecclesiensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 721. pag. 535.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. VI.

1493 14. Ian. Episcopo Chanadiensi suisque collegis mandatur, ut iuspatronatum, quem Wladislaus rex Hungariae et Bohemiae in m nasterio Petervaradiensi habet, servent. Nr. 722. pag. 536.

— 11. Oct. Laurentio duci de Wylak ac matri et uxori eiusdem ducis indulgetur altare portatile, et ut sibi confessorem eligere possint. Nr. 723. pag. 537.

— 11. „ Catherinae relictae quondam Ladislai de Chali eadem indulgentur. Nr. 724. pag. 538.

— 18. „ Ioanni Corvino et Blanchae Mariae Sfortiae conceditur dissolutio matrimonii. Nr. 726. pag. 540.

— 18. „ Ursus de Ursinis episcopus Theanensis legatus a latere mittitur in Hungariam, Bohemiam et Poloniam. Nr. 727. pag. 541.

— 21. „ Episcopo Agriensi et archidiacono Zagrabiensi, ut vassallos Laurentii ducis de Wylak a Petro archiepiscopo Colocensi excommunicatos ad cautelam absolvant. Nr. 725. pag. 539.

— 31. „ Archiepiscopus Strigoniensis et Varadiensis ac Zagrabiensis episcopi Petro archiepiscopo Colocensi dantur conservatores. Nr. 728. pag. 544.

1496 30. Iulii Bernardo de Pothami praeposito ecclesiae in Thomesch Strigoniensis dioecesis dispensatio a sacris ordinibus recipiendis ad alios septem annos prorogatur. Nr. 729. pag. 545.

1500. 11. Apr. Ioanni de Olezna plebano Sibiciniensi Strigoniensis dioecesis quaedam privilegia confirmantur. Nr. 730. p. 547.

— 22. Maii Omnibus fidelibus, qui ad expeditionem contra Turcas auxilium pecuniasque conferunt, iubilaeus et plena indulgentia conceditur. Nr. 731. pag. 547.

— 22. „ Conceduntur decimae in Hungariae et Poloniae regnis in subsidium belli contra Turcas. Nr. 732. p. 550.

1502. 12. Aug. Rectoribus parochialium ecclesiarum Vesprimiensis dioecesis quarta decimarum pars secundum Bonifacii VIII. bullam confirmatur. Nr. 733. pag. 552.

EPISTOLAE IULII PP. II.

1503 27. Ian. Confirmatur, ut capella B. Mariae Strigoniensis ecclesiae mensae capitulari uniatur. Nr. 734. pag. 554.

1504. 12. Apr. Ladislao (Wladislao) regi Hungariae et Bohemiae, ut marchionem Crotoniensem ex Tunetensium piratarum captivitate liberandum curet. Nr. 735. pag. 556.

— 24. Iunii Eidem, ut Beatrici de Aragonia quondam reginae Hungariae bona dotalia aliaque restituat. Nr. 736. p. 557.

— 24. „ Cardinali Strigoniensi aliisque praelatis et proceribus Hungariae, ut eidem Beatrici super eodem faveant. Nr. 737. pag. 557.

— 6. Iulii Eidem Beatrici de Aragonia res suas regi Hungariae esse commendatas annuntiatur. Nr. 738. pag. 557.

— 26. „ Regi Hungariae, ut Venetos ab infestatione dominii pontificii deterreat. Nr. 739. pag. 558.

— 26. „ Praelatis et baronibus, ut contra Turcas viriliter pugnent, et Venetos ad restituenda loca, que in dominio pontificio occupaverant, cogant. Nr. 740. pag. 558.

— 16. Oct. Petro Berislao oratori regis Hungariae de studiis apud Venetos, ut S. Sedi loca, quae in Romandiola occupaverant, restituant, interpositis grates aguntur. Nr. 741. pag. 559.

— 20. Nov. Cardinali Strigoniensi, ut regi in compellendis Venetis ad terras Sanctae Sedi restituendas animum addat. Nr. 742. pag. 559.

— 20. „ Episcopo Varadiensi cancellario regni Hungariae super eodem. Nr. 743. pag. 560.

— 20. „ Regi Hungariae de studiis apud Venetos interpositis grates aguntur, petiturque, ut ipsos per suum oratorem ad eadem loca Sanctae Sedi restituenda compellat. Nr. 744. pag. 560.

— 17. Dec. Eidem, ut in studio ditiones Sanctae Sedis contra Venetos tuendi persistat. Nr. 745. pag. 561.

— 17. „ Eidem regi super eodem negotio. Nr. 746. pag. 561.

— 17. „ Episcopo Varadiensi, ut regem ad hoc suadet et inducat. Nr. 747. pag. 561.

— 17. „ Cardinali Strigoniensi super eodem. Nr. 748. pag. 562.

1504. 17. Dec. Petro Berislao, ut in studio causam Sanctae Sedis contra Venetos tuendi persistat, eamque ob rem regem Hungariae coram alloquatur. Nr. 749. pag. 562.

1505. 30. Ian. Praelatis et baronibus regni Hungariae, ut regi in debellandis Turcis praesto sint. Nr. 750. pag. 562.

— 30. „ Universis nobilibus regni Hungariae super eodem. Nr. 751. pag. 563.

— 3. Febr. Georgio episcopo Varadiensi, ut omnibus fidelibus primae suae missae in oppido Cassoviae assistentibus indulgentias largiri possit. Nr. 752. pag. 563.

— 2. Maii Eidem indulgetur, ut consecrationis munus a quocumque catholico antistite accipere valeat. Nr. 753. p. 564.

— 8. „ Sigismundo episcopo Albensi Transilvano idem indulgetur. Nr. 754. pag. 564.

— 19. Iunii Regi Hungariae, ut abbati S. Martini de Pannonia in instauranda apud suos regulari disciplina assistat Nr. 755. pag. 564.

— 28. „ Georgio archiepiscopo Colocensi pallium conceditur. Nr. 756. pag. 565.

— 22. Aug. Thomae cardinali Strigoniensi, ut Beatrici de Aragonia olim reginae Hungariae dotes restituendas curet Nr. 757. pag. 565.

— 23. „ Regi Hungariae, ut Beatrici de Aragonia dotes quam primum restituat. Nr. 758. pag. 566.

— 23. „ Eidem, ut clerum contra iniquas saecularium vexationes defendat. Nr. 759. pag. 566.

— 23. „ Cardinali Strigoniensi, ut praelatos universumque clerum Hungariae in synodum ad retundendam nobilium in usurpandis Ecclesiae rebus audaciam convocet. Nr. 760. pag. 567.

— 23. „ Praelatis et universo clero Hungariae, ut procerum ac nobilium audaciae in rebus Ecclesiae usurpandis viriliter obsistant, et in omnibus, quae archiepiscopus Strigoniensis regni primas in synodo hac de re statuerit, obediant. Nr. 761. pag. 567.

— 29. „ Episcopo Varadiensi, ut archiepiscopo Strigoniensi, regni primati, in synodo episcoporum et universi cleri ab ipso convocata ad repellendam saecularium audaciam fortiter assistat. Nr. 762. pag. 568.

— 3. Sept. Regi Hungariae, ut cardinalem Rheginum possessione monasteriorum ipsi collatorum in suo regno frui sinat. Nr. 763. pag. 568.

— 4. „ Episcopo Varadiensi, ut munus consecrationis a quocumque catholico antistite accipere possit. Nr. 764. p. 569.

1506. 9. Ian. Iose comiti Themesiensi conceditur, ut sibi suisque militibus in bello contra Turcas, imminente mortis periculo, a confessore plena omnium peccatorum venia tribuatur. Nr. 765. pag. 569.

— 17. Apr. Regi Hungariae, ut Beatrici de Aragonia bona dotalia tandem restitui iubeat. Nr. 766. pag. 570.

— 22. „ Georgio episcopo Quinqueecclesiensi, regis secretario, certae indulgentiae in fidelium utilitatem conceduntur Nr. 767. pag. 570.

— 1. Maii Regi Hungariae indulgetur, ut Ioanni Fuxio ecclesiae Albensis Transilvanae administrationem conferre possit. Nr. 768. pag. 570.

— 18. „ Cardinali Strigoniensi, ut regem ad dotes Beatrici de Aragonia restituendas compellat. Nr. 769. p. 571.

— 25. „ Cum eodem Thoma cardinale super visitatione liminum apostolorum dispensatur. Nr. 770. pag. 571.

— 26. „ Episcopo Bodoniensi et praeposito B. Mariae Virginis Budensis, ut in eos, qui cardinalem Strigoniensem iniuriis lacesserunt, severe animadvertant. Nr. 771. pag. 571.

— 3. Iulii Regi Hungariae indulgetur, ut dum in sua curia sacra peraguntur, Bohemi haeretici et alii schismatici sui subditi iisdem interesse possint. Nr. 772. pag. 572.

— 7. Nov. Archiepiscopo Strigoniensi, ut cardinali Estensi quondam archiepiscopo Strigoniensi certas pecunias a voivoda Transilvano eidem debitas restituendas curet. Nr. 773. pag. 572.

— 20. „ Regi Hungariae super eodem. Nr. 774. pag. 573.

— 10. Dec. Eidem conceditur, ut Andreas prior conventus Albensis ordinis Praedicatorum administrator eiusdem conventus remanere valeat. Nr. 775. pag. 573.

1507. 19. Febr. Eidem, ut ad ecclesiam Agriensem, cessante ab eius administratione cardinale Estensi, rursum nominare possit. Nr. 776. pag. 573.

— 10. Apr. Eidem, ut Maxentium clericum Neapolitanum in percipiendis fructibus, quos in Strigoniensi ecclesia habet, foveat. Nr. 777. pag. 574.

— 18. Maii Episcopis Vratislaviensi et Nicopoliensi, petente rege Hungariae, committitur, ut duces Munsterbergenses et comites Glacenses, eorumque affines a vinculo excommunicationis absolvant. Nr. 778. pag. 574.

— 31. „ Regi Hungariae conceditur, ut fratres Minores de observantia suorum regnorum pretiosis vestibus, a piis fidelibus donatis et divino cultui dicatis, in sacris peragendis uti possint. Nr. 779. pag. 575.

— 10. Oct. Episcopo Quinqueecclesiensi suisque collegis mandatur, ut collapsam disciplinam regularem in monasteriis S. Mariae Petrivaradini et S. Salvatoris ordinis S. Benedicti instaurent. Nr. 780. pag. 575.

— 28. Dec. Cardinali Strigoniensi, ne capitulum et canonicos super capella B. Mariae Virginis in castro Strigoniensi mensae capitulari unita molestet. Nr. 781. pag. 576.

1508. 27. Mart. Regi Hungariae res Beatricis reginae commendantur: utque una cum imperatore, rege Gallorum et Venetis Turcas viriliter aggrediatur. Nr. 782. pag. 576.

— 16. Apr. Eidem, ut temerario nobilium Moraviae ausui clericorum testamenta impedientium obsistat. Nr. 783. p. 577.

— 8. Aug. Eidem, ut in malum administratorem fructuum ecclesiasticorum, quibus cardinalis Rheginus in Hungaria fruitur, severe animadvertat. Nr. 784. pag. 578.

— 16. „ Petro Berislao praeposito Albaeregalis, regis Hungariae oratori, pontificalium usus ampliatur. Nr. 785. pag. 578.

— 26. Sept. Fratribus ord. S. Francisci in Hungaria mandatur, ut indulgentias pro basilica S. Petri praedicent, et duas pecuniarum collectarum partes regi ad prosequendum bellum contra Turcas tradant. Nr. 786. pag. 578.

— 26. „ Regi Hungariae super eodem. Nr. 787. pag. 579.

1508. 27. Sept. Eidem regi de Beatrici de Aragonia dote restituenda, et de pessimo voivodae Transilvani consilio pontifex scribit. Nr. 788. pag. 579.
1510. 20. Febr. Eidem, ut capitulum et canonicos ecclesiae Varadiensis contra episcopi eiusque fratris violentias protegat. Nr. 789. pag. 580.
— 6. Apr. Ecclesiae Ragusinae conservatores contra regem et banum Rasciae constituuntur. Nr. 790. pag. 581.
1512. 19. „ Domui Cruciferorum Vratislaviensi quaedam donatio a rege Hungariae facta confirmatur. Nr. 791. p. 585.
— 12. Maii Ecclesiae Strigoniensi unitur ecclesia Milkoviensis. Nr. 792. pag. 586.
— 14. „ Nicolaus abbas S. Adriani de Zalovaria ord. S. Benedicti capellanis pontificiis adscribitur. Nr. 793. p. 587.
— 15. „ Episcopo Vesprimiensi suisque collegis reformatio monasterii monialium de Wasurchel, quam rex Hungariae petiverat, committitur. Nr. 794. pag. 587.
— 17. Dec. Privilegia Strigoniensis ecclesiae clero Milkoviensi conceduntur. Nr. 795. pag. 588.

EPISTOLAE LEONIS PP. X.

1513. 8. Apr. Praeposito ecclesiae S. Sapientiae Titulensis Bachiensis dioecesis conceditur, ut ab ecclesiis circumvicinis oleum sanctum et chrisma accipere possit. Nr. 796. pag. 590.
— 8. „ Episcopis Quinqueecclesiensi, Vesprimiensi et Vaciensi mandatur,ut st atutum praedictum exsequendum curent. Nr. 797. pag. 591.
— 25. „ Conceditur, petente Cardinale Strigoniensi, visitantibus et adiuvantibus defendentibusque ecclesiam S. Sapientiae Titulensem plenaria indulgentia. Nr. 798. pag. 591.
— 6. Maii Revocantur quaedam privilegia ecclesiae Scepusiensi concessa, eaque iurisdictioni archiepiscopi Strigoniensis omnium ecclesiarum Hungariae primatis subiicitur. Nr. 799. pag. 593.
— 15. Iulii Thomas Bakocz card. Strigoniensis, totius Hungariae primas, constituitur legatus a latere in omnibus septentrionalibus regnis, ut verbum crucis contra Turcas praedicandum curet. Nr. 800. pag. 594.
— 18. „ Idem cardinalis constituitur visitator apostolicus omnium ordinum religiosorum utriusque sexus in sua legatione existentium. Nr. 801. pag. 596.
— 18. „ Eidem ad legationem bene gerendam omnes facultates, quibus cardinalis maior poenitentiarius in Romana curia fruitur, conceduntur. Nr. 802. pag. 596.
— 4. Aug. Metropolitanae Strigoniensis sedis primatiae et legationis apostolicae iura, antiqua consuetudine alioquin confirmata, insertis Bonifacii VIII. (VIIII.) Nicolai V. et Pii II. bullis, apostolico consensu rursum suffulciuntur et augentur. Nr. 803. pag. 597.
— 6. Sept. Conferuntur, petente cardinale Strigoniensi, quaedam indulgentiae capellae B. Mariae Virg. ab eodem cardinale in ecclesia Strigoniensi magnis sumptibus extructae. Nr. 804. pag. 606.
— 6. „ Episcopis Vesprimiensi, Iauriensi et Vaciensi mandatur, ut eas indulgentias exsequendas curent. Nr. 805. p. 608.
— 13. „ Omnibus Christi fidelibus capellam monasterii B. Mariae Virg. in oppido veteris Budae ord. S. Francisci visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 808. pag. 612.
— 13. „ Sedes episcopalis Ottocensis in Dalmatia, quam card. Strigoniensis in commendam habuit, sedi Segniensi sub certis conditionibus unitur. Nr. 809. pag. 613.
— 17. „ Cardinali Strigoniensi, ut Bohemos ad unitatem ecclesiae reducat, et ad sumendum contra Turcas vexillum crucis exhortetur. Nr. 806. pag. 608.
— 20. „ Eidem, quo Bohemos ad eam unitatem facilius reducere possit, quae in Constantiensi et Basileensi conciliis hac de re sancita fuere, transmittuntur. Nr. 807. pag. 610.
— 7. Oct. Omnibus Christi fidelibus altare SS. Corporis Christi in ecclesia S. Petri de veteri Buda visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 810, pag. 614.
1514. 1. Iunii Privilegia et statuta monasterii S. Martini de sacro monte Pannoniae Iauriensis dioecesis confirmantur. Nr. 811. pag. 615.
1515. 9. Aug. Statuitur, ne de cathedralibus aliisque ecclesiis in Hungariae et Poloniae regnis nisi viris doctis et vigilantibus provideatur. Nr. 812. pag. 620.
— 25. Sept. Cum nepote archiepiscopi Colocensis, adolescente unico ex nobili familia de Frangipanibus, circa votum religionis S. Francisci de observantia emissum dispensatur. Nr. 813. pag. 623.
1516. 26. Maii Petro episcopo Vesprimiensi conceditur, ut tres vel quatuor fratres cuiuscumque ordinis secum tenere possit. Nr. 814. pag. 623.
1517. 31. „ Guardiano et fratribus S. Mariae Virg. in oppido S. Georgii Quinqueecclesiensis dioecesis, ut iocalia impignorata Francisco Bedo consignent. Nr. 815. pag. 624.
1518. 15. „ Valentino de Cepsy cantori Vesprimiensi conceditur, ut divinum officium per horas canonicas iuxta ritum Romanae curiae recitare possit. Nr. 816. pag. 624.
1519. 2. Nov. Balthasari Necheren, petente rege Hungariae, de canonicatu in ecclesia Glogoviensi providetur. Nr. 817. p. 624.
1519 30. Maii Exemplar treugarum per Barnabam Belay, oratorem Ludovici regis Hungariae, cum Turcis ad tres annos factarum. Nr. 818. pag. 626.

EPISTOLAE HADRIANI PP. VI.

1523. 19. Iunii Georgius episcopus Quinqueecclesiensis ad sedem Strigoniensem transfertur. Nr. 819. pag. 629.
— 19. „ Ladislaus episcopus Vaciensis ad sedem Agriensem transfertur. Nr. 820. pag. 629.
— 1. Iulii Episcopis Nitriensi et Iauriensi, ut Georgio electo Strigoniensi pallium assignent. Nr. 821. pag. 630.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VII.

1524. 10. Ian. Ludovicus rex Hungariae commendat pontifici filios marchionis Brandemburgensis. Nr. 822. pag. 631.

— 24. „ Salvus conductus pro regis Hungariae et Bohemiae nuntio. Nr. 823. pag. 631.

— 4. Febr. Ludovicus rex Hungariae pontificem de molitionibus Turcarum et Tartarorum contra regna sua instruit. Nr. 824. pag. 632.

— 20. „ Archiepiscopo Strigoniensi baro Burgii nuntius apostolicus in Hungaria commendatur. Nr. 825. pag. 633.

— 20. „ Ioanni Bornamissae comiti Posoniensi, ut viriliter contra Turcas pugnet. Nr. 826. pag. 633.

— 23. „ Georgio archiepiscopo Strigoniensi indulgetur, ut canonicatus, praebenda et praepositura episcopo Scardonensi collati, ipso cedente vel decedente, ad collationem archiepiscopi spectent. Nr. 827. pag. 634.

— 26. „ Idem archiepiscopus deputatur conservator et defensor fratrum Minorum de observantia. Nr. 828. p. 634.

— 23. Mart. Regi Hungariae, ut haereticos a suo regno arceat, et catholicos foveat. Nr. 829. pag. 636.

— 8. Apr. Carolus V. imperator Ludovico regi Hungariae ad Turcas repellendos auxilia se praestiturum promittit. Nr. 830. pag. 636.

— 27. Maii Laurentio archiepiscopo Antibarensi privilegium de gestanda ante se cruce per Dalmatiam et Sclavoniam et alia indulta confirmantur. Nr. 831. pag. 637.

— 14. Iunii Ludovicus rex Hungariae pontifici gratias agit de oratore suo humanissime suscepto, rogatque, ut principes christianos ad Hungariam contra Turcas adiuvandam exhortetur. Nr. 832. pag. 638.

— 4. Aug. Indulgentia plenaria, petente regina Hungariae, omnibus celebrationi primae missae episcopi Hipponensis adstantibus conceditur. Nr. 833. pag. 638.

— 21. „ Stephanus Brodericus praepositus Quinqueecclesiensis pontifici enixe commendat card. Campegium legatum, et baronem Burgi eius in Hungaria nuntium ob summam in rebus gerendis dexteritatem, laudatque eximiam Ferdinandi archiducis Austriae in S. Sedem devotionem et fidem avitam. Nr. 834. pag. 639.

— 3. Nov. Archiepiscopus Strigoniensis pontifici spondet omne studium in res Bohemiae et Hungariae componendas se collaturum. Nr. 835. pag. 639.

— 14. „ Regi Hungariae super navis Turcicae in ditione Venetorum captae restitutione. Nr. 836. pag. 640.

1525. 5. Ian. Ludovicus rex Hungariae pontificem extremum regni sui discrimen edocet, seque ea in re oratores ad omnes principes christianos misisse, qui sibi in repellendis Turcis praesto essent. Nr. 837. pag. 641.

— 6. „ Eiusdem regis litterae eamdem ob causam ad Romanorum imperatorem. Nr. 838. pag. 642.

— 15. „ Iacobo Fuccaro (Fugger Augustano) eiusque nepotibus et sociis mandatur, ut ex summa 4930 ducatorum, quos apud eos episcopus Quinqueecclesiensis deposuit, et aliis pecuniis S. Sedis apud eos depositis, 500 ducatos auri quolibet mense Laurentio card. Campegio durante legatione in Hungaria assignent. Nr. 839. p. 644.

— 8. Febr. Regi Hungariae Stephanus Brodericus enixe commendatur. Nr. 840. pag. 645.

— 12. „ Iacobo Fuccaro eiusque nepotibus etc. ut baroni Burgii nuntio apostolico ad reges Hungariae et Poloniae misso 800 ducatos persolvant, ipsique deinceps singulis mensibus 100 ducatos solvant. Nr. 841. p. 645.

— 13. „ Eisdem, ut summam 500 ducatorum auri singulis mensibus cardinali Campegio solvendam 100 ducatis augeant. Nr. 842. pag. 646.

— 13. „ Eisdem, ut Hieronymo Rorario, qui cum cardinale Campegio in Hungaria fuit, 300 ducatos auri ex pecuniis Camerae Apostolicae apud ipsos depositis tradant. Nr. 843. pag. 646.

— 13. „ Rex Hungariae pontificem per Stephanum Brodericum oratorem remissum de regni statu edocet. Nr. 844. p. 647.

— 15. „ Ioannes Dragffy comes Themisiensis pontifici per eundem oratorem se commendat. Nr. 845. pag. 647.

— 20. „ Cardinalis Campegius pontifici de canonizatione Ioannis de Capistrano scribit. Nr. 846. pag. 647.

— 20. „ Bernardus Frangepanius comes pontifici grates agit, et res suas et regni Hungariae commendat. Nr. 848. p. 648.

— 24. „ Archiepiscopus Strigoniensis pontificem de tristi regni Hungariae statu edocet. Nr. 847. pag. 648.

— 11. Apr. Petrus Crusich capitaneus a pontifice subsidium ad castrum Clysii defendendum implorat. Nr. 949. p. 649.

— 11. „ Capitanei Clysienses pontifici suas miserias perscribunt, ab eoque auxilium expetunt. Nr. 850. p. 650.

— 19. „ Petrus Crusich et Gregorius Horloucich miserrimum praesidium Clysiense eidem commendant. Nr. 851. p. 650.

— 20. Iunii Ioanni Torquato Corbaviae comiti et aliis in ipsorum calamitatibus ac necessitatibus pontifex se subventurum promittit. Nr. 852. pag. 650.

— 8. Aug. Regi Hungariae Stephanum Brodericum commendat, gratulaturque suas in regni utilitatem admonitiones humaniter suscepisse. Nr. 853. pag. 651.

— 8. „ Archiepiscopo Strigoniensi eundem Stephanum commendat. Nr. 854. pag. 651.

— 8. „ Rex Hungariae commendat pontifici res capituli Strigoniensis. Nr. 855. pag. 652.

— 9. „ Christophorus Frangepanius pontifici equum in bello acquisitum dono mittit. Nr. 856. pag. 652.

— 16. „ Archiepiscopus Strigoniensis pontifici res sui capituli commendat. Nr. 857. pag. 653.

— 13. Sept. Brodericus pontifici nuntiat, quae post suum ex Urbe reditum cum rege et archiepiscopo Strigoniensi egerit. Nr. 858. pag. 653.

— 30. „ Rex Hungariae pontifici gratias agit de oratore suo perhumane suscepto, deque subsidiis sibi promissis et de statu castri Clysii et molitione Turcarum scribit. Nr. 860. pag. 655.

— 1. Oct. Archiepiscopus Strigoniensis pontifici grates reddit de favoribus in se collatis, spondetque res Hungariae sedule se curaturum. Nr. 861. pag. 655.

— 5. „ Petrus Crusich comes pro militibus et populo castri Clysii a pontifice subsidium denuo implorat. Nr. 862. p. 656.

— 19. „ Duces Bavariae pontificem exorant, instet apud regem Hungariae, ut I. Fuccaro bona ablata restituantur. Nr. 863. pag. 657.

1525. 10. Nov. Carolus V. imperator pontifici idem negotium commendat. Nr. 864. pag. 657.
— 24. „ Regi Hungariae pontifex Georgium Logum Silesium commendat. Nr. 859. pag. 654.
— 27. Dec. Stephanus Werbewcz palatinus pontificem de suo statu in dignitate palatinali edocet. Nr. 865. pag. 658.
1526. 5. Ian. Regi Hungariae pontifex exponit, quare Strigoniensem archiepiscopum in sacrum senatum nondum potuerit cooptare. Nr. 866. pag. 658.
— 21. „ Archiepiscopo Strigoniensi, laudata eius integritate, ad praeclariora in regni commodum peragenda calcar addit. Nr. 867. pag. 659.
— 9. Febr. Caesarem pontifex graviter alloquitur, ut Hungariae ad extremum deductae una cum reliquis christianis principibus opem ferat. Nr. 868. pag. 659.
— 22. „ Francisco I. Francorum regi super eodem argumento. Nr. 869. pag. 661.
— 4. Mart. Ferdinandus archidux Austriae pontifici spondet rebus Hungariae se praesto fore. Nr. 870. pag. 661.
— 17. „ Brodericus cancellarius Hungariae pontificem exorat, apud archiepiscopum Colocensem partes suas interponat, ut ipse se thesaurarium regni constituat. Nr. 871. pag. 663.
— 24. „ Idem petit rex Hungariae. Nr. 872. pag. 664.
— 24. „ Ferdinandus archidux Austriae Pontificem supplex adit, ut regi Hungariae ad repellendos Turcas subsidia mittat. Nr. 873. pag. 665.
— 27. „ Archiepiscopus Colocensis nuntium apostolicum enixe exorat, instet apud regem et alios, ut ad regni fines defendendos auxilium sibi quam primum mittant. Nr. 874. pag. 666.
— 7. Apr. Ferdinandus archidux Austriae pontifici regem et regnum Hungariae denuo commendat. Nr. 875. p. 667.
— 9. „ Archiepiscopus Colocensis pontificem enixe exorat, ut dignitate archiepiscopali et capitaneatu generali regni Hungariae depositis, in divi Francisci ordinem redire sibi liceat. Nr. 876. pag. 667.
— 13. „ Ludovicus rex Hungariae pontificem de instantissimis regni sui periculis certiorem reddit. Nr. 877. p. 668.
— 16. „ Henricus VIII. rex Angliae pontifici grates agit de litteris ad Hungariae regnum adiuvandum sibi scriptis, doletque, quod res regni sui votis eius satisfacere sibi non permittant. Nr. 878. pag. 669.
— 16. „ Cardinalis Eboracensis pontifici regem Angliae in optimo pro regno Hungariae animo conservare promittit. Nr. 879. pag. 670.
— 23. „ Pontifex Galliae, Angliae et Lusitaniae reges exhortatur, ut regno Hungariae opportunum tempestivumque subsidium ferant. Nr. 880. pag. 670.
— 11. Maii Ferdinandus archidux Austriae pontifici spondet, rebus fere Hungariae ad ultimum discrimen deductis opem se allaturum, effecturumque, ut Caesar ac reliqui principes in idem conveniant. Nr. 881. pag. 671.
— 18. Iunii Ioannes III. rex Lusitaniae nuntium et aliquod spondet subsidium mittere in Hungariam. Nr. 882. p. 673.
— 20. Iulii Rex Hungariae per oratorem pontifici res regni sui extremas exponit subsidiumque implorat. Nr. 883. p. 674.
— 27. „ Brodericus regni Hungariae cancellarius pontifici de difficili suo statu scribit et se commendat. Nr. 884. p. 674.
1524 — 1526. Epistolae Laurentii cardinalis Campegii durante sua legatione in Hungaria pag. 676 — 715.
1524 — 1527. Epistolae Ioannis Antonii Pulleonis baronis Burgii durante sua nuntiatura in Hungaria de rebus Hungaricis pag. 716 — 802.
1354 — 1570. Litterae regni Hungariae, quae iuxta Inventarium Archivii regni Poloniae in Arce Cracoviensi anno Domini MDCLXXII. existebant, pag. 803 — 808.

EMENDANDA.

Pag. 13. linea ab sup. 32. loco „nato“ dicatur „patri“. Pag. 97. lin. 12. loco „Cracoviae“ legatur „Croaciae“. Verba „Dil. fil., Dilectis filiis“ pag. 94. linea 17 et 41, p. 121. l. 17 et 40, p. 147. l. 36, p. 148. l. 36, p. 157. l. 16, p. 179. l. 4, p. 180. l. 23, p. 226. l. 22, p. 233. l. 31, p. 234. l. 21. et 34, p. 236. l. 40, p. 243. l. 4, p. 251. l. 46, p. 252. l. 43. deleantur. Pag. 124. lin. 14. loco „Dilecto filio“ dicatur „Dilectis filiis“. Pag. 186. lin. 22. pro CCCLXV. leg. CCCXLV. et pag. 187. l. 41. pro CCCLXVI. leg. CCCXLVI. Pag. 211. lin. 1. pro 1431. dicatur 1432. Pag. 211. l. 9. et p. 217. l. 21. pro „Quadrigentesimo“ dicatur „Quadringentesimo“. Pag. 233. l. 32 et pag. 234 l. 3, 21. et 34. loco „Bosnensis dioecesis“ dicatur „in Bosnia nullius dioecesis“. Pag. 286. lin. 1. loco „Nicolai“ legatur „Calisti“. Pag. 287. l. 36. pro „Dilecti“ leg. „Dilecte“. Pag. 288. l. 46. pro MCCCCLVI. dicatur MCCCCLVII. Pag. 646. lin. 18 et 23. pro „Rotario“ leg. „Rorario“. Pag. 629. lin. 1. loco „Adriani PP. IV.“ legatur „Hadriani PP. VI.“, et pag. 630. l. 1. pro „Adriani IV.“ leg. „Hadriani VI.“ Pag. 663. lin. 24. loco „apud regem partes suas interponat, ut Colocensis archiepiscopus thesaurarius regni constuatur“ leg. „apud archiepiscopum Colocensem partes suas interponat, ut ipse se thesaurarium regni constituat“.

MONUMENTA HISTORICA

HUNGARIAE.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VI.

I.

Episcopis et regi Hungariae Innocentius suam creationem et assumptionem ad summum pontificatum notam facit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Strigoniensi eiusque suffraganeis, Salutem et apostolicam benedictionem. Predicator egregius, qui vas electionis factus est Domino, altitudinem sapiencie et sciencie Dei cum stupore considerans, quam incomprehensibilia sunt, inquit, iudicia eius et investigabiles vie eius. Probat hoc cotidianorum eventuum successio varia, probat rerum ipsa diversitas, et accidentium casuum contrarietas manifestat, quorum ministeria mens nequit humana comprehendere, ratio investigare non sufficit, et ad contemplationem quorum obsitus caligine mortalis oculus non attingit: probat etiam nostre infirmitatis humilitas, per quam dum nullis suffragantibus meritis ad fastigium apostolice dignitatis evehitur, quid aliud iudicatur, nisi quod occulto nobis Dei iudicio agitur, ut plerumque promoveatur immeritus, et quandoque assumatur indignus. Nuper siquidem felicis recordationis Clemente PP. VI. predecessore nostro tela vite succisa in Domino quiescente, et ipsius funeralibus exsequiis cum honorificencia debita celebratis, nobisque una cum fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, tempore debito convenientibus invicem in palacio apostolico Avinionensi, in quo idem predecessor tempore sui obitus habitabat, pro futuri electione pastoris, tandem post dies aliquot, licet paucos, ille pontifex summe summus, qui eandem ecclesiam sponsam suam proprii cruoris aspersione fundavit, et supra petram fidei mox nascentis exerexit, illaque soliditate firmavit, ut nullis impulsionibus quateretur, diutine vacationis ipsius ecclesie dispendia resecans, in eum sua munera contulit, in quo meritorum suffragia non invenit, et eorumdem fratrum vota informans et dirigens sic afflavit, ut in imbecillitatem nostram, quamquam essent plures, in quos concurrere potuissent, ut credimus, consultius et utilius convenirent: nosque tunc Episcopum Ostiensem, cui ad tante dignitatis honorem et onus vires et merita nec suppetebant nec suppetunt, ad universalis ecclesie fascem regiminis eligerent supportandum. Nos autem infirmitatis nostre conscii et imperfectionis etiam non ignari, attendentes, quod nichil tam insolidum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, et dignitas non merenti, ad tante molis sarcinam suscipiendam expavimus. Sed demum debita consideratione pensantes, quod de qualitate nostrorum operum nequaquam dependet celestium mensura donorum, ac sperantes, quod ille, qui est oneris actor, erit administrationis adiutor, et ne sub magnitudinis gratia succumbat infirmus, dabit virtutem, qui tribuit dignitatem, et in eo fiduciam erigentes, qui ovium suarum curam licet multis pastoribus delegavit, sui tamen dilecti gregis custodiam non reliquit, quique beato Petro Apostolorum principi fiduciam prestitit,

ut in undas descenderet, et dexteram porrexit auxilii, ut dubitans non periret, colla subiecimus iugo apostolice servitutis. Ad quod gerendum utilius orationum vestrarum suffragia implorantes, Universitatem vestram monemus, rogamus et obsecramus in Domino Iesu Christo, quatinus diligentius attendentes, quod ad tanti ponderis sarcinam supportandam pervigiles cooperatores esse nos exigit, vobis in vestris gregibus solicitudo commissa, in huiusmodi cooperationis ministerio exequendo super greges eosdem solicite invigiletis, et debilitati nostre devotarum orationum et placacionum uberum frequentibus oblationibus assistatis, ab eo, qui nobis sarcinam eamdem imposuit, seu potius forsan imponi permisit, supplicationibus devotis et sedulis implorantes, ut qui ex eisdem nostris defectibus sub illius onere premimur, ipsius munere sublevemur, nobisque ipse bonorum largitor omnium sic illam ad sui nominis laudem et gloriam, nostram populique sui salutem portare sua pietate concedat, quod eadem mater ecclesia filios suos numero et merito nostris multiplicari temporibus glorietur. Ceterum affectum vobis caritative benignitatis expandimus, et sinum caritatis solide aperimus, proponentes, in quibus cum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra et ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benivolencie promovere. Cum autem, sicut intellexerimus, portatores huiusmodi litterarum interdum esse consueverunt contra intentionem mictentium exactores, nunc importune petitionis instancia, nunc etiam murmurationum susurriis ac detractionum et querelarum comminationibus exigendo, scire vos volumus, quod nostre intentionis existit, et latori presentium expresse inhibuimus, eumque iurare fecimus, quod ad exigendum vel obtinendum aliquid preter ea, que pro expensis suis necessariis per alias ei sub certa forma litteras, quas vobis exhiberi mandavimus, ministrari precepimus, talibus instanciis et murmurationibus non utatur, nec recipere etiam oblata presumat. Ideoque ut nostris in hoc intentioni et beneplacito concurratis, huiusmodi abusionibus ceterisque similibus, si forsan eis, quod non est verisimile, uti presumeret contra proprium iuramentum, contemptis omnino vos ultra premissa sibi nostro ministrando mandato tribuendo aliquid non gravetis, cum non per extorsiones huiusmodi, sed alia retributione congrua intendamus ipsorum laboribus respondere. Datum Avinione II. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. . . . Archiepõ Colocensi eiusque suffraganeis, et . . . Regi Ungarie.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 1.

II.

Salvus conductus et provisio pro Raymundo de Galantio ad partes Hungariae misso.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepĩs et Epĩs, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis etc. nec non nobilibus viris Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus etc. Universitatibus quoque etc. et aliis universis et singulis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum dilectum filium Raymundum de Galancio servientem armorum et familiarem nostrum ad partes Ungarie pro quibusdam negociis per nos sibi commissis duxerimus destinandum, nos volentes ipsum cum familia sua in eundo, morando et ad nos redeundo plena securitate gaudere, Universitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus ipsum benigne recommendatum habentes, nullam eidem et familie predicte in personis et rebus suis inferatis iniuriam vel offensam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permictatis inferri: sed ei potius de securo conductu, si a vobis illum petierit, sic libere providere pro nostra et eiusdem sedis reverencia studeatis, quod vestra possit exinde apud nos devotio merito commendari. Datum Avinione VI. Id. Ianuarii. Anno Primo.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri . . . Epõ Spoletano, et dilectis filiis . . . Archidiacono Beneventano ac . . . Officiali Avinionensi, salutem etc. Cum dilectum filium Raymundum de Galancio servientem armorum et familiarem nostrum, latorem presentium ad partes regni Ungarie pro quibusdam negociis per nos sibi commissis presentialiter destinemus, discretioni vestre per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eidem Raymundo diebus singulis a Venerabilibus fratribus Archiepĩs, Epĩs, et dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis etc. in duobus florenis auri pro expensis suis necessariis et de securo conductu, cum ipsi super premissis per eundem Raymundum vel eius nuncium fuerint requisiti, in eundo, morando et redeundo faciatis auctoritate nostra integre provideri. Non obstante, si eisdem Prelatis etc. Presentibus post . . . a dato presentium computandos minime valituris. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 3.

III.

Universis Christi fidelibus capellam B. Mariae in Culphina Zagrab. dioec. visitantibus conceduntur indulgentiae.

Innocentius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia, quibus regina celorum Virgo dei genitrix gloriosa, sedibus prelata sydereis, quasi stella matutina prerutilat, devote affectionis indagine perscrutamur; dum etiam infra pectoris archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie, mater gratie, pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula oratrix et pervigil ad regem, quem genuit, intercedit, dignum, quinimo et congruum arbitramur, ut capellas in honorem nominis eiusdem virginis dedicatas graciosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus honoremus. Cupientes igitur, ut capella beate Marie in quodam deserto, Culphina vulgariter nuncupato, Zagabriensis diocesis fundata, que penitus est destructa, et quam dilectus filius Nicolaus Grubse de Zagabria, laicus dicte diocesis, reparare et reedificare intendit, postquam reedificata fuerit, ut prefertur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in quatuor principalibus eiusdem beate Marie Virginis, Nativitatis domini, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac sanctorum Nicolai et Francisci et beate Catherine festivitatibus, et per octavas dictarum quatuor festivitatum Capellam ipsam devote visitaverint annuatim, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis, singulis videlicet festivitatum et octavarum ipsarum diebus, quibus Capellam ipsam devote visitaverint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Datum Avinione IIII. Nonas Aprilis. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. lib. 3. fol. 332.

IV.

Archiepis Strigoniensi et Pragensi, ut de excessibus episcopi Vesprimiensis sese informent et referant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Strigoniensi et ... Pragensi Archiepis, salutem etc. Intelleximus, quod nuper Colomannus Episcopus Iauriensis occasione seu pretextu quorumdam gravium excessuum, quos in Civitate seu diocesi Strigoniensi dicitur commisisse, in dicta Civitate de mandato tuo, frater Strigoniensis Archiepiscope, captus extitit, et ibidem sub carcerali custodia detinetur. Volentes igitur, quod in dicto negocio cum maturitate, qua convenit, procedatur, circumspectioni vestre, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de et super ipsis excessibus, propter quos idem Episcopus detentus, ut prefertur, extitit, inquiratis diligencius veritatem, nobisque quidquid per inquisitionem huiusmodi inveneritis, ut super hiis, prout iustum fuerit, consultius providere possimus, per vestras litteras harum seriem continentes quantocius intimare curetis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante, quod aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Kal. Iunii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. lib. 3. fol. 318.

V.

Ludovico regi Hungariae gratiarum actio redditur de exultatione, quam de creatione papae habuit.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Serenitatis tue litteras presentatas nobis per dilectum filium ... nuntium tuum, latorem presentium, per quas de assumptione nostra ad apicem apostolice dignitatis te ingenti exultare gaudio descripsisti, benigne recepimus, et inde tibi tanto uberiores gratias agimus, quanto caritatem tuam erga nos cognovimus ampliorem. Ceterum super negocio Venerabilis fratris nostri Episcopi Iauriensis litteras apostolicas, quas secundum Deum concedendas vidimus, tibi per eumdem nuntium destinamus, vota tua, quantum cum Deo poterimus, in hiis et aliis prosequi favorabiliter disponentes, sicut plenius ab eodem nuncio audies viva voce, et dilectus filius noster Guillermus sancte Marie in Cosmedin dia-

conus cardinalis, cuius erga te tuaque negocia attestamur affectum, per litteras suas magnitudini tue scribit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xv. Kal. Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 127.

VI.

Abbatissae et sororibus S. Clarae in Veteri Buda fundatio dotatioque sui monasterii confirmatur.

Innocentius episcopus etc. Dilectis in Christo filiabus... Abbatisse et sororibus monasterii sancte Clare de Veteribuda, ordinis eiusdem Sancte, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Sancta vestra religio referta virtutum fecunditate meretur, ut vos illa gratia favorabiliter prosequamur, quam vobis fore conspicimus opportunam. Cum itaque, sicut ex parte Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis et carissimarum in Christo filiarum nostrarum Elizabeth matris et Elizabeth consortis Regis eiusdem, Reginarum Ungarie Illustrium, nuper accepimus, ipsi dudum pia devotione monasterium vestrum canonice fundaverint ac dotarint, et illud sufficientius dotare intendant, vobisque ac dicto vestro monasterio possessiones et nonnulla alia iura, res et bona a Christi fidelibus hactenus pie donata et licite fuerint acquisita: nos Regis et Reginarum ipsarum vestrisque supplicationibus inclinati, fundationem, dotationem huiusmodi et alia, ut prefertur, concessa et donata, ac quomodolibet etiam, ut premittitur, acquisita, rata et grata habentes, illa vobis et dicto monasterio de speciali gratia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis ii. Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. lib. 4. fol. 456.

VII.

Eisdem indulgetur, ut omnibus sui ordinis privilegiis uti valeant.

Innocentius episcopus etc. Eisdem, salutem etc. Religionis vestre, in qua mundanis abdicatis illecebris, virtutum domino in humilitatis spiritu devotum et sedulum famulatum impenditis, promeretur honestas, ut hiis, que vestri prosperi status incrementum respiciunt, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut pro parte Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis et Carissimarum in Christo filiarum nostrarum Elizabet matris et Elizabet consortis Regis eiusdem, Reginarum Ungarie Illustrium, nuper accepimus, ipsi dudum pia devotione monasterium vestrum canonice fundaverint et de bonis suis propriis dotarint, et adhuc sufficientius dotare intendant illud, nos Regis et Reginarum ipsorum ac vestris piis supplicationibus inclinati, ut omnia privilegia, libertates et alias gratias ordini vestro et personis et locis ipsius ab apostolica sede concessa, que ad vos vestrumque monasterium se extendunt, illisque, prout alia monasteria, loca et persone dicti ordinis gaudent ac perfruuntur, gaudeatis, et uti perpetuo libere valeatis, quibuscunque constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, vobis et dicto vestro monasterio auctoritate apostolica de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis ii. Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. lib. 4. fol. 456.

VIII.

Reginis Hungariae, matri et consorti regis, ut cum honesta mulierum comitiva idem monasterium ingredi possint.

Innocentius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabet Regine Ungarie relicte clare memorie Karoli Ungarie Regis vidue, salutem etc. Exigit eximie tue devotionis affectus, quo deum et Romanam ecclesiam revereris, ut petitionibus tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum decenti et honesta comitiva mulierum sancte Clare de Veteribuda ordinis eiusdem sancte, Vesprimiensis diocesis, et alia quecunque monasteria religiosarum inclusarum regni Ungarie quorumcunque ordinum, quibuscunque ipsorum monasteriorum et ordinum statutis et consuetudinibus ac quibuslibet constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, quotiens fuerit opportunum, libere causa devotionis ingredi valeas, horis tamen congruentibus et honestis, dummodo earum, que monasteriis ipsis prefuerint, ad id accedat assensus, et tu dicteque mulieres ibidem non comedatis vel etiam pernoctetis, tenore tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum ut supra.

Carissime in Christo filie Elizabet Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut votis tuis in hiis, que a nobis honeste postulas, favorabiliter annuamus etc. ut in proxima superiori usque. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. lib. 4. fol. 456.

IX.

Ludovico regi Hungariae conceditur, ut praedictum monasterium cum quatuor honestis viris intrare possit.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Eximie tue devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut que a nobis suppliciter postulas, affectu tibi benivolo concedamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum quatuor viris honestis et omni suspicione carentibus sancte Clare de Veteribuda etc. ut in superiori, que dirigitur Elizabet Regine Ungarie usque assensus, et tu dictique viri ibidem non comedatis vel etiam pernoctetis, tenore tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. lib. 4. fol. 459.

X.

Iudicibus mandatur, ut de permutatione castri in Veteri Buda ad ecclesiam S. Mariae pertinentis sese informent.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Varadiensi et ... Zagabriensi ac Vesprimiensi Episcopis, salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis et Carissimarum in Christo filiarum nostrarum Elizabet matris et Elizabet consortis Regis ejusdem, Reginarum Ungarie Illustrium, petitio continebat, quod cum ipsi in castro suo de Novabuda Vesprimiensis diocesis, infra dictum regnum cum suis familiaribus commorentur, ipsumque castrum situatum existat prope castrum illud de Veteribuda nuncupatum, ad ecclesiam beate Marie de Veteribuda dicte diocesis, et ejusdem ecclesie prepositum et capitulum pertinens, et propter hujusmodi propinquitatem castrorum ipsorum frequenter gentes ipsius ecclesie nonnulla dampna pati et sustinere contingat, ipseque Rex habens super hiis conscientiam, desideret per viam permutationis alterius Castri seu loci Regis ejusdem prefate ecclesie et gentibus predictis utilius provideri, ne dampna seu scandala eis propter vicinitatem hujusmodi valeant ulterius provenire: Nos de premissis notitiam non habentes, Regis et Reginarum predictorum supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo vestrum, vocatis dictis preposito et capitulo et aliis, qui fuerint evocandi, si ad hoc ipsorum prepositi et capituli et aliorum, quos premissa contingunt, accedat assensus, et hoc petierint, de premissis omnibus et singulis et eorum circumstantiis, et si ex permutatione hujusmodi conditio ejusdem ecclesie et personarum ejus fieret melior et utilior, super quibus vestras consciencias oneramus, auctoritate nostra diligentius informetis, et quicquid per informationem hujusmodi inveneritis, illud nobis per vestras litteras harum seriem continentes sub vestris sigillis inclusum fideliter destinare curetis, ut hujusmodi informatione instructi consultius super hiis agere valeamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. lib. 4. fol. 500.

XI.

Regi Hungariae in favorem Guilielmi card. S. Mariae in Cosmedin contra epum et custodem Albensem, qui eundem de archidiaconatu Albensi impedire nituntur.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Gravis contumatia et obstinata rebellio Andree episcopi Albensis Transilvani et Thome olim custodis ecclesie Albensis, quas adversus Romanam ecclesiam in occupatione ac detentione archidiaconatus Albensis, qui ad dilectum filium nostrum Guillermum sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem ex collatione apostolica pertinet, et ipsius archidiaconatus usurpatione fructuum, gravibus penis et sententiis per processus habitos auctoritate apostolica in eos latis omnino contemtis, irreverenter admodum commiserunt, omnino requirunt, ut ad convincendos eos preter censuram ecclesiasticam, que exercetur in ipsos, tue quoque potencie dexteram invocemus. Ideo serenitatem tuam attente rogamus,

quatenus procuratores et gentes prefati cardinalis, cuius erga te ac tua tuorumque negocia voluntatem sinceram et affectionis plenitudinem attestamur, cum super huiusmodi vel aliis dicti cardinalis negociis ad magnitudinem tuam recursum habuerint, habere velis nostre interventionis obtentu et consideratione cardinalis ipsius propense ac efficaciter commendatos, ipsosque tuis prosequi presidio et favore. Datum Avinione II. Nonas Octobris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 197.

XII.

Pluribus clericis de canonicatibus praebendisque providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Petro Biseti de Podio Aniciensi canonico et cantori ecclesie Wachiensis, salutem etc. Providetur de canonicatu, prebenda et cantoria huius ecclesie. Datum Avinione XII. Kal. Februarii. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Lencha canonico et cantori ecclesie Nitriensis, salutem etc. Providetur de canonicatu et cantoria in ecclesia Nitriensi. Datum Avinione XV. Kal. Februarii. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Thome Dorbes canonico et lectori ecclesie Colocensis, salutem etc. Providetur de canonicatu et lectoratu huius ecclesie. Datum Avinione XII. Kal. Februarii. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Brictio Luce de Chehy canonico Quinqueecclesiensi, salutem etc. Providetur de canonicatu, huius ecclesie sub expectatione prebende. Datum Avinione IV. Idus Octobris. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Lupo Slavagosti canonico Quinqueecclesiensi, salutem etc. Providetur de canonicatu huius ecclesie. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Idus Iunii. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Amando la Causiva canonico ecclesie Scepusiensis, Strigoniensis diocesis, salutem etc. Providetur de canonicatu et prebenda huius ecclesie, quos Guillelmus S. Marie in Cosmedin diaconus cardinalis obtinebat, et sibi indulgetur, ut in Cracoviensi ecclesia scolasteriam, et in eadem et Wratislaviensi, Gnesnensi ac Titulensi ecclesiis canonicatus et prebendas retinere possit. Datum Avinione XII. Kal. Februarii. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Petro Begonis canonico Strigoniensi, licentiato in legibus, salutem etc. Providetur de canonicatu et prebenda huius ecclesie, et indulgetur, ut archidiaconatum Zemblinensem Agriensis diocesis retinere possit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis V. Kal. Maii. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Petro de Montilio canonico Zagabriensi, salutem etc. Eidem confert canonicatum et prebendam huius ecclesie, et indulget, ut canonicatum Quinqueecclesiensem et in ecclesia B. Margarite de Dionisio Vesprimiensis diocesis cum cantoria canonicatus et prebendas retinere possit. Datum Avinione XV. Kal. Februarii. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Francisco Martelli de Zemlin canonico et scolastico ecclesie Iauriensis, salutem etc. Confert ei canonicatum, prebendam ac scholasteriam huius ecclesie. Datum ut supra.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Stephano Mauritii rectori parochialis ecclesie in Chyzeh Strigoniensis diocesis, salutem etc. Reservantur eidem canonicatus et prebenda ecclesie Strigoniensis quos Iohannes episcopus Vesprimiensis olim obtinebat. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XI. Kal. Septembris. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Iohannis presbitero Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Providetur de prepositura ecclesie S. Martini Scepusiensis Strigoniensis diocesis. Datum Avinione VII. Kal. Aprilis. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Synionis de Zeth canonico B. Marie in Albaregali, salutem etc. Providetur de canonicatu et prebenda huius ecclesie, quos Colomannus episcopus Vesprimiensis tempore promotionis sue obtinebat. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Kal. Iunii. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Andree Stephani canonico Strigoniensi, salutem etc.

Providetur precibus Regis Ungarie, cuius capellanus existit, de canonicatu huius ecclesie. Datum Avinione v. Idus Decembris. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Petro nato quondam Bartholomei de Labat, clerico Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Confert ei beneficium in ecclesia Vesprimiensi. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis viii. Idus Maii. Anno I.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Bela clerico Strigoniensi, salutem etc. Confert eidem beneficium ecclesiasticum simplex. Datum Avinione vii. Kal. Aprilis. Anno I.

In e. m. Dilectis filiis abbati B. Marie de Villacompositi in Scypus et preposito B. Iohannis Bapt. de Iazow Strigoniensis diocesis, ut eidem Iohanni de tali beneficio provideri curent.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Michaeli nato quondam Iacobi de Bors clerico Strigoniensi, salutem etc. Providetur de beneficio simplici. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. lib. I. par. 1. fol. 94, 95 et 98; par. 2. fol. 403 et 457; lib. II. fol. 168, 173, 174, 357 et 474; lib. III. fol. 97 et 342; lib. IV. par. 1. fol. 16; par. 2. fol. 252, 253 et 266.

XIII.

Ludovico regi Hungariae, ut archiepo Colocensi in decima exigenda suum impertiatur auxilium et favorem.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, Salutem etc. Venerabili fratre nostro .... Archiepiscopo Colocensi conquerente, percepimus, quod nonnulli laici scismatici sue diocesis decimas, ad quas tenentur, eidem solvere sibi contumaciter contradicunt, et quod processus, quos idem Archiepiscopus spiritualiter fecit hactenus contra ipsos, duxerunt, et ducunt penitus in contemptum. Cum autem dignum sit, ut sicut in fiscalibus tuis tibi persolvendis iuribus auctoritas nostra compescit invitos, sic etiam ad reddendum Deo, que Dei sunt, compellat etiam renitentes, serenitatem tuam attente rogamus, quatinus eidem Archiepiscopo circa decimarum exactionem huiusmodi tuum pro reverentia Dei et nostre interventionis obtentu impertiaris iaste auxilium et favorem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iii. Kal. Iulii. Anno Secundo.

In e. m. ... Regine Ungarie Illustri.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 132.

XIV.

Petrus dictus Ungarus monasterio S. Mauritii de Beel Vesprim. dioec. in abbatem praeficitur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Petro dicto Ungaro Abbati Monasterii sancti Mauritii de Beel, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Attenta meditatione pensantes incommoda et dispendia, que interdum incurrunt ex vacatione longinqua ecclesie et monasteria gubernatorum presidio destituta, reddimur mente vigiles et solertes, ut eadem ecclesie et monasteria praesertim ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentia a dispendiis et incommodis huiusmodi preserventur, et nostre diligentie studio de celeris et utilis provisionis remedio succurratur eisdem. Dudum siquidem fidedignis relatibus intellecto, quod monasterium sancti Mauritii de Beel, ad dictam Romanam nullo medio pertinens, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, erat per obitum quondam Georgii ipsius Monasterii abbatis, qui in partibus illis decesserat, pastoris solacio destitutum: nos cupientes eidem Monasterio per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius monasterii dispositioni et ordinationi nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, et deinde nos ad provisionem ipsius monasterii sancti Mauritii, de quo nullus preter nos hac vice post reservationem et decretum predicta disponere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus, diligentem, demum ad te monachum dicti monasterii, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite ac morum honestate, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna perhibentur testimonia, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua prefato monasterio de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius

tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dictum monasterium sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, grata suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus onus regiminis dicti monasterii suscipiens reverenter, sic te in eo solicite, prudenter et fideliter exercendo exhibeas studiosum, quod ipsum monasterium per laudabile tue diligentie studium gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium nostram ac dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Nonas Iulii. Anno Secundo.

In e. m. Dilectis filiis conventui Monasterii sancti Mauritii de Beel, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Attenta meditatione pensantes etc. usque incrementa. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Petrum Abbatem tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote recipientes ac honeste tractantes, et exhibentes sibi obedientiam et reverenciam debitam et devotam, eius salubria monita et mandata suscipiatis ilariter, et efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam, quam idem Petrus Abbas rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. II. lib. I. fol. 53.

XV.

Ludovico regi Hungariae super liberatione episcopi Iauriensis, quem in carcere detinebat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, Salutem etc. Si creator omnium Deus christos suos tangi prohibet per prophetam, et ipsius Dei filius pro salute humani generis factus homo se in apostolis suis, cum eos ad predicationem evangelii destinavit, evangelista teste recipi protestatur, habes profecto, fili carissime, unde de illatis Venerabili fratri nostro Colomanno episcopo Iauriensi, qui christus est Domini et apostolici officii onus gerit, iniuriis doleas, et ad imponendum eis terminum exciteris. Et ideo serenitatem tuam attente rogamus, paternis tibi consiliis suadentes, quatinus eundem episcopum pro reverentia Dei et nostre interventionis obtentu mandes, et facias effectualiter et celeriter expediri, ut in liberatione sua ipsi creatori tuo reverenciam et multiplicatis iam intercessionibus nostris obedienciam exhibuisse te gaudeamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI. Kal. Septembris. Anno Secundo.

In e. m. . . . . Regine Ungarie et . . . . Archiepiscopo Colocensi.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 142.

XVI.

Stephano regi Rasciae super receptione litterarum et suorum nuntiorum, ut papa viros in fide catholica plenius eruditos illuc mittat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Stephano Regi Rassie Illustri, salutem etc. Dilecti filii nobiles viri Bosidaius Iudex tuus generalis et Nestegus Zephalia Serenus ac Damianus de Catara Civis Catarensis, Apocrisarii magnitudinis tue, presentatis nobis per eos litteris tuis aurea tua bulla munitis, quibus Apocrisariorum ipsorum adhiberi fidem relatibus petiisti, et quas dictosque Apocrisarios consideratione tua et eorum insuper probitatis obtentu benigne recepimus, in nostra et fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium presentia constituti, nobis et eisdem fratribus nostris prudenter ac provide ac reverenter admodum retulerunt, sicut et ipse quoque tue littere continebant, qualiter tu, velut filius benedictionis et gratie, apostolice benedictionis tibi transmitti munus devotissime cupiebas, et deinde predictam ecclesiam in matrem, magistram et dominam christianorum omnium, et Romanum Pontificem in universalem christianorum ipsorum patrem et dominum, ac verum Christi Vicarium et beati Petri apostolorum Principis successorem tuo et eorum nomine recognoverunt, humiliter confessi fuerunt, et quod tu in sinceritate fidei et unitate ecclesie predictarum, ac obedientia nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrancium perpetuis temporibus persisteres, et quod in potencia et dominio tuis, sicut quoque precepisse te scripseras, et ipsi Apocrisarii plenius retulerunt, nulla persona ecclesiastica vel mundana latinos vel alios fideles eiusdem ecclesie rebaptizare seu reconfirmare, aut irreiterabile sacramentum ipsius ecclesie iterare presumeret, et eodem nomine promiserunt, et subsequenter exposuerunt, quod omnes ecclesias

in eisdem tuis potencia et dominio constitutas, fidelibus eiusdem ecclesie in ipsis canonice institutis, qui eis per invasores et occupatores earum contra iusticiam destituti fuerant, integre, realiter et cum effectu restitui districte preceperas, sex Monasteriis tunc expressis duntaxat exceptis, que restitui tunc Abbatibus eorum absque periculo non posse descripseras, et que iidem Apocrisarii restituerunt nobis dicto nomine libere, et te facturum cum effectu restitui ipsis eorum Abbatibus promiserunt, et subiunxerunt, quomodo per editum publicum expresse mandaveras, quod nullus in eisdem dominio et potencia tuis fidelibus christianis commorantibus aliquam iniuriam seu violenciam irrogare, aut ipsos persequi seu molestare quoquomodo presumeret, quodque omnes indifferenter Episcopi, Abbates, presbiteri et clerici, quilibet alii tenentes ritum ecclesie memorate, ubicunque et quomodocunque detenti in potencia et dominio ipsis, restituerentur debite libertati, et ad ecclesias, monasteria et beneficia sua quelibet reverterentur, et divina officia celebrarent, ac sacramenta ecclesiastica ministrarent Christi fidelibus secundum morem ipsius ecclesie libere ac sine molestia et perturbatione quacunque, et quod tu eos, qui secundum ritum ecclesie predicte renati fonti baptismatis fuerunt, et vel errore devii vel vi metuve compulsi sacramentum baptismatis secundum consuetudinem, seu verius abusionem et abominationem aliam dampnabiliter iterarant, debite libertati reddideras, eosque devota mente ac pio studio petieras reaggregari unitati ecclesie ac fidelium eorumdem: hec omnia huiusmodi tuo et eorum nomine in tuam et eorum etiam animas tactis sacrosanctis evangeliis roborantes, et deinde petierunt simpliciter, et humiliter supplicarunt, ut ad consummationem votivam tam salutaris et Deo accepti negocii aliquos viros plenos timore Domini, ac zelum ipsius legis habentes ad te dictaque tua Regnum seu terras transmittere dignaremur. Quibus omnibus et multis aliis contentis in eisdem litteris tuis, ac per Apocrisarios predictos eleganter expositis, que puritatem fidei et zelum tue devotionis ad Deum patenter insinuant, letanter auditis, magnificavit anima nostra Dominum, et in Deo salutari nostro noster exultavit spiritus, dictorumque turba fratrum in iubilum et laudem Domini vehementer erupit. Porro quia creatoris redemptorisque tui, cuius perfecta sunt opera, a fructibus utilis servus cognosceris et minister, oportet ut eius, cui ministras et servis, in salutari hoc negocio imiteris pro viribus actiones, ut que sunt, prestante ipso, principio inchoata felici feliciorem, eo favente, perducantur ad finem, et nos etiam cito, prestante Deo, cuius negocium agitur, mittemus illuc aliquos viros probos, timentes Deum et in lege eius plenius eruditos, qui huius operi laudabiliter inchoati promotionis diligenciam solicite adhibentes in virtute Domini et tui favoris presidio imperfecta perficient, et perfecta queque mansura stabilius roborabunt. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iiii. Kal. Septembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 154.

XVII.

Regi Hungariae in favorem decani de Brassho et rectorum parochialium ecclesiarum in dicto decanatu super decimis, quae per officiales regios usurpantur.

Innocentius episcoppus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad audienciam nostram perduxit quorumdam fide digna relatio, quod quidam officiales et ministri tui commissi eis officii et ministerii finibus non contenti, decimas ad dilectos filios .... Decanum de Brassho et Rectores parochialium ecclesiarum infra decanatum ipsum consistentium Strigoniensis diocesis pertinentes, et in quarum perceptionis possessione pacifica ipsi usque ad hec tempora extiterunt, usurparunt indebite ac usurpant, quodque cum aliqui ex eisdem Rectoribus rebus eximuntur humanis, res et bona decedentium rapiunt et occupant pro libito voluntatis. Quod tanto molestius gerimus, quanto in hiis, in quibus leditur iusticia graviter et contemnitur enormiter nervus ecclesiastice discipline, offiiales et ministri iidem non sine honoris tui preiudicio mandati tui auctoritatem pretendere asseruntur. Cum autem, fili carissime, ex auctoritate novi et veteris testamenti decime debeantur ecclesiis, et potenciam tuam deceat omnes et presertim viros ecclesiasticos ab iniuriis et violenciis preservare, nec debeas rapinam et spolia eis aliquatenus sustinere, serenitatem tuam attente rogamus, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverencia, ac tue salutis et honoris obtentu, sic super hoc oportune provideas, quod hec et hiis similia, ex quibus creator tuus offenditur graviter, de cetero non contingant. Datum Avinione viii. Kal. Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 187.

XVIII.

[illegible] mandat, ut contra Tartaros per Hungariam, Bohemiam et Poloniam verbum crucis praedicandum curent.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gneznensi, et . . . Cracoviensi ac . . . Wratislaviensi Epis, salutem etc. Apostolice solicitudinis zelus, quo mentalibus oculis immensas professionis christiane provincias lustrare compellimur, propensius nos inducit pro salute tuenda fidelium et eorum periclitatione vitanda non solum manifesta pericula, sed suspecta vereri, nec provisionem deficere cautele, ut quanto maiora timentur esse dispendia, tanto promptiori ac perfectiori provisione per oportuna remedia periculorum eventibus occurratur. Sane nuper Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris per litteras et nuncios suos nostro apostolatui patefecit, quod gentes perfide Tartarorum et Litwanorum in tenebris ambulantes, carentesque lumine catholice veritatis, prophana cogitatione putantes, pro eo quod Regnum Polonie, quod a fidelibus habitatur, est in ultimis christianorum finibus constitutum, propterea ad impugnationem regni prefati eisdem Tartaris et Litwanis absque catholicorum Principum et aliorum fidelium ducatu iuxta prophanos conceptos ipsorum facilior via patet, dictum Regnum et christianos habitatores ipsius iam per tres annos elapsos invaserunt, et invadere ac impugnare continue moliuntur, ad desolationem fidelium habitantium in eadem et religionem catholicam inibi prophanandam conflatis potentie sue viribus hostiliter intendentes, propter quod prefatus rex, qui ex hoc per dictum triennium, et presertim anno proxime preterito, tam in gentibus suis, ex quibus prohdolor nonnullos seva infidelium eorundem impietas peremit gladio et alios in miseram servitutem abduxit, quam in thesauro et aliis bonis suis inextimabilia dampna sustinuit, attendens, quod regnum prefatum est ecclesie Romane immediate subiectum et etiam censuale, et quod tam ipsi, quam habitatores predicti sunt eiusdem ecclesie peculiares filii et fideles, quod ex impugnatione ipsorum non solum dictum Regnum eiusque incole, quinimo fideles ceteri dicto Regno tam proximi quam remoti proculdubio diris adversitatibus lederentur, nostrum in hac parte et per nos promptum fidelium et aliarum (?) subsidium humiliter imploravit. Nos igitur attendentes, quod in huiusmodi defensione et tuicione non solum dictorum Regis et Regni, sed aliorum fidelium vicinorum et eciam, ut premittitur, remotorum salubriter agitur et securitas procuratur, et barbarice feritatis audacia facilius, deo propicio, rursus poterit refrenari et callidi principis, quam si nullo parato resistentie obice, permitteretur liberius in christianum sanguinem desevire, considerantes etiam urgentem et probabilem eiusdem Regis supplicationis instanciam, votis eius super premissis eo libencius annuendum fore providimus, quo illa apostolici favoris fulcienda et munienda presidiis magis utile et expediens extimamus. Premissis igitur attenta meditatione pensatis, supplicationem ejusdem Regis in hac parte benignius admittentes, ut idem Rex adversus gentes easdem, que dudum, sicut experiencia docuit, dictum Regnum et nonnullas alias terras fidelium et personas eorum per crudelis impugnationis et expugnationis excidium destruxerunt, divino, ut speramus, fretus auxilio et aliorum fidelium crucis Christi signaculo munitorum presidio communitus, defensionem eiusdem Regni et Incolarum ipsius contra dictas Barbaricas nationes potenter assumere valeat et fideliter exercere, predicationem crucis in Regis et Regni predictorum auxilium providimus concedendam. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quemlibet vestrum per vos et alias personas ecclesiasticas, seculares et regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc ydoneas esse noveritis, in eodem Polonie, et Ungarie ac Boemie Regnis contra prefatas Tartarorum et Litwanorum gentes, et quosque alios infideles invadentes seu offendentes predictum Regem et Regnum Polonie et habitatores ipsius proponatis, iuxta datam vobis a deo prudentiam, verbum crucis, et universale signum eius tam eiusdem Regis, quam aliorum Incolarum fidelium Regnorum predictorum illam devote suscipere volentium humeris assignetis, eosdem vestris exortationibus et instantiis inducentes, ut predictum negotium contra Tartaros et Litwanos et alios infideles prefatos ferventer assumant et viriliter prosequantur. Et ut ipsi fideles tanto ferventius et libencius prosequi premissa studeant, quanto ex suis laboribus potiorem gratiam se noverint percepturos, nos de omnipotentis dei misericordia et beat. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, et illa, quam nobis deus licet indignis ligandi atque solvendi contulit potestatem, eisdem fidelibus, qui cum eodem Rege vel eius exercitu in propriis personis et expensis infra triennium, inchoandum ab eodem tempore, quo dicto Regi vel vobis presentes littere fuerint assignate, per unum annum continue vel interpolatim, eiusdem tamen triennii, in dicti prosecutione negotii fuerint commorati, di-

etoque Regi statim, cum in persona propria contra dictos Tartaros et Litwanos duxerit procedendum, necnon et illis, qui in dicti prosecutione negotii decesserint vel in prosecutione huiusmodi vulnerati fuerint, etiam si alibi ubicumque ex talibus vulneribus decedere eos contingat, illam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam duximus indulgendam, que conceditur per sedem apostolicam transfretantibus in subsidium terre sancte, et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam bellatores ydoneos destinabunt, per tempusque supradictum in huiusmodi prosecutione negotii moraturos, ac illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis, illuc accesserint, per tempus moraturi predictum, eandem suorum concedimus veniam peccatorum: huiusmodi quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem dicti negotii de bonis suis congruis ministrabunt, et circa predicta auxilium impenderint oportunum. Porro ad huiusmodi tam ardui et salubris negotii efficaciam vos et quilibet vestrum per vos vel alium seu alios in dictis Regnis, in terris et locis ydoneis, de quibus vobis videbitur, cleros et populos convocantes, concessionem huiusmodi indulgencie solemniter publicare, dictosque fideles ad huiusmodi pii negotii prosecutionem inducere, et predicta exequi fideliter studeatis. Datum Avinione IV. Idus Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. lib. 3. fol. 392.

XIX.

Ludovico regi Hungariae Bartholomaeus Traguriensis et Petrus Pactensis epi ad regnum Rasciae destinati commendantur.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum venerabiles fratres nostros Bartholomeum Traguriensem et Petrum Pactensem Episcopos apostolice sedis nuncios pro uniendis et aggregandis unitati ecclesie, matris tue, auctore Deo, Rege Rassie Illustri et populis subditis ipsi Regi, ad partes illas presentialiter destinemus, serenitatem tuam attente requirimus et rogamus, quatinus eisdem nunciis, quibus super premissis aliqua tibi exponenda oretenus duximus iniungenda, in hiis, que tibi pro parte nostra retulerint, adhibens plenam fidem, eis in promotione et consumatione tam salutaris et Deo grati negocii pro divine maiestatis reverencia, tue consideratione salutis et nostre interventionis obtentu tuum, de quo specialiter confidimus et speramus, prebeas auxilium, consilium et favorem. Datum Avinione x. Kal. Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 238.

XX.

Stephano regi Rasciae de restitutione praelatorum etc. in suo regno grates redduntur, et de eo quod capitaneum contra Turcas se offert, et quod viros in lege peritos ad informandum populum illuc mitti petit.

Innocentius episcopus etc. Stephano Regi Rascie Illustri, gratiam in presenti, que perducat ad gloriam in futuro. Per dilectos filios nobiles viros Bossidarium Iudicem generalem et Nestegium Cephaliam Serenum ac Damianum de Catara civem Catarensem, Apocrisarios et procuratores magnitudinis tue ad nos et sedem apostolicam diebus non longe preteritis destinatos, et presentatas nobis per Apocrisarios ipsos litteras Regias aurea tua bulla munitas nostro Apostolatui intimasti, quod audito, quod quidam ecclesiarum et monasteriorum Prelati Regni tui fideles eiusdem ecclesie erant ecclesiis et monasteriis, in quibus canonice instituti fuerant, per quosdam abominationis filios contra iusticiam destituti, et quod alii quidam eisdem ac aliis fidelibus sancte Romane catholice et apostolice ecclesie in eodem Regno morantibus iniurias et contumelias irrogarant, et quosdam ex fidelibus ipsis ad reiteranda baptismatis et confirmationis per eos rite suscepta irreiterabilia sacramenta invitos coegerant, non sine gravi offensa Dei et lesione fidei christiane, tu velut sincerus ipsius fidei zelator et cultor id moleste ferens, ac gerens, prout debueras, admodum displicenter, et cupiens pro reverencia redemptoris tui, qui eiusdem actor est fidei, et pro salutis tue merito tantis malis provisionis tue studio salubriter obviare, sub indignationis tue pena districte preceperas, prelatos destitutos eosdem ad ecclesias et monasteria ipsa, quibus fuerant, sicut premittitur, destituti, restitui cum effectu, sex Monasteriis tunc expressis dumtaxat exceptis, quibus de propriis Abbatibus ad evitanda scandala et pericula imminentia tunc restitutio non poterat fieri, et ad que postmodum temporis oportunitate captata illos restitui procurasti, quodque publice ac patenter et sub formidabilibus penis edixeras, quod nulla ecclesiastica secu-

larisve persona latinos vel alios fideles eiusdem ecclesie secundum verum et catholicum ritum eius baptizatos et confirmatos rebaptizare seu reconfirmare presumeret quoquo modo, et quod omnes Episcopi et Abbates ac alii ecclesiarum et monasteriorum Prelati, presbiteri et clerici seculares et regulares fideles ipsius ecclesie ubicumque et quomodocunque in regno detenti predicto restituerentur debite libertati, et ad ecclesias, monasteria, et ecclesiastica beneficia sua quelibet libere ac sine impedimento redirent, divina in eis celebrarent officia, et prout ad eos vel pertineret, ministrarent eisdem ac aliis Christifidelibus iuxta ecclesie prefate consuetudinem rectam et observanciam salutarem ecclesiastica sacramenta, et quod licitum esset omnibus in dicto Regno morantibus fidem, quam ecclesia ipsa tenet, docet et predicat, tenere libere, ac prout eis competeret, illam docere voce libera et publice predicare, et quod, ut sinceriorem te probares verioribus argumentis ipsius catholice fidei amatorem, eos, qui secundum huiusmodi ritum et formam ecclesie predicte baptismatis et confirmationis susceperant sacramenta, et vel vi metuve coacti, sicut predicitur, vel forsan errore devii huiusmodi sacramenta iuxta usum, imo abusum verius et abominationem aliam dampnabiliter iterarant, arbitrio eorum libertatique relinquens, ipsis ab huiusmodi reatu beneficium absolutionis impendi, eosque reaggregari unitati eiusdem ecclesie devota mente petieras, ac pro studio procuraras, ac tandem ecclesiam ipsam dominam et magistram christianorum omnium, ac Romanum Pontificem universalem christianorum omnium patrem, et verum ipsius Christi Vicarium ac beati Petri apostolorum Principis successorem firmiter asserens, simpliciter confitens et humiliter recognoscens, devota instancia supplicasti, ut tibi apostolice benedictionis munus per apostolicas litteras mittere, et nichilominus destinare ad Regnum ipsum aliquos viros probos, timentes Deum et in lege ipsius plenius eruditos, qui Venerabilis fratris nostri Bartholomei Episcopi Traguriensis, dudum in partibus illis apostolice sedis nuncii, feliciter, favente Deo, inchoatis operibus prosecutionis adicerent studium, per quod ad optatum perducerentur exitum, dignaremur. Idemque Traguriensis Episcopus, cuius relatibus adhiberi fidem per easdem litteras petiisti, nobis exposuit, quod tu populo christiano partium orientis super afflictionibus et persecutionibus duris, quibus eos Turchorum furor immanis indesinenter anguriat, viscera pietatis regie ad compassionem aperiens, et ad opprobria exprobrantium nomini christiano tollenda et auferendam perfidam gentem credentium de finibus accendens animi tui zelum, et excitans potenciam regie dignitatis desiderabas ab eadem ecclesia matre tua contra Turchos ipsos Capitaneus ordinari, ut ipsius ecclesie spirituali adiutus auxilio et directus consilio in virtute altissimi, qui piis favet libenter opibus, gregem domini ipsum, videlicet populum, de luporum eorundem scilicet Turchorum faucibus potenter erueres, et subactam iugo miserabilis servitutis christianam absolveres libertatem. Quibus omnibus intellectis, exultavit cor nostrum in Domino, letatus est spiritus, et mens ipsa in iubilum gaudii potioris erupit, ac eadem ecclesia mater tua ei, qui ubi vult spirat, et corda Regum in manu sue continet potestatis, quique hunc tibi formavit animum et infudit affectum, suppliciter agens humiles gratias et laudationum debita vota persolvens, ipsum oravit et orat assidue, ut te in hac zeli rectitudine, in hoc fervore spiritus, in hac puritate fidei, in hac devotionis sinceritate conservet, diesque tuos longevos faciat, et post bella Domini, ad que robur tue potentie animose ac strenue obtulisti, feliciter consumata in sua pace disponat, sicque tibi te ac subditas tibi nationes regere et gubernare concedat, quod post huiusmodi labilis peregrinationis excursum una cum eis ad sancta sanctorum puris introire mentibus merearis. Porro, fili carissime, post dictorum Apocrisariorum tuorum ad te reditum, affectionis, quam ad tanti boni felicem exitum nimirum gerimus, nos continua solicitavit instantia, et eo nobis studium diligencie potioris indixit attentius, quo in rebus avide concupitis, sicut frequenter experientia didicisse te credimus, ipsa quoque celeritas sepe tarditas reputatur. Tandem cogitantes et perquirentes cum omni solertia viros, quos tanti ministerii promotioni utili utiliter deputare possemus, inter ceteros, quos indagationi nostre ydoneos ad huiusmodi ministerium consideratio multiplex obtulit, idem Episcopus Traguriensis occurrit. Etenim ipse cum sit tibi familiariter notus, sicut eedem littere testabantur, pro meritis suis acceptus et carus, poterit efficacior promotor esse negotii, et pro eo quod tanto bono bonum, Deo favente, dedit initium, ut illud ad finem, ipso dirigente ac promovente, perducat, instantius laborabit, cum ex more opifex quilibet ad consumationem sui alliciatur operis et ad conservationem eius solicitus inducatur. Cui etiam Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Pactensem, magistrum in sacra pagina, virum utique religiosum, vita, moribus et conversatione laudabilem et plenum timore Domini, dedimus socium, ac simul ambos ad te ipsumque Regnum tuum sub fiducia eius, qui concordiam in sublimibus suis parat,

quique parietem utrumque connexuit, presentialiter destinamus, ut ex sparso in eodem Regno per Episcopum Traguriensem eumdem semine verbi dominici vitalem segetem pululantem doctrine salutaris aqua irrigent, succidant renascentium spinas errorum, evellant scismatum succrescentium tribulos, et seminatorum eradicent zizaniam scandalorum, sicque ex huiusmodi segete diligentibus purgata cultoribus, dante illi Domino incrementum, manipulorum multitudo, fidelium scilicet numerus copiosus, messis in tempore colligatur, et fides ipsa, quam mediator Dei et hominum Christus supra firmam Petri petram, idest ipsam Romanam catholicam et apostolicam ecclesiam, cuius ipse Christus caput, fundator et rector est, sic firmiter stabilivit, sicque illam eidem ecclesie inseparabiliter copulavit, quod licet multos ab ipsius ecclesie corpore, fallente diabolo, vel contagiosus heresis morbus abiecerit, vel scissura dampnati scismatis separarit, ipsius tamen fidei immaculata sinceritas apud eandem ecclesiam permanens, velut tritici granum in area, quod per palee purgatur abscessum, et lux fulgentis sideris, que irradiat per excussionem offuscantium nebularum splendidius, clarior elucescit, palmites suos ubique dilatans figensque radices emicet purior, et fructus, quibus eadem mater ecclesia, quasi renascentis prolis numerositate fecunda, auctori suo iocunditatis et leticie cantica replicet, in ubertatem perducat. Quapropter Serenitatem tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibique in remissionem tuorum peccaminum suadentes, quatinus eosdem Episcopos pro nostra et apostolice sedis reverentia benigne recipias et favorabiliter prosequaris, ipsorum salutaribus monitis et doctrine devotius acquiescas, ac intuens, quod Dei nostri perfecta sunt opera, et quod iuxta evangelicam veritatem non qui incepit, sed qui perseveraverit, salvus erit, ipsius redemptoris tui actiones pro viribus imiteris, ac in bono constanter opere perseverans, ad ipsius feliciter inchoati negocii votivam consumationem sic velut diligens operator solerter intendas, quod in eo, prestante Domino et tuo cooperante ministerio studioso, nostris et communibus fidelium Christi votis et expectationibus satisfiat, ipse retributor omnium bonorum Deus, cuius est idem negocium proprie proprium, et cui nunquam sine remuneratione servitur, eiusdem Regni tui terminos ampliet, dilatet fines, thronum corroboret, et sceptra confirmet, ac tandem te subiectosque tibi populos celestis Regni faciat coheredes, Nosque non solum in huiusmodi Capitaneatus officio, sed in quibuscunque aliis honestis et licitis vota tua, quantum cum Deo poterimus, apostolicis favoribus prosequamur. Datum Avinione IX. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 222.

XXI.

Helenae reginae Rasciae et Orosio regi nato de eodem.

Innocentius episcopus etc. Elene Regine Rassie Illustri, gratiam in presenti, que perducat ad gloriam in futuro. Stephanus Rex Rassie Illustris, vir tuus, diebus non longe preteritis per dilectos filios nobiles viros Bossidarium Iudicem generalem et Nestegium Cephaliam Serenum, ac Damianum de Catara civem Catarensem Apocrisarios, et ipsas litteras Regias aurea bulla munitas nostro apostolatui intimavit, quod dum quidam ecclesiarum et Monasteriorum Prelati Regni sui, fideles eiusdem ecclesie, forent ecclesiis et monasteriis, in quibus canonice instituti erant, per quosdam abominationis filios contra iusticiam destituti, et alii quidam eisdem ac aliis fidelibus sancte Romane catholice et apostolice ecclesie in eodem Regno morantibus iniurias et contumelias irrogassent, et quosdam ex fidelibus ipsis ad reiterandum baptismatis et confirmationis per eos etc. ut supra usque in finem.

In e. m. Orosio Regi Rassie, Elene patri.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 224.

XXII.

Iohannichi patriarchae Serviae, ut episcopos Traguriensem et Pactensem benigne recipiat et favorabiliter prosequatur.

Innocentius episcopus etc. Iohannichi Patriarche Servie gratiam in presenti, que perducat ad gloriam in futuro. Mediator Dei et hominum Christus Ihesus in Petri petra, Romana videlicet et catholica ac apostolica ecclesia, omnium fidelium Christi matre, quam solus ipse fundavit et rexit ac regit, et que super cunctas alias orbis ecclesias obtinet divina dispositione primatum, fidei, cuius idem ipse Christus actor est, sic solide fundamenta locavit, sicque illam insolubili vinculo et inseparabili unione copulavit eidem, quod licet multos ab ipsius ecclesie corpore, fallente diabolo, vel contagiosus heresis

morbus abiecerit, vel scissura dampnati scismatis separarit, ipsius tamen fidei immaculata sinceritas apud eandem ecclesiam inseparabiliter permanens, velut granum tritici, quod per abcessum palee purgatius remanet, et lux fulgentis syderis, que apparet clarior per excussionem offuscantium nebularum, semper purior elucescit. Hec sane Carissimus in Christo filius noster Stephanus Rex Rassie Illustris prudenter considerans, et dolens multos ex nationibus ei subditis ab eadem ecclesia per scissuram inveterati scismatis, procurante seminatore scandali, patre doli, fuisse divisos, ac saluti multitudinis, que ignara itineris veritatis, per abrupta gradiens in precipitium ruit, et quasi navis in mediis fluctibus sine remige mergitur, desiderans providere, apud nos per litteras et nuncios suos suppliciter institit, ut ad partes ipsas viros aliquos timentes Deum et in lege eius plenius eruditos transmittere dignaremur, qui errorum inde tribulis extirpatis et convulsis spinis quorumlibet scamdalorum, in eis sererent semen vite. Nos autem prefati Regis huiusmodi pium desiderium et laudabile propositum oportunis in Domino favoribus prosequentes, et sperantes in illo, qui est verum lumen de lumine omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, quique lapis est angularis missus ipsius ecclesie fundamentum, parietem utrumque connectens, quod ipse de cordibus errantium quorumcunque ignorantie tenebras virtutis sue potentia effugabit, ac illuminabit claritatis sue luce oculos mentium eorumdem, ut gressus eorum ab invio retrahant et dirigant in salutem, ac ad eandem ecclesiam universalem omnium fidelium Christi matrem conversi incipiant Christo vivere, qui viventes mundo ipsi Christo mortui comprobantur, Venerabiles fratres nostros Bartholomeum Traguriensem et Petrum Pactensem episcopos apostolice sedis nuncios, viros utique probitatis experte, profunde scientie, probate virtutis, ac zelum divine legis haqentes, ad Servie, Rassie et Albanie Regna, et terras prefati Regis subiectas dominio providimus destinandos. Ideoque discretionem tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, tibique in remissionem tuorum peccaminum iniungentes, quatinus prudenter considerans, quod sicut fides, que nonnisi una est, et in nullo potest sui esse dissimilis, apud eandem ecclesiam inseparabiliter, sicut premittitur, permanet, sic qui extra ipsius ecclesie communionem fuerit, est procul dubio extra fidem, et qui extra fidem manserit, divine gratie particeps esse non poterit, nec adeptionem recipiet filiorum, ac intuens, quod specialiter tibi, qui in grege Domini, ipsa videlicet multitudine pastoris geris officium, quamquam illicite, cum non per ostium, idest per ipsam ecclesiam in ovile ovium, sed aliunde intraveris, incumbit ex debito, ut prius viam veritatis intelligas, et custodias intellectam, et sic per illam incedens puris et rectis gressibus, eidem gregi vita, moribus et doctrina ducatum prebeas ad salutem, sicque illum ad eterne vite pascua introducas, dictos episcopos tanquam Dei ministros pro divine maiestatis ac nostra et apostolice sedis reverentia benigne recipias, honorifice tractes, ac favorabiliter prosequaris, et eorum salutaribus monitis et doctrine devotius acquiescas, ipsisque in prosecutione tam salutaris et Deo accepti negocii assistas consiliis et auxiliis oportunis; ita quod negocium ipsum, prestante Deo, cuius est proprie proprium, et tuo cooperante ministerio studioso, votivum qerducatur ad exitum, et eandem ecclesiam renascentis prolis multitudo letificet, tuque a retributore ponorum omnium, cui nunquam sine remuneratione servitur, mercedis premium, eterne vite gloriam percipere merearis. Datum Avinione IX. Kal. Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 225.

XXIII.

Universis archiepis. et epis. per Rassiae, Serviae et Albaniae regna constitutis super eodem argumento.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Universis ... Archiepiscopis et Episcopis per Rassie, Servie et Albanie Regna constitutis. Gratiam in presenti, que perducat ad gloriam in futuro. Mediator dei et hominum Christus Ihesus in Petri petra, Romana videlicet et catholica ac apostolica ecclesia, omnium fidelium Christi mater, quam solus ipse fundavit et rexit ac regit, et que super cunctas alias orbis ecclesias obtinet divina dispositione primatum, fidei, cuius idem ipse Christus actor est, sic solide fundamenta locavit, sicque illam insolubili vinculo univit eidem, quod licet multos ab ipsius ecclesie corpore, fallente diabolo, vel contagiosus heresis morbus abiecerit, vel scismatis separarit, ipsius tamen fidei immaculata sinceritas apud eandem Ecclesiam inseparabiliter permanens, velut granum tritici, quod per abscessum palee purgatius permanet, et lux fulgentis syderis, que apparet clarior per excussionem offuscantium nebularum, semper purior elucescit. Que clarissimus in Christo filius noster Stephanus Rex Rassie Illustris providenter considerans, et dolens multos ex nationibus ei subditis ab eadem Ecclesia

per scissuram inveterati scismatis, procurante seminatore scandali patre doli, fuisse divisos, ac saluti multitudinis, que ignara itineris veritatis per abrupta gradiens in precipitium ruit, et quasi navis in mediis fluctibus sine remige mergitur, desiderans providere, apud nos per litteras et nuncios suos suppliciter institit, ut ad partes ipsas viros aliquos timentes deum et in lege eius plenius eruditos transmittere dignaremur, qui errorum inde tribulis extirpatis et evulsis spinis quorumlibet scandalorum, in eis facerent semen vite. Cuius nos pium desiderium et laudabile propositum opertunis favoribus prosequentes, et sperantes in illo, qui est verum lumen de lumine omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, quique lapis est angularis missus ipsius ecclesie fundamentum, parietem utrumque connectens, quod ipse de cordibus errantium quorumcumque ignorantie tenebras virtutis sue potentia effugabit, ac illuminabit claritatis sue luce oculos mentium eorundem, ut gressus eorum ab invio retrahant et dirigant in salutem, ac ad eandem ecclesiam universalem omnium fidelium Christi matrem conversi incipiant Christo vivere, qui viventes mundo ipsi Christo mortui comprobantur. Venerabiles fratres nostros Bartholomeum Traguriensem et Petrum Pactensem Episcopos, apostolice sedis nuncios, viros utique probitatis experte, profunde scientie, ac zelum divine legis habentes, ad partes ipsas providimus destinandos. Ideoque universitatem vestram monemus, requirimus et hortamur in domino, vobis in remissionem vestrorum peccaminum iniungentes, quatenus prudenter considerantes, quod apud vos et alios prelatos ac viros ecclesiasticos, qui in grege domini, populo scilicet christiano, pastorum vice funguntur, ex debito specialiter incumbit officii, eidem gregi lingue ministerio ducatum salutis sibique pascua eterne vite directionis virga monstrare, eosdem nuncios pro reverentia divine maiestatis et nostra, vestreque salutis obtentu benigne recipiatis et favorabiliter tractetis, ac ipsorum salutaribus monitis et doctrine devotius acquiescatis, sibique in prosecutione tam salutaris negotii consiliis et opertunis auxiliis assistatis: ita quod huiusmodi negocium, vestro cooperante ministerio studioso, votivum perducatur ad effectum, vosque in presenti fame gloriam et in futuro eterne beatitudinis premia consequi valeatis. Datum Avinione VIIII. Kal. Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. lib. 3. fol. 4.

XXIV.

Deano Savascotratori Servie et [illegible]

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Nobili viro Deano Savascotratori Servie, gratiam in presenti, que perducat ad gloriam in futuro. Mediator dei et hominum Christus Ihesus in Petri petra, Romana videlicet et catholica ac apostolica ecclesia, quam solus ipse fundavit et rexit ac regit, fidei, cuius idem ipse actor est, sic solide fundamenta locavit, sicque illam insolubili vinculo univit eidem, quod licet multos ab ipsius ecclesie corpore, fallente diabolo, vel contagiosus heresis morbus abiecerit, vel scissura dampnati scismatis separarit, ipsius tamen fidei immaculata sinceritas apud eandem ecclesiam inseparabiliter permanens, velut granum tritici, quod per abscessum palee purgatius remanet, et lux fulgentis syderis, que apparet clarior per excussionem offuscantium nebularum, semper purior elucescit. Quod Carissimus in Christo filius noster Stephanus Rex Rassie Illustris prudenter considerans, et dolens multos ex nationibus ei subditis ab eadem ecclesia per scissuram inveterati scismatis, procurante seminatore scandali, patre doli, fuisse divisos, ac saluti multitudinis, que ignara itineris veritatis, per abrupta gradiens in precipitium ruit, et quasi navis in mediis fluctibus sine remige mergitur, desiderans providere, apud nos suppliciter institit, ut ad partes ipsas viros aliquos timentes deum, et in lege eius plenius eruditos transmittere dignaremur, qui errorum inde tribulis extirpatis, et evulsis spinis quorumlibet scandalorum, in eis sererent semen vite. Cuius nos pium desiderium et laudabile propositum oportunis favoribus prosequentes, et sperantes in illo, qui est verum lumen de lumine omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, quique lapis est angularis missus ipsius ecclesie fundamentum, parietem utrumque connectens, quod ipse de cordibus errantium ignorancie tenebras effugabit, ac illuminabit oculos mentium eorumdem, ut gressus eorum ab invio retrahant et dirigant in salutem, et ad eandem ecclesiam universalem omnium fidelium Christi matrem conversi incipiant Christo vivere, qui viventes mundo, ipsi Christo mortui comprobantur. Venerabiles fratres nostros Bartholomeum Traguriensem et Petrum Pactensem Episcopos apostolice sedis nuncios, viros utique probitatis experte, profunde sciencie, ac zelum divine legis habentes, ad partes ipsas providimus destinandos. Ideoque nobilitatem tuam monemus, requirimus et hortamur in domino, illam attentius deprecantes, tibique in

remissionem tuorum peccaminum iniungentes, quatinus eosdem nuncios pro reverencia divine maiestatis et nostra, tueque salutis obtentu benigne recipias et favorabiliter tractes, ac ipsorum salutaribus monitis et doctrine devotius acquiescas, sibique in prosecutione tam salutaris negocii consiliis et auxiliis oportunis assistas; ita quod huiusmodi negocium, tuo cooperante ministerio studioso, votivum perducatur ad exitum, tuque in presenti fame gloriam, et in futuro eterne beatitudinis premia consequaris. Datum Avinione VIII. Kal. Ianuarii. Anno Secundo.

In e. m. Gavico magno logotete Servie, Oliverio Despoto, Prelubo Cesari, Grulbo de Catara Comiti Camerario, Palmanno Theutonico capitaneo gentis armigere ad stipendia regis Rassie, et ceteris principibus, comitibus et baronibus Servie, necnon universis principibus et baronibus Sclavonie et Albanie.

Ex reg. orig. An. II. secr. fol. 226.

XXV.

Bartholomeo Traguriensi et Petro Pactensi epis. ut ad illas partes pro corrigendis excessibus et reformandis deformatis accedant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Bartholomeo Traguriensi et Petro Pactensi Episcopis, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Inter cetera, que apostolatus officio, cui quamquam immeriti disponente domino presidemus, imminent agenda, velut potissime humeris nostris incumbit, ut contra scismaticorum et hereticorum venena pestifera, quibus catholice fidei puritatem conantur inficere, per nos et alios, prout locorum et temporum qualitas exigit, partes apostolice solicitudinis apponamus. Nuper siquidem rumor infestus ad nostrum non sine gravi mentis turbatione perduxit auditum, quod nonnulli iniquitatis filii se christianos solo nomine profitentes, fidei tamen christiane prorsus adversi, in Regnis Rassie, Albanie et Servie inconsutilem tunicam domini nostri dividere et lacerare conantes, ac perniciosa scismata suscitantes, novas inducunt sectas, variosque seminare moliuntur errores, ex quibus, ut aliquos recitemus, falso et pertinaciter asserunt, spiritum sanctum non a filio, sed a solo patre procedere. Nos attendentes, quod sicut sacrosancta Romana, catholica et apostolica ecclesia, mater fidelium omnium et magistra, tenet et docet, ac orthodoxorum patrum atque doctorum latinorum pariter et grecorum habet incommutabilis et vera sentencia, sacrique palatii consilii declarat auctoritas, idem spiritus sanctus eternaliter a patre et filio tamquam ex uno principio unica inspiratione procedit. Item mendaciter asserunt contra ea, que prefata Romana tenet et docet ecclesia, corpus Christi non in azimo, sed in fermentato pane confici debere, et quod in azimo confectum est, esse denegant corpus Christi, illudque in sue dampnationis cumulum blasphemiis inclamare, deturpare manibus, et quod sceleracius et, conculcare pedibus non verentur. Dicunt etiam formam baptismatis et confirmationis iuxta ritum, quem prefata servat ecclesia, falsam esse, ac forma huiusmodi baptizatos et confirmatos baptismati et confirmacioni sic susceptis dampnabiliter renunciare, et rebaptizari et reconfirmari compellunt. Propterea dampnabili detestatione dicuntur asserere eandem ecclesiam, cui universi christiane fidei professores subesse noscuntur, cuiusque tenentur instituta servare, in plerisque aliis, que presentibus exprimere non curamus, a vere fidei tramite deviare. Intelleximus eciam, quod nonnulli . . . Archiepiscopi et . . . Episcopi Regnorum eorundem sacros ordines indecenter et contra sacrorum canonum instituta conferunt, et super matrimoniis contrahendis in gradibus prohibitis dispensare contra instituta prefata propria temeritate presumunt, quodque Religiosi quam plures mendicantium ordinum commissum sibi fore ab apostolica sede in eisdem legationis officium minus veraciter asserunt, eoque pretextu nonnulla illicita temere attemptare presumunt in suarum et aliarum animarum periculum et scandalum plurimorum. Cupientes igitur huiusmodi eiusdem orthodoxe fidei et animarum periculis, prout ex debito premissi tenemur officii, oportunis et efficacibus studiis obviare, et de vestre circumspectionis industria gerentes in hiis et aliis fiduciam in domino specialem, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ad loca dictorum Regnorum, de quibus vobis magis videbitur expedire, vos personaliter conferentes, et contra errantes, presumptores et attemptatores huiusmodi pro ecclesia sancta dei vos defensionis murum viriliter opponentes, premissa scismata dissipare, sectas dissolvere, errores evellere, excessus corrigere, deformata reformare, et errantes ipsos ad veram ipsius catholice fidei unitatem, et ecclesie prefate ritus et mores reducere, quantum vobis inspirabit altissimus, auctoritate nostra fideliter studeatis, invocato ad hec, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque preeminencie, status, ordinis vel conditionis existant, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, com-

pescendo. Quecunque vos in premissis duxeritis facienda, et que utilia alias circa hoc videantur agenda, nobis fideliter et sollerter intimare curetis, ut super ipsis providere salubriter, auctore domino, valeamus. Datum Avinione vi. Kal. Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. lib. 3. fol. 4.

XXVI.

Quibusdam clericis canonicatus et praebendae conferuntur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Ladizlai de Podwia canonico ecclesie sancti Petri de Posega Quinqueecclesiensis diocesis, salutem etc. Providetur de dignitate et prebenda huius ecclesie. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iv. Idus Maii. Anno Secundo.

In e. m. Venerabili fratri episcopo Boznensi et dilecto filio Abbati Monasterii de Honestavalle Quinqueecclesiensis diocesis, ut eundem Nicolaum in huiusmodi beneficii possessionem inducant.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Ehrenreich de Znayma canonico Posoniensi Strigoniensis diocesis, salutem etc. Confert eidem canonicatum huius ecclesie. Datum Avinione xi Kal. Aprilis. Anno Secundo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Michaelis de Zowach canonico Strigoniensi, salutem etc. Providetur de canonicatu huius ecclesie. Datum Avinione ii. Idus Octobris. Anno II.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Thome Symonis de Spinis canonico Waradiensi, salutem etc. Providetur de canonicatu huius ecclesie, et indulgetur, ut archidiaconatum de Crazna in ecclesia Transilvanensi retinere possit. Datum Avinione viii. Kal. Ianuarii. Anno Secundo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Petro Petri canonico Quinqueecclesiensi, salutem etc. Nunciatur canonicus huius ecclesie. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iv Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. lib. I. fol. 115, 209, 252 et 279; lib. III. fol. 168.

XXVII.

Archiepo Colocensi, ut de alicuius militaris gentis auxilio ecclesiae Romanae subvenire procuret.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Dudum in assumptionis nostre primordiis ad fastigium apostolice dignitatis, cum inter curas varias et negociorum multiplicium onera, quibus debiles humeros nostros subiecit officium servitutis imposite, ad hereditatem apostolorum Principis, cuius nos divina dignacio constituit successorem, Terras videlicet Romane immediate subiectas ecclesie, cui auctore Domino presidemus, anxie cogitationis intuitum flecteremus, occurrit nobis hereditas ipsa sevis invadencium et occupancium manibus multifarie lacerata, occurrit et fidelium ac devotorum ipsius ecclesie flebilis et miseranda condicio, que calamitates, angustias erumpnasque suas sub iugo tirannice potestatis diutius oppressa deplorans, provisionis nostre remedium instantius deposcebat. Ad eripiendum igitur hereditatem huiusmodi de ipsis eorumdem invadencium et occupancium manibus, ac fideles et devotos eosdem de servitute huiusmodi liberandum, pia nos vehementer incitavit affeccio, piaque compassio, que de die in diem incrementa recipiens et vehementius nos perurgens, moras temporis excludebat. Sed dum apostolice Camere facultates et vires, quas agendorum inevitabilium multitudo exhauserat et minuerat admodum, ac attenuationem reddituum eius, quam superinduxerant invasio et occupacio huiusmodi, a malicia temporum metiremur, reprimebamus in nobis affectionem huiusmodi, ne onere sumptuum, quos requirebat aggressio et prosecutio tanti negocii, fatigati ab incepti resilire, quod absit, continuacione operis cogeremur. Cumque nobiscum hec alternis et crebris cogitationibus tractaremus, et nunc ad unam, nunc vero ad alteram partes nos consideracio varia inclinaret, tandem necessitate victi et misericordia superati, sperantes de auxilio gracie Dei, qui in se sperancium fortitudo est, ac de ipsius apostolorum Principis, cuius curam gerebamus et gerimus, favoris opitulatione confisi, opus huiusmodi, sicut pietate plenum et favore dignum, sic etiam expensis gravibus onustum agressi, ad votivam perfectionem illius dilectum filium nostrum Egidium tituli S. Clementis presbiterum Cardinalem, apostolice sedis legatum, cum magno gentis armigere numero duximus destinandum: qui velut minister solers, circonspectus et providus, commissi ei ministerii partes exequens diligenter, in eo processibus suis per intercessionem et merita eiusdem Principis apostolorum, dextera Domini assistente propicia, sicut studiose ac solicite, sic etiam

utiliter laboravit, plures Civitates, Castra, Opida, Villas et Terras a detentoribus eorum potenter eripiens, et reddens afflictis eorum populis libertatem. Sed quamvis ad hec sufficienter nobis, Deo largiente, suppetierant huc usque huiusmodi prefate Camere facultates, et ob hoc ab omni tuo et aliorum Prelatorum ac personarum ecclesiasticarum implorando suffragio duxerimus abstinendum, quia tamen ad consummandum inchoatum, prestante Deo, feliciter opus huiusmodi, pro eo quod multorum ex occupatoribus ipsis sic sunt indurata peccatricia corda, sicque animi obstinati, quod nec inductionibus et monitis, quibus nos idemque legatus erga eos multifarie usi sumus, ad obedienciam flecti, nec preceptis salutaribus revocari ab invio potuerunt, grandis nobis utique via restat, grandique militaris precipue gentis auxilio, a cuius fulcimento dependet exitus eiusdem negotii, necessario indigemus, et eadem Camera exinanita hiis, que superfuerant, opibus ad supportationem tante molis potenter, ut assolet, non assurgit, nos tam necessarie prosecutioni deesse huiusmodi operis nequeuntes: cum etsi ecclesiarum omnium indempnitati consulere debeamus, ad ipsius tamen ecclesie Romane libertatum et iurium tuitionem et recuperationem eo propensiorem curam studiosius adhibere tenemur, quo ecclesie alie pastorum, quibus commisse sunt, in oportunitatibus earum muniuntur auxiliis, hec preter Romanum Pontificem pastorem et defensorem alium non agnoscit, ac dignum et congruum, quinimo debitum arbitrantes, quod ecclesia ipsa ab ecclesiis et personis ecclesiasticis, quibus universaliter omnibus eam divina disposicio pretulit, recipiat in tante necessitatis articulo relevamen: ac sperantes in te obedienciam in hac parte promptam et affectum compassionis debite invenire, fraternitatem tuam confidenter et attente requirimus ac affectuose precamur, tibi nichilominus per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatenus attendens ad eam, de qua scissus es, petram, et huiusmodi necessitatum nostrarum onera in stateram fraterne considerationis appendens, nobis in eis de alicuius militaris gentis auxilio pro divine maiestatis ac ipsius apostolorum principis nostraque reverencia subvenire procures, ea que Venerabilis frater noster Boniohannes Episcopus Firmanus apostolice sedis nuncius, lator presentium, quem ad te signanter propterea destinamus, tibi super hoc pro parte nostra retulerit, credens indubie, illaque ad effectum votive ac celeris prosecutionis adducens; ita quod, prestante Deo, et tuo quoque presidio suffragante, conceptui spei nostre utique uberi succedat partus uberior, tuque mercedis eterne premia et apostolice plenitudinem gratie uberius consequi merearis. Datum Avinione VI. Idus Decembris. Anno Tercio.

In e. m. . . . Archiepiscopo Strigoniensi et . . . Transilvano, . . . Waradiensi, . . . Chanadiensi, . . . Zagrabiensi, . . . Quinqueecclesiensi, . . . Nitriensi, . . . Waciensi, . . . Bosnensi, . . . Sirimiensi Episcopis, et . . . Abbati Monasterii Waradiensis, et . . . Preposito ecclesie Albensis.

Item in eodem modo, mutatis mutandis, Dilectis filiis Capitulo ecclesie Iauriensis, Capitulo Vespriniensi, Capitulo Quinqueecclesiensi, Capitulo Agriensi, Capitulo Waciensi, Capitulo Nitriensi, Capitulo Waradiensi, Capitulo Cenadiensi, Capitulo Zagrabiensi, Capitulo Colocensi, Capitulo Transilvano, Preposito et Capitulo Chasmensi, Capitulo Strigoniensi, Capitulo Bosnensi et Capitulo Sirmiensi.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 229.

XXVIII.

Ludovico Regi Hungariae, ut ecclesiae Romanae auxilium impendat, Bonioanni epo Firmano fidem adhibeat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dudum in assumptionis nostre primordiis ad fastigium apostolice dignitatis, cum inter curas varias et negociorum multiplicium onera, quibus debiles humeros nostros subiecit officium servitutis imposite, ad hereditatem apostolorum Principis, cuius nos divina dignacio constituit successorem, terras videlicet Romane immediate subiectas ecclesie, cui auctore Domino presidemus, anxie cogitationis intuitum flecteremus, occurrit nobis hereditas ipsa, sevis invadentium et occupantium manibus multifarie lacerata, occurrit fidelium ac devotorum ipsius ecclesie flebilis et miseranda condicio, que calamitates, angustias erumpnasque suas sub iugo tirannice potestatis diutius oppressa deplorans, provisionis nostre remedium instantius deposcebat. Ad eripiendum igitur hereditatem huiusmodi de ipsis eorundem invadentium et occupantium manibus, ac fideles et devotos eosdem de servitute huiusmodi liberandum, pia nos vehementer incitavit affectio, piaque compassio, que de die in diem incrementa recipiens et vehementius nos perurgens, moras temporis excludebat. Sed dum apostolice camere facultates et vires, quas agendorum inevitabilium multitudo exhauserat et minuerat admodum, ac attenua-

cionem reddituum eius, quam superinduxerant invasio et occupacio huiusmodi, a malicia temporum metiremur, reprimebamus in nobis affeccionem huiusmodi, ne onere sumptuum, quos requirebat aggressio et prosecutio tanti negocii, fatigati ab incepti resilire, quod absit, continuacione operis cogeremur. Cumque nobiscum hec alternis et crebris cogitationibus tractaremus, et nunc ad unam, nunc vero ad alteram partes nos consideracio varia inclinaret, tandem sperantes de auxilio gratie Dei, qui in se sperancium fortitudo est, ac de ipsius apostolorum Principis, cuius causam gerebamus et gerimus, favoris opitulatione confisi, opus huiusmodi sicut pietate plenum et favore dignum, sic etiam expensis gravibus onustum aggressi, ad votivam perfectionem illius dilectum filium nostrum Egidium tituli S. Clementis presbiterum cardinalem, apostolice sedis legatum, cum magno gentis armigere numero, sicut ad tuam credimus pervenisse noticiam, duximus destinandum: qui velut minister solers, circonspectus et providus commissi ei ministerii partes exequens diligenter, in eo processibus suis per intercessionem et merita eiusdem Principis apostolorum, dextera Domini assistente propicia, sicut studiose ac solicite, sic etiam utiliter laboravit, plures Civitates, Castra, Opida, Villas et terras a detentoribus eorum potenter eripiens et reddens afflictis eorum populis libertatem. Veruntamen quorumdam ex occupantibus ipsis, videlicet Francisci de Ordelaffis Forliviensis ac Iohannis et Guillermi de Manfredis Faventinorum militum, sentencialiter de heresi dampnatorum sic absorbuit iniquitas intellectum, sic pravitas iudicium rationis obtusit, sic peccatricia corda obstinacio induravit, sicque insania consilia infatuavit eorum, quod licet nos more patris per legatum eundem et apostolicas litteras salutaribus monitis ipsos de tenebris eterne dampnationis eruere, et ad lucem salutis reducere conaremur, ipsi tamen sicut aspides, que vocem incantancium sapienter obaudiunt, sic opturaverunt proh dolor aures suas, quod monentem et monita contempnentes ac respuentes medium et medelam maluerunt et malunt perire cum reprobis, quam per penitentiam renovati adscribi numero salvandorum, ac Franciscus Forliviensis Cesenatensem et Foropopuliensem ac Iohannes et Guillermus prefati Faventini civitates et alia loca vel castra ipsius ecclesie detinuerunt, et dampnabiliter detinent occupata. In quo utique dampna, contumelias et opprobria ipsius vehementer deflemus ecclesie, sed cruciatus fidelium et devotorum ipsorum, quos sub hominibus de humanitate preter carnem nihil habentibus premi durius et angariari gravius indesinenter audimus, amplius et amplius deploramus, et veremur, ne fideles eosdem hereticorum ipsorum sicut furor immanis temporaliter cruciat, sic etiam, quod avertat Dominus, labes inficiat heretice pravitatis: propter quod assumpte prosecutioni huiusmodi favorabilius intendimus adicere operam, ut hereticis ipsis, Deo propicio, manu ipsius ecclesie omnino contritis, reddatur pax et quies eisdem fidelibus, nec in eos infeccionis quippiam labis huiusmodi derivetur. In cuius tam salutaris et Deo accepti negocii directione felici potentiam tuam nobis invenire credentes, serenitatem tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, tibique in remissionem tuorum peccaminum suadentes, quatinus hec infra catholici tui pectoris claustra revolvens, ad tollenda opprobria eiusdem ecclesie ac iniurias propulsandas illius, zelum Regie devotionis accendas, porrigas auxilii dexteram, presidia favoris extendas, et qui pro tui reverencia creatoris et dilatacione fidei christiane in remotis paganos persequeris infideles, hos pullos vipereos, immo ipsis pestilentiores periculosioresque viperis in utero crassari eiusdem ecclesie non permittas. Ignis enim, qui facile vitatur positus longius, periculosius sustinetur in sinu. Super quo, ut nostras et ipsius ecclesie necessitates plenius sencias, sicque accuracius et caucius oportuna promoveas et impedias nocitura, Venerabilem fratrem nostrum Boniohannem episcopum Firmanum apostolice sedis nuncium, latorem presencium, ad magnitudinem tuam presencialiter destinamus, precibus nostris huiusmodi adiungentes, ut ea, que idem episcopus tibi super hiis pro parte nostra retulerit, credas indubie, illaque pro Dei et ipsius apostolorum Principis reverencia ac nostre intercessionis obtentu ad effectum favorabilis et sperate consumacionis adducas. Datum Avinione VI. Id. Decembris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 232.

XXIX.

Tribus clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Nicolai custodi ecclesie Agriensis, salutem etc. Confert ei custodiam huius ecclesie, vacantem per obitum Iohannis Betench. Datum Avinione VII. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Emerico Alexandri lectori ecclesie Agriensis, salutem etc. Confert ei lectoriam huius ecclesie, quam Iohannes Nicolai ad archidiaconatum de Kukulew in ecclesia Transilvanensi promotus, obtinebat. Datum ut supra.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Pouth archidiacono de Tarcha in ecclesia Agriensi, salutem etc. Providetur de archidiaconatu huius ecclesie, quam Emericus de Buda obtinebat. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. III. fol. 190. et 191.

XXX.

Regi Hungariae respondet circa ea, quae ab ep̃o Firmano petierat, et negotia ecclesiae Romanae in Italia commendat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Notam nobis iam hactenus experimento laudabilium operum, fili carissime, sinceritatem devotionis et fidei, quam erga Romanam ecclesiam matrem tuam, per vestigia progenitorum tuorum memorabilia gradiens, constanter habes et constantius habere proponis. Venerabilis frater noster Boniohannes Episcopus Firmanus grata nobis specificatione recensuit, et sic precordiis nostris ingessit eandem, ut nos tuis claris exposcentibus meritis ad beneplacita Regia dudum promptos constituit merito promptiores. Et ideo ut privilegia, de quibus fecisti eidem Episcopo mentionem, et de quibus ipse nos etiam informavit, haberi valeant a Prelatis, quos eidem Episcopo nominasti, quosque ipse nobis etiam nominavit, per nos vel aliquem per nos ad id specialiter deputandum, intendimus, quantum cum Deo poterimus, dare operam efficacem, ut iusticia tua, cui favere proponimus, occultata dudum cunctis innotescat, et nota etiam observetur: iocundum etenim nobis est tam cari filii tamque christiani Principis honestis votis apostolicis adesse favoribus, que cupimus etiam gratiis prevenire. Ceterum, quia sicut per eundem Episcopum pietati tue duximus intimandum, ad eripiendum de iugo tirampnice servitutis fideles et devotos eiusdem ecclesie partium Italie, quorum sudores et lacrimas lamberunt et lambunt dampnationis filii rebelles ecclesie memorate, Venerabilem fratrem nostrum Egidium Episcopum Sabinensem apostolice sedis legatum ad partes illas duximus destinandum, et ad consumandum inchoata negotia apostolice Camere attenuate vires sufficienter, ut expedit, non respondent, serenitatem tuam, que ex innate sibi zelo devotionis ad Deum piis libenter favet opibus, affectuose precamur et quesumus, quatinus eidem legato pro favorabili expeditione huiusmodi negotiorum aliquod armigere gentis subsidium mittere, et per Prelatos ecclesiasticos Regni tui destinari divine propitiationis intuitu, tue consideratione salutis et nostre intercessionis obtentu favorabiliter et benigne procures, iuxta requisitionem per dilectum filium Amatum de Lacaucina Scolasticum ecclesie Cracoviensis, apostolice sedis nuntium, cui super hoc latius scribimus, a te ac illis nostro nomine faciendam, cui super hoc velis indubie dare fidem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Kal. Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 118.

XXXI.

Ep̃o Firmano, ut privilegia praelatorum Croatiae, Sclavoniae et Dalmatiae transcripta ad Sedem Apostolicam mittat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Boniohanni Episcopo Firmano, salutem etc. Ex certis causis rationabilibus, que nostrum ad hoc animum induxerunt, cupientes de immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, largitionibus, donationibus, et aliis privilegiis et gratiis quibuscumque Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus ac aliis ecclesiarum et monasteriorum ac locorum ecclesiasticorum Prelatis et clericis, ecclesiasticisque personis secularibus et regularibus, necnon ecclesiis et monasteriis ac locis ecclesiasticis Provintiarum Dalmatie et Croatie, ac presertim Sclavonie, quibuscumque Regibus et Principibus, ac potestatibus secularibus aliis dudum concessis et factis, certitudinaliter informari, fraternitati tue, quam ad partes illas pro quibusdam negotiis aliis presentialiter destinamus, per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus a Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus, Prelatis, clericis et personis eisdem immunitatum, libertatum, exemptionum, largitionum, donationum, privilegiorum ac gratiarum huiusmodi litteras et scripturas alias exigens, et requirens eorum copias seu transumpta publica manu scripta fideliter, et Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Abbatum, Prelatorum, clericorum et personarum huiusmodi sigillis pendentibus et subscriptionibus communita

nobis deferre seu destinare procures, contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Non. Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 120.

XXXII.

Ludovico regi Hungariae super concordia reformanda inter ipsum et Ludovicum et Robertum de Duracio.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Licet, fili carissime, fraudes et dolos Sathane multos esse pene Christicole omnes norint, pauci tamen sunt, qui adversus astutias eius tueri se valeant, et qui fallaciis suis sepe non capiantur incauti. Molles siquidem et debiles illaqueat facile, ac robustos fortesque viros aggrediens acrius, tot illos bellis impetit, tot temptat insidiis, tot exercet artibus, tot studiis defatigat, ut fragilitas humana laxata insultanti sibi plerumque succumbat et cedat. Hic, Princeps inclite, David Regem et eximium prophetarum mirabiliter electum ac dilectum a Domino adulterio polluit, homicidio maculavit. Hic sapientem Salomonem sic impie circumvenit, ut alienigenis misceretur feminis, et ante abominationis ydola genua incurvaverit. Hic quamplurimos, quorum est memoria celebris, et quorum exempla brevitatis gratia subticemus, mercit in lubricum et precipitavit in culpam. Hic certe, sicut non ambigimus, imo sicut indubie certe scimus, te ac eos, quibus coniunctus es sanguine, dampnande scissure dispendio ad invicem separavit, et fecit, ut qui ex eadem radice prodeuntes amare vos mutuo debebatis, diffideretis invicem, et in discordia vestra tot christianorum milia consumeret gladius, tot olim abundantes necessitas cogeret mendicare. Que tibi licet sub compendio, quia, sicut letanter audivimus, velut princeps catholicus Deum times, confidenter describimus, et ad pacem cum dilectis filiis nobilibus viris Ludovico et Roberto de Duracio fratribus, tanta tibi consanguinitate coniunctis, eo tuam adimus securius pietatem, quo in tua et eorum discordia insidias inimici hominis recognoscis, quo res de facili ad naturam suam revertitur, et quo rixa amantium amoris reintegracio esse solet. Et ideo serenitatem tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino, illam attentius deprecantes ac obsecrantes per viscera misericordie Dei nostri, quatinus ea, que Venerabilis frater noster Boniohannes Episcopus Firmanus tibi super hoc pro parte nostra retulerit, credas indubie, illaque ad effectum placide ac votive prosecutionis admittas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Nonas Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 117.

XXXIII.

Eidem, ut Bonioannem epum Firmanum ad pacem inter ipsum et ducem Venetiarum reformandam missum benigne recipiat.

Innocentius episcpus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Nuper, fili carissime, te nobis per tuos nuntium et litteras intimante, quod tu Regnum Rassie ad effugandas inde scismatum tenebras et surculos succidendos errorum, ac inserendos in eo palmites fidei christiane in virtute Regia invadere proponebas, et supplicante nobis, ut tibi ad tam pii tamque Deo accepti executionem operis apostolici auxilii dexteram porrigentes, verbum crucis cum consuetis remissionibus et indulgentiis proponi in Regno tuo et certis aliis partibus mandaremus, magnificavit anima nostra Dominum, et noster in Deo salutari nostro spiritus exultavit, tanteque nos huiusmodi propositum tuum leticie ac exultationis imbre perfudit, quantam vix exprimere lingua posset. Sperabamus etenim in eodem Regno Rassie latentem sub modio lucernam ipsius fidei Christiane per ministerium tuum super candelabrum eminentius reponendam, lucere clarius et fulgere limpidius hiis, qui longe sunt et qui prope. Sperabamus, quod dextera tua infidelium cervices indomitas et tumentia colla humiliaret in Domino et elata scismaticorum contereret cornua, subactisque fidelibus, quos in dicto Regno Rassie furor tirannice potestatis angariat, beneficium redderet libertatis. Sed ecce extrema gaudii meror occupat, dulcedo in amaritudinem versa est, et leticie iubilum doloris conversum est in clangorem: fertur enim, quod pacis emulus eiusdem fidei inimicus Dei negotia satagens impedire, inter te et dilectum filium Nobilem virum . . . Ducem Venetiarum discordie semina spargere nititur, et te usque adeo pro-

vocavit, ut robur potencie tue, quod adversus ipsius fidei emulos exercere decreveras, contra renatos fonte baptismatis experiri convertereque proponas. Nos autem pericula et mala innumera, que Dei populo ex huiusmodi nociva discordia provenirent, anxie cogitantes, et cupientes eis per oportuna remedia obviare, Venerabilem fratrem nostrum Boniohannem Episcopum Firmanum latorem presentium, honoris tui Regnique tui sincerum et fervidum zelatorem, ad te prefatumque Ducem providimus destinandum. Ideoque serenitatem tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino, illam attente rogantes, ac per viscera misericordie Dei attentius obsecrantes, quatinus eumdem Episcopum pro reverencia Dei, tue considerationе salutis, publice utilitatis intuitu et nostre intercessionis obtentu benigne recipias, et verba pacis ab eo placide audias, illaque ad effectum sperate ac votive satisfaccionis adducas; ita quod, prestante Deo, sublatis ipsius discordie impedimentis quibuslibet, tibi et populo tuo arrideat pacis opulenta tranquillitas, qua reddaris liberior ad Dei servitia, quibus te devoveras, exequenda. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Non. Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 118.

XXXIV.

Reginis Hungariae, matri et uxori regis, ut apud eundem praemissis dent operam.

Innocentius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elisabeth Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Molesta nobis habet multorum insinuatio facta nobis, quod inter Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem, natum tuum, ex parte una, et dilectum filium Nobilem virum . . . Ducem Venetiarum ex altera discordie antique priora dispendia pacis emulus instaurare conatur. De quo eo dolemus potius et tristamur immensius, quo discordia ipsa, si, quod avertat Dominus, progressum haberet, maiora prestaret impedimenta Dei negotiis, quibus eumdem Regem vacaturum speramus et credimus, ac ampliora populo christiano pericula parturiret. Ad succidendam itaque discordiam ipsam, imo eam ipsis ortus sui primordiis prefocandam, paternis studiis sollicite intendentes, consulta nuper deliberatione providimus Venerabilem fratrem nostrum Boniohannem Episcopum Firmanum, exhibitorem presentium, ad dictos Regem et Ducem sub spe divini auxilii destinandum. Quamobrem serenitatem tuam attente requirimus et hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, ac per viscera misericordie Dei attentius obsecrantes, quatinus divine propitiationis intuitu et tue consideratione salutis, ac nostre intercessionis obtentu Episcopo memorato cooperans favorabiliter in hac parte, apud eumdem Regem, quod nostris precibus benigne annuat, des operam efficacem; ita quod, prestante Deo et cooperante te, huiusmodi vitetur omnino discordie recidivum, et pacis amabilis amena tranquillitas perpetuis duratura temporibus reformetur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Non. Iulii. Anno Quarto.

In e. m. Carissime in Christo filie . . . Regine Ungarie Illustri.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 119.

XXXV.

Archiepo Strigoniensi, ut praedictum episcopum informet et adiuvet opportune.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Venerabilis fratris nostri Boniohannis Episcopi Firmani grata nobis relatione percepimus, quod tu ei, quem ad partes ipsas pro certis negotiis miseramus, in huiusmodi negotiorum promotione votiva favorabiliter astitisti. Super quo tibi grates debitas referentes, fraternitatem tuam attente rogamus, quatinus eundem Episcopum, quem ad partes easdem pro quibusdam negotiis presentialiter destinamus, pro nostra et apostolice sedis reverencia consiliis informes et dirigas, et auxiliis ac favoribus adiuves oportunis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Non. Iulii. Anno Quarto.

Item in e. m. Episcopis Zagabriensi, Quinqueecclesiensi et Cenadiensi.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 120.

XXXVI.

Patriarchis Aquileiensi et Gradensi et archiepo Salisburgensi, ut fautores haereticorum et schismaticorum in sententias contra tales promulgatas incurrisse denuntient.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Aquilegensi et . . . Gradensi Patriarchis

ac Archiepiscopo Salzeburgensi, salutem etc. Cum Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris tactus dolore cordis intrinsecus super iniuriis et opprobriis, que per scismaticos et hereticos Rassie Regni ac eidem Regno partium vicinarum christiane fidei, quinimo Christo Domino, qui eiusdem fidei caput et actor est, inferuntur, ad expugnandum hereticos et scismaticos ipsos, et delendam de ipsis Regno et partibus hereticam pravitatem animum regium potenter erexerit, et propositum regia virtute firmarit: Nos huiusmodi prefati Regis laudabile in hac parte propositum cupientes, deo propicio, fructu operum adimpleri, et attendentes, quod sicut habet multorum assercio, nonnulli solo nomine christiani eisdem hereticis prestant auxilium, consilium et favorem, mandamus, quatinus vos et quilibet vestrum per vos vel alium seu alios in omnibus locis, de quibus videritis expedire, inhibeatis expresse omnibus et singulis, qui christiana professione censentur, quod nullus eorum per se vel alium seu alios directe vel indirecte ipsis hereticis et scismaticis, recipiendo ab eis stipendia, vel ministrando arma seu quevis alia subsidia, sive alias quomodolibet per terram vel aquam prestent auxilium, consilium, adiutorium vel favorem: eos omnes, qui sue salutis et honoris prodigi contra iura et inhibitionem huiusmodi venire temptaverint, generaliter, alios vero, de quibus non legitime constiterit, specialiter et nominatim expressos declaretis incidisse in penas et sententias in tales per civiles et canonicas sanctiones inflictas, et nichilominus in eos auctoritate nostra excommunicationis sententiam proferatis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Augusti. Anno Quarto

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 152.

XXXVII.

Duci Venetiarum, ut foedus ac ligam, quam cum Rascensibus et aliis haereticis et schismaticis habet, revocet.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili Viro Iohanni Gradonico Duci Veneciarum, salutem etc. Ad audienciam nostram pervenit, quod tu et Dilecti filii Commune Veneciarum cum dei et fidei catholice inimicis et hostibus, Rege aliisque Rassensibus scismaticis et hereticis manifestis, confederationem iniistis et ligam, illamque iuramentorum interpositionibus roborastis. Quod licet attenta sinceritate devotionis et fidei, quam tu et dicti Commune semper ad deum, qui eiusdem fidei actor et caput est, habuistis, credere facile non possimus: tamen tuis et dictorum Communis super hoc fame ac saluti consulere paterna solicitudine cupientes, et attendentes, quod huiusmodi liga inter Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem, qui Rassenses eosdem ad extirpandum de partibus illis pravitatem hereticam, favente domino, expugnare proponit, et te invicem dissidentes, ad quorum pacem procurandam enitimur, seminarium maioris dissidii esse posset, nobilitatem tuam attente requirimus et hortamur, illam attente rogantes, tibique suadentes paternis consiliis et tue salutis intuitu expressius iniungentes, quatenus ab omni consilio, auxilio, favore ac adiutorio hereticis et scismaticis ipsis occasione huiusmodi confederationis seu lige, aut alterius cuiuslibet pactionis, quocunque titulo seu nomine censeatur, prestando prorsus abstineas, et subditos tuos omnino compescas: Nos enim ligam, confederationem et quascunque pactiones alias inter te seu predecessores tuos Duces Veneciarum et dictos Commune initas, factas et habitas cassamus et irritamus, et nullius esse decernimus roboris vel momenti, penas et iuramenta huiusmodi relaxantes. Ceterum huiusmodi precibus nostris adicimus, ut ea, que Venerabilis frater noster Petrus Episcopus Pactensis apostolice sedis nuntius, lator presentium, tibi super hoc pro parte nostra retulerit, credas indubie, illaque ad effectum votive consumationis adducas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 153.

XXXVIII.

Eidem duci super pace inter ipsum et regem Hungariae reconcilianda.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili Viro Iohanni Gradonico Duci Veneciarum, salutem etc. Sicut per litteras nostras et Venerabilem fratrem nostrum Boniohannem Episcopum Firmanum, apostolice sedis nuncium, significavimus tibi super discordia, quam inter Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem et te pacis emulus suscitavit, molesta nobis est admodum, et eo tediosior redditur, quo dei negotiis presertim partium orientis amplius est nociva. Ad succidendum itaque illam vias et modos sollicite perquirentes, a quibusdam nunciis dicti Regis apud

sedem apostolicam constitutis nuper audivimus, quod idem Rex paratus est in manibus nostris ponere libere omnem, que inter eum et te vertitur, questionem, et omnem, quem super terras tuas tenet, exercitum removere. Quapropter Nobilitatem tuam attente requirimus et hortamur, illam attentius deprecantes, ac tibi tue salutis intuitu expressius iniungentes, quatenus ipsius Regis in hac parte considerans voluntatem, viam pacis et concordie non refugias, sed acceptes. Nosti enim, quod guerrarum prosecutio preter sumptuum onera tristes, ut plurimum, exitus parere consuevit, cum nunc illum ferrum perimat, nunc gladius hunc absumat, et nunc subducat alius illum casus. Super quo, quia sicut discretio tua novit, in talibus est periculosa dilatio, intentionem tuam nobis cum celeritate rescribas, crediturus hiis, que Venerabilis frater noster Petrus Episcopus Pactensis apostolice sedis nuncius, lator presentium, tibi pro parte nostra retulerit in premissis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII. Idus Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 153.

XXXIX.

Ludovico regi Hungariae de praedicando verbo Crucis in suo regno, exhortando, ut infideles et schismaticos expellat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Quanta te, fili carissime, gratie sue ubertate prevenerit distributor ille gratiarum munificus Dei filius Ihesus Christus, qui dat omnibus sine improperio affluenter, quamque precordia tua sue benedictionis imbre copiose perfuderit, luculenter patuit hactenus, et nunc manifestius innotescit. Ipse namque tibi adhuc iuveniles annos agenti spiritum provectioris infudit etatis. Ipse adhuc tenello corpori tuo robustiorem spiritum inspiravit. Ipse tuum circa beneplacita sua direxit animum, firmavit cor, roboravit et mentem, ita ut non mollia quelibet aut levia, quibus ut plurimum implicari solet iuventus, illecebris multis obnoxia complexus extiteris, sed velut annis maturior aborrens delicias, et ocia fugens, ardua quereres, appeteres strenua, interciperes magna, et virtuosa diligentius sectareris, nec satis fuit tibi fame tue clare nascentis auspitia intra Regni tui sinus latissimos contineri, imo ut nomen tuum longe lateque claresceret, peregrinas perlustrare provintias, et adire nationes extraneas voluisti. In quibus licet more principum studueris ipsius fame compendiis providere, principalis tamen ad hoc tua pia dirigebatur intentio, ut conditoris redemptorisque tui beneplacitis etatis et operum tuorum primitias devotus offerres. Probasti hoc certe Litwanos et Ruthenos infideles frequenter expugnans, hoc Regni Rassie scismaticos et hereticos persequens demonstrasti. Quibus laudabilibus principiis tuis laudabile cupiens Deo propitio adicere medium, illaque desiderans, ipso prestante, felici exitu terminari, per Venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Pactensem, et Dilectum filium Stephanum Electum Zagabriensem nuntium tuum, et litteras Regias nobis exhibitas per eundem nuntium, quas et cum benigne placideque recepimus, nobis noviter intimasti, quod tu moleste ferens iniurias, contumelias et opprobria, que ipsi Redemptori tuo per eosdem scismaticos et hereticos dicti Regni Rassie, ac terrarum, que Orosii se Regem Rassie nominantis subsunt tirampnidi, et que vicinantur eisdem, iugiter inferuntur, illaque ultrice dextera tua cupiens vindicare, ac desiderans, ut scismaticorum et hereticorum ipsorum ellisa perfidia, et confutatis ac eradicatis erroribus eorumdem, christiana fides ubique clariore luce resplendeat, et nomen Domini Dei tui puris et devotis catholicorum vocibus collaudetur, eosdem scismaticos et hereticos sub spe divini auxilii et favoris expugnare, constanti proposito decrevisti, humiliter supplicans, ut ad tam pii tamque favorabilis executionem operis tibi spiritualis favoris presidio assistentes, adversus illos crucem, in cuius signo per virtutem eius, qui pependit in illa, ipsius fidei hostes delere confidis, cum consuetis indulgentiis et remissionibus predicari mandaremus, teque huiusmodi negotii christiani populi proficiscentis ad promotionem illius capitaneum generalem constituere dignaremur. Hiis itaque, Princeps inclite, per que catholicorum Principum, ex quibus ducis originem, prioris etatis gesta magnifica in memoriam redeunt, et eis adicitur multe glorie titulus, letanter auditis, et letantius intellectis, magnificavit anima nostra Dominum, et noster in Deo salutari nostro spiritus exultavit, apud eum devotas preces et humiles effundentes, ut te in hoc fervore zeli, in hoc ardore spiritus, in hac sinceritate fidei per tempora longiora conservans, gressus tuos dirigat, actiones informet, processibus faveat, viribus vires adiciat, tibi de solio sancto suo mittat benignus auxilium, et de sede maiestatis eius oportunis te indesinenter favoribus prosequatur, quatinus in brachio potencie tue, ac virtutis virga infidelibus quibusque conversis, et scismaticis et hereticis pravitatis et errorum suorum abiurantibus te-

nebras, sacrosancta mater ecclesia toto terrarum orbe in Christi fundatoris rectorisque sui glutino adunata, una sit fides mentium et pietas actionum. Votis igitur et petitionibus tuis in hiis de fratrum nostrorum consilio gratanter annuimus, et huiusmodi verbum crucis in eodem regno tuo, et nonnullis partibus aliis in conficiendis super hoc litteris, exprimendis sub certis modis, formis et conditionibus, concessimus proponendum. Eya ergo, pugil Christi, athleta Domini, miles fidei christiane, accingere gladio, tolle arcum et faretram, sume arma in virtute illius, qui manus docet ad prelium et digitos informat ad bellum, in virtute inquam eius, in conspectu cuius non est differentia in multis deliberare vel paucis, et qui belli victoriam fortitudinemque largitur, fidem ipsam impugnantes expugna, aufer opprobria ipsi tuo exprobrantium redemptori. Et quamquam teneamus indubie, quod tu, qui in remotis infideles et scismaticos persecutus es hactenus, et proponis persequi, ut prefertur, eos in ipso Regni tui gremio pati non debeas, quoniam reprehensibile tibi esset sustinere in propriis partibus, quod in aliis execraris: ut tamen fervens in hoc propositum tuum nostris exhortationibus fortius accendamus, serenitatem tuam monemus, requirimus, et hortamur in Domino, illam attente precantes, tibique tui honoris et salutis intuitu paternis et sanis consiliis suadentes, quatenus prudenter attendens, quod ignis, cuius longe positi facile vitatur incendium, periculosus in proximo est, et serpentis morsus et venena propinqui timenda sunt amplius, quam remoti: ante omnia pelle de Bosnensi et aliis dicti Regni tui partibus hereticam pravitatem; morbus enim infectionis est heresis, et velut serpens latenter inserpens, facile inficit simplices maxime, nisi prudentum studio et peritia confutetur. Ceterum, quia Dei negotia licet diversa sint, ad unum et eumdem finem et exitum, mercedis videlicet eterne premium diriguntur, nos accendentes ad huiusmodi negotia Dei ferventissimum zelum tuum, et reputantes divine dispensationis munere procuratum, ut in Italiam in manu forti hoc descenderes tempore, quo in ea dampnationis filii Franciscus de Ordelaffis Forliviensis et Iohannes ac Guillermus de Manfredis Faventini Cives velut heretici sententialiter condempnati, ac nonnulli alii adversus Romanam ecclesiam matrem tuam, abiecto timore Domini et deposito nomine filiali, rebellionis calcaneum erexerunt, tibi preter onus, quod aggredi, ut prefertur, intendis, ad laudis et mercedis tue cumulum onus aliud, generalis videlicet Capitaneatus officium adversus Franciscum, Iohannem et Guillermum eosdem et alios rebelles ipsius ecclesie, qui sunt in omnibus terris ipsius ecclesie in Italia constitutis, de dictorum fratrum consilio sub quibusdam modis et formis fiducialiter duximus imponendum. Ad hoc propter honorem et salutem tuam huiusmodi ac ipsius utilitatem ecclesie illa etiam consideratio nos induxit, ut omni de terris eiusdem ecclesie abiecta tirampnide ac rebellione repulsa, in promotione assumpti operis maiora Christi fidelium sentias, iuvante Domino, auxilia et favores. Et quoniam ratione oneris Capitaneatus ipsius per nos tibi adversus Franciscum, Iohannem et Guillermum ac rebelles eosdem, ut prefertur, impositi magna sumptuum onera habebis de necessitate subire, nos tibi, ut illa commodius perferas, cupientes de alicuius subventionis auxilio providere, decimam ecclesiasticorum reddituum dicti Regni tui usque ad Triennium tibi duximus liberaliter concedendam. Quesumus itaque ac huiusmodi precibus nostris instanter adicimus, ut huiusmodi Capitaneatus officium adversus Franciscum, Iohannem et Guillermum ac alios rebelles eosdem acceptes placide et favorabiliter prosequaris, et rebelles ipsos, cum et de quibus per nos seu Venerabilem fratrem nostrum Egidium Episcopum Sabinensem, apostolice sedis legatum, fueris requisitus, potenter expugnes. Confidimus enim in potentia Domini, et de beati Petri apostolorum Principis, cuius causam agimus, meritis et intercessione speramus, quod cito rebellium ipsorum contumacia sub virtutis tue malleo conteretur, et elidetur omnino, et quod eis ad gratiam et sinum ipsius ecclesie revocatis, idem Princeps apostolici ordinis tui erit comes itineris, ac pro illius directione felici et salute tua efficax apud Dominum et assiduus intercessor. Super quibus prefati Episcopus et Electus tibi pro parte nostra loquentur plenius, quibus adhibere poteris plenam fidem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Id. Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 150.

XL.

Eidem circa pacem inter ipsum et ducem Venetiarum [illegible].

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Discordia, quam inter te et dilectum filium Nobilem virum . . . . Ducem Venetiarum pacis emulus, peccatis exigentibus, suscitavit, eo nobis est nec indigne molestior, quo Dei negotiis, ad quo-

rum promotionem sicut princeps catholicus ferventer aspiras, contraria potius redditur et nociva. Et ideo illam viis et modis omnibus succidere cupientes, dilecto filio Stephano Electo Zagrabiensi nuncio tuo apud Sedem Apostolicam constituto locuti fuimus super illa, ipseque nobis placide plurimum grateque respondit, quod tu, sicut pacis amicus et confisus de iusticia cause tue, paratus eras omnem discordie causam, quam cum Duce habes eodem, in manibus nostris libere ponere, et insuper gentes bellicas, quas adversus eum congregasti, effectualiter removere. Super quo serenitatem tuam meritis gratiarum actionibus prosequentes, et ex oblatione uberi uberiorem consequi indubie sperantes effectum, memorato Duci per alias nostras litteras scribimus super hoc, sicut vidimus negotio convenire. Quapropter serenitatem eamdem instanter et affectuose precamur, fidutialiter expetentes, quatinus liberalem et gratam oblationem huiusmodi, sicut de tua filiatione plene confidimus, velis effectu grato et placido liberaliter adimplere. Speramus enim, quod omnipotens Dominus, pacis actor, periculis, que ex discordia ipsa imminent populo christiano, interventu pacis amabilis finem imponet optatum. Super quo, ut affectionis nostre plenitudinem percipias clarius, Venerabili fratri nostro Petro Episcopo Pactensi et eidem Electo imposuimus aliqua tuo culmini pro parte nostra per eos oretenus exponenda. Et ideo precibus nostris adicimus, ut relatibus Episcopi et Electi predictorum in premissis adhibeas plenam fidem. **Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Id. Augusti. Anno Quarto.**

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 152.

XLI.

Excitat, ut Franciscum de Ordelaffis et Guilhelmum atque Iohannem de Manfredis expugnandos curet.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Hungarie Illustri, salutem etc. Inter contumelias et opprobria, que a Dei et Romane ecclesie matris tue persecutoribus et hostibus ipsis Deo et ecclesie inferuntur, illa nos pungunt acerbius, que a dampnationis filiis Francisco de Ordelaffis Foroliviensi et Guillelmo ac Iohanne de Manfredis Faventinis Civibus velut hereticis condampnatis passi sumus, et patimur incessanter. Ipsi enim nec emolliri monitis, nec exhortationibus flecti, nec preceptis salutaribus ab eorum retrahi excessibus, aut revocari erroribus potuerunt. Et ideo cum generalis Capitaneatus officium contra hereticos et ipsius ecclesie rebelles in terris eius partium Italie constitutos, tibi sicut athlete Domini et pugili eiusdem ecclesie duxerimus fiducialiter committendum, Nos predictos abominationis et ire filios tibi specialiter denotantes, serenitatem tuam cum omni efficacia et attentione rogamus, quatinus Franciscum, Iohannem et Guillelmum predictos, cum deliberatione et secundum consilium Venerabilis fratris nostri Egidii Episcopi Sabinensis apostolice sedis legati, quem ad hoc deputandum duximus, in virtute Domini potenter et strenue impugnare ac expugnare procures. Confidimus enim in auxilio divine potentie, ac in beati Petri Apostolorum Principis intercessionis opitulatione speramus, quod ipsi Dei hostes velut pulvis ante faciem venti ante te dispergentur, et ut platearum lutum confusibiliter delebuntur: nec revocamus in dubium, quin conculcatio eorumdem sit Dei negociis, ad quorum promotionem ferventer aspiras, felix et grande principium allatura. **Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Id. Augusti. Anno Quarto.**

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 152.

XLII.

Episcopus Vincentinus ad recuperanda bona et iura, quibus est iamdiu spoliatus, commendatur.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Venerabilis frater noster Egidius Episcopus Vincentinus conquestus frequenter est nobis, quod ipse bonis et iuribus ad ecclesiam suam Vicentinam spectantibus, exceptis paucis admodum, spoliatus est a iamdiu, et sperans per auxilium potentie tue ad illa restitui, nostras ad te preces, de quibus maxime confidit, suppliciter postulavit. Pietatem itaque tuam, que spoliatis benigne compatitur, et opem libenter ferre auxilii consuevit, attente precamur, quatinus dictos Episcopum et ecclesiam in suorum huiusmodi recuperatione bonorum et iurium pro reverentia Dei et nostre intercessionis obtentu suscipias favorabiliter commendatos; ita quod ipsi presidio dextere tue spoliationis antique sublata dispendia nove restitutionis beneficio recognoscant. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis **XV. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.**

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 161.

XLIII.

Eidem, ut haereticos et schismaticos a regno suo expellat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Sicut per alias nostras litteras magnitudini tue scripsisse recolimus, honori tuo convenit et saluti, ut tu, qui hereticos in remotioribus partibus expugnare proponis, eos in Regni tui permanere gremio non permittas: nam sicut gloria Regni Regem respicit, sic ignominiam eius honori detrahit Regie dignitatis. Et ideo serenitatem tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibique in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus de Bosnensi et aliis predicti Regni tui partibus pellas hereticam pravitatem: tunc enim partium illarum efficax et acceptus deo purgator esse probaberis, cum in tuis sordem aliquam non reliques, cum necesse sit, ut esse munda manus studeat, que sordes lavare satagit alienas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xv. Kal. Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 162.

XLIV.

Universis Christi fidelibus, ut Deum pro rege et statu regni Hungariae rogent.

Innocentius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Quamquam pro universis Christi fidelibus catholica oret ecclesia, hii tamen potioribus iuvandi sunt orationum suffragiis, per quorum auxilia maiora sperantur Christiane fidei commoda perventura. Cum itaque Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris tactus dolore cordis intrinsecus, super iniuriis et opprobriis, que ab infidelibus et scismaticis Rassie ac Regni partium Regno vicinarum eidem fidei memorate, imo Christo Domino, qui eiusdem institutor et caput est fidei, multipliciter inferuntur, ad tollerandum illa vivifice crucis insignitus signaculo viriliter se accingat, nos ipsum in tam pio ac laudabili opere, et ut vite longioris consequatur spatia, et numerose prolis felicitate letetur, orationum opitulatione iuvari apud Dominum, a quo victoria omnis est, quique largitor vite ac indultor benignus est sobolis, cupientes, universitatem vestram monemus, requirimus et hortamur in Domino, vobis in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus pro victoria et vite longitudine Regis ipsius, ac ut eum susceptione prolis amplifice fecundet omnipotens, apud eum devotis orationibus insistatis. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vobis vere penitentibus et confessis, qui pro premissis orationes effundetis ad Dominum, quotiens effunderitis illas, quadraginta dies de iniunctis vobis penitentiis relaxamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xv. Kal. Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 163.

XLV.

Regi Hungariae, ut Ioanni Cantelini damna, quae in Castro Argentii capto dudum per gentes suas habuit, faciat emendari.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dilectus filius Nobilis Vir Iohannes Cantelini dominus Castri Argentii Sancteagathensis diocesis nobis exposuit, quod dudum Castro ipso per gentes tuas et sub umbra nominis tui capto, idem Iohannes gravia nimis extitit dampna passus, et quod licet tu super hoc compassus fueris, et compatiaris eidem, nondum tamen inde aliquam est consecutus emendam. Cui nos quoque pio compatientes affectu, serenitatem tuam attente precamur, quatenus prefatum Iohannem sic velis nostre intercessionis obtentu suscipere commendatum, quod dampnorum huiusmodi satisfactionem aliquam consequatur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xv. Kal. Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 180.

XLVI.

Eidem, ut Pactensem et Sisopolitanum ep̃os ad partes Romaniae pro negotiis fidei catholicae missos commendatos habeat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum Venerabiles fratres nostros Petrum Pactensem et Guillelmum Sisopolitanum episcopos apostolice sedis nuncios, latores presentium, ad partes Romanie pro quibusdam fidei christiane nego-

eiis presentialiter destinemus, serenitatem tuam attente rogamus, quatenus ipsos circa prosecutionem itineris eorum suscipias pro reverentia dei, et nostre intercessionis obtentu efficaciter commendatos. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XII. Kal. Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 162.

XLVII.

Eidem super retentis suis litteris, quarum vigore electus Zagrabiensis procurator quaedam dicti regis nomine iuravit.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dilectus filius Stephanus Electus Zagrabiensis, procurator et nuntius tuus, ad petendum nomine tuo verbum crucis predicari contra hereticos et infideles Regni Rassie in favorem tui, qui hereticos et infideles ipsos in virtute domini expugnare proponis, ac delendam de Regno ipso hereticam pravitatem, et ad iurandum aliqua, que huiusmodi predicationis negocium requirebat, per litteras Regias constitutus, postquam ea, ad que iuranda constitutus fuerat, iuravit, sicut habuerat in mandatis, easdem litteras referendas tibi, restitui sibi cum instantia postulavit: Nos autem quia de more Curie Romane huiusmodi et alie similes scripture consueverunt in archivio ipsius Curie conservari, litteras ipsas duximus retinendas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Kal. Septembris. Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 165.

XLVIII.

Eidem episcopus Vincentinus ad recuperanda bona et iura, quibus iamdiu est spoliatus, commendatur.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Venerabilis frater noster Egidius Epus Vicentinus sub spe, quod a gravaminibus multis, quibus ecclesia sua importabiliter premitur, per auxilium tue potentie levetur, ad te ducit se presentialiter conferendum. Quem nos favore apostolico prosequentes, et pro meritis suis admodum habentes acceptum, et tam ex aliis, quam ex debito, quo universaliter omnibus tenemur ecclesiis, cupientes eumdem Episcopum in suis huiusmodi necessitatibus adiuvari, serenitatem tuam attente rogamus, quatenus prefatum Episcopum sic pro reverentia dei et nostre intercessionis obtentu recipias commendatum, sicque in recuperandis et reintegrandis ipsius ecclesie iuribus assistas eidem, quod ipse speratum in te reperiat auxilium, et nos tibi proinde ad gratiarum merita propensius teneamur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Non. Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. fol. 161.

XLIX.

Nicolao patriarchae Aquileiensi idem episcopus Vincentinus commendatur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Patriarche Aquilegensi, salutem etc. Venerabilis frater noster Egidius Episcopus Vicentinus sperans in te, ac per te quoque in Carissimo filio nostro Ludovico Rege Ungarie Illustri oportunum in necessitatibus suis invenire favorem, ad te ipsumque Regem ducit se presentialiter conferendum. Quem nos favore apostolico prosequentes et cupientes in suis necessitatibus huiusmodi favorabiliter adiuvari, fraternitatem tuam attente rogamus, quatenus eumdem Episcopum pro nostra et apostolice sedis reverentia, et ex debito, quo sibi ut tuo suffraganeo obligaris, efficaciter commendatum recipias, sibique et per te faveas, et ipsius Regis favorem et auxilium studiose procures. Licet omnibus maxime prelatis ecclesiasticis in eorum oportunitatibus ex debito pastoralis officii assistere astringaris, eis tamen magis adesse teneris, qui iure aliquo tibi subsunt. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Nonis Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 162.

L.

Ludovico regi Hungariae et pluribus aliis circa pacem inter marchionem Moraviae et ducem Austriae reconciliandam.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cupientes periculis gravibus, que comminatur discordia, quam inter dilectos filios Nobiles viros Iohannem de Boemia Marchionem Moravie, ac Albertum Ducem Austrie pacis emulus, peccatis exigentibus, suscitavit, per oportuna remedia obviare, Venerabilem fratrem nostrum Paulum Episcopum Gur-

censem apostolice sedis nuntium, latorem presentium, ad dictos Marchionem et Ducem ac partes illas providimus destinandum. Et ideo serenitatem tuam attente rogamus, quatenus ea, que prefatus Episcopus tibi super hoc pro parte nostra retulerit, credas indubie, sibique circa directionem prosperam et felicem commissi ei negocii pro divine reverentia maiestatis, nostre intercessionis obtentu, tue considerationo salutis et publice utilitatis intuitu assistas consiliis et auxiliis oportunis. Datum Avinione Idibus Ianuarii. Anno Quinto.

In e. m. Elizabet Regine Ungarie Illustri, et Archiepiscopis Strigoniensi, Colocensi, Salzeburgensi, Pragensi et Episcopo Olomucensi.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 2.

LI.

Eidem regi, ut ad debellandum Franciscum de Ordelaffis de haeresi condemnatum praesidia impendat opportuna.

Innocentius episcopus etc Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Nosti, fili carissime, et ipsa te presentia corporalis instruxit, quod manifestus et publicus Dei hostis, Franciscus de Ordelatlis, civis Forliviensis, sicut febre multa freneticus, amonitionum et preceptorum salutarium unguenta suavia, quibus ad curationem eius multifarie multisque modis usi fuimus, sic omnino respuit, sicque medentem fuit etiam aspernatus, plaga sua putrefacta et scatente vermibus, necessarium fuit eam ferro precidere, ac adversus eum velut hereticum iusto iudicio sententialiter condempnatum, ut spirituali simul et temporali virga percussus redderetur omnino impotens ad nocendum, crucem cum consuetis indulgentiis mandavimus predicari, te sicut specialem filium ecclesie Dei et athletam Domini strenuum contra illum specialiter, et contra alios rebelles eiusdem ecclesie Capitaneum generaliter deputantes. Cum autem, humiliatis et domitis sub potenti manu eiusdem ecclesie rebellibus aliis, cercior sit nobis fiducia de ipso Francisco sub tui auxilii virtute precipue conculcando, et ob hoc temporaliter eciam mandaverimus procedi fortius solito contra eum, serenitatem tuam confidentia paterna requirimus et cum omni affectione rogamus, quatenus ad hunc surculum venenosum eradicandum penitus de terra viventium, Regie potentie sperata presidia nobis et eidem ecclesie benignus impendas, crediturus Venerabili fratri nostro Paulo Episcopo Gurcensi apostolice sedis nuntio, latori presentium, ea, que tibi super hoc pro parte nostra duxerit exponenda. Datum Avinione Idibus Ianuarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 3.

LII.

Dominico ep̃o Transilvano, ut ad suam diocesim proficiscatur eamque commendatam habeat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Dominico Episcopo Transilvanensi, salutem etc. Pridem Transilvanensis ecclesia solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per venerabilem fratrem nostrum Petrum Ostiensem et Velletrensem Episcopum tibi fecerimus apud sedem apostolicam munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te confirmans, ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benevolentie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione IX. Kal. Maii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. com. fol. 358.

LIII.

Regi Hungariae, ut gentem armigeram, quam in subsidium Ecclesiae miserat, faciat per aliquod tempus longius immorari.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Magnas omnipotenti Deo gratias agimus, quod ipse cor tuum sic ad beneplacita sua direxit et dirigit, sicque te honoris sponse sue Romane ecclesie constituit zelatorem, ut iocundum tibi sit

eiusdem ecclesie negocia, que ipsius sponsi eius sunt, regiis favoribus prosequi, et ut optatum perducantur ad exitum, potentie tue presidium adhibere. Super quo devotionem regiam meritis laudibus efferentes, creatorem tuum suppliciter exoramus, ut ipse per intercessionem beati Petri apostolorum Principis te felicium successuum ubertate letificet, et numerose prolis fecunditate solium tue serenitatis illustret. Ceterum, quia per auxilium armigere gentis, quam in subsidium nostrum et ipsius ecclesie filiali devoctione misisti, firmiter speramus, ut credimus, rebellium nostrorum et ipsius ecclesie cornua elata confringi, et negocia finem celerius, Deo propicio, prosperum habitura: cum magnum rebellibus ipsis solum nomen tuum terrorem ingerat, et ipsius potentie tue timor ad obedienciam exhibendam nobis et eidem ecclesie contumacium colla inclinet et flectat, serenitatem tuam attente precamur, quatenus eiusdem gentis subsidium ad tempus aliquod longius favorabiliter continues, ut humiliata interim superbia tirampnorum reddatur pax et tranquillitas devotis et subditis ecclesie antefate. Datum Avinione Kal. Maii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 57.

LIV.

Archiepo Strigoniensi, ut circa praemissa apud eundem Regem instet.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepo Strigoniensi, salutem etc. Agimus fraternitati tue uberes gratias, cuius ministerio actum esse credimus, quod Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris in servicium nostrum et Romane ecclesie copiosum gentis armigere numerum destinavit. Et quoniam ad conterenda cornua elata rebellium tempore indigemus, fraternitatem eandem attente precamur, quatenus apud eundem Regem des operam efficacem, quod gentem ipsam diuturniori aliquantum tempore huiusmodi nostris et ecclesie prefate minorari serviciis paciatur, ut domata interim contumacia tirampnorum reddatur pax et tranquillitas fidelibus et devotis ecclesie memorate. Datum Avinione Kal. Maii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 58.

LV.

Aegidio epo Sabinensi legato, ut praedictas litteras regi et archiepo praesentet, et in illis partibus adhuc immoretur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Egidio Episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato, salutem etc. Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri de subsidio gentis armigere, quod in favorem ecclesie Romane transmisit, gratias agimus per alias litteras nostras, quarum copiam tibi presentibus interclusam destinamus. Scribimus etiam Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Strigoniensi super huiusmodi materia, sicut vidimus convenire. Tu igitur tam Regi quam Archiepiscopo antefatis litteras ipsas poteris destinare, aut si quod non credimus, et quod nobis admodum displiceret, in tui regressus itinere esses forsitan constitutus, mittas litteras ipsas dilecto filio Androino Abbati monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis, apostolice sedis legato, per eum dictis Regi et Archiepiscopo destinandas. Ceterum heri die v. mensis huius tuas et Abbatis predicti, ac dilecti filii Guillermi de Benevento Archidiaconi de Ardenna in ecclesia Leodiensi, clerici Camere nostre, recepimus litteras, inter cetera continentes, quod tu certa die proximo preteriti mensis Aprilis in Civitate Faventina habere proposueras parlamentum, et quod huiusmodi parlamento, quod per triduum durare debebat, ibidem celebrato, disponebas statim iter arripere revertendi ad nos, ita quod per totum presentem mensem esse hic intendebas. Quibus quidem litteris lectis et consideratis tenoribus earumdem, de huiusmodi sic in premeditato nobis discessu tuo fuimus admodum admirati, maxime quia tibi ex causis urgentibus scripseramus, non tamen concessam tibi de regrediendo licentiam revocantes, quod ad tempus in ipsis partibus adhuc modicum remaneres, donec nequicie caput, illum scilicet hereticum Franciscum de Ordelaffis in virtute Domini contrivisses, in contricione cuius, que proxima erat et est, commissis tibi negociis feliciter consumatis, regressus tuus honorabilior et gratior Deo et hominibus redderetur. Et ideo licet huiusmodi velimus licentiam in suo robore permanere, quia tamen multi de partibus ipsis zelantes honorem ipsius ecclesie, ac discessus moreque tue pericula et fructus cautius attentiusque pensantes, omnino instant pro tua in eisdem partibus remansione ad tempus modicum, ac nobis et aliquibus ex fratribus nostris hic apud Pontemsorgie, quo gratia recreationis secessimus, nobiscum manentibus, cum quibus super hoc deliberationem habuimus, non solum utile, quin immo necessarium

esse videtur, ut tu saltem usque ad festum assumptionis beate Marie futurum proxime pro conclusione felici negociorum ipsorum, quam interim per intercessionem et merita beati Petri Apostolorum Principis, cuius causam agis, consequi de gratia divina speramus, debeas remanere: volumus et instantissime petimus, ut premissis in debitam considerationem adductis, et attento etiam, quod idem Abbas nullas adhuc potestatis et auctoritatis attribute sibi litteras habens, ludibrio et derisione non sine nostro et ecclesie prefate dedecore, ac patenti et manifesto periculo subversionis tuorum operum haberetur, cum nedum ipsarum parcium astucia et calliditate plene ac seductione tiramnica quotidie stimulate, quinimo quelibet simpliciores gentes mandata mittendum exigant et missorum velint scire ac intelligere potestatem, molestum non habeas usque ad diem festum in dictis partibus remanere, ut interim eodem exterminato heretico, et radicibus avulsis illius, fidelibus et devotis nostris et ipsius ecclesie reddatur per ministerium sudoresque tuos pax et tranquillitas, nobis consolacio sperata proveniat, et honoris tui cumulus augeatur. Licet enim tibi quietem post labores et solicitudines appetenti, insipidum credamus existere, te labores et curas denuo subiturum: quia tamen, sicut nosti, hii qui in stadio currunt, eo currere nituntur instantius, quo minus restat de cursus distantia, et qui in agone contendunt, quo de victoria magis sperant, ad bravium plus aspirant, speramus et credimus te nostris eo promptius beneplacitis pariturum, quo de ipsius heretici exterminio magis speras, et quo sicut vir prudens et virtute plenus particulari affectioni tue utilitatem publicam, quam in hac parte prosequimur, sicut non ambigimus, anteponis, quove negociorum ipsorum finis, quo asperior, eo gloriosior tibi erit. Denique volumus et peticioni nostre fortius inherentes, litteras nostras preventrices aliarum litterarum potestatis ipsius Abbatis, quas festinancia fieri fecimus, nondum aliis inchoatis, una cum presentibus destinamus, quas ipsi Abbati facies, cum tibi videbitur, assignari. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis II. Non. Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 57.

LVI.

Ludovico regi Hungariae, ut [illegible].

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Nosti, fili carissime, quot impietates et immanitates exercuerunt in Italie partibus gentes ille, quas in societatem unam congregavit iniquitas, quibus preesse fertur vir ille pestilens, qui dicitur Comes Laudo, et que nondum saciate rapinis et spoliis, nec effusionem humani sanguinis aborrentes, sed velut furore ebrie nunc istam, nunc illam provintias indesinenter affligunt. Cum autem gentes ipse ad terras Romane ecclesie, matris tue, quarum populum flagellis olim durioribus ceciderunt, ut quod remansit bruco, locusta comsumat, descensure iterum asserantur, nos in ipsius afflictionibus populi vehementer afflicti, ad te, qui filiali zelo succensus eidem ecclesie in necessitatibus suis potenter et patenter assistere gratum habes, paterna fiducia recurrentes, serenitatem tuam rogamus et obsecramus attentius, quatenus sic pro reverencia Dei, tue consideratione salutis, et nostre intercessionis obtentu ipsarum gentium noxiam voluntatem et conatus pravos elidere, ac allidere potentie tue virtute procures, quod idem populus auxilio gratie tue devorantium liberetur a faucibus, et negociis ipsius ecclesie, que te favente votive consumationi sunt proxima, non contingat impedimentum aliquod imminere. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Kal. Iunii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 79.

LVII.

Eidem, ut epo Gurcensi de certis negotiis eidem commissis fidem adhibeat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Pridem apud excellenciam tuam institisse recolimus, ut gentem illam, quam ad nostra et ecclesie Romane servicia in Italiam destinasti, pattereris in huiusmodi serviciis ad tempus longius immorari. Super quo, licet credamus te nostris in hoc precibus annuisse, ad abundantem tamen cautelam Venerabili fratri nostro Paulo Episcopo Gurcensi apostolice sedis nuncio imponendum duximus, ut te pro parte nostra super hoc alloquatur. Et ideo serenitatem tuam attente precamur, quatenus eis, que idem Episcopus tibi super hoc pro parte nostra retulerit, adhibeas plenam fidem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocosis III. Idus Iunii. Anno Quinto. Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 102.

LVIII.

Eidem circa restitutionem cuiusdam castri Febusino de la Turre faciendam.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Licet dilectus filius Nobilis vir Comes Goricie, cui pro liberatione dilecti filii nobilis viri Febusini de la Turre domicelli Mediolanensis, quem tunc temporis tenebat in vinculis, ac pro restitutione Castri et bonorum aliorum ad dictum Febusinum spectantium, que dictus Comes occupabat, et occupat, sicut fertur, ipsi Febusino facienda per nostras litteras scripseramus, dictum Febusinum restituerit libertati, Castrum tamen et bona huiusmodi sibi restituere non curavit. Habentes igitur ad Febusinum predictum propter fidei et devotionis affectum, quem ex progenitoribus suis trahens ad Romanam gerit ecclesiam, benigne caritatis affectum, serenitatem tuam attente precamur, quatinus apud eundem Comitem pro restitutione castri et bonorum predictorum ipsi Febusino facienda pro reverencia dei, pietatis intuitu, consideracione salutis tue ac nostre intercessionis obtentu des operam efficacem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Kal. Iulii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 126.

LIX.

Omnes bonorum alienationes per quondam Ladislaum archiepm Colocensem factae revocantur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Tunc debitum iniuncte nobis a domino apostolice servitutis diligenter exequimur, cum lesis ecclesiis, ne collabantur aut ledantur enormiter, oportunis et promptis remediis subvenimus. Nuper siquidem ad audientiam nostram fidedigna relatione pervenit, quod bone memorie Ladislaus Colocensis Archiepiscopus nonnullas alienationes pluribus et diversis tam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, quam laicalibus personis de bonis et iuribus ad ecclesiam et mensam archiepiscopalem Colocensem spectantibus per suas patentes litteras suo sigillatas sigillo, iuramentis interpositis, fecit contra canonica instituta. Quia igitur nostra interest lesis ecclesiis subvenire, et prompte indempnitati ecclesie et mense predictarum de apostolici favoris presidio providere volentes, omnes et singulas alienationes quorumcumque bonorum et iurium ad ecclesiam et mensam predictas spectantium factas, ut prefertur, per Ladislaum predictum contra predicta instituta, non obstantibus litteris et munimentis predictis, auctoritate apostolica revocamus, ipsasque irritas prorsus decernimus et nullius existere firmitatis. Nulli igitur etc. nostre revocationis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione vii. Idus Augusti. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. com. fol. 370.

LX.

Epo Varadiensi eiusque collegis mandatur, ut praedictum decretum promulgent et exsequantur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Varadiensi, et dilectis filiis ... Abbati Monasterii de Varadinopetri, Colocensis diocesis, ac ... Decano ecclesie sancti Agricole Avinionensis, salutem etc. Tunc debitum iniuncte nobis a domino apostolice servitutis etc. usque et nullius existere firmitatis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios revocationem et decretum huiusmodi in dicta ecclesia et alibi, ubi et quociens expedire videretur, auctoritate nostra solenmiter publicantes, omnia et singula bona et iura prefata, que, vocatis qui fuerint evocandi, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, pretextu alienationum huiusmodi factarum, ut premittitur, contra huiusmodi instituta, repereritis ab aliquibus tam ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, quam laicalibus personis detineri, faciatis ... Archiepiscopo Colocensi, qui est pro tempore, vel procuratori suo eius nomine sine diminutione restitui, easque in pace dimitti, detentores eorum, ut dimittant ea libere, et super eisdem bonis dictos Archiepiscopum et ecclesiam pretextu alienationum huiusmodi quoquomodo ulterius non molestent, Contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. V. com. fol. 370.

LXI.

Ludovico regi Hungariae decima triennalis in suo regno conceditur.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Quanta te, fili carissime, gratie sue ubertate prevenerit distributor ille gratiarum munificus Dei filius Ihesus Christus, qui dat omnibus sine improperio affluenter, quamque precordia tua sue benedictionis imbre copiose profuderit, luculenter apparet. Ipse namque tibi adhuc iuveniles annos agenti animum provectioris infudit etatis, ipse adhuc tenello corpori tuo robustiorem spiritum inspiravit, ipse tuum circa beneplacita sua direxit propositum, firmavit cor, roboravit et mentem, ita ut non mollia quelibet aut levia, quibus ut plurimum implicari solet iuventus illecebris multis obnoxia, complexus extiteris, sed velut annis maturior aborrens delicias et otia fugiens, ardua quereres, appeteres strenua, interciperes magna et virtuosa diligentius sectareris. Nec satis fuit tibi fame tue clare nascentis auspitia intra Regni tui sinus latissimos contineri, imo ut nomen tuum longe lateque claresceret, peregrinas perlustrare provintias et adire nationes extraneas voluisti: in quibus licet more principum studueris, ipsius fame compendiis providere, principalis tamen ad hoc tua pia dirigebatur intentio, ut conditoris redemptorisque tui beneplacitis, etatis et operum tuorum primicias devotus offerres. Probasti hoc certe, Idolatras Tartaros ab ipsius Regni tui finibus in manu forti et excelso brachio coangustans, hoc sepe Lituanos et Ruthenos infideles impugnans et expugnans potenter et strenue ostendisti, hoc sepius Regni Rassie scismaticos et hereticos invicta magnanimitate persequens demonstrasti. Hec, princeps inclite, Regni tui primordia, hec fundamenta virtutum tuis natalibus debebantur, super quibus actionum tuarum structura consurgens, altius premineret hiis, per que catholicorum principum, ex quibus trahis originem, magnifica gesta prioris etatis in memoriam redeunt, et in speculo quodam operum tuorum intuenda posteris proponuntur, quibusque illis accrescit cumulus honoris et laudis, magno cum gaudio crebrius revolutis, spem amplam concipimus et fiduciam gerimus ampliorem, quod tu, qui virtutis amore ac eterne salutis obtentu labores spontaneos adhuc annis infirmior in remotioribus assumpsisti, perfectum iam productus in virum iniurias et opprobria, que matri tue Romane ecclesie a suis filiis olim et subditis, quos obstinata rebellio vertit in hostes et in persecutores eius perfidia commutavit, assidue inferuntur, equo animo pati non debeas; quinimo ad propulsanda illa et ipsorum colla rebellium subicienda suavi iugo eiusdem ecclesie tanto promptior devotiorque consurges, quanto iniurias et opprobria huiusmodi in vicino positus et sentis et palpas, et quanto manifesto cognoscis redemptoris tui et ecclesie predictorum sic fore connexa negotia, ut qui ostenderit alterum, pariter ostendat utrumque. Sub huiusmodi ergo ubere conceptu fiducie, ex quo uberiorem procul dubio speramus affectum, te adversus Franciscum de Ordelaffis Forliviensem et Guillermum ac Iohannem natos quodam Ricciardi de Manfredis Faventinos Cives et alios rebelles ipsius ecclesie, qui sunt in omnibus terris eius in Italia constitutis, ad laudis et mercedis tue cumulum duximus de fratrum nostrorum ipsius ecclesie Cardinalium consilio Capitaneum ordinandum. Attendentes igitur, quod tu ratione commissi tibi Capitaneatus officii sicut solicitudinibus et curis pluribus suberis, sic profecto expensarum oneribus subiacebis, et cupientes tibi de alicuius subventionis auxilio, quo huiusmodi onera commodius perferas, providere, decimam ecclesiasticorum redditaum et proventuum dicti Regni usque ad Triennium continuum, a data presentium inchoandum, exigendam ab omnibus et singulis Archiepiscopis et Episcopis, ac Prelatis aliis ceterisque personis ecclesiasticis quibuscunque secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, dicti Regni, quantacunque prefulgeant dignitate, seu cuiuscunque preminentie, conditionis aut status, ordinis vel religionis existant, quibus et eorum alicui nulla privilegia vel indulgentias eis sub quacunque verborum forma vel expressione concessa, etiam si de illis de verbo ad verbum foret in presentibus specialis et expressa mentio facienda, volumus suffragari, praeterquam ab eisdem Cardinalibus monasteria, prioratus, dignitates, personatus vel officia, canonicatus et prebendas, aut quecunque, qualiacunque et quotcunque beneficia ecclesiastica in Regno tuo predicto obtinentibus, et infra dictum Triennium obtenturis, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sortiuntur, nec non a dilectis filiis Magistro et fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos Cardinales et Magistrum et fratres a prestatione huiusmodi decime exemptos esse volumus et immunes, tibi auctoritate apostolica tenore presentium concedimus de Cardinalium consilio predictorum, volentes exactionem ac receptionem huiusmodi decime in predicto

Regno tuo dumtaxat per eosdem Archiepiscopos suosque suffraganeos predicti regni, videlicet singulos in singulis civitatibus et diocesibus eorumdem, quos ad collectionem et receptionem huiusmodi decime per alias nostras litteras deputamus, tam a se ipsis, quam ab omnibus aliis Prelatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, consistentibus in eodem Regno, preterquam a Cardinalibus, Magistro et fratribus memoratis, fieri absque iniuria et oppressione quacunque, et quod ipsi Archiepiscopi et Episcopi et eorum singuli per se et subcollectores eorum clericos dumtaxat, quos ad hoc duxerint deputandos, prefatos prelatos et personas ecclesiasticas seculares et regulares predictas, in prefato Regno consistentes, ad solutionem dicte decime de omnibus redditibus et proventibus ecclesiasticis eorumdem, secundum modum et morem ac consuetudinem in exactione et collectione huiusmodi decime hactenus observatos, per idem Triennium in terminis infrascriptis eis vel subcollectoribus prelibatis vel personis aliis similiter clericis, quas ad hoc deputaverint, faciendam, et per eos et ipsorum singulos tibi seu personis, quas ad hoc deputaveris, integraliter assignandam sub forma et moderamine infrascriptis, per censuram ecclesiasticam, et etiam sequestrationem fructuum et reddituum suorum ecclesiasticorum consistentium in Regno antedicto, si expedire viderint, postposita appellatione, compellant; ita quod ad fructus, redditus et proventus consistentes extra Regnum prefatum huiusmodi compulsionis officium non extendant, nec ad compulsionem huiusmodi faciendam in aliquo casu per se vel alium seu alios invocent, nec per dictas personas ab eis ad collectionem huiusmodi deputandas, invocari permittant auxilium brachii secularis, nisi predictorum non solventium contumacia exposcente, aliud circa hoc per sedem apostolicam fuerit ordinatum. Huiusmodi autem solucio ipsius decime fiet singulis annis dicti Triennii in terminis infrascriptis. Sulutionis siquidem medietatis eiusdem decime primi anni primum terminum fore statuimus festum Resurrectionis dominice immediate venturum: secundum vero terminum solutionis medietatis alterius eiusdem decime ipsius primi anni festum omnium sanctorum extunc proximo secuturum: in reliquis duobus sequentibus annis dicti Triennii similibus terminis observandis. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Id. Augusti. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 185.

LXII.

Praelatis Hungariae, ut eandem decimam solvant, et a subditis exigant regi assignandam.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Strigoniensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Quanta etc. ut supra usque similibus terminis observandis, verbis competenter mutatis. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus vos et singuli vestrum prefatam decimam de redditibus et proventibus vestris ecclesiasticis iuxta taxationem ipsius decime, si iuxta illam solvere consueveritis, alioquin secundum modum, formam et consuetudinem in exactione huiusmodi hactenus observatos, solvere per dictum triennium in eisdem terminis, in quolibet videlicet ipsorum terminorum medietatem ipsius decime vestrum singulos contingentem, necnon singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus, ab omnibus aliis prelatis et personis ecclesiasticis supradictis vestrarum Civitatum et diocesis, preterquam a Cardinalibus ac Magistro et fratribus memoratis, decimam de redditibus et proventibus ecclesiasticis eorumdem iuxta predictos modum et morem per idem triennium colligere, exigere ac recipere studeatis. Quod si forsan aliquis vestrum in ipsis terminis defecerit in solutione decime supradicte, taliter deficientem similes sententias, quas per vos vel subdelegatos vestros deputandos ad ipsam decimam in vestris civitatibus et diocesibus colligendam in non solventes eamdem in eisdem terminis promulgari contigerit, incurrere volumus ipso facto, a quibus post satisfactionem debitam per aliquem ex vobis vel aliis vicinis Episcopis excommunicationis sententia non ligatum, et alias gratiam et communionem apostolice sedis habentem, facta sibi fide de solutione huiusmodi, possit absolutionis, necnon super irregularitate, si quam occasione premissa huiusmodi ligatus sententiis celebrando divina, vel se ipsis immiscendo, non tamen in contemptum clavium, forsan contraxerit, penitentia sibi super hoc imposita salutari oportune dispensationis beneficium obtinere. Huiusmodi autem decimam, que per vos et deputandos predictos exacta et collecta extiterit, et illam etiam quam de vestris redditibus et proventibus persolvetis, eidem Ludovico Regi seu illi vel illis, quem vel quos ad hoc specialiter deputabit, studeatis, sicut eam receperitis, pro singulis huiusmodi terminis integraliter assignare. Preterea ne

de moneta, in qua solutio prefate decime fiet ac fieri debebit, valeat hesitari, viteturque gravamina, que propter hoc hactenus viri ecclesiastici sunt perpessi, volumus, quod decima ipsa per vos vel assumendos ad hoc a vobis levetur ad monetam currentem communiter tempore, quo ipsius solutio facienda fuerit, et etiam exigatur iuxta constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur: ad quam solutionem eiusdem monete currentis personas ecclesiasticas vestrarum civitatum et diocesium extra civitates et dioceses eorumdem faciendam volumus non teneri, nec etiam vestrum singuli teneantur monetam, quam collegerint de supradicta decima, extra suas civitates et dioceses predictis deputandis per eundem Regem deferre, seu etiam assignare. Prefata etiam decima exigatur absque aliquo alio onere illorum, a quibus exigetur, nisi forte illis deficientibus in solutione ipsius in terminis antedictis ob huiusmodi eorum deffectum expensas fieri oporteret, ad quarum solutionem eos teneri volumus et astringi, quodque circa hoc iuxta constitutionem eiusdem Viennensis concilii calices, libros et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignoris vel distractionis cuiuspiam vos seu quivis alii per vos ad exactionem et collectionem huiusmodi decime, ut premittitur, assumendi capere, seu recipere, distrahere aut occupare nullatenus presumatis, non obstante, si vobis aut vestrum aliquibus et predictis personis ecclesiasticis, ac aliis quibuscunque communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad solutionem alicuius decime minime teneamini, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto eius tenore de verbo ad verbum, ac propriis ordinum et locorum seu personarum vestrarum nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, et litteris apostolicis quibuscunque dignitatibus seu ordinibus eorumdem, et specialiter Cisterciensi, Cluniacensi, Premonstratensi, Cartusiensi, Grandimontensi, vel eorum universitatibus aut personis singularibus generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel conceptione verborum a memorata sede concessis, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mentio sit habenda. Volumus autem, quod infra dictum triennium idem rex eiusdem decime concessione contentus a predictis ecclesiis et personis ecclesiasticis aliud subsidium per se vel alium seu alios non exigat vel imponat eisdem. Ceterum quia presentes littere nequirent forsan propter viarum discrimina vel alia impedimenta legitima vestrum singulis commode presentari, volumus, quod per te, frater Archiepiscope, dictarum litterarum transumptum publica manu scriptum, tuoque communitum sigillo omnibus predictis Suffraganeis transmittatur, cui adhiberi per vos volumus velut originalibus litteris plenam fidem. **Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Id. Augusti. Anno Quinto.**

In eodem modo Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Colocensi eiusque Suffraganeis.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 187.

LXIII.

Regi Hungariae, quod gentem armigeram ad [illegible] Ecclesie [illegible], grates [illegible].

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Grata nobis admodum nuper fide digna relacio patefecit, quod tu tamquam benedictionis filius progenitorum tuorum laudabiliter sequens inmutanda vestigia, qui Romanam ecclesiam, prout exacti temporis docet antiquitas, multipliciter honorarunt, non modicam gentem armigeram ad defensionem terrarum ipsius ecclesie destinasti, super quo tue Celsitudini eo uberiores graciarum acciones alias retulimus, iamque referimus usquequaque, quo id ex maiori mittentis devocione procedit, ipsiusque defensionis negocium, per quod iura conservantur ecclesie et subditorum tranquillitas procuratur, acceptius redditur votis nostris recuperacioque terrarum ecclesie illustratur. Digne igitur Regie sinceritatis affectum laudis preconio commendamus, cum nobis et eidem ecclesie reddaris et attencione placidus et voluntate conformis, et ut operis exhibicio manifestat, in hoc tua versatur intencio, ut a noxiis eadem ecclesia, Deo propicio, preservetur, et exaltacionis suscipiat incrementa. Ceterum dilectum filium Raimundum de Sancto Michaele, servientem armorum, familiarem nostrum, quem pro certis nostris et eiusdem ecclesie negociis ad Regnum tuum et alia certa loca transmittimus, velit Regia serenitas benigne respicere, ac in commissis eidem favorem benivolum impertiri, nosque et ecclesiam memoratam requirere in suis salutaribus impendendis. Datum Avinione die XV. Kal. Ianuarii. **Pontificatus nostri Anno Quinto.**

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 246.

LXIV.

Universis Christi fidelibus ecclesiam Vesprimiensem visitantibus et manus porrigentibus adiutrices conceduntur indulgentiae.

Innocentius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabiliter claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut etiam Wesprimiensis, que in honore et sub vocabulo sancti Michaelis Archangeli fundata fore dinoscitur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in quatuor principalibus beate Marie Virginis et in dicti sancti Michaelis, ac in sancti Georgii, cuius caput in eadem etiam esse dicitur, festivitatibus ipsam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et fabrice eiusdem ecclesie manus porrexerint adiutrices, unum annum et xl. dies de iniunctis eis penitentiis, singulis videlicet festivitatum ipsarum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et manus fabrice ipsius porrexerint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Presentibus post decennium minime valituris. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis viii. Idus Augusti. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 760.

LXV.

Thomae ep̄o olim Cenadiensi in archiep̄m Colocensem electo mittitur pallium.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo olim Cenadiensi in Archiepiscopum Colocensem Electo, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, fuisset a nobis per dilectum filium Conradum Archidiaconum Nitriensem in ecclesia Strigoniensi, nuntium tuum, cum ea qua decuit instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum per Venerabiles fratres nostros Waradiensem et Sirmiensem Episcopos assignandum tibi per dilectum filium Nicolaum propositum ecclesie Hantensis Wesprimiensis diocesis duximus destinandum, ut iidem Episcopi vel eorum alter tibi illud assignent iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite solitum recipiant iuramentum: tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius Colocensis ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus humilitatem et iusticiam, dante domino, qui dat premia et munia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et dictam Colocensem ecclesiam sponsam tuam cures solicite, auctore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione xiv. Kal. Ianuarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 477.

LXVI.

Pluribus viris ecclesiasticis de canonicatibus providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Andree Fortis canonico Strigoniensi, salutem etc. Providetur de dignitate et personatu in ecclesia Strigoniensi. Datum Avinione xiii. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao preposito ecclesie Hantensis Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Providetur de prepositura ecclesie Strigoniensis. Datum Avinione vii. Kalendas Octobris. Anno Sexto.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi, salutem etc. Curet, ut Michaeli Nicolai de Tolvanar clerico Quinqueecclesiensi provideatur de canonicatu in ecclesia Iauriensi. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis viii. Idus Augusti. Anno Sexto.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio . . . . Officiali Waciensi, salutem etc. Curet, ut Iohanni de Sugra clerico Strigoniensi provideatur de canonicatu in ecclesia Strigoniensi. Datum Avinione vii. Kal. Octobris. Anno Sexto.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi, salutem etc. Curet, ut Nicolao Dragoik canonico ecclesie Chasmensis Zagrabiensis diocesis provideatur de canonicatu in eadem ecclesia Zagrabiensi. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Idus Augusti. Anno VI.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 90, 95, 173, 194 et 196.

LXVII.

Epo Agriensi, ut cum Petro comite de Borisad et Anna de Fey suae dioecesis super matrimonio iam contracto dispenset.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Agriensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Petri dicti Sudari Comitis de Borisad, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Anne, dilecti filii nobilis viri Blasii de Fey domicelli tue Agriensis diocesis nate, petitio continebat, quod ipsi olim ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, propter quod non possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium per verba de presenti insimul contraxerunt, et ex eo postmodum per carnalem copulam consummato sobolem susceperunt, et quod deinde ad eorum devenit notitiam, quod ipsi quarto consanguinitatis gradu invicem se contingunt, propter quod in dicto matrimonio licite remanere non possunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Quare pro parte ipsorum Petri et Anne fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum de eorum separatione, si fieret, posset scandalum exoriri, providere ipsis de oportune dispensationis gratia dignaremur. Nos itaque Carissime in Christo filie nostre Elisabeth Regine Ungarie Illustris dictorumque Petri et Anne ex premissis et aliis certis causis nobis expositis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Petro et Anna, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, in dicto matrimonio licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem ex dicto matrimonio susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Datum Avinione VII. Kal. Ianuarii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. com. fol. 31.

LXVIII.

Abbatissae S. Clarae de Veteri Buda indulgetur, ut fratres ord. Minor. omnibus saecularibus in eodem monasterio manentibus sacramenta ministrare valeant.

Innocentius episcopus etc. Dilectis in Christo filiabus ... Abbatisse et conventui monasterii sancte Clare in Veteribuda, ordinis dicte sancte, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Devotionis vestre sinceritas promeretur, ut petitionibus vestris in hiis presertim, que non solum vestrarum, sed etiam obsequentium vobis animarum salutem respiciunt, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos Carissime in Christo filie nostre Elizabeth Regine Ungarie Illustris, que, sicut asseritur, monasterium vestrum canonice fundavit pariter et dotavit, nobis super hoc humiliter supplicantis ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut fratres ordinis minorum, sub quorum cura vivitis, qui ad curam vestram fuerint pro tempore deputati, omnibus personis secularibus in dicto monasterio vestro ad vestra et ipsius monasterii servitia et negotia facienda, gerenda et procuranda manentibus et inantea permansuris ecclesiastica sacramenta ministrare, et ipsorum corpora, cum decesserint, in dicti monasterii cimiterio sepelire, felicis recordationis Clementis pape quinti, predecessoris nostri, et alia qualibet constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, licite valeant, iure tamen parochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, vobis et ipsis fratribus, qui ibidem deputati pro tempore fuerint, ut prefertur, auctoritate apostolica de speciali gratia tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione II. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. com. fol. 242.

LXIX.

Ioanni de Keech dicto de Agria ord. Minor. quaedam bulla a Ioanne PP. XXII. edita transcribitur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Tenorem quarundam litterarum felicis recordationis Iohannis pape vicesimi secundi, predecessoris nostri, in registro ipsius predecessoris repertum, de registro ipso transcribi, et ad dilecti filii Iohannis de Keech dicti de Agria, ordinis fratrum minorum, asserentis se pro dicto ordine huiusmodi litteris indigere, supplicationis in-

stantiam de verbo ad verbum presentibus annotari fecimus, qui talis est. Iohannes episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopis et Episcopis et dilectis filiis Electis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Vas electionis, doctor eximius et egregius predicator, cuius predicatio mundum docuit universum, presumptuosam illorum audaciam refrenare sollicitus, qui prudentie proprie innitentes in errores varios prolabuntur, non plus sapere, quam oportet, sed ad sobrietatem sapere, salubri doctrina suggessit, ut iuxta sapientis eloquium quisque sue prudentie modum ponat. Sane dudum, cum dilectum filium magistrum Iohannem de Polliaco, sacre theologie doctorem, certis ex causis de fratrum nostrorum consilio ad nostram presentiam vocassemus, fidedigna relatio ad nostrum perduxit auditum, quod ipse quibusdam articulis tangentibus penitentie sacramentum non sobrie, sed perperam sapiebat, infrascriptos articulos periculosos, continentes errores, docens publice in suis predicationibus et in scolis: primo siquidem astruens, quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata, que confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti; secundo, quod stante statuto „Omnis utriusque sexus" edito in concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, quem dicit esse parochialem curatum, imo nec deus posset hoc facere, quia, ut dicebat, implicat contradictionem; tertio, quod papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones, immo nec deus, quin confessus habenti generalem licentiam teneatur eadem iterum confiteri suo proprio sacerdoti, quem dicit esse, ut premittitur, parochialem curatum. Nos igitur scire volentes, si suggesta nobis veritatem haberent, articulorum premissorum copiam eidem magistro Iohanni fecimus assignari, et ad defensionem sui audientiam plenam sibi prebuimus tam in nostra et dictorum fratrum nostrorum presentia in concistorio, quam alias coram aliquibus ex ipsis fratribus per nos ad hoc specialiter deputatis. Verum licet prefatus magister dictos articulos et contenta in ipsis defendere niteretur: asserebat tamen se paratum credere et tenere in premissis et aliis ea, que credenda et tenenda esse sedes apostolica diffiniret. Nos igitur attendentes, quod dictorum articulorum assertio, predicatio et doctrina redundare poterant in multorum perniciem animarum, ipsos per plures magistros in Theologia examinari fecimus diligenter; nos ipsi etiam cum dictis fratribus nostris collationem solertem habuimus super ipsis: per quas quidem collationem et examinationem super hoc prehabitas comperimus, premissos articulos doctrinam non sanam, sed periculosam multum et veritati contrariam continere: quos etiam articulos omnes et singulos idem magister Iohannes, veris sibi rationibus opinioni sue dudum habite contrariis demonstratis, in consistorio revocavit, asserens se credere eos non veros, sed ipsorum contrarium verum esse, cum diceret, se nescire rationibus sibi factis in contrarium respondere. Ideoque ne per assertionem, predicationem et doctrinam huiusmodi in errorem, quod absit, anime simplicium prolabantur, omnes predictos articulos et quemlibet eorundem tanquam falsos et erroneos, et a doctrina sana devios auctoritate apostolica dampnamus et reprobamus de fratrum consilio predictorum, doctrinam ipsis contrariam veram esse et catholicam asserentes, cum illi, qui predictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata iterum confiteri, quam si alias illa confessi fuissent eorum proprio sacerdoti iuxta dictum concilium generale. Optantes autem veritatis vias notas esse fidelibus, et cunctis erroribus precludere aditum, ne subintrent, felicis recordationis Alexandri quarti et Clementis quarti Romanorum Pontificum, predecessorum nostrorum, vestigia innitendo, universis et singulis districtius inhibemus, ne quisquam dictos articulos per nos, ut premittitur, dampnatos et etiam reprobatos, vel contenta in eis vel aliquo ipsorum utpote a catholicis mentibus respuenda tenere audeat, seu defensare quomodolibet vel docere. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus universi et singuli vestrum in civitatibus et diocesibus vestris, convocato clero communiter, premissa omnia et singula per vos vel alios solemniter publicetis. Nos etiam eidem magistro regio Iohanni mandavimus, quod ipse in scolis et in sermone Parisiis predictos articulos et contenta in eis tanquam veritati contraria proprie vocis oraculo et asseveratione constanti publice debeat revocare: quod se facturum dictus Iohannes efficaciter repromisit. Datum Avinione viiii. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Quinto. Ceterum, ut earundem litterarum predictus tenor sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem habent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque, in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem ori-

ginalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. nostre constitutionis infringere etc. Datum Avinione Idibus Februarii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. com. fol. 239.

LXX.

Elisabethae reginae Hungariae super receptione litterarum et nuntiorum suorum, atque expeditione supplicationum, pro quibus supplicarat.

Innocentius episcopus etc. Carissime in Christo filie Helysabeth Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Dilectes filios Iohannem de Agria et Laurencium de Monay ordinis fratrum Minorum ad nostram ex parte tua presentiam noviter accedentes, contemplatione mittentis ac eorum insuper discretionis intuitu benigne recepimus, et illis, que nobis per eorum ministerium excellentie tue devotio humiliter supplicavit, ad anime tue salutem et interne profectionis augmentum duximus de apostolice benignitatis plenitudine liberaliter annuendum, similiterque te tamquam filiam benedictionis et gratie paternis affectibus prosequentes, in hiis, que magnificencie tue grata fuerint, eidem annuere intendimus, quantum cum Deo poterimus in futurum: sic namque famosa virtutum tuarum preconia, quibus apud nos et sedem apostolicam iam dudum multipliciter attolleris, promerentur. Eya igitur, Carissima filia, et in Domino predilecta, tue laudabilis vite mores de virtute in virtutem gradiendo prosequere, et in semitas mandatorum Domini amplioribus semper gressibus dirige per omnia vias tuas, ut sicut te Reginalis magnitudo nominis decoravit et decorat in terris, ita per continuata bonorum operum incrementa ascribi Regine celestis consortio merearis. Ceterum predictos Iohannem et Laurencium nuncios tuos, ad promovenda coram nobis commissa per te eisdem tam prudenter, quam fideliter multo studio diligentes ac diligenter intentos, ad prefatam, unde venerant, sese excellenciam cum presentibus referentes, suscipere potest tua serenitas non immerito commendatos. Datum Avinione xv. Kal. Marcii. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. secr. fol. 18.

LXXI.

Ludovico regi Hungariae, ut nuntios filiorum regis Franciae benigne recipere et favorabiliter expedire velit.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum dilecti filii nobiles viri Karolus Dux Normannie, primogenitus et Iohannes Comes Pictavensis, natus Carissimi in Christo filii nostri Iohannis Regis Francorum Illustris, dilectos filios Petrum Begonis Archidiaconum de Aura in ecclesia Convenarum et nobilem virum Stephanum de Fayno militem, latores presencium, nuncios suos pro certis negociis, sicut accepimus, per eos ministerio vive vocis tue celsitudini exponendis, ad presenciam tuam mittant: Nos attendentes, quantum inter te et illos, qui ex eodem generosi sanguinis stipite processistis, esse debeat vinculum caritatis, et quam specialis dilectionis affectus, serenitatem tuam rogamus attente, quatenus nuncios prefatos benigne suscipiens, eos super hiis, que tibi exponenda duxerint, prout honori tuo convenit et excellenciam tuam decet, velis de solita munificencie tue plenitudine admittens remittere tam celeriter, quam favorabiliter expeditos. Datum Avinione xii. Kal. Marcii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. secr. fol. 19.

LXXII.

Elisabethae reginae et Rodulpho et Frederico ducibus Austriae super negotio memorato.

Innocentius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elysabeth Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Cum ad te et Carissimum in Christo filium Ludovicum Regem Ungarie Illustrem, natum tuum, dilecti filii Nobiles viri Karolus Dux Normannie, primogenitus, et Iohannes Comes Pictavensis, natus Carissimi in Christo filii nostri Iohannis Regis Francorum Illustris, pro certis eorum negociis, que ministerio vive vocis latius exponi poterunt, quam scripturis, ducant dilectos filios Petrum Begonis Archidiaconum de Aura in ecclesia Convenarum et nobilem virum Stephanum de Fayno militem, latores presentium, nuncios suos noviter, sicut accepimus, destinandos: Nos attendentes, quod erga illos, qui cum prefato Rege nato tuo ex eodem clare familie stipite processerunt, habere te convenit precipue dilectionis affectum, serenitatem tuam precamur attente, quatenus benigne ac diligenter auditis hiis, que predicti nuncii tue celsitudini duxerint exponenda, annuere, eosdem, prout tui culminis

honori convenit, cum expeditione favorabili ad destinantes remittere de tue munificencie plenitudine sublimitas tua velit. Datum Avinione xii. Kal. Martii. Anno Septimo.

In e. m. Dilectis filiis Nobilibus viris Radulpho et Frederico Ducibus Austrie.

Ex Reg. orig. An. VII. secr. fol. 20.

LXXIII.

Nicolao archiepiscopo Strigoniensi et aliis praelatis Hungariae super eodem negotio.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Cum ad Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem dilecti filii nobiles viri Karolus Dux Normannie, primogenitus, et Iohannes Comes Pictavensis, natus Carissimi in Christo filii nostri Iohannis Regis Francorum Illustris, dilectos filios Petrum Begonis Archidiaconum de Aura in ecclesia Convenarum et nobilem virum Stephanum de Fayno militem, latores presencium, nuncios suos pro certis negociis eiusdem Regis Ungarie culmini, sicut accepimus, exponendis ducant presencialiter destinandos: fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus prefatos nuncios circa commissa eisdem negocia promovenda, prout cum Deo poteris, consiliis dirigas apud Regem predictum, pro eorum expeditione favorabili tuis operibus et opera intendas diligentius et assistas. Datum Avinione xii. Kal. Marcii. Anno Septimo.

In e. m. Thome Archiepiscopo Colocensi, Episcopis Stephano Nitriensi, . . . Waradiensi, . . . Agriensi, Guillermo Preposito ecclesie Agriensis, . . . Comiti Palatino, . . . Comiti de Cicilia, et nobili viro Nicolao de . . . militi, generalis Curie Regis Ungarie Iudici.

Ex Reg. orig. An. VII. secr. fol. 20.

LXXIV.

Abbatissae et conventui S. Clarae de Veteri Buda privilegia ab Innocentio IV. ordini Minor. concessa conceduntur.

Innocentius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Tenorem quarundam litterarum felicis memorie Innocentii pape quarti, predecessoris nostri, in registro ipsius predecessoris repertum, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi et ad dilectarum in Christo filiarum Abbatisse et conventus monasterii sancte Marie (? de Veteribuda ordinis sancte Clare, Vesprimiensis diocesis, supplicationis instantiam presentibus annotari fecimus, qui talis est. Innocentius episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis Generali et provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum, Salutem et apostolicam benedictionem. Licet olim quibusdam vestrum per nostras litteras, formas dissimiles continentes, quedam monialium ordinis sancti Damiani monasteria duxerimus committenda, cupientes tamen ipsarum utilitatibus sic nostro ministerio provideri, ne sancte contemplationis otium occursu occupationum multiplicium valeat impediri, presentium auctoritate statuimus, ut dicte moniales vel alie, si quas vobis de cetero sub quacunque forma committi contigerit, apostolice sedis indulgentia concessa vel concedenda imposterum non obstante, nisi expressam fecerint de presentibus mentionem, hoc solum a vobis commissionis nostre beneficio consequantur, videlicet ut ipse sub magisterio et doctrina vestra et eorum, qui pro tempore ministri fuerint, debeant permanere, illis gaudentes privilegiis, que vestro ordini sunt concessa, vel imposterum concedentur, et contraria constitutione ipsius ordinis non obstante, animarum suarum sollicitudinem gerentes et curam, ac eis de constitutione vestri ordinis, que ipsis competunt, exhibentes, eisdem monasteriis per vos vel per alios fratres vestros, quos ad hoc ydoneos videritis, quotiens expedierit, visitationis officium impendere studeatis, corrigendo et reformando ibidem tam in capite quam in membris, que correctionis seu reformationis officio noveritis indigere: instituatis nichilominus et destituatis, mutetis et ordinetis, prout secundum deum videritis expedire; electio tamen Abbatisse libere pertineat ad conventum: confessiones earum audiatis et ministretis eis ecclesiastica sacramenta: et ne pro eo, quod in eisdem monasteriis fratres vestri ordinis residere continue non tenentur, pro defectu sacerdotis possit periculum imminere, ad confessiones earum in necessitatis articulo audiendas et ministranda sacramenta predicta, nec non divina officia celebranda deputetis aliquos discretos et providos capellanos. Quocirca mandamus, quatenus omnia premissa iuxta constitutionis huiusmodi tenorem, cum eas vestro incorporari ordini non velimus, curetis diligenter et sollicite adimplere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et

beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Lugduni IV. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto. Ceterum, ut earundem litterarum tenor predictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem habent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque, sive in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel extensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. nostre constitutionis infringere etc. Datum Avinione IX. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. com. fol. 239.

LXXV.

Ludovico regi Hungariae, ut legato apostolico gentes congeras ad resistendum magnae societati mittat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Letamur in domino, in eius divinis operibus gloriantes ingenti leticia cordis nostri, dum celsitudinis tue potenciam copiosis gentibus bellicosis et strenuis communitam, dextera dei patris adiutam, nostris intuitibus recenseamus, dumque tue circumspectionis providenciam, per quam sic caute peragis, que occurrunt, sic salubriter dirigis, que incumbunt, ut deum in omnibus contempleris, sibique nitaris pro viribus complacere, ut solium Regni tui in immarcescibilem gloriam demum tibi conferat in melius et committet, confidencius contemplamur, omnium creatori ad laudes supplices assurgimus gratiarum. Nuper siquidem dilectus filius Androinus Abbas Monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis inter relationes placidas, quas nobis fecerat pleniores, ea, que in sue legationis officio partium Italie contra heresiarchas et invasores Patrimonii Iesu Christi gesserat, laudabiliter explicavit, qualiter tu, carissime fili, qui merita meritis et virtutes virtutibus salubria niteris cumulare divinis eruditionibus illustratus, non modicas gentes belligeras et veloces, armorum exercitiis summe doctas, eidem dum legationis fungebatur officio prelibato, multiplicatis agminibus destinasti, favoresque et gratuita subsidia iam impensa a tuis regnicolis ac aliis impendi propensius procurasti, qualiterque malefica societas belialis dilatans alas suas, et vires plures solito, instigante humani generis inimico, hiis temporis proclivio malis datis resumens ampliores, in terris ecclesie partium Italie predictarum sua venena diffundens, more basilisci, quecumque aspectui suo proveniunt, interimit et devastat, Castra subvertit, fortalicia planat, terras depopulat, mulieribus in puerperiis incubantibus et infantibus vagientibus in cunabulis nullis parcit, fideles et devotos ecclesie dilaniat et discerpit, omnesque personas ecclesiasticas mestruat, trucidat et devorat, contra sua propria et spontanee prestita iuramenta et monitiones, inductiones ac prohibitiones per dilectum filium nobilem virum Nicolaum Thome, domicellum familiarem et nuncium tuum, nomine tue regalis potencie multiplices sibi factas, ad cuius societatis siquidem maledicte, et perdicionis filii Francisci de Ordelaffis heresiarche reprobi veterati, licet venerabilis frater noster Egidius Episcopus Sabinensis apostolice sedis Legatus, vir virtuosus, et circumspectis ac experienciis magnificis decoratus armorum exercitio virtuoso, nosque pecuniarum possibilium fulcimento compescencias et possibiles insolencias insistamus, nichilominus a spurcicis, ut speramus, callis diabolice pacientes ad ea liberatos forsitan nondum plene guerrarum et seditionum eventus dubios Christi fidelibus obnoxivos verisimiliter formidamus, apud deum tamen, qui nedum vincit in multitudine, sed in paucis, humilia respicit, ut confundat quelibet forciora, victoriam tribuat, et incredibilia queque confundat, indubitatam fidem et spem certam gerimus adinstar Michaelis contra Luciferum triumphales. Quocirca serenitatem tuam Regi Regum et Domino dominancium assiduam et devotam rogamus attentius et hortamur, quatenus ob reverenciam in sublimibus creatoris, cui apud intrepidiorem te prophetizans cunabula dedicasti, cuique a tue iuventutis cunabulis floridis condonasti, pro cuiusmodi obsequiis meritoriis expostea in tuis exerciciis obtulisti, quem quoque tui precipuum zelatorem in tuis agibilibus preoptasti, et nostre ac apostolice sedis intuitum et intentum subsidium virtuosum per venerabilem fratrem nostrum Paulum Episcopum Gurcensem et predictum Nicolaum ac alios a tuo regali affatu destinatos, tuis salutaribus meritis ad previa iam oblatum, et per eundem Legatum ac nos cum fiducia utinam infallibili prestolatum, copiose mittere, prestolanter accelerare, deo gratanter offerre, manu forti et brachio extento ibidem destinare, tuarumque potestatum interpolate vires fortes, eiusdemque Legati ulteriores instancias benigniter exaudire, tui eximium studeat serenum solium vitam immortalem pro iam mor-

tali, regnum perempne pro transitorio, pro laude momentanea, pro perempni gloria mercaturum taliter, quod a presidiis memoratis, sub cuiusmodi post deum velaminibus vigebit spes a modo, triumphalis laudis titulis attolendus, et divinis retributionibus inter cetera huius orbis climata velut speculum eminens orbi toto tuis meritoriis obsequiosis serviciis merearis, in divinis et humanis perpetuis preconiis insigniri, latorem presentium nobis placitum commendatum in iustis agilibus habiturum. Datum Avinione v. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. secr. fol. 23.

LXXVI.

Monasterio B. Mariae de Veteri Buda ord. S. Clarae quaedam privilegia concessa a Benedicto XI. ordini Minorum conceduntur.

Innocentius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Tenorem quarundam litterarum felicis recordationis Benedicti pape undecimi, predecessoris nostri, in registro ipsius predecessoris repertum, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad dilectarum in Christo filiarum . . . Abbatisse et conventus monasterii sancte Marie de Veteribuda ordinis sancte Clare, Wesprimiensis diocesis, asserentium, prout pro parte ipsarum accepimus, se dictis litteris indigere, supplicationis instantiam presentibus annotari fecimus, qui talis est. Benedictus episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus universis abbatissis et sororibus monasteriorum ordinis sancte Clare, secundum regulam ipsius ordinis ab Urbano papa quarto, predecessore nostro, institutam viventibus, tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, sal. etc. Sacra vestra religio, sub qua devotum creatori vestro famulatum impenditis, promeretur, ut apostolica sedes favorabilem se vobis exhibeat, et in vestris opportunitatibus gratiosam. Hinc est, quod nos pium et congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, que vestris necessitatibus fore conspicitur opportuna, vobis auctoritate presentium indulgemus, ut ad prestationem decimarum de quibuscunque possessionibus et omnibus aliis bonis vestris, que in presentiarum habetis et iustis modis, prestante domino, acquisiveritis in futurum, vel ad exhibendum annuum redditum seu censum vestris diocesanis episcopis, seu pedagia, telonea et alias exactiones quibusvis regibus seu aliis personis secularibus, vel etiam ad dandum procurationes aliquas legatis vel nuntiis apostolice sedis, sive ad decimam vel aliam portionem aut subventionem aliquam de vestris proventibus cuiquam exhibendam, vel ad contribuendum in exactionibus vel collectis seu subsidiis aliquibus minime teneamini, nec ad id per litteras sedis eiusdem vel legatorum eius aut quorumcunque aliorum, etiam si in eisdem dicte sedis litteris contineatur expresse, quod ad quevis exempta loca et monasteria se extendant, et aliqua eis, cuiuscunque tenoris existant, ipsius sedis indulgentia non obsistat, nisi forsan dicte littere sedis eiusdem de indulto huiusmodi et monasteriis ipsis plenam et expressam fecerint mentionem, ac nichilominus a iurisdictione et potestate patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum diocesanorum vestrorum et quorumcunque aliorum eximimus vos et loca et monasteria vestra de gratia speciali. Nos enim ex nunc irritas decernimus et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas in vos vel aliquos vestrum, aut loca et monasteria vestra, seu quoscunque alios occasione vestri premissorum pretextu contra huiusmodi concessionis et exemptionis vestrarum tenorem per quemcunque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis, exemptionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Perusii vi. Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo. Ceterum, ut earundem litterarum tenor predictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, auctoritate apostolica decernimus, ut illud idem robur eamque vim eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque et ubicunque, sive in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Per hoc autem eisdem Abbatisse et conventui dicti monasterii beate Marie de Veteribuda nullum ius de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habent, tantummodo conservari. Nulli ergo etc. nostrarum annotationis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione iv. Kal. Marcii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. com. fol. 243.

LXXVII.

Eidem monasterio quaedam privilegia [illegible] VIII. [illegible]

Innocentius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Bonifacii pape octavi, predecessoris nostri, in registro ipsius predecessoris repertum, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad dilectarum in Christo filiarum Abbatisse et conventus monasterii beate Marie de Veteribuda ordinis sancte Clare, Wesprimiensis diocesis, se illo asserentium indigere, supplicationis instantiam presentibus transcribi fecimus, qui talis est. Bonifacius episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus universis Abbatissis et conventibus monialium inclusarum ordinis sancte Clare, sive sancti Damiani seu minorisse dicantur, Salutem et apostolicam benedictionem. Laudabilis sacra religio, que in monasteriis vestris a vobis et aliis personis in eis degentibus sub onere voluntarie paupertatis iugiter colitur, sic a vobis mundane dissolutionis relegavit illecebras, ut inter alia claustralis abstinentie nexibus relegate puritate fulgeatis observantie regularis, et voluntatis libitum coarctantes omnino sub obedientie debito dignam, et sedulam exhibentes domino servitutem. Hinc est, quod nos pium et congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus fore prospicimus opportunam, vobis universis et singulis auctoritate presentium indulgemus, ut ad prestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, que impresentiarum habetis et iustis modis, prestante domino, acquisiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum et etiam legatorum et nuntiorum sedis apostolice et quibuslibet talliis et collectis, ac ad exhibendum pedagia, telonea et alias exactiones quibusvis Regibus, principibus seu aliis personis secularibus minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ego omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Anagnie iv. Nonas Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo. Ceterum, ut earundem litterarum tenor predictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamque vim eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem habuerent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque et ubicunque, sive in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Per hoc autem nullum ius eisdem Abbatisse et conventui monasterii beate Marie de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habent, tantummodo conservari. Nulli ergo etc. nostre constitutionis etc. Datum Avinione ii. Idus Marcii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. com. fol. 246.

LXXVIII.

Universis Christi fidelibus capellas S. Ladislai Vesprim. dioc. et S. Benedicti in Albaregali visitantibus conceduntur indulgentiae.

Innocentius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes itaque, quod capelle sancti Ladislai in Vesprimiensi et sancti Benedicti in beate Marie de Albaregali Vesprimiensis diocesis ecclesiis, per dilectum filium nobilem virum Benedictum de Heem Comitem Pelissiensem et antecessores suos fundate canonice, sicut accepimus, et dotate, congruis honoribus frequententur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad easdem, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, ascensionis domini nostri, pentecostes et corporis Christi, necnon in quatuor principalibus beate Marie Virginis, sancti Iohannis baptiste ac beatorum apostolorum Petri et Pauli et sanctorum Ladislai et Benedicti festivitatibus, ac omnium sanctorum celebritate dictas capellas devote visitaverint annuatim, unum annum et quadraginta dies, singulis videlicet fastivitatum et celebritatis ipsarum diebus, quibus capellas prefatas visitaverint, ut prefertur, de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione xv. Kal. Iunii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. com. fol. 297.

6*

LXXIX.

Ludovico regi Hungariae grates reddit de devotione, quam erga Romanam ecclesiam habet.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Exposita pridem coram nobis pro parte tua per Venerabilem fratrem nostrum Paulum tunc Gurcensem, nunc Frisingensem episcopum, apostolice sedis nuncium, latorem presentium, et per litteras Regias intimata contemplatione mittentis, et probitate insuper explicantis benigne audivimus, percepimus placide et intelleximus diligenter. Equidem, fili Carissime, inter cetera grata nobis intelligentes devotionem ac reverenciam, quam habes et habere semper intendis erga nos et Romanam ecclesiam, paterne mentis affectu tibi congratulamur in Domino, ipsum nostris precibus humiliter exorantes, ut qui te de summa sue providencie specula oculis sue benignitatis aspiciens huiusmodi devotionis spiritum menti tue tanquam munificus largitor infudit, propositum tuum custodiat, adaugeat et confirmet, te quoque attente rogantes, et paternis affectibus exhortantes, ut ipsius Dei coadiutor existas, devotionem ipsam omni diligencia custodiens et de divine dono gracie recognoscens. Sic namque solidabit in pace Dominus tronum tuum, statum tuum magnificabit, et preter eterne retributionis premia felicium tibi donabit augmenta successuum, et tui nominis gloriam in gentibus exaltabit. Nos vero te inter ceteros catholicos mundi principes tamquam peculiarem filium precipue reservatum nobis a Domino et sue ecclesie reputantes, quod personam tuam nostris et apostolice sedis favoribus prosequi, quantum cum Deo poterimus, intendamus, quodque petitionibus tuis libenter auditis, nonnullas earum, prout in confectis exinde litteris apostolicis videre poteris, concessimus gratiose, aliquibus ad presens ex causis rationabilibus ad exauditionis gratiam non admissis, rediens ad tue serenitatis presentiam prefatus Episcopus per nos super premissis latius informatus, vive vocis oraculo eidem serenitati seriosius explicabit. Ceterum quia pro eodem Episcopo de ecclesia Aquilegensi rationabili faciente causa annuere nequivimus votivis tuis, nos ipsum super vinculo, quo tenebatur ecclesie Gurcensi, cui tunc preerat, absolventes, eumdem tue consideratione celsitudinis et sufficiencie ac probitatis multipliciumque meritorum suorum intuitu ad ecclesiam Frisingensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum. Datum Avinione xii. Kal. Iunii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. secr. fol. 44.

LXXX.

Eidem, ut ducem Austriae ad restituenda ecclesiae Aquileiensi quaedam castra inducat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Exposuit nobis Venerabilis frater noster Ludovicus Patriarcha Aquilegensis, quod per dilectum filium nobilem virum Rodulfum ducem Austrie loca de Windesgras, ac Trivin et Trevin, ac Wipaci superioris et inferioris, necnon et Venzoni ad eumdem Patriarcham et suam Aquilegensem ecclesiam, ac cluse supra Monasterium Mosacense, atque pedagium sive muta, que inibi exigitur ad fabricam eiusdem ecclesie, cum eorum iuribus et pertinenciis pleno iure spectantia indebite occupantur, prout per quondam patrem ipsius Rodulfi fuerunt hactenus occupata, in grave predictorum Patriarche et ecclesie ac fabrice, qua ecclesia ipsa propter ipsius dirutionem notoriam plus solito indigere dinoscitur, preiudicium et iacturam. Cum itaque deceat magnitudinem Regiam se in recuperatione iurium ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum favorabilem exhibere, idemque dux in magnis et arduis negociis inherere tuis consiliis, de quo apud nos comendandus plurimum redditur, asseratur: serenitatem tuam rogamus attente, quatenus dictum ducem ad restitucionem locorum et iurium predictorum eidem Patriarche libere faciendam salutiferis salutationibus tuis inducas, ut tuo cooperante consilio, et viam timoris Domini laudabiliter demonstrante, dux ipse tam sue quam dicti patris sui anime salubriter provideat, et iusticie debitum pro sui honore nominis in huiusmodi tam prompta quam libera restitucione persolvat. Precibus quoque nostris addicimus, ut Patriarcham, quem nobis multiplicia virtutum merita et familiaritatis obsequia ab olim nobis exhibicione earum reddunt et ecclesiam prefatos, in eorum conservandis et defendendis bonis et iuribus habere velit Regia celsitudo pro nostra et apostolice sedis reverencia favorabiliter ac efficaciter comendatos. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xii. Kal. Iulii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. secr. fol. 54.

LXXXI.

Gregorio electo Cenadiensi indulget, ut a quocumque catholico antistite consecrari possit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Gregorio Electo Cenadiensi, salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Cenadiensi pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati, ut a quocunque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis, similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, et eidem antistiti, ut predictum munus auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus inclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinare procuret, quodque per hoc Venerabili fratri nostro Strigoniensi archiepiscopo, cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Avinione x. Kal. Novembris. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. com. fol. 270.

LXXXII.

Reginis Hungariae, ut apud regem efficaciter instent, ut legato apostolico pro defensione civitatis Bononiensis et terrarum Ecclesiae auxilia praestet.

Innocentius epicopus etc. Carissime in Christo filie Helisabet Seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Venerabili fratre nostro Egidio Episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato, noviter intimante, percepimus, qualiter ad noticiam Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris nati tui perducto, quod Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanensis nostram et Romane ecclesie Civitatem Bononiensem manu armata obsidebat hostiliter, ipsamque oppugnare, dei timore postposito, temerariis ausibus conabatur. Idem Rex nobis et eidem ecclesie inter ceteros catholicos mundi principes, ad consolationem multiplicem et defensionis auxilium specialiter a domino reservatus, dicto Bernaboni tam per eius litteras, quam per dilectum filium Iohannem prepositum Colocensem nuncium et Ambassatorem suum intimare et requirere curavit eundem, quod ipse ab obsidione terrarum eiusdem ecclesie et ipsarum oppugnatione cessaret; alioquin ipse tamquam princeps catholicus et honoris exultationis ecclesie prefate zelator, tolerare nequiret, terras et iura eiusdem ecclesie per ipsum aut per quamcumque personam aliam impugnari vel quomodolibet molestari. Nos itaque huiusmodi Regie devotionis promptitudinem plurimum in domino commendantes, ipsam uberibus prosequentes accionibus graciarum, tibi quoque congratulantes talem te principem genuisse, de tue quoque excellencie devocione, quam ad nos et prefatam geris ecclesiam, habentes spem et fiduciam in domino pleniorem, Excellenciam ipsam rogamus, et attencius obsecramus, quatinus cum dictus Bernabos non tantum ab oppugnatione prefata non cesset, quinimo peiora malis accumulans, et se velut hostem publicum prefate ecclesie nequiciori cotidie patracione operum manifestans, nonnullas terras et loca alia eiusdem ecclesie in provincia Romaniole consistencia invaserit, depopulationes in illis ac rapinas plurimas faciendo. Nosque propterea contra presumptorem huiusmodi nostram et prefate ecclesie iusticiam prosequi spiritualibus ac temporalibus remediis, favente domino, intendamus, apud Regem ipsum maternis, prout expedire videris, consiliis et exhortationibus pro dei et apostolica reverencia velis assistere studiose, quod ipse iuxta magnificencie sue morem negocia ecclesie prefate efficaciter commendata suscipiens, prefato legato pro defensione et conservatione dictarum civitatis et terrarum adversus malignatorem prefatum Regiis intendere velit auxiliis et favoribus oportunis, ut cum auxilio dei, cuius ecclesie causa geritur, ac Regis eiusdem et aliorum filiorum ac devotorum et fidelium ecclesie predicte subsidiis et favoribus tante presumptionis temeritas reprimatur. Ceterum ad nostram iusticiam, et eiusdem Bernabonis iniusticiam et frivolas causas per ipsum pretensas, seu quas forte pretenderet in negotio prelibato, sere-

nitati tue vive vocis expositione latius, quam scriptorum serie dici valeant, exponendas, et ut clare cognoscas, apostolice sedis maturitatem in suis processibus nihil agere, quod in statera debite considerationis appensum habuisse non pateat in soliditate iusticie fundamentum, Venerabilem fratrem nostrum Egidium Episcopum Vincentinum, latorem presentium, super premissis et ea concernentibus plenarie informatum, ad tuam presentiam providimus destinandum, cui in hiis, que tibi pro parte nostra retulerit, dare fidem indubiam serenitas ipsa velit. Datum Avinione VI. Kal. Maii. Anno Octavo.

In e. m. Dilecte in Christo filie Helisabet Iuniori Regine Ungarie Illustri.

Ex Reg. orig. An. VIII. secr. fol. 44.

LXXXIII.

Nicolao archiepo Strigoniensi et pluribus praelatis et nobilibus super negotio antedicto

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Nuper intimante nobis Venerabili fratre nostro Egidio Episcopo Sabinensi apostolice sedis legato, gratanter accepimus, quod Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris devotionem suam, quam ipse tamquam princeps catholicus nobis et Romane ecclesie specialiter a domino reservatus ad nos et Romanam gerit ecclesiam, eandem operibus manifestis ostendens, Bernabonem de Vicecomitibus, Mediolanensem, quod ab occupatione et impugnatione civitatis Bononiensis et aliarum terrarum eiusdem ecclesie desisteret, magnanimitate Regia requisivit. Nos itaque liberalitatem ac devotionem dicti Regis in hac parte ostensas gratas habentes plurimum et acceptas, et ad consilia tua non mediocriter dedisse operam minime ambigentes, fraternitatem tuam requirimus et hortamur attente, quatinus cum idem Bernabos usque modo ab insane sue presumptionis audacia non desistat, quinimmo peiora malis addendo, et se velut nostrum et eiusdem ecclesie hostem publicum nequiciori cothidie patratione operum demonstrando, nonnulla alia terras et loca ipsius ecclesie in provincia Romaniole constituta discussionibus, incendiis et rapinis variis infestet crudeliter et perturbet, nosque propterea adversus presumptorem ipsum iura ecclesie predicte defendere spiritualibus et temporalibus remediis, duce domino, intendamus, apud Regem eundem ad impendenda in predicto negotio nobis et eidem ecclesie sua favores et auxilia interponere cures tam solicite, quam efficaciter partes tuas, Venerabili fratri nostro Egidio Episcopo Vincentino, quem propter hec ad Regem ipsum presentialiter destinamus, apud eundem Regem, prout expedire videris, solicite ac favorabiliter assistendo. Datum Avinione VI. Kal. Maii. Anno Octavo.

In e. m. Paulo Episcopo Frisingensi, Cont Regni Ungarie Comiti Palatino et Iudici Cumanorum, Guillermo Preposito Agriensi, . . . Archiepiscopo Colocensi, Ladislao Episcopo Vesprimiensi, Stephano Episcopo Nitriensi.

Ex Reg. orig. An. VIII. secr. fol. 45.

LXXXIV.

Ludovico regi Hungariae super eodem.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ingentis devotionis affectum, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, et laudabilium operum studia, que tu tamquam benedictionis et reverencie filius inter ceteros mundi catholicos principes nobis et eidem ecclesie specialiter reservatus, nostris et ecclesie ipsius obsequiis intendendo tam prompte quam magnifice ac libenter exerces, ac experti sumus hactenus et argumentis continuo evidencioribus experimur. Sane, Venerabili fratre nostro Egidio Episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato, nobis noviter intimante, percepimus, quod ad noticiam celsitudinis tue perducto, qualiter civitatem Bononiensem ad nos et Romanam ecclesiam pleno iure spectantem Bernabos de Vicecomitibus, miles Mediolanensis, manu armata hostiliter oppugnare, dei timore postposito, temerariis ausibus conabatur, tu eiusdem ecclesie matris tue negocia tua reputans, et oppressiones eidem in terris et iuribus suis factas non minus tibi, quam sibi, tamquam pie matris sincerus et verus defensor ascribens, sublato more dispendio, dilectum filium Iohannem prepositum Colocensem nuncium et ambassiatorem tuum cum tuis litteris destinare ad ipsius Bernabonis presenciam curavisti, inter cetera tam per litteras ipsas, quam ambassiatorem eundem sibi significans, ipsumque requirens, quod ipse ab obsidione terrarum ecclesie et ipsarum impugnatione cessaret; alioquin tu tamquam princeps catholicus, et honoris ac exaltationis sancte

matris ecclesie zelator, suorumque iurium conservator assiduus et defensor tolerare nequires ecclesiam ipsam in suis iuribus, aut terras eiusdem per ipsum, aut per quamcunque personam aliam impugnari vel quomodolibet molestari. Equidem, Carissime fili, aperta sunt ista tue devotionis insignia et magnis laudum preconiis ac singulari paterne benedictionis gratia compensanda, et eo nostre mentis affectibus gratiora, quo liberaliorem in eis Regie magnitudinis animum ostendisti. Huiusmodi itaque devotionis promptitudinem multipliciter in domino comendantes, ac uberibus prosequentes actionibus graciarum, serenitatem tuam rogamus attente et sinceris affectibus obsecramus, quatinus cum post hec prefatus Bernabos, fictis quibusdam pretensis coloribus, qui in examen diligencioris considerationis adducti non tueri frustratoriam eius causam videbuntur, sed eos potius aperte constabit de maligne adinventionis sue nequicia processisse, non tantum ab oppugnatione dicte civitatis eiusque districtus usque modo non cesset, sed peiora malis addendo, et se velut nostrum et apostolice sedis hostem publicum nequiciori cotidie patratione operum demonstrando, per gentes suas armigeras nonnullas terras et loca alia ipsius ecclesie in provincia Romaniole consistencia predis ac rapinis et incendiis discurrat hostiliter et perturbet, nosque propterea adversus huiusmodi temeritatis audaciam spiritualibus et temporalibus nostris, et aliorum filiorum et devotorum ipsius ecclesie obstare remediis intendamus, tu erga nos et dictam ecclesiam matrem tuam devotionis obsequiis intendens liberaliter, ut cepisti, ac negocia sua in predicte civitatis Bononiensis aliarumque terrarum suarum defensione commendata suscipiens, prefato legato in hiis pro conservatione et defensione predictis, prout expedire videris, et alias prout ipse excellenciam tuam duceret requirendam, pro nostra et apostolice sedis reverencia tuis assistere velis auxiliis et favoribus oportunis, ut tandem, deo favente, ac tuis aliorumque filiorum et devotorum eiusdem ecclesie (?), presumptoris ipsius inconsulta temeritas comprimatur, tuque preter divine retributionis premia circa tui status exaltationem et tui culminis augmentum nostrum et apostolice sedis favorem, et habundancioris benivolencie gratiam semper uberius merearis. Ceterum ad nostram iusticiam et eiusdem Bernabonis iniusticiam et frivolas causas per ipsum pretensas, seu quas forte pretenderet in negocio prelibato, serenitati tue vive vocis expositione latius, quam scriptorum serie dici valeant, exponendas, et ut clare cognoscas, dicte sedis maturitatem in suis processibus nihil agere, quod in statera debite considerationis appensum habuisse non pateat in soliditate iusticie fundamentum, Venerabilem fratrem nostrum Egidium Episcopum Vicentinum, latorem presentium, super premissis et ea concernentibus per nos plenarie informatum ad tuam providimus presentiam destinandum, cui in hiis, que tibi pro parte nostra retulerit, dare fidem indubiam serenitas ipsa velit. Datum Avinione VI. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. secr. fol. 50.

EPISTOLAE URBANI PP. V.

LXXXV.

Ludovico regi Hungariae Urbanus suam assumptionem ad universalis Ecclesiae regimen annuntiat, exhortans, ut iustitiam colat, ac Romanam et universalem Ecclesiam suis favoribus prosequatur.

URBANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, Salutem et apostolicam benedictionem. Salvator noster dominus Iesus Christus, humano generi ex lapsu primi parentis miserabiliter perempti compatiens, de superna gloria dignatus est ad terrena descendere, ubi sanctam et immaculatam ecclesiam ordinavit, ipsamque in suis discipulis fide firmavit, spe erexit et caritate perfecit, ac propriis eloquiis docuit et instruxit exemplis, ut fideles, in ea velut in Noe archa recepti, salvationis gratiam reperirent, eisdemque discipulis prefatam commendavit ecclesiam, in ea beato Petro, quem cephas appellavit, et suis successoribus in eius personam constituens principatum, ut ex eadem ecclesia hiis, que dextera sua non plantasset, evulsis, illa plantarent, per que redemptum suo sanguine populum bonorum operum redderent sectatorem, previditque ac predixit idem dominus, prefatam ecclesiam tribulationum angustias perpessuram, sed eam benigna pollicitatione confortans, sibi promisit sue virtutis presentiam assistricem, quod in primo suo Vicario prefigurans, eius navem, in qua prelibata significatur ecclesia, permisit iactari fluctibus, sed minime naufragari. Hec siquidem mira sapiencia deitatis in eiusdem ecclesie primordio peregit in signum, que usque ad hec tempora continuavit experienciis veritatis, dum suis in terris Vicariis et successoribus Petri de laboribus ad quietem, et de huius valle miserie ad celestis aule delicias, prout pie credendum est, evocatis, prelibatam ecclesiam contristatam exinde, in magnisque periculis constitutam de substitutione successorum letam reddidit, eiusque periculis misericorditer obviavit, prout semper hactenus, et etiam novissimis diebus ostendit. Nuper namque, videlicet II. Idus Septembris proximo elapsi, pie recordationis Innocentio papa VI. predecessore nostro viam universe carnis ingresso, eiusque corpore cum solemnibus exequiis in ecclesia Avinionensi deposito, ad locum alium, quem ipse, dum ageret in humanis, elegerat, postmodum transferendo, venerabiles fratres nostri, sancte Romane ecclesie Cardinales, tempore debito, secundum precepta canonum, missarum solemniis in honore spiritus sancti eis in electionem Summi Pontificis, que facienda imminebat eisdem, per suam affuturi gratiam devotissime celebratis, convenerunt insimul in palacio apostolico Avinionensi, in quo idem predecessor tempore sui obitus habitabat, de substitutione eiusdem pontificis tractaturi, aliquibusque tractatibus in hoc prehabitis, prout tanti negotii qualitas requirebat: tandem iidem fratres ad nos, qui tunc in minori constituti officio certe initiationis ministerium a prefato predecessore nobis iniunctum gerebamus in Italie partibus, intuitum dirigentes, nos in summum pontificem et pastorem universalis

ecclesie concorditer elegerunt: nos autem, qui sumus cinis et pulvis, ex hoc fuimus non immerito stupefacti, cum oculi nostri imperfectum nostrum evidenter cernerent, et nec vires corporis, nec virtutum merita, nec sciencie donum nobis suppeterent ad apostolici culminis speculam conscendendam, et gravissimam totius orbis sarcinam nostris debilibus humeris perferendam, cogitantes tamen, quod ecclesie predicte diuturna vacatio, presertim diebus istis, quibus, peccatis exigentibus, totus fere orbis in maligno est positus, magna posset pericula generare, ac confidentes in deo, qui nos licet indignos ad pascendum oves universi sui gregis elegit, quod sua consueta misericordia ad ipsius laudem et gloriam, ac nostram et totius populi christiani salutem in eiusdem populi salubri regimine dabit fortitudinem debili, indigno virtutem et scienciam ignoranti, cum timore ac tremore divine voluntati paruimus, ac eorundem fratrum desideriis annuentes, fragilitatis nostre colla iugo summisimus apostolice servitutis, et hesterna die VIII. Idus Novembris consecrationis et benedictionis munus ac coronationis insignia recepimus, ut est moris. Tuam igitur serenitatem paternis affectibus hortamur in domino ac rogamus attente, quatenus perseveranter in domini timore persistens, ipsius studeas custodire mandata, colens iusticiam et diligens equitatem, virtuosos exaltans et reprimens contumaces, memor, quod ad extollenda bonorum preconia et refrenandas insolencias transgressorum accepisti a domino potestatem, prefatam quoque Romanam aliasque ecclesias et ecclesiasticas personas, tuo indigentes presidio, precipuis habeas favoribus commendatas. Ceterum de nobis sicut de benevolo patre confidas: nos enim excellenciam tuam nobis carissimam, tuumque regnum semper continere proponimus in visceribus caritatis, eaque, prout cum deo poterimus, apostolicis fovere presidiis et gratiis honorare. Datum Avinione VII. Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 3.

LXXXVI.

Elisabethae reginae senior. Hungariae super eodem.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elisabeth Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Salvator noster etc. ut supra usque ut est moris. Ad premissa igitur nobis necessaria obtinenda facilius tuarum et aliarum personarum deo amabilium suffragiis indigentes, excellentiam tuam hortamur in domino ac rogamus attente, quatinus debilitatem nostram apud altissimum tuis devotis precibus adiuves, et per personas Regni Ungarie, quas deo acceptas putaveris, solicites adiuvari, ac perseveranter in domini timore persistens, ipsius studeas custodire mandata, colens iusticiam et diligens equitatem, prefatamque Romanam aliasque ecclesias et personas ecclesiasticas, tuo indigentes presidio, precipuis habeas favoribus commendatas. Carissimum quoque filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie illustrem natum tuum in devotione, quam semper habuit ad eandem Romanam ecclesiam, materna et sedula monitione conserves. Ceterum de nobis sicut de benevolo patre confidas: nos enim celsitudinem tuam deo et ecclesie predicte devotam, prefatumque Regem semper habere proponimus in visceribus caritatis, eosque, prout cum deo poterimus, apostolicis fovere presidiis et gratiis honorare. Datum Avinione VII. Idus Novembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 8.

LXXXVII.

Praelatis Hungariae idem annuntiat, exhortans, ut pro ipso ad Deum devotas faciant orationes.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus... Archiepiscopo Strigoniensi eiusque suffraganeis, salutem etc. Salvator noster etc. ut supra usque ut est moris. Ad premissa igitur nobis necessaria obtinenda facilius vestrarum humilium precum suffragiis indigentes, fraternitatem vestram hortamur et obsecramus in domino, quatenus debilitatem nostram apud altissimum vestris devotis orationibus adiuvetis, et sicut cooperatores nostri estis assumpti, ita circa curam populorum vobis specialiter commissorum solerti solicitudine intendentes, nostrum in eis conemini supplere deffectum, comportantes caritativo studio impositam nobis universalis oneris gravitatem, ut nos et vos auxiliis mutue caritatis adiuti, bonam de dicto grege superno Episcopo et pastori rationem reddere valeamus. Ceterum cum vos velut amabiles fratres in caritatis visceribus habeamus, benivolenciam nostram vobis grataanter offerimus, in vestris et vestrarum ecclesiarum negotiis, que oportuna seu utilia pro tempore fuerint, paterne dilectionis affectibus, ac prout dominus dederit, gratis affectibus exhibendam. Porro cum lato-

res litterarum huiusmodi non contenti hiis, que ipsis pro suis laboribus et expensis deputanda duximus, consueverint esse interdum contra voluntatem et mandatum mittentium avidi receptores, scire vos volumus, quod . . latori presentium inhibuimus, ipsumque iurare fecimus, quod propter ea, que sibi pro expensis necessariis per alias nostras sub certa forma litteras, quas vobis exhiberi mandamus, ministrari precipimus, quicquam recipere non presumat: ideo vos hortamur, quod nostris in hac parte intentioni et beneplacito concurratis. Datum Avinione VII. Idus Novembris. Anno Primo.

In e. m. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Colocensi eiusque suffraganeis.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 5.

LXXXVIII.

Ejo Vulterano, ut inter imperatorem et marchionem Moraviae ex una parte, et regem Hungariae ac ducem Austriae ex altera pacem studeat reconciliare.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Petro Episcopo Vulterano, apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Ad gerendas in terris licet immeriti vices regis pacifici dignatione sue inscrutabilis dispositionis assumpti, cunctorum Christi fidelium, presertim Regum et Principum, quorum discordia maiora solet afferre pericula, paternis affectibus cupimus unitatem, illamque, prout nobis permittetur ex alto, solicitis studiis intendimus procurare, ut destructis adversitatibus universis populus domini nostre custodie creditus, per viam pacis incedens, facilius possit ad eterna tabernacula pervenire. Nuper siquidem in nostre promotionis ad apicem summi apostolatus exordio de Imperii Romani, ac Regum et Principum aliorumque Christi fidelium tranquillitate soliciti, de ipsorumque statu paterna investigatione querentes, admodum dolenter audivimus, quod quedam discordia dudum inter Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum ac dilectum filium nobilem virum Iohannem de Boemia Marchionem Moravie fratrem suum ex parte una, et Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie illustrem et dilectum filium nobilem virum Rodulfum Ducem Austrie ex altera, procurante satore zizanie, suscitata, nondum fuit, prout sperabatur, ad finem optate pacis adducta, quamvis sub pendulo sufferenciarum deducatur in longum. Nos igitur timentes, ne scintilla tenuis non extincta in flammam, quod absit, transeat destructivam, apostolice provisionis remedium in hac parte providimus adhibendum, et de zelo pacis ac circumspectionis industria tue fraternitatis in hiis et aliis gerentes in domino fiduciam pleniorem, te velut pacis angelum de fratrum nostrorum consilio ad prefatorum discordantium partes ac presentiam propterea duximus destinandum. Quocirca eidem fraternitati per apostolica scripta presentium tenore committimus et mandamus, quatenus ad eosdem Imperatorem, Regem et Nobiles te personaliter conferens, ac eis innumera pericula animarum et corporum, rerumque dampna tue nota prudencie, que ex dissensione huiusmodi, si quod absit, procederent, procul dubio resultarent, ex parte nostra diligenter exponens, eos, quos ad hoc per diversas nostras litteras clausas, quas tibi cum presentibus destinamus, quasque per te ipsis presentari volumus, exhortamur, viis et modis, quibus melius poteris, iuxta datam tibi a deo prudenciam procures inducere, ut ad mutuam pacem et concordiam, utique deo gratam, eisdemque discordantibus plurimum oportunam, suos animos humilient et inclinent, ipsamque faciant firmis roborationibus stabilitam. Et si, ut optamus, deus corda dissidentium eorundem tetigerit, quod huiusmodi salubribus exhortationibus faciendo pacem eandem realiter acquiescant, ac de voluntate ipsorum processerit, quod pax ipsa, ut observetur, irrefragabilius auctoritate apostolica roboretur, id auctoritate nostra faciendi penis et sententiis spiritualibus et temporalibus, de quibus tibi expedire videbitur, nec non et quasvis colligationes, pactiones, promissiones et obligationes factas seu initas causa vel occasione huiusmodi discordie nutriende, cum quibuscumque personis seu universitatibus, etiam si iuramentis vel penarum adiectionibus vel quibusvis firmitatibus aliis essent vallate, dissolvendi, irritandi, vacuandi et anullandi, ac nullas, irritas et vacuas nunciandi, utpote contra bonum pacis in offensam dei presumptas, ac penas et iuramenta huiusmodi, cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxandi, et si, quod absit, idem discordantes ad firmam concordiam ad presens reduci non possent, cum de ipsius perfectione concordie non sit pro futuro tempore desperandum, treugas aliquas pacis representantes ymaginem, usque ad certi et competentis temporis spatium duraturas, ut cessantibus interim hinc inde offensionibus et commotionibus bellicosis, que viam pacis predicte difficiliorem redderent, utilius et liberius possit reformationis concordie tractatus alius suo tempore, deo favente, procedere, inter civitates et populos

eosdem, ipsorumque subditos, valitores, sequaces et adherentes quoslibet, etiam si communia civitatum et universitates opidorum extiterint, auctoritate nostra indicendi, ac mandandi eas inviolabiliter observari, nec non contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstante, si eis vel eorum aliquibus aut ipsorum Imperio, regnis et terris a sede apostolica sit indultum sub quacunque forma vel conceptione verborum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut eorum terre, ecclesiastico interdicto supponi quavis auctoritate non possint, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeret quomodolibet vel differri, tibi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione IX. Kal. Februarii. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 69.

LXXXIX.

Ludovico regi Hungariae, ut praefato episcopo fidem adhibeat et a bello desistat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad gerendas in terris, licet immeriti, vices Regis pacifici dignatione sue inscrutabilis dispositionis assumpti, cunctorum Christi fidelium, presertim Regum et Principum, quorum discordia maiora solet afferre pericula, paternis affectibus cupimus unitatem, illamque, prout nobis permittitur ex alto, solicitis studiis intendimus procurare, ut destructis adversitatibus universis, populus domini nostre custodie creditus, per viam pacis incedens, facilius possit ad eterna tabernacula pervenire. Nuper siquidem in nostre promotionis ad apicem summi apostolatus exordio de tua et Regni Ungarie, ac Regum et Principum aliorumque Christi fidelium tranquillitate soliciti, informationem status eorum paterna investigatione querentes, admodum dolenter audivimus, quod quedam discordia dudum inter Regiam celsitudinem ac dilectum filium nobilem virum Rodulfum Austrie Ducem ex parte una, et Carissimum in Christo filium Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum ac dilectum filium nobilem virum Iohannem de Boemia marchionem Moravie ex altera, procurante satore zizanie, suscitata, nondum fuerat, prout sperabatur, ad finem debite pacis adducta, quamvis, ut audivimus, sub pendulo sufferenciarum deducatur in longum. Nos timentes, ne scintilla tenuis non extincta in flammam, quod absit, transeat destructivam, apostolice provisionis remedium in hac parte providimus adhibendum, ac de Venerabilis fratris nostri Petri Episcopi Vulterani, apostolice sedis nuncii, latoris presentium, viri utique pacis amici, circumspectione prediti, donoque scientie decorati, fide confisi, eum ad tuam et dictorum Regis ac Nobilium presentiam duximus destinandum, exhortaturum ex parte nostra serenitatem regiam ac prefatos alios dissidentes, ut ab omni bellicoso congressu penitus abstinere curetis, ac tractaturum, ut concordiam mutueque dilectionis sinceritatem, que inter vos viguerunt hactenus, et vigere debent perpetuo, extirpatis simultatum radicibus, apparentiumque odiorum extinctis fomitibus, reformetis. Cui Episcopo super hiis et aliis, que tue sublimitati ex parte nostra oraculo vive vocis exponet, velis fidem credulam adhibere. Datum Avinione IX. Kal. Februarii. Anno Primo.

In e. m. Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, mutatis mutandis in nominibus discordantium.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 70.

XC.

Rodulpho duci Austriae super eodem argumento.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Rodulfo Duci Austrie, salutem etc. Ad gerendas etc. ut supra usque audivimus, quod quedam discordia dudum inter Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Imperatorem Romanorum semper Augustum, ac dilectum filium nobilem virum Iohannem de Boemia Marchionem Moravie ex parte una, et Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem et te ex altera, procurante etc. ut supra usque exhortaturum ex parte nostra vos omnes et alios, qui in hac parte tanguntur, ut ab omni etc. ut supra usque reformetis; dicto igitur Episcopo super hiis et aliis, que tue nobilitati ex parte nostra oraculo vive vocis exponet, velis fidem credulam adhibere. Datum IX. Kal. Februarii. Anno Primo.

In e. m. Dilecto filio nobili viro Iohanni de Bohemia Marchioni Moravie.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 71.

XCI.

Reginis seniori et iuniori Hungariae super eodem pacis negotio.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elisabet Regine Ungarie seniori Illustri, salutem etc. Ad gerendas in terris etc. ut supra usque reformare mutatis mutandis. Sperantes igitur in domino, qui personam tuam inclitam amore pacis, et multarum aliarum gratiarum muneribus insignivit, quod tua prudens persuasio in tractatu dicte pacis magnum prestare poterit iuvamentum, celsitudinem tuam hortamur et rogamus attente, quatenus eundem Regem, natum tuum, qui maternis debebit acquiescere monitis, ad pacem et concordiam huiusmodi faciendam prudenter inducas, dictoque Episcopo super hiis et aliis, que tue serenitati ex parte nostra narraverit, fidem velis credulam adhibere. Datum IX. Kal. Februarii. Anno Primo.

In e. m. Carissime in Christo filie Elisabet Regine Ungarie Illustri, et ubi dicitur natum tuum dicatur consortem tuum.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 71.

XCII.

Nicolao archiepo Strigoniensi et aliis praelatis Hungariae circa idem pacis negotium.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Periculosam discordiam, que inter Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, ac dilectum filium nobilem virum Iohannem de Boemia Marchionem Moravie ex una parte, ac Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem, ac dilectum filium nobilem virum Rodulfum Ducem Austrie ex altera dudum exorta extitit, adhuc durare nuper in nostre promotionis ad apicem apostolatus exordio percepimus cum dolore. Nos igitur votis ardentibus cupientes malis innumeris, que ex predicta possent evenire discordia, salubribus provisionibus obviare, Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Vulteranum, apostolice sedis nuncium, latorem presentium, virum utique pacis amicum, circumspectione preditum donoque sciencie decoratum, de cuius probata fide in hiis et aliis plene confidimus, ad prefatos discordantes, ad exhortandum eos ex parte nostra, ut ab omni bellicoso congressu penitus abstinentes, concordiam mutueque dilectionis sinceritatem, que inter eos hactenus viguerunt, et vigere debent perpetuo, extirpatis simultatum radicibus ac odiorum extinctis fomitibus, studeant reformare, providimus destinandum. Quocirca fraternitatem tuam, quam quietis et pacis ac prosperi status Regis eiusdem credimus amatricem, hortamur attente, quatenus super premissis, que dicto Regi paterna caritate scribimus, apud eum interponere studeas efficaciter partes tuas, ac prefatum Episcopum tuis providis consiliis dirigas et informes, sibi super hiis, que circa predicta et alia contingentia statum sancte Romane ecclesie et terrarum ipsius dicte fraternitati ex parte nostra retulerit, fidem credulam adhibendo. Datum Avinione IX. Kal. Februarii. Anno Primo.

In e. m. Archiepiscopis Arnesto Pragensi, Thome Colocensi, et Episcopis Stephano Zagrabiensi, Iohanni Gurcensi, Ladizlao Wesprimiensi, Dominico Cenadiensi, Petro Boznensi, Stephano Agriensi, Dominico Transilvanensi, Demedrio Waradiensi et Iohanni electo Vaciensi.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 71.

XCIII.

Dionysio Voivodae Transylvano et aliis principibus et nobilibus viris super eodem.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Dionisio Woyvode Transilvano Regni Ungarie, salutem etc. Periculosam discordiam etc. ut supra usque destinandum. Quocirca nobilitatem tuam, quam quietis et pacis ac prosperi status Regis eiusdem credimus amatricem, hortamur attente, quatenus super premissis, que dicto Regi paterna caritate scribimus, apud eum interponere studeas efficaciter partes tuas, ac prefatum episcopum tuis providis consiliis dirigas et informes, sibi super hiis, que circa predicta et alia contingentia statum sancte Romane ecclesie et terrarum ipsius dicte nobilitati ex parte nostra retulerit, fidem credulam adhibendo. Datum Avinione IX. Kal. Februarii. Anno Primo.

In e. m. Nicolao de Sech Dalmacie et Croatie Bano, Leustachio Sclavonie Bano, Nicolao de Sara Bano de Macho, Nicolao Palatino Regni Ungarie, Stephano Bebek Iudici curie Regis Unga-

rie, Nicolao Comiti triumgenerum Siculorum, Stephano nato Michk quondam Bani, Iohanni Magistro Tavarnicorum Regni Ungarie, Konie Comiti Possoniensi, Simoni Mauricii militi, Frederico Balthasar et Wilhelmo Marchionibus Misnensibus, mutatis mutandis.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 73.

XCIV.

Regi Hungariae, ut epo. Vulterano circa negotia Ecclesiae et regni Siciliae fidem credat, et quae sibi exposuerit, re exsequatur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Recolens sancta Romana ecclesia mater tua regie devotionis clarissimam puritatem, ac reverenciam filialem, quam ad ipsam semper parata promptitudine habuisti, plene confidit et sperat indubie, quod dirigente domino actus tuos, per quos de virtute in virtutem progrederis, semper studebit tua celsitudo peragere, que terrarum ipsius ecclesie quietem respiciant, et sint deo ac nobis et sedi apostolice placitura. Sane, fili Carissime, licet venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Vulteranum, apostolice sedis nuncium, latorem presentium, ad tue serenitatis conspectum super tractanda concordia inter te ac dilectum filium nobilem virum Rodulfum ducem Austrie ex una parte, ac Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, ac dilectum filium nobilem virum Iohannem de Boemia Marchionem Moravie ex altera presentialiter destinemus: quia tamen ad nostrum fidedigna relatione pervenit auditum, quod nonnulli tui subditi Barnaboni de Vicecomitibus, hosti et persecutori acerrimo dicte ecclesie, contra ipsam adheserant et adherere non cessant, ecclesiam eandem et fideles eiusdem crudeliter impugnantes, ac Regnum Sicilie ad ipsam ecclesiam pertinens cominantes similiter impugnare, nos de tua devotione magnifica, quam semper erga dictam ecclesiam more devotissimi filii habuisti, spem obtinentes indubiam, quod in hac parte, et in aliis agendis ipsius ecclesie remediis regalibus providere curabis, dicto episcopo, de cuius fide ac circumspectionis industria plene confidimus, tam super hiis et aliis ecclesie prefate negotiis, quam super statu regni Sicilie, in quo dicta ecclesia velut in sue recreationis pomerio delectatur, quedam verbo commisimus per eum ex parte nostra regie celsitudini verbotenus exponenda, cui super hiis fidem velis credulam adhibere, ac nobis et eidem ecclesie iuxta morem progenitorum tuorum et tuum effectualiter complacere. Datum Avinione iiii. Nonas Februarii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 75.

XCV.

Eidem de reginae matris suae obitu hae litterae consolatoriae dantur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Rumor, qui de obitu clare memorie Elisabet regine Ungarie matris tue nuper apud apostolicam sedem insonuit, multam mesticiam attulit cordi nostro. Cum enim paterna consideratione pensamus, quod ipsa regina, dum viveret, regalium virtutum claritate prepollens, deo se reddebat amabilem, dicte sedi devotissimam filiam, et regno tuo multipliciter fructuosam, merito de ipsius subtractione dolemus, tibique, fili carissime, paterne compatimur dilectissime matris solatio et prudentissime assistricis auxilio destituto. Verum quia mors est lex communis hominibus, quam etiam ipse auctor vite, dominus noster Iesus Christus, dignanter est passus, ipsaque regina, preclaris meritis communita, de hac vita finibili, prout pie credendum est, ad infinibilem pertransivit, decet prudenciam regiam, casum istum, licet digne flebilem, cum paciencia tolerare. Ideoque magnitudinem tuam hortamur et rogamus attente, quatenus premissa prudenter considerans, de tali dolore remedium debite consolationis assumas, tuo gementi, prout decet, populo fortem animum principis exemplum imitationis consolatorie prebiturus. Datum Avinione iiii. Id. Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 75.

XCVI.

Eidem, ut Simoni magistro ord. Praedicatorum de passagio transmarino fidem adhibeat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. De fide ac circumspectione dilecti filii Simonis ord. FF. Predic. magistri, apostolice sedis nuncii, latoris

presentium, quem ad tuam presentiam destinamus, plene confisi, quedam ardua, sacram fidem, statum sancte Romane ecclesie et passagium ultramarinum tangencia, sue discretioni duximus committenda, per eum vive vocis oraculo ex parte nostra devotioni regie celsitudinis exponenda, super quibus tua serenitas eidem magistro fidem adhibeat sicut nobis. Datum Avinione XVII. Kal. Maii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 130.

XCVII.

Eidem, ut regem Maioricarum, qui reginam Siciliae desponsavit, fraterne diligat et honoret.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad tue serenitatis noticiam credimus pervenisse, quod Carissimi in Christo filii nostri Iacobus rex Maioricarum ac Iohanna regina Sicilie illustres matrimonium invicem contraxerunt, de quo sancta Romana ecclesia, consideratis fide, prudencia aliisque virtutibus dicti regis, necnon certis conventionibus habitis inter eos, et per dictum regem solemniter promissis et iuramento firmatis, pro honore ipsius ecclesie ac domus regie dicte regine, statuque pacifico ac libero regni Sicilie contentatur. Eapropter excellentiam tuam decet se ecclesie prefate beneplacitis conformare, et id, quod pro meliori multa est maturitate firmatum, regiis affectibus applicare, ac eundem regem, qui suis elegandis (sic) moribus cunctis se reddit amabilem et in conspectu sedis apostolice graciosum, fraterne diligere, ac etiam honorare. Datum Avinione VII. Kal. Maii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 133.

XCVIII.

Eidem, ut nuntiis sedis apostolicae commissum officium in suo regno libere exercere permittat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Preclarissimam tue serenitatis devotionem, quam tu et incliti tui progenitores in conspectu sedis apostolice claruistis, grata recolentes memoria, admiramur, vix credere possumus, quod a virtute consueta tua discedens sublimitas, impedimentum prestet in receptione iurium et bonorum in regno tuo apostolice Camere debitorum. Sane dilecti filii Iohannis de Capraspina decretorum doctoris, olim in regno predicto apostolice sedis muncii, relatione didicimus, quod excellencia tua tam ipsi Iohanni, quam dilecto filio Arnoldo de Caleina scolastico Crachoviensi, etiam nuncio dicte sedis, ac in regno prefato eorundem bonorum et iurium collectori, per dilectum filium nobilem virum Nicolaum Comitem Palatinum ac litteris regiis prohibuisti, ut ab executione officii eis a dicta sede commissi penitus desistere procurarent: super quo idem Iohannes tue celsitudinis litteras demonstravit. Quocirca serenitatem eandem, quam decet abstinere a talibus, imo potius Romane ecclesie matri sue filialem prestare favorem, rogamus et hortamur attente, quatenus provide pensans prohibitionem et mandatum huiusmodi cedere in regie glorie diminutionem honoris, ac in grave nostrum et dicte sedis preiudicium et gravamen, illa velis revocare totaliter, ac revocationem huiusmodi in prefato regno facere publicari, mandans districte, quod omnes, qui prefate Camere tenentur, predicto Arnaldo ac succollectoribus deputatis ab eo, aliisque officialibus dicte sedis ad recipiendum bona et iura eadem deputatis, plene et absque impedimento quolibet de ipsis bonis et iuribus respondeant sicut prius; quinimmo velis eisdem collectori, succollectoribus et officialibus favorem regium pro dicte sedis reverencia efficaciter impertiri: nos enim, si iidem muncii aliquam personam dicti regni gravassent indebite, parati erimus eos corrigere, gravaminaque revocare huiusmodi, si de ipsis legitime fuerimus informati. Datum Avinione VI. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 154.

XCIX.

Nicolao archiepo Strigoniensi, ut regem ad praemissa efficaciter inducat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Scribimus Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri in forma presentibus interclusa. Cum itaque huiusmodi negotium, quod non a regio animo, sed a malignis suggestoribus processisse pensamus, cordi nostro non modicum sit infixum, fraternitatem tuam hortamur attente, mandantes, quatenus apud eundem regem super revocatione sue inhibitionis, que in dictis litteris continetur,

prudenter et efficaciter insistere non omittas, nobis, quid idem Rex exinde fecerit, rescripturus, et si forte aliqua persona ecclesiastica fuisset in hac parte culpabilis, eam ex parte nostra corripias, de tanta temeritate in preiudicium apostolice potestatis attemptata. Datum Avinione IV. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 154.

C.

Regi Hungariae super generalis passagii transmarini negotio, et ut ad illud faciendum potenter se disponat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Descendens a patre luminum spiritus, mentium illustrator mirificus, datorque optimus gratiarum, ubi et quando vult, catholicorum principum aliorumque suorum fidelium cordibus illa inspirat cupere, et cupita perficere, que sint ad dei laudem et gloriam, exaltationem catholice fidei eiusque hostium repressionem, ac salutem eorundem fidelium animarum, datque tempus acceptabile et dies salutis indulget, quibus proprium exequendo debitum, sicut filii benedictionis et gratie, patris et domini ulciscantur iniurias, ut digni reddantur hereditatem paternam et dominicam possidere, tollantque christianitatis obprobrium adeo iam quasi dimissum, quod infideles illud extimant sempiternum. Sane dolenter referimus, quod olim, peccatis exigentibus, terram illam, quam Salvator noster dei filius dominus Jesus Christus sue presentia conversationis illustrans, in ipsa pro nostra redemptione mortem nostram moriendo destruxit, et vitam sue resurrectionis gloria reparavit, Agarenorum gens perfida eiusdem Salvatoris et sue orthodoxe fidei inimica a longis retro temporibus non absque dampnosa negligencia christiani populi occupavit, prout detinet occupatam, eam polluendo abhominandorum patratione scelerum, ac pro ancilla tenendo, que domina gentium solet esse. Accedit quoque ad huiusmodi infelicitatis augmentum illa erumpnosa calamitas, quam ex oppressione Turchorum crudelium patitur christianus populus orientis, que tanto gravior redditur, quanto iidem Turchi viciniores fidelibus existentes grassantur sevius et facilius in eosdem, quantoque ipsorum rabies semper excrescens, et cruorem christianum aspirans effundere, maius potest christianitati generare periculum, nisi eorum, qui in sua feritate confidunt, presumptuosa temeritas per ipsorum fidelium potenciam reprimatur. Que nuper, divino spiritu inspirante, Carissimus in Christo filius noster Petrus Rex Cipri Illustris, cuius regnum est in ipsorum infidelium faucibus constitutum, prudenter considerans, et maiora pericula toti christianitati, si oportunum in hiis non apponatur remedium, probabiliter proventura formidans, de statu dictorum infidelium, quem ex ipsorum mortalitatibus et discordiis debilitatum et prostrationi dispositum asserit, presertim ex captione civitatis Satalie ac nonnullorum castrorum et locorum, que licet admodum fortia idem Rex suis providencia, personalibus laboribus et expensis de manibus infidelium predictorum eripuit, ex quo infideles ipsos multus, ut asseritur, timor invasit, plenarie informatus, sicut princeps magnanimus et devotus, non vitatis pro dei servicio itinerum longorum periculis, ad partes occidentales et demum ad apostolicam sedem accessit, nobis ac fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, et catholicis Principibus ac Magnatibus aliisque fidelibus populis vias et modos prudenter ostendens, per quos istis temporibus potest faciliter eorundem Agarenorum et Turchorum elidi potencia, et fieri recuperatio Terre sancte. Hec siquidem Carissimus in Christo filius noster Iohannes Rex Francie Illustris gratanter accipiens, desiderium transfretandi, quod diutius, ut asseruit, gessit in corde, produxit in lucem. Nam ipse et prefatus Rex Cipri, aliique multi nobiles cum eorum potencia pro recuperatione Terre sancte predicte promiserunt personaliter transfretare, ac receperunt de nostris manibus venerabile signum crucis, quod multi magnates et nobiles, ad sedem venientes eandem, cum devotionis plenitudine cotidie postulant et recipiunt reverenter. Nosque premissa cum ingenti leticia intuentes, et cupientes tam dictos Reges, quam alios in tanto Salvatoris nostri predicti promovendo negotio spiritualibus et temporalibus auxiliis confovere, matura super hiis deliberatione prehabita, de dictorum fratrum consilio indiximus ad dictam Terram sanctam et alias partes infidelium orientis passagium generale, inchoandum in Kalendis Marcii Anni Nativitatis Domini Millesimi Trecentesimi Sexagesimiquinti proxime secuturi, et consueta indulgenciam ac privilegia omnibus ad hoc transfretaturis duximus concedenda: et deinde diligencius attendentes, quod idem Iohannes Rex eximie devotionis ardorem, quem clare memorie Philippus avus, et alter Philippus pater ipsius ac plures alii Reges Francie, ex quorum ingenua stirpe tam tu quam aliqui alii catholici Reges et Principes traxi-

stis originem, pro ipsius Terre sancte recuperatione hactenus habuerunt, pie rememorans illum in se virtuose successionis salutari funiculo derivavit, ac provida super hiis cum eisdem nostris fratribus deliberatione prehabita, considerantes attente, quod ipse, que ad huiusmodi negotii prosecutionem pertinent, in regno suo dispositis et paratis, poterit de certis aliis confinibus et partibus dicti regni liberius, facilius et commodius, et cum minoribus quam de istis, in quibus presentialiter residemus, ad dictas partes ultramarinas in illius nomine, cuius negotium agitur, arripere iter suum, et propterea quarumlibet dilationum impedimentis ac periculis obviare, teque et alios Reges et Principes, qui, ut prefertur, ex clara dictorum Francie Regum progenie principium originis habuistis, in ipsius Iohannis Regis personam honorare volentes, eundem Iohannem Regem prefati passagii, et omnium, qui voluerint transfretare, Capitaneum constituimus generalem. Que omnia catholicis Regibus atque Principibus, aliisque magnatibus et populis decrevimus intimanda, ut tempus istud acceptabile datum a domino in humilitatis spiritu cognoscentes, interim si qui eorum habeant cum aliis christianis discordiam, pacem et concordiam, sine quibus negotium ipsum prosperari non posset, pro dei reverencia studeant firmis stabilitatibus invicem reformare, et ad prosequendum huiusmodi dei et fidei prefate negotium magnifice se accingant, illud in personis propriis, vel alias, prout possibile fuerit, prosequendo. Inter alios autem Principes, quos deceat ad huiusmodi tam salubre negotium excitari, et ad ipsius prosecutionem plenis affectibus operam dare, hoc tue celsitudini convenire prospicimus, ut ad hoc tanto ferventius animeris, quanto es hostibus ipsis vicinior, quantoque rex regum et dominus dominantium maiori potencia te vallavit, et quanto, quod letanter fidedignorum relatibus intelleximus, ad dicti nostri Salvatoris obsequium magnificencia tue devotionis ingentis longis temporibus ardencius anelavit. Eapropter celsitudinem regiam paterna caritate requirimus et affectuose rogamus, tibi pro tua salute tuique regii culminis gloriosius extollendo preconio suadentes, quatenus premissa devote considerans, ad assumendum cum tua precellenti potencia tam pium tamque acceptum deo negotium, per quod conscenditur certius ad excelsa, more christianissimi ac potentissimi principis animeris, et ad prosecutionem ipsius tam magnifice te disponas, quam aliis christianis principibus et magnatibus gloriosum exemplum tribuas similiter faciendi, teque securius imitandi. Quis enim poterit diffidere vel trepidare fidelium huiusmodi sancto se dedicare negotio, ubi potencie tue robur adesse presenserit, et tam magnanimi principis firmissimum fundamentum. Profecto quod si, prout indubia credulitate tenemus, prefatum negotium ferventer ac potenter assumpseris, multos et magnos fideles ad tui imitationem allicies, et allectos in sancti propositi perseverancia conservabis. Ex hoc enim tibi et aliis fructuosus existes, et ex aliorum operibus, que tuo causabuntur exemplo, multiplicabitur tibi meritum apud deum. Ut autem ad assumptionem et prosecutionem huiusmodi eo libencius inducaris, quo de gratia et favore apostolice sedis te senseris certiorem, sublimitati tue in omnibus, que ad ipsius honorem et commodum noverimus cedere, promptis effectibus, prout cum deo poterimus gratis affectibus, assistemus. Ceterum quia prefato Regi Cipri, qui tanquam precursor magnificus satis ante dictum terminum cum auxilio fidelium, quos habere poterit, ad partes ultramarinas remeare proponit, viam tutam et dispositionem accommodam populo dei cum ipsius assistencia paraturus, concessimus, quod quicunque de regno tuo cum ipso Rege etiam ante prefatum terminum ire voluerint, indulgenciam huiusmodi consequantur. Serenitatem tuam, a qua idem Rex in prefato negotio grandia promissa se recepisse letatur, rogamus attente, quatenus sibi et nunciis suis, ut istud sanctum negotium festivum et prosperum principium habeat, et de gentibus dicti tui regni secum ire volentibus habere valeat, prout tante rei utilitas suadet, regalibus favoribus devote assistere non postponas. Datum Avinione VIII. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 166.

CI.

Eidem super decimae triennalis impositione in suo regno.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Tanta, fili carissime, santa Romana ecclesia pro suarum recuperatione et defensione terrarum pertulit hactenus a decem annis citra fere continuis onera expensarum, quod evacuato suo erario et extenuatis nimium facultatibus suorum secularium subditorum, et nonnullis personis ecclesiasticis diversorum regnorum de subsidiis eidem ecclesie prestitis fatigatis, nunc illius maledictionis alumpni Bernabonis de

Vicecomitibus, civis Mediolanensis, heretici perfidi, crudelissimi tiranni et hostis immanis eiusdem ecclesie suorumque fautorum, persecutionibus et hostilitatibus lacessita nimium et oppressa, quod absque novis filiorum subsidiis non sufficit ad huiusmodi onera gravia perferenda, propter quod, ut non succumbat, quod absit, ante faciem sceleratissimi persequentis, cogitur licet invita cleri tui regni et nonnullarum aliarum partium, de quibus discretioni sedis apostolice videtur, ad presens, sicut confidenter potest et debet mater a filiis, subventionis auxilia postulare, et propterea decimam proventuum ecclesiasticorum dicti tui regni pro huiusmodi supportandis oneribus usque ad tres annos duximus auctoritate apostolica imponendam. Quare regiam devotionem affectuose rogamus et hortamur attente, quatenus tam prelatis dicti regni, quam aliis collectoribus, quos ad hoc duximus deputandos, in receptione libera dicte decime, si requisitus extiteris, tuis assistas favoribus oportunis, ne dicta ecclesia ex defectu expensarum in defensione sua ac exterminatione heretici predicti et suorum fautorum deficiat, quod esset in magnum periculum totius fidei christiane, terreque sancte negotium, de quo presentialiter agitur, prout per alias litteras nostras tue magnitudini scripsimus, et ad quod anelare tua devota magnificentia dicitur, non posset votivis successibus prosperari. Datum Avinione v. Kal. Iulii. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 200.

CII.

Eidem annuntiat negotium, pro quo nuntium miserat, occurentibus impedimentis expediri non posse.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Venerabilis frater noster Iohannes episcopus Tiniensis, lator presentium, super negotio, pro quo eum ad Romanam Curiam destinasti, apud nos institit fideliter et prudenter; sed occurrentibus impedimentis quam pluribus ipsum negotium non potuit expediri: propter quod supervenientibus vacationibus per nos more solito in Curia Romana indictis, dictus nuncius ad tuam presentiam revertitur, prout ipse de hiis tue Serenitati plenius exponet oraculo vive vocis. Datum Avinione vi. Id. Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 214.

CIII.

Eidem super regressu suorum nuntiorum, et ut eisdem fidem adhibeat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dilecti filii magister Iohannes de Bredenscted legum doctor primo, et deinde Conradus archidiaconus Nitriensis in ecclesia Strigoniensi secundo, nuncii tui ad sedem apostolicam destinati, pro commissis eis a tua serenitate negotiis apud nos prudenter et solicite institerunt, nuncque de nostro beneplacito ad regiam presenciam revertuntur, quibus sicut viris, quos reputamus fideles, in hiis, que de negotiis ipsis eidem serenitati retulerint, fidem plenam poteris adhibere. Datum Avinione iii. Id. Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 215.

CIV.

Eidem magister et conventus maior hospitalis S. Ioannis Ierosolimitani commendantur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Licet ad cunctos regulares ordines in domo domini ad eius obsequium constitutos, ne, quod absit, lapsus sentiant detrimenta, sed prospero conserventur in statu, ac de bono in melius semper proficiant, apostolice vigilancie studium, prout nobis ex alto conceditur, apponamus: ad conservationem tamen religionis hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani tanto vigilancius debemus intendere, quanto illius felix status ad defensionem fidelium orientalium partium magis dinoscitur oportunus. Sane celsitudinem tuam audivisse putamus, quod persone hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani magnis olim virtutum meritis prefulgentes, dum pauciores facultates haberent, pluribus ut videbatur bonis temporalibus habundabant, elimosinarumque largicioni solercius intendentes, tam in hospitalibus quam alias esurientium viscera refovebant, et tanquam fideles servi non solum legalem rationem de commissa eis villicatione reddebant, sed tanquam viri strenui fideique zelo accensi non formidabant pro Christo cruorem suum effundere, qui eos redemerat sui sanguinis sparsione, hostium Christi sueque sacre fidei resistentes impetibus, et fideles de orientis partibus sue defensionis clipeo protegentes, curantesque deo adherere, non homini, non studebant deliciis in partibus cismarinis affluere, sed ad partes orientales easdem, ubi iugis erat

pugna cum hostibus, accedere procurabant. Ibi nempe tunc erat hospitalis ipsius professorum copia numerosa, quos origo nobilis reddebat magnanimos et vita religiosa devotos ac aptos ad nostri obsequia redemptoris, et quia dominus escam se timentibus tribuit, cum unusquisque dictorum professorum prompte ac fideliter redderet, quod debebat et poterat, ubi non solum pro se ipsis, sed pro aliis tam nobilibus quam plebeis, quorum multitudo immitationis eorum exemplo inducta confluebat ad ipsos, abundabat copia facultatum. Tunc letabatur ecclesia de filiis generosis, tunc dilatabatur cor suum, cum cernebat agi viriliter negotium sponsi sui. Sed prohdolor nunc mesta efficitur de contrariis operibus quorumdam fratrum degenerum hospitalis eiusdem, qui deliciis dediti, contra dictos hostes transfretare non curant, causam domini pro corporalibus delectationibus relinquentes, et quod est deterius, bona grandia dicti hospitalis pro substentatione pauperum et defensione fidelium dictarum orientalium partium deputata propriis usibus applicant et inhoneste consumunt, dilectis filiis . . . Magistro et Conventui maiori ultramarino hospitalis prefati consistentibus in fronteria (sic) infidelium eorundem, qui de certis pecunialibus responsionibus annuis priorum, castellanorum, preceptorum et aliarum personarum dicti hospitalis substentari solent et debent, respondere recusant, inobedientes et rebelles dictis Magistro et Conventui eorum superioribus se reddentes, ac per hoc obedienciam, quam professi sunt, et ordinis hospitalis eiusdem compaginem dissolvere non verentes, et ut in eorum insolenciis et excessibus defendantur, se quorumdam magnatum et potentum virorum favoribus munierunt, ex quibus iidem Magister et Conventus solitam hospitalitatem tenere, ac eisdem hostibus fidei resistere nequeunt; quinimmo, ut nuper testimoniis fidedignis audivimus, Insulam Rodi, nisi eis subveniatur de huiusmodi responsionibus, de proximo, quod absit, compellentur relinquere non absque grandi dispendio ac opprobrio fidei prelibate. Nos igitur super hiis providere apostolicis remediis intendentes, dilectis filiis dicti . . . maioris ultramarini et . . . Tholosani ac . . . Aquensis Conventuum prioribus hospitalis predicti, et cuilibet eorum insolidum ad compellendum inobedientes eosdem super solutione dictarum responsionum, et ad hoc, si opus fuerit, invocandum secularc brachium plenam dedimus per nostras litteras potestatem. Quocirca Serenitatem tuam requirimus et rogamus attente, quatenus ob reverentiam dei ac pro reformatione et conservatione status hospitalis iamdicti non permittas per aliquem de tuo regno inobedientes huiusmodi defensari; quinimmo prefatis prioribus et aliis in hac parte deputatis ab eis, cum ab ipsis requisitus extiteris, liberaliter tribuas, ac per tuas gentes efficaciter tribui mandes et facias oportunum auxilium et favorem. Datum Avinione vi. Kal. Septembris. Anno Primo.

In e. m. Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, Regibus Francie, Anglie, Scotie, Navarre, Castelle, Aragonie et Sicilie.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 238.

CV.

Eidem, ut regi Cypri subveniat, et eius nuntios ac negotia habeat commendatos.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Indictionem passagii generalis per nos factam ad recuperationem terre sancte ac defensionem fidelium et impugnationem infidelium partium orientis dudum, cum Carissimus in Christo filius noster Petrus Rex Cipri illustris apud apostolicam sedem existeret, tue serenitati meminimus per apostolicas litteras intimasse, ac magnificentiam tuam, de qua idem Rex plurimum sperabat et sperat, paternis affectibus monuisse, ut ad coadiuvandum huiusmodi negotium dicti passagii ea, que pro dicto passagio dare disponeres, parare studeres. Quia vero postmodum idem Rex, prout nobis notificare curavit, nonnullas partes fidelium peragravit, et presentiam aliquorum Regum et Principum adiit, multosque magnates et potentes ad transfretandum secum, domino, cuius negotium agitur, inspirante, induxit, et tempore veris proximi futuri sperat cum multitudine nobilium et aliorum fidelium esse Venetiis, et interim vel postquam inde recesserit, inclitam tuam videre personam: sublimitatem tuam solicitam reddimus et attentam, eamque cordialiter deprecamur, quatenus ea, que eidem Regi Cipri in galeis vel alias pro dicto subsidio exhibere volueris, studeas preparare, et quia dicto Regi aliqua subsidia in tuo Regno concessimus, in eorum receptione nunciis et procuratoribus suis ad hoc deputandis velis favorem regium exhibere. Datum Avinione Non. Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 31.

CVI.

Eidem regi in favorem Ioannis Cantelini domini civitatis Bivinensis.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad dilectum filium nobilem virum Iohannem Cantelini dominum civitatis Bivinensis, eius exigentibus meritis ac devotione preclara, quam ad nos et Romanam gerit ecclesiam, affectum sincere dilectionis habentes, eum in suis agendis, que honestatem contineant, cupimus prosperari. Cum itaque idem Iohannes nobis notificare curaverit, quod ipse apud tuam celsitudinem habet quedam sua negotia expedire, in quibus apostolice recommendationis interventionem sibi reputat valituram, et pro quibus ad tuam presenciam mittit . . . presencium portitorem: serenitatem tuam rogamus attente, quatenus dictum Iohannem ob reverenciam apostolice sedis et nostram in hiis, que honeste a tua sublimitate pecierit, graciose habeas commendatum. Datum Avinione Id. Februarii. Anno Secundo.

In e. m. Carissime in Christo filie Elisabeth seniori Regine Ungarie.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 98.

CVII.

Ludovico regi Hungariae grates refert, quod gentes armigeras ad servitia Ecclesiae per annum moraturas se missurum obtulit.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Leta facie gaudiosaque mente Venerabilem fratrem nostrum Iohannem episcopum Vaciensem Ambaxiatorem tuum, latorem presentium, ad nostram destinatum presentiam recepimus consideratione mittentis, ac eciam sue intuitu bonitatis, et illa, que nobis ex parte tue serenitatis exposuit, percepimus animo letiori: vigore siquidem credencie sibi per Regiam serenitatem imposite, de qua misse nobis tue littere continebant, nostro apostolatui fideliter obtulit, quod completo negocio concordie dudum inter te ac Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Roman. Imperatorem semper Augustum tractate, que finem debitum erat de proximo habitura, paratus eras ad dei et beati Petri celestis clavigeri ac ecclesie Romane obsequium super terris magni et potentis hostis, cuius persecutionem tunc prefata paciebatur ecclesia, tuis expensis per unum annum potentem et oportunum exercitum retinere, infra quod tempus dicti hostis exterminium verisimiliter sperabatur. O princeps devotissime ac precarissime fili ecclesie sancte dei, qui ardore pietatis ignitus vehementer matri compateris indigenti, qui celestis Regis obsequiis devote militare desideras, et eius sponsam a malignorum incursibus defensare. Tu es vere gratitudinis filius, qui datam tibi a deo potenciam in humilitatis spiritu recognoscis, dum eam in suis beneplacitis nunc contra christianos iniquos hostes ecclesie, nunc contra scismaticos et heretica feditate respersos, nunc contra infideles et ethnicos satagis exercere. Tu vere rex et princeps christianissimus, qui non vacas viciosis deliciis, sed iugiter laboras pro tui nomine redemptoris, terrenum regnum in celeste cupiens laudando commercio commutare. Tua siquidem oblacio predicta magnifica seculis inaudita modernis mentem nostram consolationis plenitudine recreavit: et licet ipsius effectu non indigeamus ad presens, quia hostes olim ecclesie sunt ad gratiam reconciliationis admissi, oblationem tamen ipsam multipliciter habentes acceptam, eam in necessitatibus eiusdem ecclesie, que pro tempore possent occurrere, pro thesauro preciosissimo retinemus, et proinde Regie liberalitati copiosas gratiarum referimus actiones, rogantes deum, quod in salute ac prosperitate votiva multiplicet dies tuos. Datum Avinione v. Kal. Marcii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 103.

CVIII.

Eidem in favorem episcopi Vaciensis super solutione decimae per Cumanos ipsi episcopo persolvendae.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Grata nobis admodum Venerabilis fratris nostri Iohannis episcopi Vaciensis expositione didicimus, quod tua devota sublimitas dedit olim operam efficacem, quod nonnulli populi Cumanorum fidem reciperent orthodoxam, in qua perseverare dicuntur; sed quod nondum solvunt decimam suorum proventuum eidem episcopo animarum suarum pastori precipuo, ut tenentur. Nos igitur gerentes in votis, quod iidem Cumani in solutione huiusmodi decimarum sanctam recognoscant ecclesiam, et alia faciant, que faciunt et facere debent alii christiani, magnitudinem tuam affectuose rogamus, quatenus ob re-

verentiam dei et apostolice sedis et nostram, ac pro salute animarum dictorum Cumanorum magnaque utilitate ecclesie Vaciensis, Cumanos ipsos ad solvendam dictam decimam prefato episcopo secundum prudenciam tibi datam a domino digneris inducere, ac inductos continue conservare. Datum Avinione III. Kal. Martii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 108.

CIX.

Eidem, ut decimam per collectores sedis apostolicae a praelatis et clero regni sui exigi permittat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Sicut ad tue serenitatis noticiam non ambigimus pervenisse, dudum pro gravibus ecclesie Romane expensarum oneribus supportandis decimam ecclesiasticorum proventuum tui et quorumdam aliorum regnorum duximus imponendam, et quamvis super levatione huiusmodi decime in aliis regnis nostris mandatis cum reverencia pareatur, tamen prelati dicti tui regni in solutione dicte decime ab ipsis, et exactione ab aliis ecclesiasticis personis eis subditis faciendis per ipsos, quos ad hoc deputavimus collectores, contra mandatum per nos eis factum se reddiderunt contumaciter negligentes, de quo mirari compellimur et turbari, presertim cum eos tue celsitudinis devotione, quam ad Romanam geris ecclesiam, attenta, promptos et obedientes habere in hiis et aliis nostris iustis beneplacitis speraremus, et nisi propter regie magnitudinis dimisissemus intuitum, iam ostendissemus eisdem, quod non sit per nos huiusmodi inobediencia toleranda. Quare sublimitatem tuam rogamus attente, quatenus eosdem prelatos ad exequendum celeriter, quod eis in hac parte iniunximus, sic efficaciter exhorteris, quod ipsi, ut tenentur, apostolicis mandatis obediant, et nos non oporteat contra inobedienciam compulsionis remedium adhibere, tuaque devotio quoddam mandatum, quod fecisse dudum diceris, ne de fructibus et iuribus in dicto tuo regno collectoribus apostolice sedis responderetur, super quo tibi scripsisse meminerimus, velit eadem serenitas revocare, ac in hiis et aliis eisdem collectoribus pro dicte sedis reverencia prebere auxilium et favorem, et maliloquis, qui talia in offensam dei et apostolice sedis tue devotioni purissime non erubescunt suggerere, aures regias non prebere. Datum Avinione II. Kal. Marcii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 109.

CX.

Eidem circa translationem Gurcensis et Tiniensis episcoporum.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Licet venerabilis frater noster Iohannes Gurcensis olim Tiniensis episcopus ambaxiator tuus, lator presentium, pro translatione venerabilis fratris nostri Iohannis Brixinensis olim Gurcensis episcopi, Cancellarii dilecti filii nobilis viri Rodulphi ducis Austrie ad Pataviensem ecclesiam facienda, de qua nobis tua serenitas scripserat, apud nos et venerabiles fratres nostros sancte Romane ecclesie Cardinales institerit solicite ac fideliter et prudenter: tamen quia ille, qui electus extiterat, ad dictam Pataviensem ecclesiam fuit repertus ydoneus, et sibi non potuissemus honeste iusticiam denegare, ac etiam, quia turbaciones potencium et alia multa mala et scandala, que non ignoras, ex translatione ipsa formidabantur verisimiliter provenire, eidem ecclesie Pataviensi de persona dicti Electi duximus providendum, ac dictos Iohannem tunc Gurcensem ad Brixinensem et Iohannem Gurcensem tunc Tiniensem episcopos ad Gurcensem ecclesias suorum meritorum intuitu, ac tue serenitatis et prefati ducis consideratione duximus transferendos. Quare magnitudinem regiam rogamus attente, quatenus de hiis, que in premissis apostolice sedis providencia pro meliori fecit, tua filialis excellencia contentetur. Datum Avinione IIII. Idus Marcii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 135.

CXI.

Eidem gratulatur de pace inter ipsum et imperatorem reconciliata, de bono animo erga regnum Siciliae, deque magnifica oblatione Ecclesiae facta.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Nuper venerabilis frater noster Petrus episcopus Florentinus a tua reversus presentia capitula pacis, quam

cum Carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto tua fecerat magnitudo, et de qua pace toti populo christiano perutili, sicut per alias litteras regie serenitati scripsisse meminimus, habuimus et habemus plenitudinem gaudiorum, ac bonam dispositionem tuam circa quietem et statum regni Sicilie, super quo idem episcopus nobis tuas litteras presentavit, et etiam oblationem magnificam, per quam devote et liberaliter obtulisti eidem ecclesie, que tunc agitabatur bellorum procellis, in potenti brachio subvenire, nobis retulit fideliter et prudenter. Ipsam igitur dispositionem ac oblationem tuam magnificam, et eximie tue devotionis affectum, quem ut christianissimus et devotissimus princeps geris ad ecclesiam ipsam matrem tuam, merito habentes acceptos, proinde tue serenitati referimus graciarum multiplices actiones. Datum Avinione Kalendis Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 203.

CXII.

Elisabethae reginae seniori Hungariae super eodem.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elisabeth Regine Seniori Ungarie Illustri, salutem etc. Grata nobis Venerabilis fratris nostri Petri episcopi Florentini relatione cognovimus, quod tua serenitas ex sincere devotionis affectu, quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie illustrem natum tuum, quamvis ipse ad pacem habendam cum omnibus Christi fidelibus, ac ad nostra et eiusdem ecclesie obsequia velut christianissimus et devotissimus princeps esset bene dispositus, tamen ad concordiam reformandam cum Carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto, et ad offerendum liberaliter in potenti brachio subvenire eidem ecclesie tunc bellorum impetibus agitate, tuis exhortationibus validis vehementius animasti, de quibus serenitati tue, quam apostolice sedis ubilibet graciis prosequi affectamus, graciarum multiplices referimus actiones. Datum Avinione Kalendis Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 204.

CXIII.

Nicolao archiep̄o Strigoniensi eodem modo.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiep̄o Strigoniensi, Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris Cancellario, salutem etc. Grata nobis venerabilis fratris nostri Petri episcopi Florentini relatione didicimus, quod tua fraternitas eum immo nos in ipso multipliciter honorasti, sibique in commissis ei ab apostolica sede negotiis tuis consiliis et efficacibus favoribus apud regiam celsitudinem astitisti, de quibus nobis merito acceptis fraternitatem eandem laudibus condignis attollimus et ei gratiarum referimus actiones, intendentes te alias nobis ex meritis tuis acceptum, acceptiorem habere de cetero tanquam amplius comprobatum, ac oportuno tempore prosequi uberioribus gratiis et favoribus dicte sedis. Datum Avinione Kalendis Iunii. Anno Secundo.

In e. m. Venerabili fratri Stephano Episcopo Nitriensi, et dilectis filiis nobili viro Nicolao Kont regni Ungarie palatino ac Demetrio preposito Agriensi.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 204.

CXIV.

Ludovico regi Hungariae, ut procuratores Guilielmi card. S. Mariae in Cosmedin favorabiliter prosequatur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum dilectus filius noster Guillelmus sancte Marie in Cosmedin diaconus Cardinalis ad regendum et gubernandum beneficia, que in tuo Regno obtinet, et ad recuperandum quedam iura et bona quorundam suorum beneficiorum, que per quosdam tuos subditos dicuntur esse indebite occupata, dilectos filios Petrum de Monasterio archidiaconum de Zoboch in ecclesia Agriensi et Iohannem Bastardi canonicum Rothomagensem procuratores suos, latores presentium, ad Regnum predictum transmittat ad presens: serenitatem tuam rogamus attente, quatenus negotia dicti Cardinalis, qui semper in tuis et tuorum negotiis apud apostolicam sedem extitit, prout est promotor solicitus et fidelis, habeas pro nostra et dicte sedis reverencia favorabiliter commendata, eisdem procuratoribus, ubi expediens fuerit, regiis

favoribus assistendo; ita quod mediantibus favoribus ipsis, dicta negotia dirigantur felicius, nosque proinde tuam commendare magnitudinem amplius valeamus, et prefatus Cardinalis in tuis et tuorum agendis apud sedem promovendis eandem se reddat merito promptiorem. Datum Avinione Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Elisabeth Regine Ungarie, Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, Stephano Episcopo Zagrabiensi, Guillelmo Episcopo Quinqueecclesiensi, Nicolao Kunt Regni Ungarie Palatino, Iohanni Magistro Tavernicorum militi, Dionisio Woyvode Regni Ungarie Transilvano, Nicolao de Sech Dalmatie et Croacie Bano.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 244.

CXV.

Elisabethae seniori reginae respondet de quibusdam eius petitionibus, quae sine iustitiae laesione concedi non possunt.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabet antiquiori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Quamvis, Carissima filia, pia tua vota favore benevolo prosequamur, illisque, quantum cum deo poterimus, intendamus annuere, ac credamus indubie, quod in negotio decimarum, pro quo in favorem dilectarum filiarum . . . Abbatissae et conventus monasterii sancte Clare de Veteribuda Vesprimiensis diocesis, per te constructi, nuper nostro apostolatui per dilectum filium Petrum de Monasterio Archidiaconum de Zobonch in ecclesia Agriensi, latorem presentium, supplicasti, pura intentione ducaris: tamen considerantes, quod non debemus alicui concedere gracias in preiudicium aliorum, et quod si consideremus seu declaremus, quod decime proventuum rusticorum et colonorum ad parochiales, que habent onus cure animarum, seu alias ecclesias et monasteria pertinant, magnum preiudicium eisdem ecclesiis et monasteriis faceremus, nec nobis nec tibi prodesset, quinimo noceret elemosina de substancia aliena, propter quod volumus, prout instancia suadet, moniales dicti monasterii pretextu indulti eis super huiusmodi decimis ab apostolica sede concessi fore immunes a prestatione decimarum predictarum, quantum ad partem eas contigentem, sed quod presidentes et rectores ecclesiarum et monasteriorum recipiant aut recipere debeant decimam fructuum ad eosdem rusticos et colonos spectantium, prout hactenus recipere consueverunt, non obstante privilegio memorato. Quare devotionem tuam rogamus attente, quatenus nostram voluntatem huiusmodi tamquam iustam habens acceptam, cum reverencia filiali pro ipsius observatione ob reverenciam apostolice sedis et nostram velis favorem tue celsitudinis impertiri: nos enim si pro dicto monasterio in aliis rationabilibus graciis desideriis tuis complacere poterimus, id paternis affectibus et promptis effectibus faciemus. Datum Avinione xiv. Kal. Augusti. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 279.

CXVI.

Ludovico regi Hungariae in favorem Caroli de Duracio.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Quamvis expedire non debeat, quod os ex ossibus tuis et carnem ex carne tua regali magnitudini commendemus: quia tamen paterna monitio semper operari debet fructum in filiis, nostraque caritas erga pupillorum presertim clarissimi sanguinis profectum invigilat, serenitatem tuam affectuose rogamus, quatenus ad statum dilecti filii nobilis Caroli de Duracio pupilli consanguinei tui dirigens oculos regie pietatis, ad ipsum tam consideratione tui preclarissimi sanguinis, quam intuitu pietatis, que debetur talibus, ac ob reverenciam apostolice sedis et nostram gratiam tuorum dilectionis et favoris extendas, eumque regalibus favoribus tue magnitudini possibilibus prosequaris. Datum Avinione ii. Kal. Augusti. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 283.

CXVII.

Archiepo Salisburgensi, ut abbatem de Toplica Zagrab. dioec. a violentiis laicorum tueatur.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Salzeburgensi, salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod licet olim dilectus filius Sifridus Abbas monasterii de Toplica Cisterciensis ordinis, Zagrabiensis diocesis, eidem monasterio tunc vacanti in Abbatem canonice prefectus

fuisset, ac ex commissione Episcopi Zagrabiensis, qui tunc erat, sibi fuisset munus benedictionis impensum, ipseque dictum monasterium per annum et ultra in spiritualibus et temporalibus pacifice et laudabiliter gubernasset: tamen postmodum ipse Sifridus Abbas regimine et Abbatia dicti monasterii per laicalem potentiam de facto spoliatus, et in carcerem etiam secularis curie positus absque aliqua rationabili causa, indebite novem annis collo, manibus et pedibus catenis vinculatus graviter et miserabiliter mancipatus extitit, et demum ligatus cum funibus et corrigiis pluries per sex menses in cippo etiam angariatus fuit, donec traderet ipsis laicis et assignaret sigillum Abbatie predicte ac iuramentum prestaret, quod de predictis querelam non deponeret, coactus extitit per vim et metum, qui cadere potuit in constantem: quodque dilectus filius Guido de Claravalle monachus eiusdem monasterii in Toplica professus post detentionem et incarcerationem huiusmodi in dicto monasterio se intrusit, illudque detinuit, prout detinet indebite occupatum: ipseque Sifridus, divina sibi favente clementia, a dicto carcere liberatus ad sedem apostolicam pro iustitie remedio duxit humiliter recurrendum. Nos igitur, qui paterne pietatis studiis filiis oppressis compatimur, et libenter subvenimus afflictis, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis prefato Guidone et aliis evocandis, dictoque iuramento, prout iustum fuerit, relaxato, audias hinc inde proposita, et quod iustum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Non obstantibus tamen felicis recordationis Bonifacii pape octavi, predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam, a fine sue diocesis ad Iudicem evocetur; seu quod Iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, ac de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de Iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que tue possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare; seu si eidem Guidoni vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione II. Non. Augusti. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. com. fol. 143.

CXVIII.

Ludovico regi Hungariae in favorem Ioannis Cantelini domini civitatis Bivinensis.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad dilectum filium nobilem virum Iohannem Cantelini dominum civitatis Bivinensis, eius exigentibus meritis, ac devotione preclara, quam ad nos et Romanam gerit ecclesiam, affectum sincere dilectionis habentes, eum in suis agendis, que honestatem contineant, cupimus prosperari. Cum itaque idem Iohannes nobis notificare curaverit, quod ipse apud tuam celsitudinem habet quedam sua negotia expedire, in quibus apostolice recommendacionis interventionem sibi reputat valituram, et pro quibus ad tuam presentiam mittit . . presentium portitorem: Serenitatem tuam rogamus attente, quatenus dictum Iohannem ob reverenciam apostolice sedis et nostram in hiis, que honeste a tua sublimitate petierit, generose habeas commendatum. Datum Avinione Idibus Augusti. Anno Secundo.

In e. m. Ven. fr. Nicolao Archiepo Strigoniensi et nobili viro Nicolao Palatino Regni Ungarie.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 289.

CXIX.

Archiepo Strigoniensi et aliis super pace inter archepm Salisburgensem ducesque Austriae et Bavariae reconcilianda.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Intellecto nuper cum amaritudine cordis nostri, quod guerra inter Venerabilem fratrem nostrum . . . Archiepiscopum Salzeburgensem et dilectos filios nobiles viros Duces Austrie ex una parte, ac Stephanum Ducem Bavarie ex altera olim, procurante seminatore zizanie, suscitata periculose nimium invalescit, ad tractandum ex parte nostra pacem inter eos Venerabilem fratrem Agapitum Episcopum

Esculanum apostolice sedis nuntium latorem presentium, virum circumspectum, scientia preditum ac concordie amatorem, presentialiter destinamus, ac Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem per dictum nuncium et apostolicas litteras exhortamur, ut pro dicta pace presertim apud eosdem Duces Austrie, qui Regia consilia et voluntatem creduntur in hiis et aliis cum reverencia suscepturi, dignetur interponere partes suas. Quare fraternitatem tuam rogamus attente, quatenus dictum Regem ad exequendum opus tanti boni, tanquam deo amabilis et nobis accepti, tuis persuasionibus providis inducere studeas iuxta posse. Datum Avinione III. Nonas Septembris. Anno II.

In e. m. Venerabilibus fratribus Thome Archiepiscopo Colocensi, . . Transilvanensi, . . Nitriensi, . . Cenadiensi, . . Varadiensi, . . Vesprimiensi, . . Zagabriensi, . . Bosnensi, . . Iauriensi, . . Quinqueecclesiensi et . . Agriensi Episcopis ac dilecto filio . . Electo Waciensi.

In e. m. Elizabeth Seniori Regine Ungarie, Nicolao Comiti Triumgenerum Siculorum, Kome Comiti Posoniensi, Iohanni Magistro Tavernicorum Regni Ungarie, Nicolao de Sech Dalmacie et Croacie Bano, Stephano nato Michk quondam Bani, Stephano Bebek Iudici Curie Regis Ungarie, Dyonisio Voyvode Transilvano Regni Ungarie, Leustachio Sclavonie Bano, Nicolao Palatino Regni Ungarie, Nicolao de Sara Bano de Baco, Nicolao Duci Opavie, Bolkoni Duci Swidnicensi.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 329.

CXX.

Ludovico regi Hungariae, ut ad eandem pacem reconciliandam partes suas efficaciter interponat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Super custodia animarum fidelium licet insufficientibus meritis a domino constituti, illarum tenemur obviare periculis et salutem apostolice solicitudinis studio procurare, cunctaque, prout nostre possibilitati conceditur, de medio tollere, per que aditus eisdem pandatur periculis, prefateque salutis semita obstruatur. Nuper siquidem non absque amaritudine cordis nostri multorum fidedignorum significatione didicimus, quod orta dudum discordia inter Venerabilem fratrem nostrum . . Archiepiscopum Salzeburgensem et dilectos filios nobiles viros Rodulfum Ducem Austrie ex una parte ac Stephanum Ducem Bavarie ex altera, procurante zizanie satore, sic crevit sicque utriusque partis animos inflammavit, quod partes ipse propriarum virium terminos excedentes consanguineorum et amicorum quam plurimorum auxilia invocant, iamque incipiunt congregare, et cum ipsi Duces generositate prepolleant, magnaque potiantur gloria facultatum, totam pene Alamaniam et vicinas partes ad mutui congressus excidium trahere moliuntur, ex quo nisi de festine pacis succurratur remedio, cum illarum partium populi sunt naturaliter bellicosi, si, quod absit, partes ipse ad prelium deveniant generale, christiani sanguinis grandis effusio et per consequens animarum pericula, aliaque mala quam plurima, que bellorum calamitas solet producere, probabiliter formidantur. Nos igitur adversus mala ipsa, ne vires sumant ulterius, cupientes, prout tenemur, oportunam diligenciam adhibere, de tuaque interpositione adhibenda in hac parte solicite spem precipuam obtinentes, Venerabilem fratrem nostrum Agapitum Episcopum Esculanum apostolice sedis nuncium, harum latorem, virum circumspectum, sciencia preditum et concordie amatorem, ad Regiam ac eorundem Archiepiscopi et Ducum presentiam, ad exhortandum eos et adherentes ipsorum ex parte nostra, ut a bellicis progressibus desistentes ad pacis redeant unitatem, et ad pacem ipsam cum tuo consilio et favore tractandum, oportuno sibi super hiis mandato tradito, providimus destinandum. Quare Regiam Serenitatem paterna caritate requirimus et affectuose rogamus, quatenus pro dicta pace, presertim apud eundem Ducem Austrie, qui tuo in hac parte speratur adhesurus sano consilio, interponas efficaciter partes tuas, prefato nuncio ob reverenciam autoris pacis, per quem regnas feliciter, ac dicte sedis et nostram oportuna favores et consilia tribuendo. Datum Avinione III. Nonas Septembris. Anno Secundo.

In e. m. Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, Rodulfo Duci Austrie, Stephano Duci Bavarie, Archiepiscopo Salzeburgensi, Iohanni olim Olomucensi Episcopo in Archiepiscopum Pragensem Electo, Theodoro Archiepiscopo Magdeburgensi, Bertholdo Episcopo Eystetensi, Burghardo Magdeburgensi Burgravio Magistro Curie Imperialis, Iohanni de Bohemia Marchioni Moravie, Frederico Balthasar et Wilhelmo Marchionibus Misnensibus, Thimoni domino in Choldítz militi, Frederico Burgravio de Nuremberg, Ruperto Seniori Duci Bavarie et Comiti Palatino Reni.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 327.

CXXI.

Eidem super receptione suarum litterarum et nuntii, super concessione gratiarum, de quibus supplicabat, et excusatione de archiepo Strigoniensi facta, et ut ducem Austriae a gravaminibus viris ecclesiasticis inferendis faciat abstinere.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dilectum filium Iohannem de Bredenscheyd legum doctorem, Consiliarium et Ambaxiatorem tuum, latorem presentium, ad nostram presentiam destinatum, ac litteras regias nobis presentatas per ipsum more solito letanter recepimus, ac eundem Iohannem benigne audivimus super omnibus, que ex tui parte tam de recommendatione negociorum Carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, quam de aliis per tuam celsitudinem commissis eidem exponere voluit, iuxta votum suum audivimus graciose, magneque consolationis augmentum suscepimus, per evidenciam cognoscentes, quod inter te et Imperatorem prefatum sincera est dilectio reformata, dum illius satisfieri votis desideras, illaque, sicut tu postulas, exaudiri. Excusationem etiam, quam fecisti de Ven. fr. nostro . . Archiepo Strigoniensi, libenter audivimus, et sicut de sinistris relatis de ipso non potuimus non turbari, sic de sua innocencia per tantum Principem tamque devotum filium nobis notificata precipue delectamur. Tuasque ac dilecti filiinobilis viri Rodulfi Ducis Austrie, pro quo nobis tua serenitas supplicavit, peticiones rationabiles concessimus graciose. Et quia idem Dux ecclesias, monasteria et clerum suarum terrarum, prout refert fama publica, infringendo libertatem ecclesiasticam nimium gravavit, et gravare non cessat ab eis multas pecunias extorquendo, Regiam devotionem affectuose rogamus, quatenus Ducem ipsum, qui tuis consiliis et persuasionibus providis a commissis in hac parte per eum speratur probabiliter cessaturus, velis inducere, ut a premissis desistat et restituat iam ablata, suorumque devotorum progenitorum laudanda vestigia in conservatione libertatis ecclesiastice imitetur. Ceterum ecclesiis Dalmacie et Croacie de personis tue sublimitatis acceptis, si de hoc nobis constabit, dummodo sint ydonee, libenter curabimus providere, prout idem Iohannes plenius tibi dicet. Datum Avinione vii. Idus Septembris. Anno ii.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 309.

CXXII.

Eidem regi, ut pacem inter Rodulphum ducem Austriae et Franciscum de Carrara reconciliet.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Licet discordie cunctorum Christi fidelium, presertim que gravia bella periculaque animarum et corporum sunt verisimiliter pariture, non immerito mentem nostram amaricent et conturbent, cum tamen fidelibus ecclesie, qui pro ea exhibuerunt sponte se pugiles, et eidem in magne necessitatis tempore magnifice subvenerunt, guerram et pericula presertim iniuste preparari sentimus, dolore pungimur duplicato. Cum ita ad nos fidedigna relatione pervenerit, quod dilectus filius nobilis vir Rodulfus Dux Austrie contra dilectum filium nobilem virum Franciscum de Carraria militem in civitate Paduana et eius districtu imperialem vicarium, tuumque devotum et servitorem precipuum, guerram movere proponat, ex qua idem Franciscus specialis ecclesie Romane devotus et filius, qui pro ea, ut regiam magnitudinem audivisse putamus, multa grandia et fructuosa magnifice operatus extitit, vexaretur et debilitaretur non modicum, et ad defensionem ipsius ecclesie in oportunis casibus debilis redderetur, quiesque partium Lombardie irrumperetur indubie, et magna in eis posset commotio exoriri, regiam celsitudinem, quanto affectuosius possumus, deprecamur, quatenus ob reverenciam dei ac apostolice sedis et nostram pro tuoque sublimitatis honore huiusmodi discordie ac novitati noxie nimium viis et modis, quibus tue pregrandi circumspectioni videbitur, digneris solicite obviare, super hiisque venerabili fratri nostro Agapito episcopo Esculano apostolice sedis nuncio, latori presentium, in dicendis tibi ex parte nostra per eum velis fidem plenariam adhibere. Datum Avinione iii. Id. Septembris. Anno Secundo.

In e. m. Carolo Romanorum Imperatori.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 331.

CXXIII.

Eidem, ut ad pacem inter eumdem ducem et patriarcham Aquileiensem reconciliandam partes suas efficaciter interponere studeat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Regiam celsitudinem credimus non latere, quod dilectus filius nobilis vir Rodulphus dux Austrie ve-

nerabilem fratrem nostrum Ludovicum patriarcham Aquilegensem ac eius Aquilegensem ecclesiam, cuius, ut dicitur, vassallus existit, bellicis insultibus multipliciter molestavit, ac gravibus iniuriis et dampnis affecit, quodque de hiis postmodum treuga facta extitit, que adhuc modico tempore dicitur duratura. Ideoque cum venerabilem fratrem Agapitum epum Esculanum apostolice sedis nuncium, latorem presentium, pro aliis magnis arduis negociis ad tuam et dicti ducis presentiam destinemus, eidem commisimus, quod ex parte nostra inter eosdem patriarcham et ducem pacem firmam tractare procuret. Quare cum in hoc multum valere possit, ut credimus, regia celsitudo, eam affectuose rogamus, quatenus in hac parte dignetur interponere benigne partes suas, prefatam ecclesiam, ad quam specialem affectionem te habere percepimus, habendo pro divina ac dicte sedis et nostra reverencia commendatam. Datum Avinione III. Idus Septembris. Anno Secundo.

In e. m. Carolo Romanorum Imperatori.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 334.

CXXIV.

Archiepo Strigoniensi eiusque suffraganeis, ut matrimonia in gradibus prohibitis contracta, dispensatione non obtenta, fore nulla denuntient.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Strigoniensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Illicitis actibus et presumptuosis temeritatibus, qui contra deum et sacros canones a nonnullis presumptoribus quasi licite presumuntur, cupimus, prout nos teneri recognoscimus, apostolicis remediis obviare. Cum itaque sepius ad nos relatibus fidedignis pervenerit, quod nonnulli de vestris civitatibus et diocesibus deum non habentes pre oculis, sed illicitum sectantes pro licito, matrimonia in gradibus a iure prohibitis scienter et de facto contrahere, et in sic contractis remanere, honestatis respectu postposito, non verentur in suarum animarum periculum et scandalum plurimorum: Nos in hac parte de oportuno providere remedio intendentes, fraternitati vestre, que de talibus absque nostra solicitatione ex debito iniuncti nobis pastoralis officii debet esse solicita, presentium tenore in virtute sancte obediencie districte precipiendo mandamus, quatenus receptis presentibus in vestris cathedralibus et aliis collegiatis, et curatis ecclesiis vestrarum civitatum et diocesium per vos vel alium seu alios omnes et singulos contractus matrimoniales in quocunque gradu prohibito absque dispensatione sedis apostolice attemptatos, et imposterum attemptandos forte, nullos et irritos nuncietis, et omnes et singulos, qui huiusmodi contractus illicitos inire presumpserint, nominatim, si de ipsis vobis constiterit, alioquin in genere excommunicatos fore a iure in ecclesiis vestrarum civitatum et diocesibus diebus dominicis et festivis, existentibus populis ad divina, publice nuncietis, ut excommunicatos evitetis, et mandetis ab aliis arctius evitari, donec absolutionis beneficium meruerint obtinere. Verum quia presentes littere nequirent forsan propter viarum discrimina vel alias vestrum singulis Suffraganeis commode presentari, volumus, quod per te, frater Archiepiscope, dictarum litterarum transumptum manu scriptum publica tuoque communitum sigillo tuis predictis Suffraganeis transmittatur, cui adhiberi per eos volumus velut originalibus plenam fidem. Datum Avinione XIV. Kal. Decembris. Anno Tercio.

In e. m. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis Colocensi, Pragensi et Salzeburgensi eorumque Suffraganeis.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 176.

CXXV.

Regi Hungariae, ut Simoni magistro generali ord. Praed. in quodam negotio ad eum misso fidem adhibeat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dilectum filium Symonem ordinis fratrum predicatorum generalem magistrum, latorem presentium, virum multa circumspectione, probitate ac scientia decoratum, super quodam arduo negotio tue serenitatis honorem ac consolationem, ut speramus in Domino, contingente, ad tuam presentiam destinamus, cui super hiis, que tibi ex parte nostra duxerit referenda, velis fidem indubiam adhibere. Datum Avinione III. Kal. Ianuarii. Anno Tercio.

In e. m. Elisabeth seniori Regine Ungarie et Kazimiro Regi Polonie.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 20.

CXXVI.

Eidem de matrimonio inter Albertum iuniorem ducem Austriae et Catherinam filiam marchionis Moraviae ineundo.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad nostrum pervenit auditum, quod Carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus olim promisit, et iuramento firmavit facere et curare pro posse, quod dilectus filius nobilis vir Albertus iunior dux Austrie ac dilecta in Christo filia nobilis mulier Catherina nata dilecti filii nobilis viri Iohannis marchionis Moravie, fratris dicti Imperatoris, matrimonialiter iungerentur, et eumdem Imperatorem super huiusmodi promissione ac iuramento suas dedisse, et quondam Alberti ducis Austrie, supradicti Alberti genitoris, simile pro dicto suo filio promittentis ac iurantis litteras recepisse, et hiis non obstantibus ab aliquibus procurare, quod inter dictum Albertum iuniorem et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Elizabeth natam quondam Stephani fratris tui, qui in tertio et quarto consanguinitatis gradibus dicuntur coniuncti, sub spe habende dispensationis nostre matrimonium contrahatur, et ad hoc contra huiusmodi promissionem et iuramentum procurandum seu saltem non impediendum Imperialis sollicitatur et requiritur celsitudo: nos igitur considerantes, quod si contra eadem promissionem et iuramentum idem Imperator veniret, quod absit, suo, quem zelamus, minus derogaretur honori, dicto Imperatori per alias nostras litteras paterno consilio suademus, quod contra iam dicta sua promissionem et iuramentum non veniat, nos enim eumdem Imperatorem per dictas litteras et tuam celsitudinem tenore presentium reddimus certiores, quod cum eisdem Alberto iuniore et Elisabeth, ut possint licite matrimonialiter copulari, ex certis causis rationabilibus non intendimus dispensare; quinimmo eidem serenitati notificamus, quod iii. Idus Decembris proximo preteriti ex certis rationabilibus causis omnes dispensationes per fel. rec. Clementem VI. et Innocentium VI. et quosvis alios Romanos Pontifices, predecessores nostros, quibuscumque tam magnatibus quam inferioribus sub ea verborum generalitate, ut ipsi et eorum filii et nepotes utriusque sexus matrimonium cum personis aliis, eorum nominibus non expressis, secundo vel tertio aut quarto consanguinitatis et affinitatis, vel alterius earum gradibus, aut aliquo vel aliquibus ipsorum graduum sibi attinentibus licite contrahere possent, concessas, quarum vigore contracta matrimonia non existerent, auctoritate apostolica duximus revocandas. Datum Avinione vi. Kal. Marcii. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 53.

CXXVII.

Processus et sententiae pro feria v. in Coena Domini.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra omnes Cazaros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passaginos et Fraticellos, ac quoscumque alios hereticos, quocumque nomine censeantur, ac omnes fautores et receptatores, credentes et defensores eorum. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios et latrunculos marinos, ac omnes fautores, receptatores et defensores eorum. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina, vel alia prohibita deferunt Sarracenis, quibus christianos impugnant. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios Bulle, et litterarum apostolicarum et petitionum graciam et iusticiam continencium per summum Pontificem, aut Vicecancellarium seu gerentem officii Vicecancellarii sancte Romane ecclesie, de mandato eiusdem summi Pontificis signatarum, aut sub nomine summi Pontificis seu Vicecancellarii, vel gerentis officium Vicecancellarii predictorum signantium petitiones easdem. Item excommunicamus et anathematizamus illos, qui ad sedem apostolicam venientes vel recedentes ab ea, necnon illos, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes, eos, qui in Romana curia morantur, temeritate propria capere, spoliare vel detinere, aut ex proposito deliberato vulnerare atrociter vel interficere presumunt, et qui victualia vel alia ad usum Romane curie necessaria impediunt, ne ad sedem predictam deferantur, et qui talia fieri faciunt sive mandant, ac alios, qui scienter eis favent, vel ipsos receptant aut defendunt, cuiuscumque fuerint ordinis, preeminentie, conditionis et status, etiam si pontificali seu alia ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios quascumque personas ecclesiasticas et seculares ad

eamdem curiam super eorum causis et negotiis recurrentes, illaque in Romana curia prosequentes, aut procuratores, gestores, advocatos vel promotores ipsorum, seu etiam auditores, qui super dictis causis vel negotiis deputantur, vel de eadem Romana curia recedentes occasione causarum vel negotiorum huiusmodi verberant, mutilant vel occidunt, aut bonis spoliant eorumdem, cuiuscunque preeminencie, dignitatis, ordinis, condicionis aut status fuerint, etiam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, predicta vel eorum aliqua committentes. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios directe vel indirecte sub quocunque titulo vel colore civitates, castra, villas, terras ac loca et iura quelibet alia ipsius ecclesie Romane, vel aliqua seu aliquam eorum aut ipsorum, vel aliquorum seu alicuius ipsorum partem, et etiam comitatum Venaisini et civitatem Avinionensem cum eius territorio, necnon castra, loca, et fortalicia ad ecclesiam Avinionensem pertinencia scienter occupant et detinent occupata. Non obstantibus, si aliquibus cuiuscunque ordinis, condicionis, status, dignitatis et preeminencie fuerint, etiam si, ut predicitur, pontificali seu quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, communiter vel divisim a sede predicta sit concessum quod excommunicari et anathematizari non possint per litteras apostolicas, que plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, nec non ordinibus, locis, nominibus propriis et cognominibus ac dignitatibus eorum non fecerint mentionem, necnon privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus, ac consuetudinibus et observanciis scriptis et non scriptis contrariis quibuscunque, per que contra premissa vel eorum aliqua seu aliquod possent quomodolibet se tueri, que quo ad hec cassamus, irritamus et tollimus, ac iuribus evacuamus, eos insuper, qui huiusmodi sentencias per nos latas incurrerint, nullus dumtaxat nisi Romanus Pontifex absolvere valeat preterquam in mortis articulo constitutos. Ut autem nostri processus ad communem omnium noticiam deducantur, cartas sive membranas processus continentes eosdem maioris ecclesie Avinionensis appendi vel affigi ostiis sive superliminaribus faciemus, que processus ipsos suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ut hii, quos ipsi processus contigerint, nullam possint excusationem pretendere vel ignorantiam allegare, quod ad eos non pervenerint, vel quod ignoraverint eosdem, cum non sit verisimile, quo ad eos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre excommunicationis, anathematizationis, cassationis, irritationis, annullationis et vacuationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum et Actum Avinione in palacio nostro apostolico IIII. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 248.

CXXVIII.

Ludovico regi Hungariae in favorem Guilielmi cardinalis S. Mariae in Cosmedin.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Quamvis teneamus indubie serenitatem tuam non ignorare, dilectum filium nostrum Guillermum sancte Marie in Cosmedin diaconum Cardinalem fore tui honoris et status ac tui regni fervidum zelatorem, et apud sedem apostolicam solicitum promotorem, et non expedire in favorem dicti Cardinalis penes serenitatem eamdem adiici preces nostras: quia tamen decet, quod nos, qui continuo experimento videmus ipsum Cardinalem apud sedem predictam tua tuorumque gentium negotia diligenti solicitudine prosequentem, eum tue magnitudini commendemus, Celsitudinem regiam rogamus attente, quatenus pro nostra et prefate sedis reverencia procuratores ac familiares, et beneficia ecclesiastica ac iura Cardinalis eiusdem in tuo regno consistencia suscipias propensius commendata. Datum Avinione II. Idus Maii. Anno Tercio.

In e. m. Elizabeth Regine Seniori Ungarie et Nicolao archiepo Strigoniensi.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 98.

CXXIX.

Regi H[illegible], ut ad perficiendum matrimonium inter ducem Austriae et neptem suam procedat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Inter alia, que incumbunt nostre cure pastoralis officio, illud noscitur esse precipuum, ut animarum

saluti solicitius intendentes obviare futuris scandalis, ex quibus earumdem proveniunt animarum pericula, solerti diligencia studeamus. Dudum siquidem tua serenitas per dilectum filium Iohannem de Bredenscheid, legum doctorem, ambasciatorem tuum propter hoc ad nostram presentiam destinatum nobis significare curavit, quod per consanguineos et amicos dilecti filii nobilis viri Alberti ducis Austrie, ac dilecte in Christo filie nobilis mulieris Elizabeth neptis tue, nate quondam Stephani fratris tui, quamvis se in tertio et quarto gradibus consanguinitatis contingant, sub spe tamen obtinende dispensationis apostolice sedis fuit tractatum, quod ipsi Albertus et Elizabeth matrimonialiter iungerentur, et quod ad hoc tue sublimitatis assensus et solennis promissio iuramento firmata intervenit: propter quod per eumdem Iohannem nobis humiliter supplicasti, quod cum eisdem Alberto et Elizabeth, ut invicem matrimonium licite contrahere valeant, impedimento non obstante predicto, dispensare auctoritate apostolica dignaremur. Verum nos fide dignorum assertionibus informati, quod ex dispensatione predicta et matrimonio secuturo ex ea multa possent scandala obvenire, dictam dispensationem non duximus concedendam, notificavimusque tibi, quod illam nequaquam intendebamus concedere in futurum. Cum autem nuper per litteras regias delatas per dilectum filium Symonem ordinis fratrum predicatorum Magistrum nobis pro dicta dispensatione supplicaveris iterato, nos tuam in hac parte voluntatem fervidam intuentes, ac timentes, ne, quod absit, ad ipsius matrimonii perfectionem procedatur de facto, cum de iure procedi non possit, tuisque honori et saluti in hac parte paterna caritate consulere cupientes, serenitatem eamdem, quam optamus ab illicitis abstinere et omnimoda apud Deum et homines gloria prepolleri, affectuose rogamus et hortamur in Domino, quatenus cum deficiente dispensatione predicta, huiusmodi tuam promissionem etiam iuramento firmatam servare minime tenearis, et de non servatione huiusmodi sis apud Deum et homines excusatus: quinimo ex contrario contra tuos honorem et salutem, quos pastorali solicitudine custodire tenemur, certissime faceres, et hii, qui contrahunt scienter in gradu prohibito, incurrant excommunicationis sententiam a canone promulgatam, et dantes consilium, auxilium vel favorem simili sentencia sint ipso iure ligati, et ut huiusmodi verisimilibus scandalis obvietur, ad faciendum perfici de facto dictum matrimonium inter eosdem Albertum et Elizabeth aliquatenus non procedas: quinimo sicut christ̃ius princeps sacris canonibus devote obtemperans, et ea que Deum offendunt, attente devitans, quantum in te fuerit, quod non fiat, des operam efficacem. Datum Avinione x. Kal. Iunii. Anno Tercio.

Eidem in hunc modum usque efficacem. Quia vero posset periculum esse in mora, et oportuna remedia non sunt in tanto negotio differenda, si huiusmodi nostris affectuosis precibus forsan, quod non credimus, annuere recusares, tibi auctoritate predicta tenore presentium districtius inhibemus, ne directe vel indirecte, publice vel occulte facias vel permittas, quod dicta neptis tua, que in tua potestate notorie consistit, matrimonium de facto contrahat cum Alberto Iuniore prefato. Alioquin si nostre prohibitioni huiusmodi contempseris obedire, ipso facto sentenciam excommunicationis incurras, et Regnum tuum subiaceat ecclesiastico interdicto, nosque absolutionem a dicta sentencia et relaxationem ac suspensionem huiusmodi interdicti nobis et nostris successoribus Romanis Pontificibus specialiter reservamus. Ceterum licet ad observationem iuramenti, si quod pro dicto matrimonio contrahendo forsan prestiteris, cessante dicta dispensatione minime tenearis, nichilominus tamen ad servandam tuam conscienciam te ad observationem ipsius iuramenti, quod vinculum iniquitatis esse non debet, decernimus non teneri. Datum Avinione x. Kal. Iunii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 102.

CXXX.

Elisabethae reginae seniori super eodem.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Inter alia etc. ut supra in prima usque Dudum siquidem Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris, natus tuus, per dilectum filium Iohannem de Bredenscheid legum doctorem, Ambaxiatorem suum, propter hoc ad nostram presentiam destinatum, nobis significare curavit, quod per consanguineos et amicos dilecti filii nobilis viri Alberti ducis Austrie, ac dilecte in Christo filie nobilis mulieris Elizabeth neptis tue, nate quondam Stephani nati tui, quamvis se in tercio et quarto gradibus consanguinitatis contingant, sub spe tamen obtinende dispensationis apostolice sedis fuit tractatum, quod ipsi Albertus et Elizabeth matrimonialiter iungerentur, et quod ad hoc ipsius Regis assensus et solempnis promissio firmata iuramenti vinculo intervenit: propter quod idem Rex per

eumdem Iohannem nobis humiliter supplicavit, quod cum eisdem Alberto et Elizabeth, ut invicem matrimonium licite contrahere valeant, impedimento non obstante predicto, dispensare auctoritate predicta dignaremur. Verum nos fidedignorum assertionibus informati, quod ex dispensatione predicta et matrimonio secuturo ex ea possent scandala provenire, dictam dispensationem non duximus concedendam, notificavimusque dicto Regi, quod illam nequaquam intendebamus concedere in futurum. Cum autem nuper prefatus Rex per litteras suas delatas per dilectum filium Simonem ordinis fratrum predicatorum magistrum nobis pro dicta dispensatione supplicaverit iterato, nos ipsius Regis in hac parte voluntatem fervidam intuentes, ac timentes, ne, quod absit, ad dicti matrimonii perfectionem procedatur de facto, cum de iure procedi non possit, ipsius Regis honori et saluti in hac parte paterna caritate consulere cupientes, eum, quem optamus ab illicitis abstinere et omnimoda apud Deum et homines gloria prepotiri, per alias nostras litteras affectuose rogamus et hortamur in Domino, quod cum dispensatione deficiente predicta huiusmodi suam promissionem, etiam si foret, ut premittitur, iuramento firmata, servare minime teneatur, et de non conservatione huiusmodi sit apud Deum et homines excusatus; quinimo ex contrario contra suos salutem et honorem, quos pastorali solicitudine custodire tenemur, certissime faceret, et hii, qui scienter contrahunt in gradu prohibito, incurrant excommunicationis sentenciam a canone promulgatam, et dantes in hoc auxilium, consilium vel favorem simili sentencia sint ipso iure ligati, et ut huiusmodi verisimilibus scandalis obvietur, ad faciendum perfici de facto dictum matrimonium inter eosdem Albertum et Elizabeth aliquatenus non procedat; quinimo sicut christianissimus princeps sacris canonibus devote obtemperans, et ea, que Deum offendunt, attente devitans, quantum in eo fuerit, quod non fiat, det operam efficacem. Quare tuam serenitatem rogamus attente, quatinus, quantum in te fuerit, huiusmodi coniunctionem contra ius fieri non permittas, prefatumque Regem ad acquiescendum nostris paternis et caritativis exhortationibus tuo sano consilio et monitione materne persuasionis inducas, nec ex hoc ponat, quod absit, maculam in sui gloriosi nominis claritate. Datum Avinione x. Kal. Iunii. Anno Tercio.

Eidem in hunc modum usque efficacem. Ceterum quia posset esse in mora periculum, et oportuna remedia non sunt in tanto negotio differenda, si huiusmodi nostris affectuosis precibus forsan, quod non credimus, annuere recusares, tibi auctoritate predicta tenore presentium districtius inhibemus, ne directe vel indirecte, publice vel occulte facias, et quantum in te fuerit, permittas, quod dicta neptis tua matrimonium de facto contrahat cum Alberto Iuniore prefato. Alioquin si nostre prohibitioni huiusmodi contempseris obedire, ipso facto sentenciam excommunicacionis incurras, ac civitates et terre tue subiaceant ecclesiastico interdicto: Nosque absolutionem a dicta sentencia, et relaxationem ac suspensionem huiusmodi interdicti nobis et nostris successoribus Romanis Pontificibus specialiter reservamus. Datum Avinione ut supra.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 103.

CXXXI.

Archiepo Strigoniensi eiusque suffraganeis, ne predictum matrimonium fieri permittant.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Strigoniensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Inter alia etc. ut supra in littera Regine, mutatis mutandis, usque efficacem. Quocirca fraternitati vestre tenore presentium districtius inhibemus, ne directe vel indirecte, publice vel occulte in contrahendo huiusmodi de facto matrimonio detis consilium, auxilium vel favorem; quinimo receptis presentibus, quam cito commode poteritis, per vos vel alium seu alios omnes et singulos consiliarios dicti Regis, prout vobis subsunt seu in vestris civitatibus et diocesibus consistunt, personaliter, si commode poterunt reperiri, alioquin eos et quosvis alios, cuiuscunque dignitatis vel status ecclesiastici vel mundani existant, etiam si pontificali vel alia prefulgeant dignitate, per publicum edictum proponendum in vestris cathedralibus et aliis vestrarum civitatum et diocesium locis insignibus, de quibus videritis expedire, ex parte nostra monere curetis, quod in dicto matrimonio contrahendo non dent directe, publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem. Alioquin in vos et eos, qui contra feceritis seu contra fecerint, excommunicationis sententiam promulgamus, et ipsorum contrafacientium terras supponimus ecclesiastico interdicto, absolutionem ab huiusmodi sentencia et relaxationem ac suspensionem dicti interdicti nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus specialiter reservantes. Datum Avinione x. Kal. Iunii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 104.

CXXXII.

Ludovico regi Hungariae, ut filiam fratris sui duci Burgundiae in uxorem dare velit.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Serenitatem regiam gerentes in visceribus caritatis, illa libenti animo iugiter cogitamus et implere cupimus, que cedere valeant ad regii culminis honoris augmentum ac consolationis perpetue firmitatem. Sane in apostolice considerationis aciem deducentes, quod tu habes dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Elizabeth, neptem tuam, natam quondam Stephani fratris tui, in etate proxima nuptui, ut dicitur, constitutam, de cuius iam maritatione tractatur, ac attendentes dilectum filium Philippum de Francia Ducem Burgundie Carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francie illustris fratrem, illustrissimum genere, etate floridum ac consanguinitate precelsorum principum circumseptum, diviciis et potentia gloriosum, prudencia preditum, strenuitate, prout adolescens sua etas patitur, iam famosum, sicque moribus ornatum regalibus, quod cunctis se gratiosum et amabilem prebet, per que verisimili coniectura presumimus, quod tu eum de tua clarissima prosapia genitum habebis reverentissimum et dilectissimum filium, ac extimandum fore, tantam convenienciam datam esse divinitus, decereque admodum ac etiam expedire, quod elongata iam consanguinitas mutua per affinitatis copulam ad utriusque Regnorum, videlicet Francie et Ungarie, ingentem leticiam renovetur, ac putantes ex hiis et aliis iustis causis eorumdem Philippi et Elizabeth connubium Deo et bone voluntatis hominibus placiturum, ac esse futurum ad honorem et gloriam stabilitatemque tui solii, Regnique tui et totius christianitatis commodum et leticiam generalem, ac per dictam tuam neptem non posse modernis temporibus congruentius et honorabilius matrimonium celebrari, Celsitudini tue paterno consilio suademus, eamque affectuose rogamus, quatinus prefatam neptem tuam memorato Philippo velis tradere in uxorem, exinde, prout speramus in Deo, perpetuam leticiam habiturus. Datum Avinione iv. Non. Iunii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 108.

CXXXIII.

Elisabethae reginae super eodem matrimonio.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Serenitatem tuam gerentes in visceribus caritatis, illa libenti animo iugiter cogitamus et implere cupimus, que cedere valeant ad tui et Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, nati tui, honoris augmentum ac consolationis perpetue firmitatem. Sane in apostolice considerationis aciem deducentes, quod tu habes dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Elizabeth neptem tuam, natam quondam Stephani filii tui, in etate proxima nuptui, ut dicitur, constitutam, de cuius iam maritatione tractatur etc. ut supra in proxima usque placiturum, ac esse futurum ad honorem et gloriam tuos, ac prefatorum Regis et Regni Hungarie stabilitatem, et totius christianitatis commodum et leticiam generalem etc. ut supra usque ad finem.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 108.

CXXXIV.

Guilielmo ep̄o Quinqueecclesiensi et aliis praelatis super eodem matrimonio.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Wilhelmo Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Pro matrimonio inter dilectum filium nobilem virum Philippum de Francia Ducem Burgundie, Carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francie Illustris fratrem, ac dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Elizabeth, nepotem Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, auctore domino, contrahendo scribimus eidem Regi Ungarie et Carissime in Christo filie nostre Elizabeth Regine Seniori Ungarie Illustri sub tenore presentibus interclusο. Quare, cum credamus indubie, hec ad honorem et prosperitatem dicti Regis Ungarie et sui regni cedere, dictamque Elizabeth neptem non posse honorabiliori et meliori connubio copulari, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus apud dictos Regem et Reginam Ungarie, et alias, sicut videris expedire, pro dicto contrahendo matrimonio interponas efficaciter partes tuas. Datum Avinione iv. Non. Iunii. Anno Tercio.

In e. m. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis Stephano Strigoniensi et Thome Colocensi, Episcopis Ladislao Wesprimiensi, Iohanni Vachiensi, Dominico Cenadiensi et Stephano Zagrabiensi.

necnon Nobilibus viris Nicolao Kont Palatino Regni Ungarie, Dyonisio Woyvode Transilvano Regni Ungarie, Nicolao Nicolai Magistro Ianitorum Curie Regie Ungarie, Stephano Bebek Comiti Curie Regis Ungarie, Iohanni Magistro Tavernicorum Regni Ungarie, et Nicolao dicto Sech Dalmacie et Croacie Bano. Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 108.

CXXXV.

Ludovico regi Hungariae, ut regem Poloniae ad reginam revocandam efficaciter inducat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Vellemus, carissime fili, tibi, quem gerimus in visceribus caritatis, semper placita reservare, sed occurrentibus morbis pernitiosis oportet interdum ad tollendum maiorem dolorem atque periculum adhiberi amaritudinem discipline. Nuper siquidem ad nostri apostolatus auditum, fama publica referente, pervenit, quod Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris, avunculus tuus, qui dudum Carissimam in Christo filiam nostram Adelaydem Reginam Polonie Illustrem consortem suam contra regie honestatis debitum a suo reiecit consortio pro libito voluntatis, super quo ipsa Regina contra Regem eundem in Romana Curia iusticiam suam prosequitur, mala malis accumulans et inverecunde obnubilans serenitatis Regie claritatem, nuper asserendo pro se in huiusmodi causa in dicta Curia diffinitivam fore sententiam promulgatam, et certam dispensationem obtinuisse ab apostolica sede, quod cum alia contrahere possit, etiam in gradu prohibito, quamvis premissa omni careant veritate, cum quadam alia etiam consanguinea sua matrimonium de facto contraxit, eamque tamquam suam uxorem ad nepharios admisit amplexus in dampnationem anime sue, plurimorum scandalum, suorum consanguineorum et devotorum tristiciam ac grande opprobrium Regie dignitatis: propter quod nos, qui salutem et honorem prefati Regis paterna caritate zelamus, tam horrendum facinus, quod nisi celeriter emendetur, dampnabilis exempli perniciem in suo Regno et nonnullis aliis partibus populi christiani diffundet, tolerare sub patiencia, salva consciencia, nequeuntes, dictum Regem per nostras litteras, quas cum presentibus mittimus, monemus et hortamur in Domino, nichilominus sibi per apostolica scripta precipiendo mandantes, quod eisdem suis saluti et honori, quos negligit, consulens incunctanter, eandem superinductam ex toto dimittere, prefatamque Adelaydem, precedentibus securitatibus debitis, ad suam cohabitationem recipere, eamque tractare maritali affectione et congruis honoribus non postponat: alioquin sciat, nos commisisse dilecto filio nostro Egidio tituli sancti Martini in montibus presbitero Cardinali, coram quo dicta causa pendet, ut super huiusmodi novo dicti Regis excessu contra ipsum procedat prout iusticia suadebit. Quare serenitatem tuam, quam non dubitamus de tanta culpa Regis eiusdem gravi doloris aculeo sauciari, et tantam inhonestatem etiam execrari, rogamus et hortamur attente, quatinus eundem Regem efficaciter inducas, ut tam grave scelus statim studeat emendare, prefatamque superinductam quam deceptam, et huc usque esse credimus sine culpa, totaliter dimittendo, memoratamque Adelaydem recipiendo ac tractando maritali affectu, et alias honorifice, sicut status exigit reginalis. Datum Avinione III. Kal. Octobris. Anno Tercio.

In e. m. Carissime in Christo filie Elizabeth Regine Ungarie Illustri, sed ubi dicitur avunculus tuus, dicatur frater tuus.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 157.

CXXXVI.

Eidem, ut nuntios sedis apostolicae commendatos habeat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Preces serenitatem tuam illas preces libenter apponimus, quarum exauditionem ad anime tue salutem, tueque fame augmentum profuturam esse cognoscimus, et nichilominus ad apostolice sedis honorem et commodum redundare: ideoque serenitatem eandem rogamus attente, ac in domino exhortamur, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia dilecto filio Arnoldo de Caucina scolastico ecclesie Craconiensis, et aliis nunciis dicte sedis, qui in tuo Regno sunt et erunt pro tempore, sic efficaciter regios favores impendas, quod Regnum ipsum secure intrare et exire, in illoque morari, suumque officium valeant libere exercere, providendo eisdem de securo conductu, quotiens fuerit oportunum, ac faciendo amoveri omne impedimentum, quod esset appositum temporibus retroactis. Datum Avinione III. Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 105.

CXXXVII.

Elisabethae reginae seniori, super eodem argumento.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabet seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Nota est nobis, filia carissima, tue devotionis integritas, qua nos et Romanam ecclesiam revereris, ac iura et libertates eiusdem, quantum tibi posse conceditur, protegis et defendis: ideoque fidencius serenitatem tuam rogamus ac in domino exhortamur, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia nuncios dicte sedis, qui in Regno tuo sunt et erunt pro tempore, graciosis favoribus prosequaris, ac penes Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem natum tuum insistas exhortationibus oportunis, ut nunciis eisdem sic regios favores impendat, quod Regnum prefatum secure intrare et exire, in illoque morari suumque officium valeant libere exercere, providendo eisdem de securo conductu, quotiens fuerit oportunum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 105.

CXXXVIII.

Nicolao archiepiscopo Strigoniensi, super eodem.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri per alias nostras litteras scribimus iuxta formam cedule presentibus intercluse. Quamvis igitur fraternitati tue circa materiam in eisdem litteris contentam meminerimus scripsisse iamdudum, et pro agendis honorem et commodum Romane ecclesie contingentibus penes te preces nostras multiplicari non debeat expedire, nichilominus tamen ex habundanti eandem fraternitatem rogamus attente, ac in domino exhortamur, quatenus penes dictum Regem insistas exhortationibus oportunis, ut sic nuntios dicte sedis regiis favoribus prosequatur, quod Regnum suum secure intrare et exire, in illoque morari suumque officium libere valeant exercere, eisdemque de securo conductu provideat, quotiens fuerit oportunum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 105.

CXXXIX.

Ludovico regi Hungariae prorogatur terminus, in quo Graecis succursum dare promiserat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Licet, fili carissime, plurimum habeamus acceptum, quod negotium defensionis Grecorum ad finem reductionis eorum ad sacrosancte Romane ecclesie unitatem modis debitis prosequaris, decet tamen et expedit, hoc ita prudenter et mature fieri, ut non tendat ad noxam, quod agitur ad salutem. Sane cum, sicut in antiquis chronicis et scripturis aliis reperitur, iidem Greci cum dicta ecclesia in tractatibus per eam cum eisdem habitis dolose ac fraudolenter incesserint, illudendo fallaciter ecclesie memorate, et ex huiusmodi preteritis de similibus futuris sit verisimiliter presumendum: presertim quia iidem Greci non videntur ex devotionis zelo et pura voluntate, sed coacti pro habendo tuo succursu venire velle ad huiusmodi unitatem, cum eis est cum multa maturitate et cautele studio procedendum: et quia de re ardua agitur, et ipsius executio est adeo difficilis et prolixa, quod infra modicum tempus compleri non poterit, ut optatur, si tua celsitudo vovisset seu iurasset predictis Grecis seu eorum Imperatori infra certum terminum de proximo prestare succursum, nos premissorum consideratione inducti, votum et iuramentum huiusmodi usque ad annum a dato presentium computandum, auctoritate apostolica tenore presentium suspendimus ad cautelam; placet tamen nobis, quod dicto Imperatore ac eius filiis reductis ad huiusmodi unitatem, eis interim de aliqua armigera gente succurras, si tibi expediens videatur, tuaque magnificentia bonis operibus semper intenta interim vacare poterit aliis operibus pietatis. Nulli ergo etc. Datum Avinione x. Kal. Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 240.

CXL.

Eidem gratiae redduntur de eo, quod negotium reducendorum Graecorum ad unitatem ecclesiae Romanae sic ardenter promovet.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Venerabilem fratrem nostrum Stephanum Episcopum Nitriensem tuum ac nobilem virum Georgium Ma-

gineaires, militem Constantinopolitanum, Magnifici viri Iohannis Imperatoris Grecorum illustris Ambaxiatores ad nostram presentiam destinatos, tam consideratione mittentium, quam acceptissimi deo et apostolice sedi negotii eorum fidelitati commissi, cum leticia ingenti recepimus, tanquam ferentes de terra longinqua nova gratissima de reditu deviantium filiorum, ipsosque Ambaxiatores super tractatu per tuam circumspectam devotionem habito cum Imperatore prefato nos, et fratres nostri sancte Romane ecclesie Cardinales sepius et benigne audivimus, ac agenda per nos in tanto negotio, prout ipsius magnitudo requirebat, mature discussimus, et quanto cicius potuimus, curavimus expedire, ac professionem fidei, olim per dictam sedem clare memorie Michaeli Imperatori Grecorum in simili casu transmissam, quam a prefato Iohanne Imperatore ac Clero et populo Grecorum exigimus, cum diligencia recensitam eidem Imperatori sub bulla nostra secundum tenorem inclusum presentibus per dictum Georgium destinamus: tuam itaque devotionem ingentissimam, qua fervere in tam pio negotio pro dei reverencia comprobaris, dignissimis laudum preconiis attollentes, Regiam sublimitatem, quamvis exhabundanti, rogamus et hortamur in domino, cuius causam virtuose prosequeris, quatenus felicia tue magnanimitatis inicia sic incessanter continues, quod cum auxilio divine gracie fructum percepisse optatum de tuis devotissimis studiis et laboribus gratuleris, et ecclesia sancta dei in te christianissimo suo filio de tanto per te cepto et consummato negocio cunctis futuris temporibus glorietur, tuque demum per hec et alia grandia dei servicia, quibus vacas assidue, post terrenum dyadema eternam gloriam consequaris. Ceterum prefatum Episcopum, qui tam prudenter, quam solicite huiusmodi fuit prosecutus negotium, quod propter eius arduitatem cicius expediri non potuit, si moram traxit tuo desideranti animo forsitam tediosam, cum per eum non steterit, quin fuerit expeditus celerius, habere debes merito excusatum. Et quia omnia in premissis tam arduis non possunt sufficienter litteris explicari, quosdam apostolice sedis nuncios ad te personaliter destinamus, qui et dictus Episcopus Nitriensis super predictis et aliis, que tue sublimitati notificabimus per eosdem, tuam intencionem audiant, eam nobis postmodum relaturi, Nosque super hiis solemnes legatos ad tuam presentiam, dante domino, curabimus destinare. Datum Avinione Kalendis Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 118.

CXLI.

Elisabethae reginae seniori super eodem.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Tue devotionis eximie et pietatis precipue studia, que pro reductione Grecorum ad gremium sacrosancte Romane et universalis ecclesie una cum Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Ungarie Illustri, nato tuo, adhibuisti fideliter, adhibereque non desistis continue, sedes apostolica non ignorat, tantoque proinde serenitatem tuam voce maioris commendationis attollit, quando exinde certius sperat provenire salutem plurimum animarum. Letare igitur, filia, que post multa probitatis opera, quibus altissimo placuisti, tantam ab ipso meruisti gratiam, ut tam magni tamque pii negotii fieres fidelissima procuratrix, ex cuius et dicti tui nati devotissimis studiis speratur prefate reconciliationis effectus probabiliter securus. Quare magnitudinem tuam rogamus et hortamur in domino Iesu Christo, quatenus dictum negotium tam per te ipsam, quam apud eundem Regem consueta tua solicitudine prosequaris. Ceterum ea, que per magnificum virum Iohannem Imperatorem Grecorum illustrem suosque natos, ac Clerum et populum dictorum Grecorum facienda pro ipsorum salute decrevimus, eidem Imperatori scribimus per apostolicas litteras, quarum tenorem ad tuam informationem mittimus presentibus interclusum, et nichilominus venerabilis frater noster Stephanus Episcopus Nitriensis tuus et dicti Regis Ambaxiator, lator presentium, ad sedem apostolicam destinatus, et quidam nuncii nostri, quos super hiis ad tuam et dicti Regis presentiam mittimus, illa tibi plenius narrabunt oraculo vive vocis. Datum Avinione Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. fol. 119.

CXLII.

Eidem regi Turcas hostiliter invadendi licentia datur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Celestis Regis tenentis in excelsis Imperium vices, licet immeriti, gerentes in ecclesia militante, fidem

catholicam, extra quam salus animarum non provenit, tenemur custodire summopere ac diffusius propagare, fideles quoque in unitate ecclesie persistentes pro posse protegere, ipsorumque expugnatores profugare pro viribus, et ad hoc efficiendum fideles ipsos spiritualibus donis et graciis invitare, ut tenebrosa infidelitatis obscenitas cedat eiusdem fidei claritati, sicque impiorum temeritas presumens molestare ac dissipare dei populum reprimatur, quod cultores trinitatis ab infidelium hostilitate securi liberius valeant altissimo famulari. Sane in publicam notionem omnium pene Christi fidelium presertim orientalium noscitur devenisse, quod impiorum Turcorum, sevissimorum hostium christiani nominis, rabies in ipsos fideles in eadem unitate dicte ecclesie persistentes impugnantium retroactis temporibus sic excrevit, sic feritatem sui furoris armavit, quod eorum viribus, quas fortiores fecit sua crudelitas, conglobatis, nonnulla Insulas, Civitates, Castra, Villas, Casalia et loca eorum fidelium presumptuosis conatibus occuparunt, et nonnulla ex eis detinent occupata, alia vero cremarunt incendio, seu alia crudeliter destruxerunt, eorum Incolis utriusque sexus professoribus sacratissime fidei, aliis inhumaniter ferro peremptis, aliis profugatis, et aliis in miseriam infelicissime captivitatis abductis et abscriptis tam abhominabilis nationis perpetue servituti, depopulatisque nonnullis Insulis aliisque terris de partibus ultramarinis, in quibus iidem fideles degebant, sic eorum semper ascendit superbia, sic ausus detestabiles non invenientes validum obicem augmentantur assidue, quod a certis citra temporibus Regnum Cipri, quod colitur a fidelibus prelibatis, ingredi et predari temptarunt, nonnullos utriusque sexus exinde christicolas absportantes, et quasi licenter et intrepide cursitantes per maria, nonnullis remotorum ab eis fidelium finibus apropinquant, suam extollentes dampnandam audaciam, et cultorum Christi nomen et gloriam deprimentes, in gravissimam nostri redemptoris iniuriam ac inextimabile dampnum: et nisi talibus obsistatur conatibus in magnum periculum populi Christiani, que omnia tu acceptissimus deo Princeps, quem deus igne devotionis accendit, illustravit victoriis et potencia roboravit, pie considerans, ac in tanta miseria et periculo constitutis caritativa tua humanitate compaciens, spiritu consilii et fortitudinis inductus et etiam confortatus, sicut per venerabilem fratrem nostrum Stephanum Episcopum Nitriensem, Ambaxiatorem tuum, propter hec specialiter ad sedem apostolicam destinatum, nobis significare curasti, ad ulciscendum tot et tantas dicti redemptoris iniurias, ac subveniendum eisdem fidelibus, qui persecutiones et impugnationes dictorum Turchorum iugiter perferunt, et eorum presumptuosa molimina reprimendum et exterminandum, ac eos, si cum dei auxilio poteris, disposuisti cum beneplacito et licentia dicte sedis pro illo, qui pro te dignatus est mori, te tradere periculis et labori, ac largitam tibi a deo potenciam in obsequium exponere largitoris, cum grandi multitudine tuorum subditorum et nonnullorum aliorum fidelium contra Turchos eosdem magnifice processuros, nobisque humiliter supplicasti, ut tibi assumendi cum forti brachio huiusmodi negotium, et illud prout devotioni tue ministrabit altissimus, prosequendi licenciam, ac omnibus et singulis christifidelibus, qui tecum vel ducibus seu capitaneis a te contra prefatos Turchos, qui eosdem fideles in eadem unitate dicte ecclesie persistentes, ut prefertur, impugnant, mittendis devote accesserint, ut in huiusmodi bello dominico eo promptiores reddantur, quo maiori gratia se prospexerint premiandos, illam plenam indulgenciam, que per dictam sedem dari solet transfretantibus in terre sancte subsidium, concedere dignaremur. Nos igitur letati ab intimis de tua devotione et magnanimitate tam grandi, ac huiusmodi tuum sanctum propositum apostolicis coadiuvare favoribus intendentes, tuis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio dictam licenciam auctoritate apostolica tenore presentium elargimur: indulgenciam vero prefatam concessimus, prout in aliis nostris litteris inde confectis plenius continetur. **Nulli ergo etc. Datum Avinione Kal. Iulii. Anno Quarto.**

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 119.

CXLIII.

Eidem reginae, quod regem ad premissa sollicitabit, venia omnium suorum peccatorum conceditur.

Urbanus epicopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth Regine Seniori Ungarie Illustri, salutem etc. Fervor devotionis, quem geris ad deum, ac studia et labores, que ex zelo sincerissimo adhibes ad salutem animarum pereuntium, promerentur, ut specialem tibi gratiam concedamus. Cum itaque nuper Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri nato tuo, procedendi manu armata contra infideles Turchos, impugnantes Christianos in unitate ecclesie persistentes, licenciam, ac omnibus christifidelibus, qui, dicto Rege huiusmodi negotium personaliter, seu per suos duces et

capitaneos ac subditos prosequente, contra dictos Turchos ultra vel citra mare proficiscerentur, et laborem huiusmodi subirent in personis propriis et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter forent corde contriti et ore confessi, illam plenam indulgenciam, que per apostolicam sedem dari solet transfretantibus in terre sancte subsidium consuevit concedi, duximus concedendas, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Nos volentes te, que, ut percepimus relatibus fidedignis, dictum Regem ad assumendum et prosequendum dictum negotium tuis exhortationibus induxisti, et alias in hac parte multipliciter laborasti, et prestante domino laborabis in futurum, favore prosequi gracie specialis, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ac illa, quam deus nobis licet immeritis ligandi atque solvendi contulit, potestate tibi omnium tuorum peccatorum, de quibus fueris veraciter corde contrita et ore confessa, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum, ac si in prosecutione dicti negotii personaliter accessisses. Et nichilominus penitencias omissas seu recte non factas, que peregrinationem aliam, aut aliquod pium opus, vel restitutionem, aut aliam realem prestationem vel erogationem faciendas aliis non concernant, tibi misericorditer remittentes, devotioni tue concedimus, quod per generalem confessionem peccatorum tuorum, de quibus memoriam non habueris, que tamen, si de illis in speciali recoleres, confitereris libenter, a te factam, indulgenciam plenam obtineas; ita tamen, quod si postmodum ad tui memoriam huiusmodi peccata redierint, tenearis ea specialiter confiteri. Nulli ergo etc. Datum Avinione Kal. Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 120.

CXLIV.

Cont comiti palatino Hungariae, ut in predicti negotii prosecutione studiosum se reddere velit.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro ... dicto Cont Regni Ungarie Comiti Palatino, salutem etc. Devotionem eximiam, quam pro reductione Grecorum ad sacrosancte Romane ecclesie unitatem habes ardenter, et circumspectionis tue studia, que ad exterminium infidelium christianos impugnantium cum Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Ungarie Illustre adhibuisti hactenus et adhibere non cessas, ex relatione venerabilis fratris nostri Stephani Episcopi Nitriensis, latoris presentium, audivimus iocundanter, proindeque nobilitatem tuam multipliciter in domino commendantes, eandem rogamus et hortamur attente, quatenus sic te in prosecutione istorum sanctorum negotiorum studiosum gerere studeas, quod preter humane laudis preconium a deo premium, ac nostram et apostolice sedis gratiam valeas uberius promereri. Datum Avinione Kal. Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 120.

CXLV.

Archiepo Strigoniensi et aliis praelatis et nobilibus Hungariae super eodem.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Ex relatione Venerabilis fratris nostri Stephani Episcopi Nitriensis audivimus iocundanter, quod tua fraternitas pro reductione Grecorum ad sacrosancte Romane ecclesie unitatem, et pro exterminatione infidelium Turchorum impugnancium christianos in unitate eiusdem ecclesie persistentes, apud Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem ad hec devotis intendentem affectibus sollicite laboravit. Proinde itaque fraternitatem eandem multipliciter in domino commendantes, te rogamus et hortamur attente, quatenus sic in prosecutione istorum sanctorum negotiorum te reddas continue studiosum, quod preter humane laudis preconium a deo premium etc. Datum ut supra.

In e. m. Venerabilibus fratribus Thome Archiepiscopo Colocensi, et Episcopis ... Quinqueecclesiensi, ... Zagrabiensi, ... Transilvanensi, ... Agriensi, ... Varadiensi, et nobilibus viris Dyoniso Wayvode et fratribus eius, Stephano Comiti Curie Regie Ungarie, et Nicolao Dalmatie et Chroatie Bano.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 120.

CXLVI.

Eidem archiepo de indulgentiis concessis cum rege Hungariae proficiscentibus contra Turcas, et praedicatione verbi crucis.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Strigoniensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Celestis Regis tenentis in excelsis imperium vices licet immeriti gerentes in ec-

clesia militante, fidem catholicam, extra quam salus animarum non provenit, tenemur custodire summopere ac diffusius propagare, fideles quoque in unitate ecclesie persistentes pro posse protegere, ipsorumque impugnatores profugare pro viribus, et ad hoc efficiendum fideles ipsos spiritualibus donis et gratiis invitare, ut tenebrosa infidelitatis obscenitas cedat eiusdem fidei claritati, sicque impiorum temeritas presumens molestare ac dissipare dei populum reprimatur, quod cultores trinitatis, ab infidelium hostilitate securi liberius valeant altissimo famulari. Sane in publicam notionem omnium pene christifidelium presertim orientalium noscitur devenisse, quod impiorum Turchorum sevissimorum hostium christiani nominis rabies in ipsos fideles retroactis temporibus sic excrevit, sic feritatem sui furoris armavit, quod eorum viribus, quas fortiores fecit seva crudelitas conglobatis, nonnulla insulas, civitates, castra, villas, casalia et loca eorundem fidelium presumptuosis conatibus occuparunt, et nonnulla ex eis detinent occupata, alia vero ignis cremarunt incendio, seu alias crudeliter destruxerunt, eorum Incolis utriusque sexus professoribus sacratissime fidei aliis inhumaniter ferro peremptis, aliis profugatis et aliis in miseriam infelicissime captivitatis abductis et ascriptis tam abhominabilis nationis perpetue servituti, depopulatisque nonnullis Insulis aliisque terris de partibus ultramarinis, in quibus idem fideles degebant sic eorum semper ascendit superbia, sic ausus detestabiles non invenientes validum obicem augmentantur assidue, quod a certis citra temporibus regnum Cipri, quod colitur a fidelibus prelibatis, ingredi et predari temptarunt, nonnullos utriusque sexus exinde christicolas absportantes, et quasi licenter et intrepide cursitantes per maria, nonnullis remotorum ab eis fidelium finibus apropinquant, suam extollentes dampnandam audaciam et cultorum Christi nomen et gloriam deprimentes, in gravissimam nostri redemptoris iniuriam ac inextimabile dampnum, et nisi talibus obsistatur conatibus, in magnum periculum populi christiani: que omnia acceptissimus deo princeps, Carissimus videlicet in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris, quem deus igne devotionis accendit, illustravit victoriis et potencia roboravit, pie considerans, et in tanta miseria et periculo constitutis caritativa sua humanitate compatiens, spiritu consilii et fortitudinis indutus et etiam confortatus, sicut nobis per venerabilem fratrem nostrum Stephanum episcopum Nitriensem, Ambaxiatorem suum, propter hoc specialiter ad sedem apostolicam destinatum, significare curavit, ad ulciscendum tot et tantas dicti redemptoris iniurias, ac subveniendum eisdem fidelibus, qui persecutiones et impugnationes dictorum Turchorum iugiter perferunt, ac eorum presumptuosa molimina reprimendum et exterminandum, ac eos, si cum dei auxilio poterit, disposuit cum beneplacito et licentia dicte sedis pro illo, qui pro eo dignatus est mori, se tradere periculis et labori, ac largitatam sibi a deo potenciam in obsequium exponere largitoris, cum grandi multitudine suorum subditorum et nonnullorum aliorum fidelium contra Turchos eosdem magnifice processurus, nobisque humiliter supplicavit, ut assumendi cum forti brachio huiusmodi negotium, et illud, prout sibi ministrabit altissimus, prosequendi licenciam, ac omnibus et singulis christifidelibus, qui cum eo vel ducibus seu capitaneis ab ipso contra prefatos Turcos mittendis devote accesserint, ut in huiusmodi bello dominico eo promptiores reddantur, quo maiori gratia se prospexerint premiandos, illam plenam indulgenciam, que per dictam sedem dari solet transfretantibus in terre sancte subsidium, concedere dignaremur: nosque letati ab intimis de tanti principis devotione et magnanimitate tam grandi, ac huiusmodi suum sanctum propositum apostolicis coadiuvare favoribus intendentes, de fratrum nostrorum consilio dictam licenciam auctoritate apostolica duximus concedendam: ut igitur subditi prefati Regis et alii, qui eum seu eosdem suos duces seu capitaneos in huiusmodi viagio, seu prosecutione negotii contra dictos Turcos impugnantes, ut premittitur, christianos in dicta unitate manentes voluerint comitari, ad hoc amplius animentur, ipsos ad hoc quibusdam spiritualibus munificenciis, indulgenciis videlicet et remissionibus providimus invitandos. Quocirca fraternitati vestre de dictorum fratrum consilio per apostolica scripta committimus et mandamus, vos nichilominus obsecrantes per aspersionem preciosi sanguinis Iesu Christi, quatenus pie considerantes tot et tantas miserias ac pericula populi christiani, ac proinde attendentes, quod cum fidelium suorum regimini vos velut in solicitudinis partem assumptos prefecerit dominus ad promotionem huiusmodi sancti negotii, plus ceteris tenemini ex officio pastorali, tanquam precones fideles et fortes athlete fidei contra predictos perfidos hostes Christi, singuli videlicet vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus per vos et alias personas ecclesiasticas seculares et regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc ydoneas fore noveritis, cunctis christi fidelibus iuxta datam vobis et eis a deo prudenciam proponatis publice verbum crucis, et venerabile signum eius quibusvis fidelibus illud suscipere devote volentibus, quos ad hoc utiles fore cre-

dideritis, concedatis ipsorumque humeris imponatis: fideles eosdem, quos ad audiendum propositionem ipsam, quotiens expedierit, ad loca ydonea convocare possitis, solicitis exhortationibus et oportunis instanciis inducentes, ut suscipientes cum reverencia signum crucis, ipsumque suis cordibus imprimentes contra hostium predictorum perfidiam insurgant viriliter, ac negotium ipsum ferventer assumant et ferventius prosequantur. Porro quia dignus est operarius mercede sua, singulis vestrum et eorum, quos ad predicationem crucis, ut dictum est, duxeritis assumendos, in hoc divino fideliter laborantibus opere preter mercedem eternam, quam merito sperare potestis, quociescumque populis ad hoc specialiter convocatis proposueritis verbum crucis, unius anni et quadraginta dierum, necnon fidelibus ipsis, qui ad verbum huiusmodi audiendum devote convenerint, centum dierum, vere tamen penitentibus et confessis, indulgenciam elargimur: et ut cuncti fideles tanto libentius et efficacius premissa prosequi studeant, quanto ex suis laboribus potiorem gratiam se noverint percepturos, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ac illa, quam nobis deus licet immeritis ligandi atque solvendi contulit, potestate omnibus Christi fidelibus, qui dicto Rege huiusmodi negotium personaliter, seu per suos duces et capitaneos ac subditos prosequente, contra dictos Turchos ultra vel citra mare profecti fuerint, et laborem huiusmodi in personis propriis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus fuerint veraciter corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis eterni pollicemur augmentum. Eis autem, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis illuc accesserint, et illis similiter, qui iuxta facultatem et qualitatem suam bellatores ydoneos in expensis propriis destinabunt, quamvis personaliter ipsi non vadant, plenam concedimus suorum veniam peccatorum penitencias vero omissas seu recte non factas per aliquos ex predictis, nisi peregrinationem aliam, aut aliquod pium opus, vel restitutionem seu aliam realem prestationem aut erogationem concernerent, eisdem misericorditer remittentes, omnibus ipsis concedimus, quod per confessionem generalem peccatorum: de quibus memoriam non habuerint, que tamen, si illa in speciali recolerent, confiterentur libenter, indulgentiam plenam obtineant taliter confitentes; ita tamen, quod si postmodum ad eorum memoriam huiusmodi peccata redierint, illa teneantur specialiter confiteri. Eas preterea, qui licet non iuxta qualitatem et facultatem suam, aliquem tamen seu aliquos bellatores ydoneos, ut premittitur, in subsidium dicti negotii propriis sumptibus destinaverint, vel de suis temporalibus bonis contribuerint ad aliquos destinandos, et illos, qui pro dicto negotio seu viagio de bonis eisdem congrue ministrabunt, prout singulis fuerit divinitus inspiratum, necnon consiliarios testatorum, qui testatores eosdem ad subveniendum pro dicto negotio cum efficacia hortabuntur, ac illos etiam, qui pro huiusmodi sancto negotio laborabunt, et hactenus laborarunt, et alias ad promotionem ipsius consilium et auxilium impenderunt et impendent, iuxta qualitatem subsidii et devotionis affectum et mensuram laboris participes esse volumus indulgencie memorate. Rursus illos, qui dictam crucem assument, aut votum de proficiscendo in dicto viagio emiserint vel emittent, si moriantur antequam iter arripiant, dum tamen pro subsidio dicti passagii tantum demiserint, quantum expensuri fuissent secundum status decenciam eundo, morando et redeundo per annum, si personaliter ivissent in dicto viagio, et quantitatem huiusmodi in vita eorum iuxta suas declaverunt conscientias, quas super hoc oneramus, necnon et eos, qui post assumptionem seu votum huiusmodi viventes declaraverint, plenam indulgenciam obtinere se velle ac dare in dicti negotii subsidium, si eos contingeret premori, quantum essent per annum eundo personaliter, ut de illis premittitur, expensuri, etiam si quantitatem eandem viventes non declaraverint, quo casu quantitas ipsa per legatum dicte sedis, si in eodem viagio fuerit, alioquin per taliter decedencium ordinarios debeat declarari, plene consequi volumus indulgenciam memoratam, retenta nichilominus dicte sedis potestate, quod facultatem declarandi quantitatem predictam possit aliis committere vel transferre in alios, si hoc viderit expedire: volumus insuper, quod illi ex crucesignatis seu voventibus supradictis, quos de intentione sua non obligandi heredes suos, infra dimidium annum declaratione huiusmodi non facta, postea mori contigerit, plenam indulgenciam consequentur; heredes tamen ipsorum et bona ad quantitatem, quam illi, si ivissent in dicto viagio, fuissent per annum, ut de aliis predicitur, expensuri, convertendam in negotii predicti subsidium remaneant obligati: si autem aliqui ex crucesignatis vel voventibus memoratis infra dimidium annum prefatum, priusquam declaraverint se velle plenam indulgenciam obtinere ac dare pro dicto viagio, quantum essent expensuri per annum, decedant, nullam habeant indulgenciam dictorum assumptionis seu voti pretextu; sed si forsan aliud dederint pro viagio sepedicto iuxta quantitatem subsidii

et devotionis affectum, sint participes indulgencie memorate, heredibus et bonis eorum alias in nullo remanentibus obligatis. Ut autem huiusmodi sanctum negotium felicius prosperetur, volumus, ut in singulis cathedralibus, collegiatis et parochialibus ecclesiis vestrarum civitatum et diocesium singuli trunci concavi ponantur tribus clavibus consignati, prima videlicet penes Episcopum loci, secunda penes ecclesie prelatum seu rectorem aut sacerdotem, et tertia penes aliquem vite probatum laicum conservandis, et in eis fideles ipsi, iuxta quod dominus mentibus eorum inspiraverit, suas elemosinas deponere in suorum remissionem peccaminum moneantur. Porro desiderantes intense, quod huiusmodi negotium optatum sortiatur effectum, et eiusdem Regis et aliorum Christi fidelium pia devotio, orationum, adiuta suffragiis, circa prosecutionem dicti negotii efficacius roboretur, auctoritate presentium ordinamus, ut in singulis supradictis et aliis etiam regularibus ecclesiis dicti Regni, qualibet ebdomada semel, certa die pronuncianda populo una missa pro salute dicti Regis et prosperitate sancti negotii prelibati, prefata prosecutione durante, cum infrascriptis orationibus solemniter celebretur, ita quod in prima de Trinitate, in secunda de Cruce et in tercia ebdomadis de beata Maria Virgine, et sic deinceps misse huiusmodi debeant celebrari, nisi forsan id festivitatis alicuius solemnitas impediret, quo casu post orationes festi ordine suo semel in ebdomoda dicantur, orationes huiusmodi, ut prefertur; cunctis vero fidelibus vere penitentibus et confessis, qui durante prosecutione dicti negotii pro ipsius consumatione felici devote ad dominum preces funderint, decem dies, videlicet singulis diebus, quibus oraverint, de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Predicte autem orationes sunt iste: Deus, qui admirabili providentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus, ut Regem nostrum ac commilitones et alios propugnatores tuos causam orthodoxe fidei devotis animis prosequentes incolumes conservare digneris, ac de hostibus triumphato ad loca propria remeare concedas, Per etc. Oratio secunda: Sacrificium domine, quod imolamus, intende, ac propugnatores tuos ab hostium malignitate custodias, et in tue protectionis securitate conserves. Alia oratio post communionem: Protector noster aspice deus et fideles tuos ab hostium defende periculis, et ut ab omni perturbatione semoti, libera tibi mente deserviant, Per dominum nostrum etc. Verum quia presentes littere nequirent forsan propter viarum discrimina vel alias vestrum singulis commode presentari, volumus, quod per te, frater Archiepiscope, dictarum litterarum transumptum manu scriptum publica, tuoque communitum sigillo vobis predictis suffraganeis transmittatur, cui adhiberi per vos volumus velut originalibus plenam fidem. Datum Avinione Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Colocensi eiusque suffraganeis, Iadrensi et Spalatensi ac Ragusino Archiepis eorumque suffraganeis.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 121.

CXLVII.

Ludovico regi Hungariae matrimonii dispensatio rege Poloniae pro Casimiro petita negatur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Stephanus Episcopus Nitriensis, Ambaxiator tuus, lator presentium, recedendi licenciam recepisset a nobis, supervenerunt tue littere, in quibus nobis tua serenitas supplicavit, quod consideratis serviciis, que Romane ecclesie impendisti, ac laboribus et expensis, quos nunc pro honore ipsius ecclesie et augmento catholice fidei subiebas, contra . . . Regem Polonie Illustrem, occasione cause matrimonialis, quam Carissima in Christo filia nostra Adelaydis Regina Polonie Illustris, consors eius, contra ipsum Regem movet in Romana Curia, non permitteremus eum citari in audiencia publica litterarum nostrarum, nec excommunicationum sentenciis innodari, et quod super matrimonio contracto per Regem eundem cum nobili muliere Hedewige, que consanguinea sua in prohibito gradu dicitur, et quam suam modernam asseruisti consortem, ut in tali matrimonio licite remanere valeat, dignaremur misericorditer dispensare, presertim cum tibi relatum existeret, quod in similibus casibus fuisset per nos cum nonnullis aliis Principibus dispensatum. Ad que, fili carissime, paterna tibi caritate rescribimus, quod huiusmodi tua servicia, labores et sumptus consideramus attente, et preter retributionem precipuam, quam proinde tibi thesaurizas in celis, eandem ecclesiam tibi recognoscimus obligatam, nosque prompta gratitudine paratos semper invenies ad annuendum votis tuis honestis; sed ubi deus offenditur, nervus iusticie rumpitur, honestati sedis apostolice derogatur, illicite rei prebetur exemplum, et similibus excessibus aditus aperitur ac obviatur saluti petentium, non debet

apostolice gravitatis constancia tales preces admittere, quas aut ex quadam violencia importunitatis extortas, aut forte propter varias occupationes non sufficienter in statera debite ponderationis appensas, debet probabiliter extimare. Quapropter, cum simus omnibus presertim personis sublimibus in iusticia debitores, oportet, quod prefate Adelaydi Regine faciamus iusticiam ministrari, memoratusque Rex non citabitur per dictam audienciam, ubi de antiquissimo more prefate Curie citantur absentes, si procuratorem suum ad defendendum eius iusticiam habere dignabitur, sicut debet; dispensationem vero predictam non possumus secundum deum et iura concedere, nisi matrimonium cum eadem Adelayde contractum non tenere per diffinitivam sententiam appareret: nec credat tua sublimitas, quod a nobis talis dispensatio emanarit, tenens pro certo, quod gratiam, quam concessissemus vel possemus concedere cuicumque Principi vel alteri, tue dilectissime nobis magnitudini nullatenus negaremus, super quibus dicto Episcopo per nos plenius informato velis fidem indubiam adhibere. Datum Avinione v. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 127.

CXLVIII.

Elisabethae seniori reginae Hungariae super eodem argumento.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Litteras tue serenitatis et Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, nati tui, in favorem Illustris Regis Polonie destinatas recepimus more patris. Et quia idem Rex Ungarie plus petiit quam tua serenitas, sibi plenarie respondemus et eum paterne instruimus, qualiter a similibus peticionibus abstinere debeat in futurum, prout in tenore litterarum, quas sibi mittimus intercluso presentibus, per quem reputamus sufficienter fore eidem serenitati responsum, videbis plenius contineri, tuamque devotionem ex eo, quod prudencius et moderatius supplicasti, non petendo dispensationem, que nullatenus debet peti, digne in domino commendamus. Quidquid autem pro conservatione honoris dicti Regis Polonie cum honore nostro et conscientie salvatione poterimus, consideratione tue devotionis et eiusdem tui nati libentissime faciemus: saluti tamen et honori eiusdem Regis Polonie credimus expedire, quod superinductam dimittat, ad quod eum debes oportune et importune iugiter exhortari. Super quibus Venerabili fratri nostro . . . Episcopo Nitriensi per nos plenius informato velis fidem indubiam adhibere. Datum Avinione v. Idus Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 128.

CXLIX.

Regi Hungariae in favorem procuratorum Guilielmi cardinalis S. Mariae in Cosmedin.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Serenitatem tuam ignorare non credimus sincere dilectionis affectum, quem dilectus filius noster Guillelmus sancte Marie in Cosmedin diaconus Cardinalis ad excellenciam tuam gerit, ex quo tuum tuique Regni zelatur honorem et negotia regia apud apostolicam sedem promovet indefesse. Quamvis itaque erga Cardinalem prefatum credamus ex parte tua reciprocam benivolenciam et regiam gratitudinem non deesse, tamen serenitatem eandem affectuose rogamus, quatenus Magistrum Iohannem de Sancto Ebrulpho Canonicum Rothomagensem, ipsius Cardinalis in Regno tuo Vicarium et procuratorem, et alios nuncios et familiares Cardinalis eiusdem, et negotia sua gerenda per eos singularibus favoribus prosequaris, et beneficia Cardinalis ipsius eorumque iura sic ab omnibus illa occupare et impedire, ac in suis iustis possessionibus et iuribus perturbare volentibus protegas, quod cunctis appareat Cardinalem prefatum cum celsitudine regia fore speciali benivolencie vinculo colligatum. Datum Avinione ii. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Elizabeth seniori Regine Ungarie, et Nicolao Comiti Palatino Regni Ungarie.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 128.

CL.

Eidem, ut nuntiis propter Graecorum reconciliationem missis fidem adhibeat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Super negotio reconciliationis Grecorum, quod assumpsit tua devotio promovendum, hiis diebus regie

serenitati rescripsimus per Venerabilem fratrem nostrum Stephanum Episcopum Nitriensem, Ambaxiatorem tuum super hoc ad sedem apostolicam destinatum. ut autem prefatum negotium utique arduum eo efficacius prosequaris, quo per circumspectionem apostolice sedis fueris magis instructus, dilectos filios Magistros Guillelmum Noeleti Cantorem ecclesie Baiocensis, utriusque iuris doctorem, Capellanum nostrum et sacri nostri Palacii causarum Auditorem, ac Rodulphum de Civitate Castelli ordinis Heremitarum sancti Augustini et sacre pagine professorem, viros prudentes, zelum dicte reconciliationis habentes, per quos oportunas informationes celsitudini tue mittimus, per quas cautius et dante deo fructuosius prosequi poteris prelibatum negotium, ad tuam presentiam destinamus, eisque mandavimus, quod si de tua voluntate processerit, ad magnificum Principem Ioannem Imperatorem Grecorum Illustrem accedant, negotium ipsum, prout ipsis iniunximus et tibi referent, promoturi. Quibus super hiis, que de dicto negotio tibi pro parte nostra referent, velis fidem indubiam adhibere. Datum Avinione x. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 133.

CLI.

Praeposito B. Mariae in Albaregali indulgetur, ut in sua ecclesia pontificalibus uti possit.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio ... Preposito ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Exposcit tue devotionis sinceritas, ut te, quem speciali dilectione prosequimur, dignis honoribus attollamus. Hinc est, quod nos Carissime in Christo filie nostre Elizabeth Regine Ungarie Illustris et tuis supplicationibus inclinati, ut tu et successores tui Prepositi ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis Vesprimiensis diocesis, qui erunt pro tempore, missarum solempnia in dicta ecclesia celebrando, mitra et baculo pastorali argenteo uti possitis, felicis recordationis Alexandri pape quarti predecessoris nostri et aliis quibuscumque constitutionibus apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus, tibi et eisdem successoribus auctoritate apostolica de speciali gratia tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione Kal. Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. com. fol. 99.

CLII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae Virg. in Albaregali visitantibus indulgentiae conceduntur.

URBANUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas beatissime Virginis Marie, et aliorum sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut collegiata ecclesia beate Marie Virginis Alberegalis Wesprimiensis diocesis, que sicut asseritur, digito beati Iohannis Baptiste et beati Andree Apostoli et sancti Martini martyris capitibus, et aliis est multorum sanctorum reliquiis insignita, et in qua sanctorum confessorum Stephani regis Ungarie et Emerici ducis filii sui corpora venerabiliter requiescunt, et que inter ceteras collegiatas ecclesias regni Ungarie honorabilitatis gradu locum obtinet digniorem, congruis honoribus frequentetur, et ut ipsi fideles eo libentius causa devotionis affluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis domini nostri Iesu Christi et Pentecostes, nec non in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis, et nativitatis beati Iohannis Baptiste et dictorum apostolorum Petri et Pauli, et dedicationis ipsius ecclesie festivitatibus nec non celebritate omnium sanctorum unum annum et quadraginta dies, illis vero, qui per Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Christi, beati Iohannis Baptiste et Apostolorum Petri et Pauli predictorum octabas, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes predictam ecclesiam devote visitaverint, singulis octabarum et sex dierum predictorum diebus, quibus prefatam ecclesiam devote visitaverunt, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione Kal. Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. com. fol. 99.

CLIII.

Fundatio capellae S. Ladislai Aquisgrani per regem Hungariae facta confirmatur.

Urbanus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. In hiis, que de principum et aliorum fidelium catholica et pia devotione procedunt et divini cultus incrementum prospiciunt, libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane exhibita nobis pro parte Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris petitio continebat, quod olim ipse in proprio solo per eum legitime acquisito infra oppidum Aquisgrani Leodiensis diocesis, ad quod regnicolarum suorum frequens pro tempore confluit multitudo, pro sue ac progenitorum suorum animarum salute, ac ut dicti sui regnicole illuc convenire valerent commodius ad divina, de bonis suis regiis quandam in honorem et sub vocabulo sancti Ladislai Regis Ungarie Capellam canonice fundavit ac sufficienter dotavit et construi fecit, in qua per ipsius Capelle ministros deservitur laudabiliter in divinis. Quare pro parte ipsius Regis fuit nobis humiliter supplicatum, ut fundationem et constructionem huiusmodi confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Regis supplicationibus inclinati, fundationem et constructionem predictas ratas et gratas habentes, illas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes de apostolice potestatis plenitudine omnem defectum, si quis in fundatione ac constructione predictis forsan intervenit vel aliqua earumdem, iure canonico matricis ecclesie et alterius cuiuslibet semper salvo. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et suppetionis infringere etc. Datum Avinione Kal. Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. com. fol. 99.

CLIV.

Ludovico regi Hungariae indulgetur, ut rectores praedictae capellae Hungaris eam visitantibus absolutionem in casibus episcopalibus dare et sacramenta ministrare valeant.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri. salutem etc. Eximie devotionis affectus, quo deum et Romanam ecclesiam matrem tuam tanquam devotionis filius et benedictionis alumpnus revereri dinosceris, promeretur, ut petitiones tuas, quantum cum deo possumus, ad exauditionis gratiam liberaliter admittamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis pro parte serenitatis tue petitio continebat, ad oppidum Aquisgrani Leodiensis diocesis magna regnicolarum tuorum pro tempore confluat multitudo, qui fragilitati subiacentes humane pro peccatis atque penitentiis spiritualibus remediis indigent, dictaque serenitas ibi in honore et sub vocabulo sancti Ladislai Regis Ungarie quandam capellam fundaverit atque sufficienter dotaverit et canonice construi fecerit, in qua per sacerdotes laudabiles et devotos regi regum impenditur famulatus: Nos tuis supplicationibus devotis inclinati, ut sacerdotes idonei eiusdem capelle ad serviendum illic in divinis pro tempore canonice deputati, et quilibet eorumdem huiusmodi regnicolas ad dictam capellam pro tempore confluentes, et eorum quemlibet a peccatis ipsorum, etiam in casibus loci ordinario reservatis, dummodo in fraudem ordinarii iurisdictio vel parochialis proprii sacerdotis potestas minime declinetur, eorundem regnicolarum confessione diligenter audita, et iniuncta eis pro commissis penitentia, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, in forma ecclesie absolutionis beneficium impendere valeant et illis ecclesiastica ministrare, quoties opportunum fuerit, sacramenta, ipsorumque corpora, si eos in oppido prefato ab hac luce migrare contigerit, ecclesiastice sepulture libere tradere valeant, iure tamen matricis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, devotioni tue prefate auctoritate apostolica de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione Kal. Augusti. Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. com. fol. 99.

CLV.

Eidem regi et Elisabethae suae matri, ut de commissis per ep̄m Zagabriensem libentius sese informent.

Urbanus episcopus etc. Carissimis in Christo filiis Ludovico Regi et Elizabeth Regine seniori Ungarie Illustribus. salutem etc. Dolemus, filii carissimi, cum de fratribus et coepiscopis nostris, quorum actus, prout eorum exposcit officium, desideramus esse laudabiles ac Deo et Principibus aliisque hominibus bone voluntatis acceptos, sinistra nostris auribus referuntur. Litteras siquidem vestras de manu dilecti filii nostri Guillelmi sancte Marie in Cosmedin diaconi Cardinalis nuper recepimus, in

quibus vestra serenitas reseravit, quod venerabilis frater noster Stephanus episcopus Zagabriensis aliqua commisit, que vestris inclitis personis et Regno scandalum vel periculum generarunt: quod tanto molestius ferimus, quanto vos specialius gerimus in visceribus caritatis. Et quia inter alia scripsistis, quod nos de prefati episcopi excessibus curaretis de proximo informare, magnitudini vestre rescribimus, quod benigne audiemus ea, que nobis in hac parte dicta curabit serenitas reserare. Datum Avinione XVI. Kal. Octobris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 155.

CLVI.

Eidem regi, ut regi Cypri et fratribus hospitalis S. Ioannis Ierosol. de aliqua gente armigera subveniat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Inter alia pietatis opera, ad que debent catholici principes aspirare continue, illud precipue in eorum debet versari affectibus et operatione tractari, ut fides Catholica, in qua sunt eterne salvationis gratiam percepturi, exaltetur assidue, illiusque professores defendantur ab hostibus nominis christiani: ad que illo debent excitari potissime tempore, quo maius noverint periculum fidelibus imminere. Sane ad serenitatis tue noticiam non ambigimus devenisse, quod Carissimus in Christo filius noster Petrus Rex Cipri illustris eiusque subditi, ac fratres hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, pugiles Christi et athlete fidei christiane, nonnullorum fidelium adiuti auxilio de apostolice sedis licencia adversus Sarracenos, impios Chriti blasphemos et hostes nominis christiani, detentoresque terre sancte ad christianos spectantis, in qua salvator noster dei filius Iesus Christus dignatus est humani generis operari salutem, civitatem Alexandrinam de manibus dictorum Saracenorum, dextera domini cum eis faciente, virtutem vi armorum ceperunt, licet postmodum, quod dolenter referimus, paucis diebus eam potuerint retinere, ipsi Saraceni ac nefanda natio Turchorum, inimicorum et sedulorum persecutorum fidei prelibate, insulas Cipri et Rhodi aliasque terras ad dictos Regem et fratres in ultramarinis partibus pertinentes minantur invadere, de illisque delere, quod absit, gloriosissimum nomen Christi. Nos igitur considerantes, quod si prefate insule et terre, per quas ad dictam terram sanctam, ad cuius recuperationem pro eiusdem Salvatoris reverencia, et devotione ac honore fidelium, tota debet christianitas anhelare, quasi per quandam scalam habetur accessus, auferetur spes recuperationis huiusmodi et multi populi renati fonte baptismatis perderentur, et in Orientalibus partibus christianum nomen et gloriam verisimiliter delerentur, aliaque pericula et detrimenta gravissima, et dedecus ac confusio occidentalibus fidelibus provenirent, et propterea dictos Regem et fratres, eorumque populos in ultramarinis partibus constitutos, isto presertim tempore auxilio prefatorum principum aliorumque fidelium indigere cernentes, devotam magnificentiam tuam affectuose rogamus et hortamur attente, quatenus premissa pie considerans, ad obviandum huiusmodi periculis ac dampnis pro reverencia summi Regis, per quem regnas, animeque tue salute pro dictorum Regis et fratrum, suorumque populorum et insularum ac terrarum, ad eos in eisdem ultramarinis partibus spectantium, defensione ab hostilitatibus et persecutionibus infidelium predictorum ac securitate maris, ut sit tutus accessus fidelium ad insulas ac terras easdem, de aliqua gente armigera velis eisdem Regi et fratribus celeriter subvenire, sciturus, quod tam ituris, quam missuris auxilium pro huiusmodi nostri redemptoris obsequio indulgenciam, que datur transfretantibus in terre sancte subsidium, duximus concedendam. Datum Avinione II. Nonas Octobris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 159.

CLVII.

Eidem, ut praeposito Nemausensi, nuntio sedis apostolicae, fidem adhibeat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dilectum filium Petrum de Calesio prepositum ecclesie Nemausensis ordinis sancti Augustini, apostolice sedis nuntium, harum latorem, ad tuam presentiam pro quibusdam per nos sibi commissis negociis presentialiter destinamus: cui in hiis, que tue serenitati ex nostri parte narraverit, plenam fidem adhibere velit regia celsitudo. Datum Rome apud S. Petrum XVI. Kal. Ianuarii. Anno Sexto.

In e. m. Elisabeth seniori et Elisabeth iuniori reginis Ungarie.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. fol. 27.

CLVIII.

Iohanni Epo Vaciensi super eodem.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni episcopo Vaciensi, salutem etc. Ex relatione dilecti filii Petri de Calesio prepositi ecclesie Nemausensis ordinis sancti Augustini, apostolice sedis nuntii, latoris presentium, audivimus iocundanter, quod tua fraternitas eumdem prepositum contemplatione nostri et prefate sedis sincero affectu multipliciter honoravit, eidemque astitit consiliis et favoribus oportunis, et specialiter Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie illustrem inducere nisa est, ut nostris et apostolice sedis beneplacitis studeat complacere, et Romanam ecclesiam matrem suam habeat efficaciter commendatam. De hiis igitur fraternitatem eamdem dignis in domino laudibus commendantes, te rogamus et hortamur attente, quatinus affectum tuum predictum continuans, dictumque prepositum, quem ad illas partes remittimus, habens continue commendatum, sibi super hiis, que tibi ex parte nostra narraverit, adhibeas plenam fidem. Datum Rome apud S. Petrum xvi. Kal. Ianuarii. Anno Sexto.

In e. m. Wilhelmo Epo Quiqueecclesiensi.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. fol. 28.

CLIX.

Universis praelatis et nobilibus regni Hungariae super eodem.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Prepositis, aliisque personis ecclesiasticis regni Ungarie, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Cum dilectum filium Petrum de Calesio Prepositum ecclesie Nemausensis ordinis sancti Augustini, apostolice sedis nuntium, harum latorem, ad Carissimi in Christo filii Ludovici Regis Ungarie illustris presentiam pro certis arduis negotiis per nos eidem commissis presentialiter destinemus, et eidem Preposito commisimus, quod aliqua tangentia honorem et statum nostrum et Romane ecclesie vobis exponat oraculo vive vocis, discretioni vestre mandamus, quatinus dicto Preposito in hiis, que vobis et singulis vestrum ex parte nostra narraverit, fidem curetis credulam adhibere. Datum Rome apud S. Petrum xvi. Kal. Ianuarii. Anno Sexto.

In e. m. Nobilibus viris Universis Banis, Comitibus et Baronibus regni Ungarie, ac Consiliariis Ludovici Regis Ungarie.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. fol. 46.

CLX.

Nicolaus comes palatinus Hungariae de devotione, quam erga Ecclesiam habet, collaudatur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Nicolao Comiti Palatino Ungarie, salutem etc. Devotione tua, quam geris ad Romanam ecclesiam, aliisque tuis virtutibus fidedignis relatibus intellectis, letamur et merito, quod Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie illustris, eiusdem ecclesie sincerus dilector et adiutor magnificus, te in Comitem Palatinum regni sui duxerit assumendum, et sibi providis consiliis et obsequiis devotis assistas, sperantes, quod dicta ecclesia mater tua ex assistentia ipsa fructum pro tempore percipiet filialem. Tuam igitur nobilitatem rogamus et hortamur, quatinus huiusmodi tuam devotionem continuans prefatam Romanam, et alias ecclesias et personas ecclesiasticas dicti Regni ob reverentiam dei, ac apostolice sedis et nostram apud dictum Regem et alias tuis favoribus prosequaris, ac dilecto filio Petro de Calesio preposito ecclesie Nemausensis, apostolice sedis nuntio, latori presentium, super hiis, que tibi ex parte nostra narraverit, velis fidem indubiam adhibere. Datum Rome S. Petrum xv. Kal. Ianuarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. fol. 27.

CLXI.

Ludovico regi Hungariae Bertrandus Ebrardi, qui de gerentibus camerae apostolicae negotia inquirat, commendatur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum dilectum filium Bertrandum Ebrardi Rectorem parrochialis ecclesie de Lomberiis Albiensis diocesis, Baccallarium in decretis, latorem presentium, ad partes regni tui pro certis Camere nostre negotiis

presentialiter destinemus, serenitatem tuam rogamus attente, quatinus eundem Bertrandum in promovendis eisdem negotiis nostro et apostolice sedis intuitu habere velis efficaciter commendatum, ac mandare tuis officialibus, quod eum oportunis favoribus prosequantur. Datum Rome apud S. Petrum II. Kal. Februarii. Anno Sexto.

In e. m. Carissime in Christo filie Elizabeth seniori Regine Ungarie.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. fol. 66.

CLXII.

Regul. S. Augustini et habitus, quem prior generalis et fratres S. Pauli primi eremitae in Hungaria gestant, approbatio.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Apostolice servitutis nobis iniuncte desuper officium mentem nostram excitat et inducit, ut circa ea, que statui prospero personarum sub religionis habitu studio vacantium pie vite ad perseverantiam divini servitii oportuna prospicimus, operosis studiis intendamus. Olim siquidem felicis recordationis Iohannes papa vicesimus secundus, predecessor noster, dilectis filiis priori generali et fratribus sancti Pauli primi Heremite in Ungaria, et aliis in mundi partibus constitutis ordinis sancti Augustini, regulam eiusdem sancti Augustini per eos et successores ipsorum in locis suis, que habebant et prestante domino haberent imposterum, perpetuis futuris temporibus observandam auctoritate apostolica concessit, ac nonnulla alia indulsit priori et fratribus supradictis: nosque postmodum huiusmodi privilegium dicti Iohannis predecessoris duximus innovandum. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte dictorum prioris et fratrum petitio continebat, quidam curiosi ac simplices se de ipsis, que non multum expediunt, intromittere volentes, ipsis priori et fratribus et eorum ordini pro eo, quod in predicto privilegio verbum confirmationis non exprimitur, sed eis duntaxat dicta regula conceditur, palam et occulte detrahant et de ipsis obloquantur: pro parte ipsorum prioris et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de ipsorum prioris et fratrum vita et institutis sumus plenarie informati, eis in premissis providere volentes, consideratione etiam Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Illustris, ipsorum Regis ac prioris et fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, predictum ordinem dictorum prioris et fratrum sub dicta regula et habitu, quem gestant, auctoritate apostolica tenore presentium ratificamus et etiam approbamus. Nulli ergo etc. nostre ratificationis et approbationis infringere etc. Datum Rome apud sanctum Petrum II. Idus Martii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 149.

CLXIII.

Petro praeposito Scepusiensi, ut in abbatem monasterii Scepusiensis ord. Cisterc. de bonorum dilapidatione inquirat, eumque veritate comprobata suspendat.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Petro preposito ecclesie sancti Martini in Scepus Strigoniensis diocesis, salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod dilectus filius Iohannes Abbas monasterii in Scepus Cisterciensis ordinis, Strigoniensis diocesis, dei timore postposito, cum iniquis inductionibus et muneribus procuravit et fecit, quod Iacobus de Scepus laicus, tunc vicecastellanus castri in Scepus dicte diocesis, quosdam familiares suos et alios transmisit ad villam vocatam Betlehem dicte diocesis, ut quondam Iohannem de Betlehem armigerum et homines terras censuales ab ipso tenentes et in dicta villa commorantes rebus eorum spoliarent: qui familiares cum suis in hac parte complicibus armata manu ad villam accedentes eandem, deinde armigerum iuxta dictam villam existentem et homines et res huiusmodi defendere volentem cum sagittis crudeliter occiderunt, ac equos et res alias, quas idem armiger ante suum obitum secum habebat, asportarunt. Idemque Iohannes abbas Nicholaum et Iohannem, dicti armigeri filios, laicos predicte diocesis, rebus et bonis ipsorum spoliari facere eosque molestare non cessat: quodque dictus Iohannes abbas multis aliis criminibus irretitus, nonnullla adulteria, stupra et virginum raptus commisit, concubinas retinet incessanter, ex quibus filios et filias procreavit et habet, et ultra hec bona mobilia et immobilia dicti monasterii dilapidat et consumit, multaque alia fecit et facit, que in divine maiestatis offensam, animarum periculum, ordinis predicti sueque religionis verecundiam, et scandalum plurimorum cedere dinoscuntur. Nos igitur, qui sic detestandos excessus non possumus, nec debemus conniventibus oculis pertransire, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si vocatis dicto Iohanne Abbate et aliis, qui fuerint evocandi, per sum-

mariam informationem reperiris ipsum Iohannem Abbatem de huiusmodi dilapidatione publice diffamatum, ipsum ab administratione dicti monasterii ac iurium et bonorum ad mensam suam abbatialem spectantium auctoritate nostra suspendas, et administrationem huiusmodi alteri persone dicti ordinis ad hec idonee in spiritualibus et temporalibus eadem auctoritate committas, alienatione tamen bonorum immobilium et pretiosorum mobilium ad dictam mensam abbatialem pertinentium eidem persone penitus interdicta. Volumus autem, quod ipsa persona de administratis per eam rationem fidelem et computum reddere teneatur. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Et insuper, si eundem abbatem repereris de huiusmodi aliis criminibus diffamatum, tam super hiis, quam super aliis premissis, vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione semota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Non obstante, si eidem ordini a sede apostolica sit indultum, quod persone ipsius ordinis ad iudicium trahi, aut suspendi vel excommunicari, seu ipse aut dicti ordinis loca interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quoad hoc ipsis volumus aliquatenus suffragari. Datum Rome apud sanctum Petrum VI. Idus Maii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 177.

CLXIV.

Fratribus Zupanis Zente congaudet pontifex, quod ad Ecclesiae unitatem redire sese disponunt.

Urbanus episcopus etc. Nobilibus Viris Strazimiro et Georgio ac Balse fratribus Zupanis Zente graciam in presenti, per quam obtineatis gloriam in futurum. Spiritus noster exultavit in Domino, qui sicut ex relatione Venerabilis fratris nostri Petri Episcopi Suacinensis, latoris presentium, per vos super hoc ad nostram presentiam destinati, percepimus, misericorditer dignatus est vobis tribuere intellectum, ut relictis scismatis et errorum tenebris, et umbra mortis eterne, in quibus hucusque mansistis, incipiatis animabus vestris et subditorum vestrorum prudenter consulere, et lumen agnoscere veritatis, intendentes ad obedientiam et devotionem sacrosancte Romane ecclesie, matris et magistre cunctorum fidelium, reverenter et cordibus sinceris accedere, in eisque perpetuo remanere, ac a nobis, qui licet immeriti sumus in terris Christi Vicarius, instrui, qualiter debeatis in via mandatorum Domini ambulare. De hiis igitur laudandis principiis Deo, qui vos sui gracia prevenit, et si pura intentio in mentibus vestris vigeat, sequetur indubie, devotas gracias agimus, et vos plurimum commendamus, intendentes vos, si nostris et dicte ecclesie mandatis devote parebitis, in filios speciales recipere et tenere, ac prosequi favoribus oportunis. Ut autem mereamini ad graciam reconciliationis admitti, ac obtinere apostolice sedis benivolentiam et favores, a molestiis ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum, aliorumque catholicorum obedientium dicte Romane ecclesie, presertim Civitatis Catharensis, quam iamdiu a vobis seu te, Georgi, hostiliter molestari percepimus, curetis penitus abstinere, ut in hiis et aliis per vos agendis in dicte vestre reconciliationis negotio prefatum Episcopum duximus informandum, cui super hiis, que vobis ex parte nostra retulerit, velitis fidem indubiam adhibere. Datum apud Montemflasconem Balneoregensis diocesis VIII. Kal. Iunii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. fol. 105.

CLXV.

Epo Vesprimiensi, ut de statu ecclesiae parochialis in Kestel inquirat, et quod canonicum fuerit, declaret.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Vesprimiensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Andree de Kestel, Rectoris parochialis ecclesie sancti Martini de Kestel, Vesprimiensis diocesis, petitio continebat, quod in dicto loco de Kestel ab antiquissimis temporibus dicta ecclesia sancti Martini fuit, prout est, unica matrix et parochialis ecclesia, sola et in solidum habens regimen et curam animarum populi dicti loci et administrationem sacramentorum ecclesiasticorum, et quod licet postmodum propter multitudinem populi et valde diffusam latitudinem dicti loci fuisset ab olim pro commoditate dicti populi constructa in medio dicti loci quedam capella sub vocabulo sancti Laurentii, in qua velut a filia dicte parochialis ecclesie nomine et de mandato Rectoris dicte ec-

clesie pro tempore existentis per Capellanos, ad hoc deputatos per dictum Rectorem, qui etiam apud dictam capellam iuxta ipsius Rectoris beneplacitum morabantur, et in ea celebrant divina, ministrabantur populo ecclesiastica sacramenta et defunctorum corpora apud eam tradebantur ecclesiastice sepulture: tamen nonnulli fratres ordinis Minorum predictam capellam cum domibus, hortis et territorio ipsius capelle temere et de facto occuparunt, et per certi temporis spatium detinuerunt, prout detinent occupatam; et hiis etiam non contenti populo dicti loci administrant ecclesiastica sacramenta, recipiunt mulieres ad purificationem post partum, absolvunt in casibus prohibitis, et taliter animas decipiunt et populum inducunt in errorem in animarum periculum, et dicti Rectoris saeque matricis et parochialis ecclesie supradicte enorme preiudicium et gravamen: quare pro parte dicti Rectoris fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione semota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Non obstante, si eidem ordini a sede apostolica sit indultum, quod persone ipsius ordinis ad iudicium trahi, aut suspendi vel excommunicari, seu ipse aut dicti ordinis loca interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quoad hoc ipsis volumus aliquatenus suffragari. Datum apud Montemflasconem Balneoregensis diocesis IV. Nonas Iunii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. fol. 153.

CLXVI.

Ludovico regi Hungariae gratat de schismaticorum conversione, super qua suos continuet favores.

URBANUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Replevit ingenti gaudio mentem nostram acceptissima Deo et nobis relatio nuper per dilectos filios Iohannem de Reno et Andream de Perusio ordinis fratrum Minorum, de Bulgarie, Rascie et Bosne venientes partibus, nobis facta, inter cetera continens, quod inspirante illo, qui ubi vult, spirat, ad tuam inductionem et cooperationem piissimam ac fratrum dicti ordinis in dictis partibus commorantium predicationem multa milia personarum utriusque sexus, relictis dampnabili scismate aliisque erroribus, quibus erant et fuerant omni tempore involuti, ad lumen vere fidei ac unitatem et obedientiam sacrosancte Romane ecclesie matris et magistre cunctorum fidelium redierunt: de quo non solum nobis, sed universe congregationi fidelium talia sentientium, quam tanta multitudine augere procurasti devotissimis studiis, et celesti etiam Curie ingentem letitiam attulisti. Nam si testante veritate, que Christus est, super uno peccatore penitentiam agente angelis Dei fit gaudium, quanto magis illud extimandum existit, quod de tante multitudinis conversione noscitur exoriri. Proinde itaque Deo, a quo omne datum optimum progreditur, gratias referentes, et tuam christianissimam serenitatem dignis laudum preconiis extollentes, plenis affectibus rogamus et hortamur eamdem, quatinus huiusmodi tua studia laudanda continuans Venerabilibus fratribus nostris . . . Archiepiscopo Colocensi et . . . Episcopo Cenadiensi, quibus per apostolicas litteras committimus et mandamus, ut de sacerdotibus, qui curam gerant conversorum huiusmodi, solerter provideant, et eisdem fratribus ad alios, cooperante Domino, convertendos assistant, velis pro reverentia Dei, et tuo et nostro et ineffabili premio, ac reverentia apostolice sedis dare consilium et auxilium et favorem ad conversionem aliorum scismaticorum et hereticorum ac infidelium, quibus Regnum tuum vicinum existit, omnem quam poteris, prout de te sperat sancta mater ecclesia, operam prebiturus. Datum apud Montemflasconem III. Idus Iulii. Anno VI.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 130.

CLXVII.

Eidem circa nuntium sibi missum respondet.

URBANUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dilectos filios nobiles viros Iohannem de Ludbreg, olim Dalmatie et Croacie Banum, ac Iohannem

Treutel de Neuna Milites, Ambaxiatores tuos, latores presentium, ad nostram presentiam destinatos, et dilectum filium nobilem virum Stephanum Francisci Militem Iadrensem, eorumdem Ambaxiatorum interpretem, gratanter recepimus, in eis quodammodo tue celsitudinis presentiam contemplantes, dictumque Stephanum prudenter ac facunde proponentem, quod Regnum Sicilie tue serenitati debetur, et quod moleste ferres, si ad extraneos deveniret, et quod licet Carissimam in Christo filiam nostram Iohannam Reginam Sicilie Illustrem in vita sua turbare minime intenderes, tamen congruis remediis providere volebas periculo, quod posset post dicte Regine obitum evenire, multaque prudenter referentem, que ad hec Regium animum inducebant, concludentemque, ut dignaremur eamdem tuam iusticiam condignis habere commendatam favoribus, sepe audivimus diligenter. Ad que premissis laudum preconiis, quibus tuam devotam magnificentiam merito possumus et debemus extollere, sincerissimoque affectu, quem ad te gerimus, duximus respondendum, quod in ministracione iusticie, in qua sumus omnibus debitores, non erit, Deo iuvante, defectus, nec etiam in gratiis et favoribus, in quantum paciatur conscientia, et ius alterius non ledatur. Hec igitur, fili carissime, tam exposita, quam secundum decentiam apostolice gravitatis responsa ad maiorem tuam certitudinem tue sublimitati presentibus duximus intimanda. Datum apud Montemflasconem VI. Kal. Septembris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. fol. 147.

CLXVIII.

Duobus clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Ladizlao Andree Canonico Transilvanensi, salutem etc. Confert eidem canonicatum huiusce ecclesie, quem Nicolaus episcopus Tinniensis tempore promotionis sue obtinebat. Datum Rome apud S. Petrum VII. Kal. Martii. Anno Sexto.

URBANUS EPISCOPUSetc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Mandat ei, ut Thomae de Rabaz canonicatum et praebendam in ecclesia Strigoniensi, quos quondam Nicolaus de Lancho obtinebat, conferendum curet. Datum Rome apud S. Petrum Id. Aprilis. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. fol. 95. et 96.

CLXIX.

Ludovico regi Hungariae, ut Iacobo Gabrutio celeris iusticiae complementum fieri faciat.

URBANUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum dilectus filius Iacobus Gabrutii, mercator Recanatensis, subditus noster, lator presentium, sicut ipse nobis asseruit, ratione quorundam mercimoniorum per eum emptorum a certis tuis subditis et officialibus, cum promissa per ipsos sibi non serventur, coram serenitate tua per viam iustitie intendat presequi iura sua, serenitatem eandem rogamus attente, quatenus eidem Iacobo super hiis exhiberi facias celeris iustitie complementum. Datum Rome apud S. Petrum XVI. Kal. Decembris. Anno VIII.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia fol. 1.

CLXX.

Archiepo Iadrensi, ut cum Elisabetha comitissa Serviae de voto S. Sepulchrum visitandi, si mille ducatos, quos expendere intendebat, ad opus fratrum in Tartariam pro fide catholica mittendorum solvat, dispenset.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Iustis petentium desideriis libenter annuimus, et quantum cum deo possumus, favorem apostolicum impertimur. Sane petitio pro parte delecte in Christo filie nobilis Elizabeth, Comitisse Servie, nobis exhibita continebat, quod olim ipsa zelo devotionis accensa proposuit ac vovit sepulcrum dominicum visitare. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipsa Comitissa propositum, ut votum suum huiusmodi, tam propter viarum discrimina, quam ex aliis causis nequeat commode adimplere, pro parte ipsius Comitisse nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de salubri remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati mandamus, quatenus si est ita, postquam dicta Comitissa mille ducatos auri, quos ipsa, ut pro eius parte fuit nobis expositum, in huiusmodi peregrinationis itinere expendere intendebat, in subsidium nonnullorum fratrum minorum ad partes Tartarie ad predicandam paganis fidem catholicam tempore veris proxime futuri dante domino iturorum, in tuis manibus assignaverit, votum predictum auctoritate nostra commutes in alia pietatis opera, prout

secundum deum anime ipsius comitisse saluti cognoverit expedire. Tu vero dictos ducatos dilecto filio Bonicontro Abbati monasterii sancti Cipriani de Morano prope Venetias, aut dilecto filio . . . Guardiano loci Anconitani dicti ordinis transmittendos celeriter ad Romanam Curiam, in qua dicti fratres congregantur, studeas fideliter destinare. Datum Rome apud S. Petrum II. Nonas Decembris. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 11.

CLXXI.

Pontifex, licet cum filiabus regis Poloniae dispensaverit, intentionem suam fuisse et esse declarat, ne hoc regi Hungariae reginaeque eius noxium et successioni praeiudicet.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memorim. Ad administrandam in terris iustitiam, iusti domini diligentis iustitiam, licet insufficientibus meritis constituti, nullum ex nostris graciis atque iudiciis iniuste gravare intendimus, sed ius suum cuilibet, presertim regibus et principibus, nostris specialibus filiis, conservare, digneque dum expedire putatur, super hoc de oportuno remedio providemus. Dudum siquidem cum ad nostram audienciam pervenisset, quod ad conservandum et etiam ad augendum mutue dilectionis et affinitatis vinculum, quod inter Carissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum ac Boemie, et Kazimirum Polonie Reges Illustres vigere noscebatur, et ad quietem et pacem Boemie et Polonie regnorum salubriter confovendas erat expediens, quod Carissimus in Christo filius noster Wenceslaus Rex Boemie Illustris, prefati Imperatoris genitus, cum altera dilectarum in Christo filiarum Anne et Cunegundis predicti Regis Polonie natarum matrimonialiter copularetur; idque pro eo, quod Wenceslaus et nate predicti quarto consanguinitatis gradu invicem se contingebant, fieri non posset, dispensatione super hoc apostolica non obtenta, dicteque etiam Anna et Cunegundis defectum natalium, utpote de coniugato et soluta genite paterentur: Nos dictorum Imperatoris et Polonie Regis suorumque regnorum contigua sibi vicinitate iunctorum quietem et pacem ac mutue dilectionis augmentum, nec non profectum publicum, que tam Romane ecclesie, quam universe fidei, cuius hostes dicto Polonie regno conterminant, proventura prospiciebamus, diligentius attendentes ac sperantes, quod ex huiusmodi matrimonio, si ad optatum, deo auctore, perduceretur effectum, multa ecclesie, fidei ac regnis predictis bona provenirent, ex premissis et aliis certis causis cum prefato Wenceslao et altera predictarum Anne et Cunegundis, quam Imperator et Rex Polonie predicti ad hoc ducerent eligendam, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate proveniebat, non obstante, Imperator pro Wenceslao impubere et Rex Polonie prefati pro altera dictarum filiarum suarum infantium, quam, ut profertur, Imperator et Rex Polonie predicti eligerent, sponsalia de futuro ex nunc, dictoque Wenceslaus et altera dictarum filiarum, que sic electa foret, cum ad etatem ad hoc aptam perveniret, matrimonium insimul contrahere, et in eo, postquam contractum foret, remanere licite valerent, auctoritate apostolica de speciali gracia dispensavimus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nuntiantes, et insuper ex causis et considerationibus supradictis, ad hoc ut huiusmodi sponsalia et matrimonium honestius et decentius contraherentur, volentes illam ex dictis Anna et Cunigunde, quam dicti Imperator et Polonie Rex eligerent, ut prefertur, legitimationis titulo decorare, eam, que sit electa foret, auctoritate prefata et de apostolice plenitudine potestatis legitimavimus, et ad natalia omniaque iura legitima restituimus, et cum ea, ut tanquam legitima et de legitimo thoro nata ad successionem et quoscunque honores et actus legitimos admitti, defectu natalium premisso et quibuscunque constitutionibus et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, licite posset, duximus etiam dispensandum; ita tamen, quod per legitimationem et dispensationem huiusmodi nullum Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie, ac Elizabet Romanorum Imperatrici semper Auguste et Boemie, ac Elizabet Ungarie Reginis Illustribus, nec non dilecto filio nobili viro Kazimiro duci Stetinensi, dictorum Regis Polonie et filiarum suarum consanguineis, et eorum vel alicuius eorum heredibus et successoribus aut quibuscunque aliis preiudicium generaretur, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Nuper autem pro parte dictorum Regis et Regine Ungarie fuit nobis expositum, quod cum ipsi Kazimiro Regi decedenti absque filiis legitimis ex se natis, Regina, si superstes esset, utpote soror eius et sibi proximior immediate seu primo loco et Ludovicus Rex prefati secundo loco tam de iure, quam ex conventionibus per eos cum memorato Kazimiro habitis in hac parte deberet succedere in regno Polonie prelibato, et ab aliquibus dubitetur, propter legitimationem et ad natalia et iura legitima restitutionem, et alia supradicta ipsis Regine et Regi Un-

garie in ordine successionis huiusmodi posse preiudicium generari, et propterea supplicatum, quod super conservatione sui iuris in hac parte providere de oportuno remedio dignaremur. Nos huiusmodi iustis supplicationibus inclinati, tenore presentium auctoritate apostolica declaramus nostre intentionis fuisse et esse, quod eisdem Regine et Regi Ungarie ex huiusmodi nostris legitimatione, restitutione et dispensatione nullum tam in ordine successionis in dicto regno Polonie, quam alias quomodolibet preiudicium generetur, ac si dicte legitimatio, restitutio et dispensatio minime facte forent. Nulli ergo etc. **Datum Rome apud S. Petrum Nonis Decembris. Anno Octavo.**

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 11.

CLXXII.

Nuntiis apostolicis sponsalia inter filium imperatoris et neptem regis Hungariae contracta dissolvendi, et absolvendi a iuramentis praestitis datur potestas.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Aquensi et Dilecto filio Petro Begonis archidiacono de Aura in Ecclesia Convenarum, Capellano nostro, apostolice sedis nuntiis, salutem etc. Sedes apostolica sollicita de pacifico et tranquillo statu fidelium, presertim illustrium personarum, cum scandala verisimiliter oritura formidat, eis, prout potest, libenter obviat remediis oportunis. Sane exhibita nobis pro parte Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis et Carissime in Christe filie nostre Elizabeth Regine Ungarie Illustrium, matris sue, petitio continebat, quod olim, ut per ipsos credebatur, ad mutuam pacem et perpetuam benivolentiam Regum Ungarie et Boemie, qui erant et essent pro tempore, ac regnorum Ungarie et Boemie et Regnicolarum ipsorum tractatum fuit per communes amicos, quod Carissimus in Christo filius noster Wenceslaus Rex Boemie Illustris, natus Carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti et Boemie Regis Illustris, tunc infans, ac Dilecta in Christo filia nobilis mulier Elizabeth, nata quondam Stephani, prefatorum Regis et Regine Ungarie neptis, tunc impubes, cum essent in etate legitima, matrimonialiter iungerentur, et ut hoc duceretur ad effectum, Imperator pro Wenceslao et Regina Ungarie prefata pro Elizabet predictis contraxerunt sponsalia de presenti, et tam ipsi quam etiam prefatus Rex Ungarie, et nonnulli etiam ecclesiarum prelati et nobiles eorumdem regnorum se facturos et curaturos pro posse, quod adveniente dicta etate legitima predictorum Wenceslai et Elizabeth neptis, huiusmodi inter eos matrimonium contraheretur, consummaretur, et non contrafacere vel venire prestiterunt corporaliter iuramenta, prout in litteris et instrumentis inde confectis dicitur plenius contineri. Quodque regnicole dicti regni Ungarie fere universaliter, hoc audito, exinde ex certis causis adeo contristati fuerunt, et sunt etiam de presenti, quod ipsum matrimonium, quod si fieret, et ut prefertur, sperabatur ad pacem, esset indubie materia discordie dictorum regnorum et multorum etiam scandalorum; et quod etiam ipsa Elizabeth nunc adulta, prefatum contrahere matrimonium minime contendit ac recusat, et quod de sponsalibus nomine ipsius contractis contenta non extitit temporibus retroactis. Quare ipsi Ludovicus Rex et Regina videntes dicte sue neptis in hac parte dissensum et regnicolarum predictorum turbationem, que utpote inextricabilis de ipsorum cordibus annis pluribus perduravit immobiliterque perdurat; et cupientes huiusmodi periculis obviare, nobis humiliter supplicarunt, ut ipsos ac omnes et singulos, qui predicta iuramenta prestiterunt, ab eis absolvere dignaremur. Nos igitur premissis mature pensatis, cupientes predictis discordie ac scandalis, que probabiliter timentur, oportunis remediis obviare, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum in solidum, de quorum discretione plenam in domino fiduciam obtinemus, si de voluntate expressa Imperatoris et Regis ac Regine Ungarie, nec non Wenceslai et Elizabeth neptis prefatorum processerit, quod dicta sponsalia dissolvantur, et per eos, prout ad ipsos spectat, fuerint dissoluta, et iuramenta super hiis hinc inde prestita invicem remissa, dissolutionem et remissionem huiusmodi ad maius robur et ex abundanti auctoritate apostolica approbandi, ratificandi et confirmandi, ac ipsos Imperatorem et Regem et Reginam Ungarie, ac Wenceslaum et Elizabeth neptem nec non prelatos et nobiles ac quoslibet alios, cuiuscunque status, dignitatis, ordinis, sexus vel conditionis existant, ab eisdem iuramentis super dictis sponsalibus et de contrahendo et consummando matrimonio prelibato prestitis, absolvendi plenam concedimus tenore presentium facultatem. **Datum Rome apud S. Petrum v. Idus Decembris. Anno Octavo.**

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 14.

CLXXIII.

Elisabethae seniori reginae Hungariae, ut Ioanni epo Vaciensi in his, quae sibi referet, credat.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth Seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Vaciensem, latorem presentium, super hiis, que vigore tuarum litterarum credentialium nobis exposuit, benigne audivimus, sibique, quanto favorabilius et honestius potuimus, responsum nostrum dedimus, quod ipse tue serenitati referet oraculo vive vocis, super quo eadem serenitas velit dicto Episcopo fidem indubiam adhibere. Datum Rome apud sanctum Petrum v. Idus Decembris. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 7.

CLXXIV.

Ludovico regi Hungariae liberalitas erga Carolum de Duracio commendatur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Magne laudis preconio pietas tue serenitatis attollitur ex eo, quod dilectum filium nobilem virum Carolum de Duratio, consanguineum tuum, Regalibus moribus et magnificentia studioque paterne sollicitudinis educasti, et nuper, sicut Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Vaciensis, et dilectus filius Iohannes de Brixia, licentiatus in legibus, Ambaxiatores tui, nobis exposuerunt, ducatum Dalmatie atque Chroacie dicto Carolo, cui non suppetebant secundum suum regium sanguinem facultates, propria liberalitate donasti; de quibus presertim, quia audivimus, quod idem Carolus, de genere tuo devotissimo Romane ecclesie ortus, tuam suorumque progenitorum devotionem, prout patitur sua etas, prosequitur, bonorumque indolis et morum asseritur, tuam munificentiam commendamus. Datum Rome apud sanctum Petrum iii. Idus Decembris. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 8.

CLXXV.

Eidem, ut Stephanum iuniorem banum Bosniae, qui a fratre schismatico opprimitur, quamdiu fuerit catholicus, habeat commendatum.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem. Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Stephanus Banus Bosne iunior, quod licet Bani Bosne, qui fuerunt pro tempore, pro maiori parte scismatici et heretici, ac hereticorum receptatores et defensores extiterint manifeste, ipse tamen est vir catholicus, ac in tua Curia longo tempore conversatus, eosdemque hereticos detestatur, et quantum in eo esset, libenter ipsorum exterminium procuraret: propter quod nobilis vir . . . Banus Bosne senior, frater eius, sequens suorum progenitorum vestigia detestanda, ac fovens et defendens hereticos ad illas partes quasi ad sentinam fetidam de diversis mundi partibus confluentes, ipsum Stephanum, abiecto amore fraterno, persequitur et hactenus gravissimis dampnis attrivit ac partem hereditatis sibi denegat exhibere: super quibus idem Stephanus apostolice sedis provisionis auxilium filiali fiducia postulavit. Nos igitur prefato Stephano de tantis dampnis et iniuriis, que patitur propter deum et sanctissimam fidem eius, paterno compatientes affectu, pietatem tuam precamur et hortamur attentius, quatenus, si est ita, sicut princeps christianissimus prefatum . . . ab erroribus, quibus fedatus asseritur, et favore ac defensione hereticorum huiusmodi tuis providis consiliis et exhortationibus, prout poteris, studeas revocare, ac ipsum et dictum Stephanum, si perseverare velit in sacro cultu dicte fidei, invicem concordare, restitutis seu datis dicto Stephano terris et aliis bonis suis, ac ipsum Stephanum, quamdiu in cultu sincero fidei prefate persistiterit, caritatis affectu et efficacibus favoribus pro tui honoris augmento ac etiam spe premii habere digneris intime commendatum. Datum Rome apud sanctum Petrum xix. Kal. Ianuarii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 8.

CLXXVI.

Stephano iuniori bano Bosniae compatitur et ad patientiam hortatur, ac de palafredo misso grates reddit.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Stephano Bano Iuniori Bosne, salutem etc. Littere, quas nuper nobis tua nobilitas destinavit, compassionis affectum de tribulationibus, quas pa-

teris propter deum et zelum fidei sue catholice, ac dilectionis sinceritatem erga tuam personam in nobis, patre benivolo, merito induxerunt: et quia aliud efficax auxilium tibi tribuere de presenti nequimus, et carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri per nos recommendari petiisti, te sibi recommendamus per nostras litteras, quas cum presentibus destinamus. Confortare igitur, fili, habeque patientiam in adversis, que sustines amore divino: nam preter apostolice sedis favores et prefati Regis auxilium tibi, deo propitio, congruo tempore tribuenda, secundum sententiam domini dicentis: Beati sunt, qui persecutionem propter iustitiam patiuntur; et nulla sit maior iustitia, quam fidem semper tenere catholicam, ex qua iustus vivit, et pro eius amore mala quelibet equanimiter tolerare, eterna premia consequeris. Ceterum si, ut scripsisti, ad sacram urbem accesseris, videbimus te libenter: de palafredo autem nobis per dilectum filium Iacobum Gaberutii, civem Racanatensem, pro parte tua nobis fideliter presentatum, multumque acceptum, eidem nobilitati referimus multas grates. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIX. Kal. Ianuarii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 9.

CLXXVII.

Fratribus ord. Minor. in Bosnia conceditur, ut extra provinciam suam possint mendicare.

Urbanus episcopus etc. Dil. filiis Universis fratribus ord. fratrum Minorum professoribus in partibus Bosne commorantibus presentibus et futuris, salutem etc. Excolentes vineam domini sabaoth gratiis libenter apostolicis communimus, ea pie concedentes eisdem, per que contra versutas vulpium astutias ipsam demolientium vineam possint perseverare constantius et fortius convalescant. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod vos in partibus Bosne ad predicandum contra hereticos, quorum consistit ibidem multitudo non modica, constituti, adversus ipsos dimicantes gladio verbi dei, eradicationi ipsorum insistitis toto posse, quodque ipsi versa vice apud potentes et divites partium earundem, quorum sibi simulatis sanctitatis actibus favorem acquirunt, quantum possunt, impediunt, ne vobis in dictis partibus elemosine tribuantur; et cum obstantibus statutis vestri ordinis non liceat vobis extra deputatam vobis provinciam elemosinas petere, sepe contingit, intolerabilem defectum in victu et vestitu necessariis vos habere: quare nobis humiliter supplicastis, ut vobis in hac parte providere de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, ne contra pietatem impietas invalescat, et ex defectu temporalium, que in orbe ubi sunt, metere, spiritualia seminantes, ab incepto, quod absit, ministerio persecutionis hereseos desistatis, vestris supplicationibus benignum prebentes assensum, vobis, ut extra Vicariam Bosne tam in Ungarie quam Dalmatie et Chroatie partibus quascunque elemosinas petere et recipere licite valeatis, statutis et ordinationibus apostolicis et ordinis predicti, etiam si de ipsis in presentibus de verbo ad verbum esset specialis facienda mentio, non obstantibus quibuscumque, tenore presentium indulgemus, districtius inhibentes fratribus ordinis et partium eorumdem, ne vos in questu elemosinarum huiusmodi impediant quoquomodo, ac eis mandantes, quod vos in eorum locis benigne recipiant et pertractent. Nulli ergo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Decembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 16.

CLXXVIII.

Anglico epo Albanensi regem Hungariae per suos nuntios in auxilium Ecclesiae cum decem millibus armatorum venturum se obtulisse annuntiat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Anglico Episcopo Albanensi, in terris Romane ecclesie immediate subiectis pro nobis et ecclesia ipsa Vicario in temporalibus generali, salutem etc. Deducimus ad tue fraternitatis notitiam, quod ambaxiatores Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, qui apud nos fuerunt diebus quampluribus, super arduis petitis per eos bene contenti a nostra presentia discesserunt, dixeruntque nobis, quod ipse Rex, prout ab eo habuerunt, paratus erit ad depressionem hostium Romane ecclesie et colligatorum ipsius personaliter venire saltem cum decem millibus armatorum bonorum et non pauciorum, et non recedere, donec dicta depressio esset totaliter terminata: pro quorum tertia parte stipendiorum idem Rex de proprio solveret, ecclesia et colligatis eisdem solventibus reliquas duas partes, et dantibus gentes ordinatas et taxatas pro liga, vel saltem medietatem earum, et nobilibus colligatis et melioribus de terris ecclesie assistentibus ipsi

Regi: quibus respondimus, quod hoc prefatis ecclesie et colligatis omnino impossibile redderetur, et propterea ipse Rex adiuvando ecclesiam et colligatos eosdem utique suos amicos, suam, ut placeret, magnificentiam exhiberet. Cum itaque superbia hostium semper ascendat, et contra eos sit celeriter providendum, volumus et tue fraternitati mandamus, quatenus dilectos filios Florentinos et alios colligatos ad providendum super hiis, et offerendum dicto Regi subsidium, quod offerentibus sit possibile ipsique Regi gratum, studeas sine more dispendio convocare ac super hiis tractare et deliberare, quod magis videbitur expedire. Datum Rome apud S. Petrum XVII. Kal. Ianuarii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 9.

CLXXIX.

Ludovico regi Hungariae, ut Carolum de Duracio, cum quo et Margareta ad matrimonium ineundum dispensatum est, ad devotionem ecclesiae Romanae confortet.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Magnitudinis tue, quam consolatam fore cupimus, supplicationibus inclinati, dispensationem super matrimonio inter dilectum filium nobilem virum Carolum de Duratio et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Margaritam de Duratio, consanguineos tuos, in secundo gradu collaterali consanguinitatis coniunctos, dante domino, contrahendo pro bono et pace regni Sicilie, que speramus exinde cum dei gratia proventura, quamvis in tali gradu rarissime et nonnisi ex magnis causis sedes apostolica dispensare consueverit, duximus concedendam, prout in litteris nostris inde confectis videbit Regia serenitas contineri. Igitur ut hoc deo reddatur acceptum, et ipse sua pietate fecunditatem prolis, ut cupis et inclite tue domui expedire dinoscitur, ex dicto matrimonio largiatur, decens est, quod dictum Carolum, qui in tua potestate consistit, ut devotionem Romane ecclesie amplectatur in annis teneris indissolubiliter retinendam, studio regie confortationis inducas, tuque, qui hoc ardenti affectu et precipua sollicitudine procurasti, eandem ecclesiam in subveniendo sibi in suis necessitatibus, que urgent ad presens, habere digneris in tui cordis intimis commendatam. Datum Rome apud Sanctum Petrum v. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 19.

CLXXX.

Eidem, ut pro gratiis et favore sibi per Ecclesiam exhibitis Ecclesiae ipsi contra hostes subveniat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ex relatione fideli Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Vaciensis, Ambaxiatoris tui, latoris presentium, et ex litteris apostolicis confectis super gratiis pro parte tue celsitudinis postulatis, eadem celsitudo poterit evidenter agnoscere, quam sincera dilectione, que in operis exhibitione probatur, inclitam tuam personam prosequimur, quantumque simus dispositi in hiis, que honeste possumus, annuere votis tuis. Eapropter pietatem tuam, quam inclitorum tuorum progenitorum, qui pre ceteris mundi principibus Romane ecclesie sicut precipui filii firmissime adheserunt, eique prestiterunt subventionis auxilia, et ab ea etiam receperunt caritate reciproca in cunctis casibus oportunis, decet imitari vestigia, confidentissime requirimus et rogamus, quatenus prefate ecclesie matri tue, que ab hostibus eius molestatur assidue, digneris filiali promptitudine potenter et magnifice subvenire, secundum quod idem episcopus serenitati tue plenius exponet oraculo vive vocis, super quo velis sibi fidem indubiam adhibere. Datum Rome apud Sanctum Petrum IV. Idus Ianuarii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 19.

CLXXXI.

Eidem super dispensatione, quam petierat, pro Carolo et Margareta de Duracio facta.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cupientes, fili carissime, ea, que sperantur cedere ad pacem et quietem regni Sicilie, gratiose concedere, et prout secundum deum possumus, annuere votis tuis super matrimonio contrahendo inter dilectum filium nobilem virum Carolum de Duratio et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Margaritam de Duratio, consanguineos tuos, in secundo et quarto gradibus collateralibus consanguinitatis se invicem contingentes, precibus tuis, quas nobis in hac parte fecisti, solita benignitate receptis,

super dicto matrimonio contrahendo duximus auctoritate apostolica dispensandum. Verum quia inter Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Vaciensem, tuum et prefati Caroli procuratorem, ad hec a te et dicto Carolo mandatum habentem, de consilio et consensu dilecti filii magistri Iohannis de Brixia legum doctoris, tui et dicti Caroli Ambaxiatoris et procuratoris, nomine tuo et Caroli prelibati ex una parte, et carissimam in Christo filiam nostram Iohannam Reginam Sicilie Illustrem Margarite prefate materteram ex altera, quedam pacta occasione premissi matrimonii sunt inita et firmata, in quibus inter alia continetur, quod per tuam serenitatem et eundem Carolum ipsa pacta debeant approbari, confirmari et etiam observari: serenitatem eandem rogamus et hortamur attente, quatenus tu et idem Carolus ipsa pacta presentibus inclusa, que rationabilia nobis videntur, approbetis, ratificetis et etiam confirmetis, inviolabiliterque servetis, et dictis Regine et Margarite huiusmodi approbationis, ratificationis et confirmationis mittatis authentica documenta. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 20.

CLXXXII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Mariae in Bozin Strigon. dioec. visitantibus conceduntur indulgentiae.

Urbanus episcopus etc. Dil. fil. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Dum precelsa meritorum insignia, quibus Regina celorum virgo Dei genitrix gloriosa sedibus prelata sidereis quasi stella matutina prerutilat, devote considerationis indagine perscrutamur, dum etiam infra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie, mater gratie, pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula exoratrix et pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit: dignum, quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias in sui honorem nominis dedicatas indulgentiarum muneribus honoremus. Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancte Marie in Bozin Strigoniensis diocesis congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Domini nostri Iesu Christi, Pentecostes, nec non in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis et nativitatis beati Iohannis Baptiste ac beatorum apostolorum Petri et Pauli festivitatibus et celebritate omnium Sanctorum, et per octabas ipsarum Nativitatis Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Domini nostri Iesu Christi, nec non ipsius beate Marie Nativitatis et Assumptionis ac nativitatis beati Iohannis et apostolorum predictorum festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim, singulis diebus festivitatum et celebritatis et octabarum ipsarum et predictorum sex dierum, quibus predictam ecclesiam devote visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus post decennium minime valituris. Datum Rome apud sanctum Petrum Idibus Ianuarii Pontificatus nostri. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 37.

CLXXXIII.

Eisdem ad augendum et sustentandum pauperum hospitale in castro Bozin adiuvantibus veniam largitur.

Urbanus episcopus etc. Dil. fil. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Cum, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, sicut in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive malum: oportet, nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire, et eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis, summam spem fiduciamque tenentes, quod qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Iohannes Comes de Bozin quoddam hospitale pauperum ad honorem Spiritus Sancti in castro de Bozin Strigoniensis diocesis construi fecerit et dotari, nos cupientes, ut hospitale ipsum in temporalibus augeatur, et Christi fideles eo libentius pauperibus in ipso degentibus manus porrigant adiutrices, quo dono celestis gratie conspexerint se uberius refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis,

qui ad augmentationem ipsius hospitalis et sustentationem pauperum eiusdem manus porrexerint adiutrices, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus post decennium minime valituris. Quas mitti per questuarios districtius inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Datum Rome apud sanctum Petrum Id. Ianuarii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 37.

CLXXXIV.

Clara relicta quondam Alexandri voivodae Valachiae, quod natam suam imperatricem Bulgariae ab errore et schismate retraxit, commendatur.

Urbanus episcopus etc. Dilecte in Christo filie nobili mulieri Clare, relicte quondam Alexandri Wayvode in Wlachia vidue, salutem etc. Letamur in domino, Dilecta filia, sibique gratias agimus ex intimis nostri cordis, quod sicut fidedigna relatione didicimus, tu Spiritus Sancti lumine illustrata, et per eximie devotionis opera et multiplicium virtutum exercitium iugiter altissimo famularis, et inter alia Carissimam in Christo filiam nostram ... Imperatricem Bulgarie Illustrem, natam tuam, a scismate ac erroribus hereticalibus, in quibus diutius fuerat, retraxisti: verum quia habere diceris alteram natam, videlicet Ancham reginam Servie Illustrem, adhuc in similibus scismate ac erroribus permanentem, caritatem tuam excitamus ac hortamur attentius et rogamus, quatenus ut multos lucri facias domino Iesu Christo, dictam Reginam, aliasque utriusque sexus personas, scismate ac heresibus maculatas, ad prefate fidei, extra quam non est salus, coneris convertere puritatem. Ceterum devotionem tuam ex eo, quod beatos apostolos Petrum et Paulum eorumque basilicas et nos etiam de calicibus aureis et paramentis pretiosis pro divinis obsequiis honorasti, digne commendationis attollentes preconio, liberalitati tue proinde gratiarum referimus actiones. Datum Rome apud sanctum Petrum xiv. Kal. Februarii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 20.

CLXXXV.

Cum Philippo imp. Constantinopol. et Elisabetha nepte regis Hungariae dispensatur, ut (dummodo iuramenta inter ipsam et filium imperatoris sponsaliorum causa olim praestita remittantur) matrimonium inire possint.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Philippo Imperatori Constantinopolitano, et Dilecte in Christo filie nobili mulieri Elizabeth quondam Stephani filii clare memorie Caroli Regis Ungarie nate, salutem etc. Etsi inter illos, qui proxima consanguinitatis linea invicem sunt coniuncti, sacrorum canonum instituta matrimonialem copulam interdicant, summus tamen pontifex ex plenitudine potestatis, quam non ab homine obtinet, sed a Deo, nonnunquam personarum et temporum qualitate pensata, rigorem iustitie, presertim circa personas illustres, mansuetudine temperat, et quod negat iuris severitas, de gratia provide benignitatis indulget. Hinc est, quod nos Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris in hac parte supplicationibus inclinati, ex certis rationabilibus causis ex parte dicti Regis nobis expositis, vobiscum, qui quarto consanguinitatis gradu invicem coniuncti estis, ut impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, nequaquam obstante, matrimonium invicem libere contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeatis, dummodo iuramenta per quascunque personas occasione sponsaliorum de futuro olim inter te, filia Elizabeth, et Carissimum in Christo filium nostrum Wenceslaum Regem Boemie Illustrem contractorum interposita, tam pro parte tua quam eiusdem Regis hinc inde penitus remittantur, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia dispensamus, prolem ex huiusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nuntiantes. Nulli ergo etc. Datum Rome apud sanctum Petrum vi. Id. Ianuarii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 28.

CLXXXVI.

Eisdem indulgetur, ut matrimonium sub certa conditione inire possint.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Philippo Imperatori Constantinopolitano Illustri, et Dilecte in Christo filie Nobili mulieri Elizabeth quondam Stephani filii clare memorie Caroli Regis Ungarie nate, salutem etc. Etsi inter illos, qui proxima consanguinitatis linea invicem sunt coniuncti, sacrorum canonum instituta matrimonialem copulam interdicant, summus tamen pontifex ex ple-

nitudine potestatis, quam non ab homine obtinet, sed a Deo, nonnunquam personarum et temporum qualitate pensata, rigorem iustitie, presertim circa personas illustres, mansuetudine temperat, et quod negat iuris severitas de gratia provide benignitatis indulget. Hinc est, quod nos Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris in hac parte supplicationibus inclinati, ex certis rationabilibus causis ex parte dicti Regis nobis expositis, vobiscum, qui quarto consanguinitatis gradu invicem coniuncti estis, ut impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, nequaquam obstante, matrimonium invicem libere contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeatis, dummodo iuramenta per quascumque personas occasione sponsaliorum de futuro olim inter te, filia Elizabeth, et Carissimum in Christum filium nostrum Wenceslaum Regem Boemie Illustrem contractorum interposita, tam pro parte tua quam eiusdem Regis hinc inde penitus remittantur, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia dispensamus, prolem ex huiusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nuntiantes. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire etc. **Datum Rome apud sanctum Petrum Id. Ianuarii. Anno Octavo.**

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 12.

CLXXXVII.

Anglico ep.o Albanensi in favorem Petri de Scortis domicelli Placentini per regem Hungariae commendati.

Urbanus episcopus etc. **Venerabili fratri Anglico Episcopo Albanensi, in terris Romane ecclesie** immediate subiectis nostro et pro ecclesia ipsa Vicario generali in temporalibus, salutem etc. Quia Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris dilectum filium nobilem virum Petrum de Scortis, domicellum Placentinum, in recuperatione bonorum suorum dudum sibi, ut asserit, per dilectum filium nobilem virum Galeaz de Vicecomitibus militem, in civitate Mediolanensi Imperialem Vicarium, ablatorum nobis per suas litteras commendavit: fraternitati tue mandamus, quatenus eundem Galeaz per tuas litteras roges ex parte nostra, quod si premissa sint vera, ob nostrorum intercessionem rogaminum huiusmodi bona restituat, seu restitui faciat dicto Petro, tuque interim ob reverentiam dicti Regis eundem Petrum in hiis, que decenter poteris, habeas commendatum. **Datum Rome apud S. Petrum III. Kal. Martii. Anno Octavo.**

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 37.

CLXXXVIII.

Dispensatur cum neophitis et schismaticis redeuntibus ad fidem, ut in matrimoniis in gradibus prohibitis contractis remaneant.

Urbanus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Super gregem dominicum nostre vigilantie dispositione superna commissum exercere, prout nobis ex alto conceditur, vigilis speculationis officium cupientes, ad ea potissime opem et operam impertimur, ex quibus dilatatio catholice fidei unitasque fidelium subsequi valeant et animarum salutis commoda provenire, utendo plerumque potestatis plenitudine nobis divinitus attributa, prout personarum, locorum et temporum qualitate pensata, id in deo conspicimus expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum in terris Saracenorum, Paganorum, Grecorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sitharum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mothacorum, aliarumque non credentium nationum Orientis et Aquilonis, seu quarumcunque aliarum partium constitutorum, et ad eas proficiscentium et evangelizantium verbum dei coram nobis expositum fuit, quod nonnulli predictarum orientalium et aquilonarium infidelium nationum, qui ad fidem catholicam dictorum fratrum predicationis et operationis ministerio seu alias sunt conversi, pro eo quod in gradibus et lege divina non prohibitis matrimonia contrahere nequeunt absque dispensatione sedis apostolice speciali, a fide catholica et devotione ecclesie totaliter recedentes, cum hereticis et Saracenis sepius per contubernium copulantur: propter que ipsi et eorum proles, prohdolor, spiritualiter pereunt et multarum inde sequuntur pericula animarum. Quare pro parte dictorum fratrum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur volentes huiusmodi animarum obviare periculis et futuris etiam precavere, ac cupientes fidem catholicam non minui, sed augeri, in favorem dicte fidei cum universis gentibus de novo conversis ad fidem catholicam, que ante conversionem ipsarum cum personis eas attingentibus in quibuscunque consanguinitatis vel affinitatis gradibus a lege divina non prohibitis matrimonia contraxerunt, quod iuxta constitutionem felicis re-

cordationis Innocenti pape secundi predecessoris nostri super hoc editam, que incipit: Gaudeamus; in matrimoniis ipsis, dictis impedimentis non obstantibus, libere possint et licite remanere coniuncti; cum schismaticis autem, qui ad unitatem catholice fidei et plenam obedientiam sancte Romane ecclesie effectualiter redierunt, quique cum personis in quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis ipsas attingentibus matrimonia contraxerunt, quod impedimento prefato non obstante, possint in eiusmodi matrimoniis licite remanere, auctoritate predicta similiter dispensamus: prolem susceptam et suscipiendam ex matrimoniis omnibus in casibus antedictis, legitimam de apostolice potestatis plenitudine decernentes. Nulli ergo etc. Datum Rome apud S. Petrum IIII. Idus Martii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 50.

CLXXXIX.

Ludovico regi Hungariae, operam det, ut filia ducis Dalmatiae et Croatiae, quam banus Bosniae secum tenet, parentibus restituatur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad nostrum pervenit auditum, quod nobilis vir Twarcho Banus Bosne, subditus tuus, et mater eius, quandam puellam natam dilecti filii nobilis viri Gregorii nati quondam Pauli, ducis Dalmatie et Chroatie, de manibus suorum parentum amicabiliter receperunt per eos nutriendam et demum in etate nubili cum ipsorum voluntate parentum alicui fideli et magnifico viro secundum dicte puelle status decentiam maritandam; quodque idem Banus eandem puellam tradere nuptui filio magnifici viri Regis Rascie scismatico absque dictorum parentum voluntate procurat, in anime ipsius puelle periculum, eorundem parentum iniuriam et offensam fidei christiane. Quare piam serenitatem tuam hortamur et rogamus attente, quatenus ob reverentiam dei ac apostolice sedis et nostram, nec non fidei prelibate, tue sollicitudinis operam interponas, quod eadem puella aut restituatur eisdem parentibus suis, aut ad tuam curiam transmittatur, alicui fideli de ipsorum parentum voluntate et cum tuo consilio maritandam. Dat. Rome apud S. Petrum VI. Idus Aprilis. Anno Octavo.

In e. m. Elisabeth Regine Hungarie etc. Ad nostrum pervenit auditum, quod nobilis vir Twarcho Banus Bosne, frater tuus, et mater eius quandam puellam etc. ut supra usque ad finem.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia fol. 69.

CXC.

Twarcho bano Bosniae, ne filiam ducis Dalmatiae absque parentum voluntate nuptui tradat alicui infideli; sed eam restituat ipsis vel regi Hungariae.

Urbanus episcopus etc. Dil. filio Nobili Viro Twarcho Bano Bosne, salutem etc. Ad nostrum pervenit auditum, quod tu et mater tua quandam puellam natam dilecti filii nobilis viri Gregorii, nati quondam Pauli ducis Dalmatie et Chroatie, de manibus suorum parentum amicabiliter recepistis per vos nutriendam, et demum in etate nubili cum ipsorum voluntate parentum alicui fideli et magnifico viro secundum dicte puelle status decentiam maritandam; quodque tu eandem puellam tradere nuptui filio magnifici viri Regis Rascie scismatico absque dictorum parentum voluntate procuras, in anime ipsius puelle periculum, eorundem parentum iniuriam et offensam fidei christiane. Quare nobilitati tue auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne prefatam puellam cuicunque heretico, infideli aut scismatico, extra obedientiam sacrosancte Romane ecclesie, matris et magistre cunctorum fidelium, persistenti, nuptui tradere, nec etiam fideli absque suorum parentum expressa voluntate presumas; quinimo illam eisdem suis parentibus restituere, aut ad curiam Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, cognati tui, studeas destinare. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia fol. 70.

CXCI.

Ladislao voivodae Valachiae, ut a schismate recedat.

Urbanus episcopus etc. Nobili viro Latizlao Wayvode Vlachie, gratiam in presenti, per quam obtineat gloriam in futurum. Superni pastoris, qui sue immense caritatis beneficio, ut omnes oves salvas faceret, unumque esset ovile et unus pastor, de celis descendit in mundum, se immolans pro eisdem, vices licet immeriti gerentes in terris, oves errabundas et devias, illas presertim, quas sive in rectam viam sive in deviam sequuntur alie, prout possibilitas nobis ex alto conceditur, ad ipsum ovile

reducere procuramus. Sane fide dignorum relatione percepimus, quod licet eiusdem pastoris, videlicet domini nostri Iesu Christi, fidem profitearis, tamen extra ovile prefatum, scilicet gremium et obedientiam sacrosancte Romane ac catholice et apostolice ecclesie, matris et magistre cunctorum fidelium, extra quam non est salus, ex antiquo scismate in te a tuis antiquis predecessoribus derivato, moraris et multiplicibus erroribus involutus existis, nichilominusque credens forte te in statu salutis existere, impios Turchos catholice fidei hostes pro dei et prefate sedis reverentia persequeris et tuos reputas inimicos. Sed dolemus ab intimis, si non certas legitime, cum non nisi certamen exercenti legitimum corona eterni premii secundum doctorem gentium tribuatur, tantoque ferventius tuam salutem gliscimus, quanto, si in toto corde tuo convertaris ad dominum, futurus victoriosior Christi pugil verisimiliter extimaris. Quare magnificentiam tuam hortamur in domino et obsecramus per viscera misericordie Dei nostri, quatenus relictis scismate et erroribus universis, per instructionem catholicorum et religiosorum virorum, quorum multi in tuo dominio, presertim ex operatione dilecte in Christo filie nobilis mulieris Clare, noverce tue, non solum catholice, sed claris dicte fidei et virtutum meritis insignite moram trahere asseruntur, ad ovile prefatum securus advenias, in eo cum aliis Christi fidelibus perpetuo permansurus et salutis eterne premia recepturus. Nos enim, si hoc fideliter et sincere effeceris, te ut filium dilectissimum habere proponimus, ac tibi in tuis et terre tue negotiis apostolice sedis favoribus assistere gratiose. Datum Rome apud sanctum Petrum VI. Idus Aprilis. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia fol. 70.

CXCII.

Capitulo basilicae principis Apostolorum de Urbe, ut oratoribus regis Hungariae et sociis sacrum sudarium ostendant.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis . . . Capitulo Basilice principis apostolorum de Urbe, salutem etc. Quia Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Vaciensis, ac dilecti filii nobilis vir Nicolaus de Zech miles, regalis curie Ungarie iudex, et magister Cato prepositus ecclesie Dimisiensis Vespriniensis diocesis, decretorum doctor, Ambaxiatores Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, ad nostram presentiam destinati, harum latores, causa devotionis ad urbem se conferunt de presenti: volumus et devotioni vestre presentium tenore mandamus, quatenus dictis Ambaxiatoribus et eorum sociis ac familiaribus sacrum sudarium hac vice duntaxat congruo tempore ostendatis. Datum apud Montemflasconem XV. Kal. Iulii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia fol. 105.

CXCIII.

Ludovico regi Hungariae, ut suis oratoribus redeuntibus super referendis credat, et Ecclesiam habeat commendatam.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Vaciensem, et dilectos filios nobilem virum Nicolaum de Zech militem, tue curie Iudicem, et magistrum Catonem prepositum ecclesie Dimisiensis Vespriniensis diocesis, decretorum doctorem, Ambaxiatores tuos, latores presentium, ad nostram presentiam destinatos super hiis, que nobis ex parte tue serenitatis curaverunt exponere, benigne audivimus, et tam super expositis pro parte tua, quam super referendis eidem serenitati ex parte nostra pro auxilio Romane ecclesie, matris tue, plene duximus informandos: quibus super eisdem referendis velis fidem indubiam adhibere, et eamdem ecclesiam secundum sue spei et tue magnificentie magnitudinem habere intime commendatam: super cuius commendationis effectu, quem dispositio negotiorum eiusdem ecclesie et suorum devotorum non solum celerem esse desiderat, sed necessario et exigit, nos nostros, et dilecti filii commune civitatis Florentine suos Ambaxiatores ad regie sublimitatis presentiam intendimus de proximo destinare. Datum apud Montemflasconem XIV. Kal. Iulii. Anno Octavo.

In e. m. Ambabus Reginis Ungarie Regis matri et uxori.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia fol. 105.

CXCIV.

Elisabethae seniori reginae, ut eidem nuntio de auxilio ecclesiae Romanae impendendo credat.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Cum Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Aquensem apostolice sedis nun-

tium, latorem presentium, ad tuam ac Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, nati tui, presentiam pro tuo et ipsius Regis auxilio et succursu Romane ecclesie, matris vestre, contra hostes eius, qui eam vexare non desinunt, inpendendo destinemus ad presens: serenitatem et devotionem reginalem affectuose rogamus, quatenus super hiis velis dicto nuntio adhibere fidem indubiam et pie annuere postulatis. Datum apud Montemflasconem xv. Kal. Augusti. Anno Octavo.

In e. m. Elisabeth iuniori Regine Ungarie.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 128.

CXCV.

Epo Aquensi Sed. Apost. nuntio, ut cum rege Hungariae nomine ecclesiae Romanae pacta, ligam etc. contra eiusdem ecclesiae hostes facere possit.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Aquensi apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum nos de tue fraternitatis fidelitate ac prudentia in aliis etiam ecclesie Romane negotiis laudabiliter comprobatis gerentes in domino fiduciam pleniorem, te ad presentiam Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris pro arduis agendis eiusdem ecclesie destinemus: ut ipsa negotia, sicut optamus et speramus, possint felicius prosperari, tibi nostro et ecclesie predicte nomine cum ipso Rege, et quacunque alia persona eius nomine ad hoc ab ipso Rege sufficiens habente mandatum, tractandi, ineundi et faciendi quecumque unionem et colligationem, seu ligam ac pacta et conventiones pro honore, defensione et statu nostris et dicte ecclesie eiusque subditorum et terrarum ac devotorum et colligatorum, presertim super adventu eiusdem Regis cum potenti brachio vel quarumcunque suarum gentium armigerarum ad partes Italie pro dictis honore et defensione ac statu, nec non repressione, depressione et exterminio quorumcunque hostium ecclesie prelibate pro tempore, et cum modis, formis et conditionibus ac obligationibus, promissionibus, nec non obligationibus terrarum ac iurium et bonorum dicte ecclesie et penis, de quibus tue circumspectioni videbitur, et cum clausulis ad hoc oportunis, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum apud Montemflasconem xv. Kal. Augusti. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia fol. 128.

CXCVI.

Archiepo Strigoniensi et aliis praelatis et nobilibus Hungariae, ut in hoc negotio suas partes apud regem interponant.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Cum Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Aquensem apostolice sedis nuncium, latorem presentium, ad Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris presentiam pro ipsius Regis auxilio et succursu ecclesie Romane contra hostes eius, qui eam vexare non desinunt, impendendo destinemus ad presens: fraternitatem tuam hortamur attente mandantes, quatenus super hiis dicto nuntio adhibens fidem indubiam, apud prefatum Regem et alias pro nostra et apostolice sedis reverentia interponas favorabiliter partes tuas; ita quod exinde apud nos merito commenderis. Datum apud Montemflasconem xv. Kal. Augusti. Anno Octavo.

Eodem modo Venerabilibus fratribus Stephano Archiepiscopo Colocensi, Wilhermo Episcopo Quinqueecclesiensi, Stephano Episcopo Zagrabiensi, Ladislao Episcopo Nitriensi, Stephano Episcopo Sirimiensi, Demetrio Episcopo Transilvanensi, Ladislao Epo Vesprimiensi.

Eodem modo Dilecto filio nobili viro Ladislao duci Opoliensi regni Ungarie Comiti Palatino, ut supra usque partes tuas, sed loco serenitatem dicatur nobilitatem.

Eodem modo nobili viro Georgio Bebeck magistro Tavernicorum Ungarie, Petro Zuder Sclavonie Bano, Ermerico Woyvade Tansilvan. Nicolao Nicolai magistro Ianitorum reginalium Ungarie.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 129.

CXCVII.

Archiepo Pragensi et Vratislaviensi et Cracoviensi epis committitur, ut abnegationem omnis schismatis per Laczkonem ducem et populum Moldaviae faciendam recipiant, et ipsis in fide catholica instructis firmatisque quoddam oppidum Ceretense in civitatem erigant, in eadem ecclesiam cathedralem instituentes et eximentes a iurisdictione episcopi Halecensis.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Pragensi et ... Vratislaviensi ac ... Cracoviensi Epis sal. etc. Super caulam gregis dominici licet insufficientibus meritis a domino constituti,

oves errantes ad eam reducere et custodire reductas apostolice sollicitudinis studio, prout nobis ex alto permittitur, procuramus: et cum hoc per nos ipsos propter locorum distantiam et ovium multitudinem nequeamus efficere, viros idoneos in nostros ad id cooperatores assumimus, illisque, cum expedit, gregis partem et loca propria deputamus, ut tanto magis in eis custodiendis proficiant, quanto specialiorem curam super illis se noverint accepisse. Sane nobilis vir Laczko dux Moldaviensis, partium seu nationis Wlachie, nobis per dilectos filios Nicolaum de Melsac et Paulum de Swidinicz ordinis fratrum Minorum professores notificare curavit, quod ipse et suus populus ducatus seu terre Moldaviensis licet christianitatis nomine glorientur, tamen ipsi et eorum progenitores scismatici fuerunt hactenus et existunt; sed quorundam fratrum Minorum predicationibus et doctrinis inducti abnegare volunt omne scisma profiterique sanctam fidem, quam catholica et apostolica ecclesia tenet, docet et predicat, ac nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus et sancte Romane ecclesie humiliter obedire ac intendere de cetero, prout alii catholici principes et populi obediunt et intendunt: nobisque idem dux humiliter supplicavit, quod oppidum suum Ceretense, Halecensis diocesis, spacio magno terrarum diffuse, cui preest Episcopus scismaticus, cuius ecclesia Halecensis est in Russie partibus, scismaticorum videlicet, constituta, utique insigne ac incolarum multitudine copiosum et alias aptum decorari insignibus civitatis, in civitatem erigere ac civitatis insignire vocabulo, et eidem Episcopum preficere catholicum, qui ipsos ducem et populum instruat et conservet in dicta fide catholica, et alia oportuna circa hec facere dignaremur. Nos igitur ad salutem animarum predictorum ducis et populi contra crucis hostes asserentium iugiter se pugnare, quos ab erroribus et scismate predicto revocare cupimus, augmentumque prefate fidei plenis affectibus aspirantes, sed de premissis nobis expositis notitiam non habentes, fraternitati vestre, de quorum fidelitate ac circumspectione in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtinemus, de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios viros fideles catholicos et prudentes, si prefatos Laczkonem et populum repereritis velle firmiter, pure, simpliciter, humiliter et reverenter fidem catholicam suscipere prelibatam, quos, si oporteat, ad hoc vestris doctrinis et predicationibus inducatis, et per alios viros catholicos in ipsa fide peritos procuretis induci, postquam ipsi seu aliqua pars eorum, de qua vestre discretioni videbitur expedire, abnegaverint omne scisma et eandem fidem devote susceperint, et eam professi fuerint secundum formam, quam vobis sub bulla nostra transmittimus, dictum oppidum Ceretense ac totam predictam terram seu ducatum Moldaviensem ab omni potestate, dominio, superioritate et iurisdictione ordinaria et diocesana et subiectione Episcopali prefati Episcopi Halecensis, seu gerentis se pro Episcopo Halecensi, ac ecclesie Halecensis et cuiuslibet alterius persone ecclesiastice in ipsius oppido et terra seu ducatu quamcunque spiritualem seu ecclesiasticam potestatem, sive iurisdictionem se pretendenti habere, et eius ecclesie seu dignitatis totaliter in perpetuum eximatis, et etiam liberetis, constituentes et ordinantes, quod solum et immediate sancte sedi apostolice in spiritualibus subsit: ac deinde prefatum oppidum in Civitatem erigatis et Civitatis vocabulo decoretis, ac totam dictam terram seu ducatum Moldaviensem, in quantum ad prefatum ducem pertinet, eidem civitati pro diocesi assignetis, et etiam deputetis, et ipsam diocesim certis terminis limitetis, et si ecclesia ibidem sit ad hoc congrua, illam in cathedralem et Episcopalem etiam erigatis. Si vero non sit ibidem talis ecclesia, unam ecclesiam infra ipsum oppidum in loco ad hoc congruo et honesto, et alias apto, fieri seu fabricari decenti opere faciatis sub vocabulo beati Petri Apostoli vel alterius sancti, de quo iidem dux et populus contententur, dote competenti et substentacione sui presulis per ipsum Laczkonem, vel alios ipsi cathedrali ecclesie primitus assignata, huiusmodique ecclesiam consecretis et in ea canonicatus, prebendas, dignitates, personatus et officia ac capellam clericorum secularium vel religiosorum, prout vobis magis expedire videbitur, creetis et ordinetis, et hac vice duntaxat instituetis personas idoneas in eisdem, ipsisque personis huiusmodi canonicatus, prebendas, dignitates, personatus et officia cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate apostolica conferatis, et provideatis etiam de eisdem; ac in eadem ecclesia edatis statuta rationabilia et honesta, et alia in ipsis ecclesia ac civitate et diocesi, donec antistitem habuerint consecratum, faciatis et constituatis, que loci ordinarius de iure facere posset, et que pro salute animarum ac conservatione et ampliatione dicte fidei eidem vestre discretioni utilia et expedientia videbuntur; contradictores etc. Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam vel

expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Montemflasconem IX. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 129.

CXCVIII.

Eisdem super eadem argumento.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Pragensi et . . . Wratislaviensi ac . . . Cracoviensi Episcopis, salutem etc. Summi dispositione Rectoris ad regimen universalis ecclesie deputati curis assiduis angimur et assidua meditatione pulsamur, ut ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et Rector providus deputetur, qui populum sibi commissum sciat non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare. Hodie siquidem per nos accepto, quod nobilis vir Laczko Dux Moldaviensis ac populus sui ducatus, qui licet christianitatis nomine gloriarentur, tamen scismatici fuerant et adhuc erant, quorumdam fratrum ordinis Minorum predicationibus inducti abnegare volebant omne scisma et profiteri sanctam fidem, quam apostolica et catholica tenet ecclesia, ac pro parte ipsius Ducis nobis humiliter supplicato, ut oppidum suum Ceretense Halecensis diocesis in civitatem erigere et civitatis vocabulo insignire, ac ipsi Episcopum catholicum, qui ipsos ducem et populum in dicta fide instrueret et nutriret, preficere dignaremur, nos vobis per nostras litteras dedimus in mandatis, ut si prefatus Dux et populus vellent firmiter, pure ac simpliciter fidem suscipere prelibatam, dictum oppidum, postquam predicti Dux et populus seu aliqua pars eorum, de qua vobis expediens videretur, abnegassent omne scisma et dictam fidem devote suscepissent et eam professi fuerint, in civitatem erigere et oppidum ipsum civitatis vocabulo decorare, ac ibidem ecclesiam cathedralem constituere seu fieri facere studeretis, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum itaque postmodum pro parte dicti Ducis expositum fuerit coram nobis, quod, si prefatum oppidum per vos in civitatem erigi et ibidem huiusmodi ecclesiam constitui seu fieri contingat, ut prefertur, dilectus filius Andreas de Cracovia dicti ordinis fratrum Minorum professor, in sacerdotio constitutus, utilis et idoneus esset ad regimen dicte ecclesie, cum facta seu in cathedralem constituta extiterit, ut prefertur: nos cupientes eidem ecclesie, si premissa fieri contingant, de persona idonea provideri, qui sciat, velit et valeat predictam ecclesiam ac populum sibi commissum salubriter regere et feliciter gubernare, sed de ipsius Andree meritis et idoneitate notitiam non habentes, fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum de persona dicti Andree, si eum utilem et idoneum ad regimen dicte ecclesie esse repereritis; alioquin de alia persona utili et idonea, super quo vestras conscientias oneramus, eidem ecclesie, cum, ut premittitur, facta seu constituta fuerit, hac vice auctoritate nostra provideatis, preficientes eandem personam ipsi ecclesie in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; et nichilominus unus vestrum, adscitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis antistitibus, gratiam et communionem apostolice sedis habentibus, eidem persone, de qua prefate ecclesie providebitis, munus consecrationis impendat. Volumus autem, quod ille ex vobis, qui eidem persone prefatum munus impendet, postquam illud impenderit, ab eadem persona nostro et ecclesie Romane nomine recipiat fidelitatis debite solitum iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, quodque ille ex vobis, qui prefatum munus, ut prefertur, dicte persone impendet, formam iuramenti, quod ipsa persona prestabit, nobis de verbo ad verbum per ipsius persone patentes litteras eius sigillo signatas per proprium nuntium quantocius studeat destinare. Datum apud Montemflasconem IX. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 131.

CXCIX.

Carolo Romanorum imp. ut regem Hungariae ad ferendum Ecclesiae contra Bernabonem auxilium suis litteris exhortetur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, salutem etc. Exposcit magne necessitatis articulus, ut sancta Romana ecclesia, diversis hostilitatibus et machinationibus hostium lacessita, ad Principum catholicorum recurrat refugium, ne, quod absit, super eam prevaleant viri nequam et filii scelerati. Cum itaque vir detestabilis pessimusque ti-

rannus Bernabos de Vicecomitibus, antiquus hostis dicte ecclesie ac multarum terrarum Romani Imperii occupator et sevissimus dissipator, eandem ecclesiam suosque subditos et devotos, ac etiam defensores sua consueta malignitate non desinat multimode impugnare, et contra eorum quietem et statum perversis conatibus malignari: cogimus nos et dilecti filii Commune civitatis Florentine aliique devoti prefate ecclesie nostro et dicte ecclesie statui providendo salubriter, ad dicti Bernabonis potentiam conterendam ad Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem, ut contra prefatum Bernabonem aliosque inimicos et persecutores ecclesie, quam reveretur et diligit, ac Communis predictorum dignetur cum potenti suo brachio, non tamen nimio excessivo, ad partes Lombardie accedere; quod ex certis precedentibus signis speramus, domino favente, futurum. Quare pietatem tuam et Imperialem magnificentiam, quam pro dicta ecclesia et votis nostris promptam semper invenimus, confidentissime requirimus et obsecramus in domino, quatenus cum contra potentiam et impietatem Bernabonis eiusdem ac pravarum societatum, quas adversus dictam ecclesiam et devotos tui Imperii fovet assidue, non speretur aliud quam dicti Regis remedium valiturum, non solum non moleste feras ipsius Regis adventum ad terras Imperii per dictum tirannum, ut premittitur, occupatas; sed pro reverentia dei dicteque ecclesie ac nostra eundem Regem, ut prompte et magnifice hoc pium assumat negocium, per tuos nuntios vel litteras efficaciter exhorteris, sibique tribuas auxilium oportunum, inter alia scribendo et mandando cunctis tuis Vicariis ac Communitatibus et subditis partium Italie, ut ipsum Regem et gentes suas benigne recipiant, eisque ac gentibus prefate ecclesie exhibeant liberum transitum ac victualia pro pretio competenti, nec non auxilium, consilium et favorem. Datum apud Montemflasconem VIII. Augusti. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 118.

CC.

Eidem circa adventum regis Hungariae in Italiam Ioannem eþm Aquensem mitti nuntiat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, salutem etc. Per alias nostras litteras tuam serenitatem obsecrando confidenter requirimus, quod Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem, cuius adventum in manu forti in auxilium Romane ecclesie invocamus, exhorteris et inducas attentius, quod huiusmodi negotium velit assumere, sibique in hoc tribuas tuum auxilium et favorem, quo mediante speremus statum dicte ecclesie prosperari. Cum autem super hoc Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Aquensem apostolice sedis nuntium, latorem presentium, ad prefati Regis presentiam destinemus, sibi mandavimus, quod si commode possit, ad excellentiam Imperialem se transferat cum litteris prelibatis; alioquin illas destinare festinet, et scribat, quod cum Rege fecerit memorato. Ceterum, quia inter te Regemque predictum, quos unanimes et concordes semper esse appetimus, dudum materiam discordie de medio submoveri et benivolentiam aliqualiter tunc alteratam reformari procuravimus paterno studio caritatis, et illam semper vigere ac augere cupimus toto corde, prelibato Episcopo commisimus, quod si in tuo vel ipsius Regis cordibus aliquid turbationis aut minoris contentationis forsitan remansisset, illud ex parte nostra, prout sibi possibile fuerit, studeat secundum datam sibi a Deo prudentiam amovere, alias difficilia nobis referret; quia circa hoc omne, quod poterimus, ferventi animo curabimus remedium adhibere. Quare super hoc eidem Episcopo, utique devoto tuo, verbo vel litteris, si ad Augustalem maiestatem forsan non venerit, tuam aperire confidenter et secure poteris voluntatem: cui Episcopo super adventu et auxilio dicti Regis et hiis, que te Regemque ipsum contingunt, in dicendis tibi ex parte nostra velis indubiam dare fidem. Datum apud Montemflasconem VII. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 119.

CCI.

Nicolao de Melsac ord. Minor. conceditur, ut ad partes Russiae, Lithuaniae et Valachiae xxv. fratres sui ordinis conducere possit.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao dicto Melsac ordinis fratrum minorum professori, salutem etc. Ad excolendum Dominicam vineam in partibus Ruscie, Lituvanie et Walachie, quas scismatici et gentiles inhabitant, multos mittendos operarios necessarium extimantes, illos ad hoc aptos

et promptos per personas discretione et fidelitate pollentes recipi cupimus et apostolico sollicitudine procuramus. De tuis igitur circumspectione ac fidelitate nobis fidedigno testimonio commendatis gerentes in domino fiduciam pleniorem, tibi viginti quinque fratres ordinis minorum, cuius professor existis, quos vita, discretione et literatura idoneos ad hoc fore putaveris, et de quibus cum personis eiusdem ordinis vel aliis quibuscumque te valeas informare, de quibuscunque nationibus et conventibus assumendi et recipiendi ac ducendi seu mittendi ad easdem partes, in quibus moram longam traxisse asseris, eisdemque fratribus, postquam per te assumpti fuerint et recepti, ad easdem partes proficiendi, in eisdem morandi pro propagatione et conservatione catholice fidei fideliter laborando, quorumcunque suorum prelatorum seu superiorum licentia minime requisita, non obstantibus regula et constitutionibus prefati ordinis et aliis contrariis quibuscunque, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum apud Montemflasconem II. Nonas Augusti. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 141.

CCII.

Philippo imp. Constantinopol. pontifex ultra montes omnino se recessurum annuntiat, et si secundum spem conceptam rex Hungariae in auxilium Ecclesiae veniat, duos cardinales remanentes eidem in agendis assistere.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Philippo Imperatori Constantinopolitano Illustri, salutem etc. Serenitatis Imperialis litteras, eius ambaxiatam nuper missam per quemdam suum militem, ad quam respondimus, ex filialis devotionis plenitudine repetentes audivimus animo letiori: de tua siquidem et Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris promptitudine serviendi Romane ecclesie spem indubiam obtinentes, eiusdem Regis grande auxilium contra hostes ipsius ecclesie paterna fiducia duximus requirendum; tuum autem iam habuimus et illud, quod postulabimus, non dubitamus habendum. Ad nostrum autem recessum de Italia tanta ordinatio iam processit, quod, salva dei voluntate, est futurus omnino; nichilominus tamen super agendis dicte ecclesie dimittimus Venerabilem fratrem nostrum Anglicum Episcopum Albanensem et Dilectum filium nostrum Petrum tituli sancte Marie in Transtiberim presbiterum Cardinales, in terris eiusdem ecclesie vicarios in temporalibus generales, qui eidem Regi, si venerit, in agendis assistent, et sicut speramus et quantum in nobis erit, ante dictum nostrum recessum guerra sedabitur Perusina; ita quod contra alios hostes, favente deo, commodius et potentius intendetur. Datum apud Montemflasconem III. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 137.

CCIII.

Fratribus Zupanis Zente quidam episcopi commendantur.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Strazimiro, Georgio et Balse Zupanis Gencie (Zente), sal. etc. Vestris informatione et precibus excitati, Ecclesie Arbanensi, Polatensi, Sardanensi, Liziensi et Avelonensi de viris idoneis ac discretis et vite laudabilis, videlicet de Venerabilium fratrum nostrorum Iohannis Arbanensis, Laurentii Polatensis et Iohannis Liziensis et Iohannis Avelonensis Episcoporum, ac Dilecti filii Raymundi Electi Sardanensis personis de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo singulos eorum singulis predictis ecclesiis in Episcopos et pastores, prout in diversis nostris litteris inde confectis noscitur apparere. Cum itaque favor vester eisdem Episcopis et Electo in exemptione et retentione possessionis pacifice dictarum ecclesiarum, et alias in earum regimine noscatur esse plurimum oportunus, nobilitatem vestram, de cuius devotione specialiter confidimus et speramus, affectuose rogamus, quatenus dictos Episcopos et Electum, quos ad salutem et directionem animarum vestrarum et populorum terre vestre transmittimus, ob reverenciam dei et apostolice sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes, eis in regimine ipsis per nos commisso efficacibus vestris favoribus et auxiliis assistatis, non permittentes eos ab aliquibus molestari; ita quod ipsi, mediantibus dictis vestris auxiliis et favoribus, in ecclesiis et gregibus commissis eisdem fructum faciant peroptatum, vosque proinde apud deum premium et pleniorem dicte sedis benivolentiam acquiratis. Datum apud Montemflasconem VIII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. com. fol. 142.

EPISTOLAE GREGORII PP. XI.

CCIV.

Ludovico regi Hungariae Gregorius suam promotionem ad papatum notam facit.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, Salutem etc. Rerum omnium providus ordinator iuxta sui disposicionem arbitrii, quod non fallitur, licet eius archana racio nequeat ab omnibus comprehendi, sic dat esse rebus ipsis, sicque dispensat ineffabili providencia munera graciarum, sic eciam creaturarum condiciones et status ordinat, prout vult, variat et disponit, quod in horum consideracione sensus hominis non sufficit, cum sint investigabiles vie domini, et sapiencie sue magnitudinem humani capere nequeant intellectus: facit enim fortem ex debili, tristibus dat solamen, et ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam et perfectam habens ad singula, tamquam palmo concludens omnia, potestatem. Sane fel. rec. Urbano PP. V. predecessori nostro de presentis valle miserie ad supernam patriam evocato, Venerabiles fratres nostri Episcopi, presbiteri et diaconi SS. Romane ecclesie Cardinales pro futura substitucione pastoris convenientes in unum, sub deliberacionis magne consilio, quam tanti negocii qualitas exigebat, licet potuissent in alios consentire maiorum meritorum claritate conspicuos, et plurium virtutum titulis insignitos ad tante administrationis precellenciam digniores, tamen ad personam nostram dirigentes unanimiter vota sua, nos tunc sancte Marie nove diaconum Cardinalem ad celsitudinis apostolice speculam, sicut domino placuit, nuper per viam sancti Spiritus evocarunt. Nos vero in consideracionis examine onus huiusmodi per hoc nostris imponendum humeris, et opus nostra prosequendum solicitudine attendentes, nostrarumque metientes virium quantitates, virtutum quoque nostrarum merita prospicientes ad onus ipsum minime posse sufficere, eligendum sano consilio putabamus, ut humeri subducerentur ab onere, et manus ab opere arcerentur. Verum ne divine voluntati resistere videremur, de illius confidentes clementia, qui debilem roborat et lapso dat virtutem, quique solus potest, cum omnis sufficiencia sit ab eo, nostram insufficienciam habundancia virtutis sue supplere, in humilitatis spiritu tanti oneris sarcine imbecilles exposuimus humeros, et humiliter colla summisimus iugo apostolice servitutis, suppliciter implorantes, ut ipse omnipotens dominus, qui timentibus et invocantibus nomen suum mira tribuit operacione virtutes, id quod possibilitas nostra non obtinet, superne providencie gracia largitur. De tua igitur, fili carissime, eximie devocionis sinceritate, quam semper ad Romanam habuisti ecclesiam, grande nostre fiducie capientes fulcimentum, excellencie tue, ad quam dudum minori fungeremur officio, specialem et intimum habuimus, et nunc eciam habemus affectum, huiusmodi promocionem nostram duximus nunciandum, serenitatem regiam attencius deprecantes, quatinus apud patrem luminum sedulis oracionibus et devotis insistas, ut ipse de sue benignitatis clemencia oculos nostre mentis illuminans, et in semitam mandatorum suorum

dirigens actus nostros, gregem suum nostre sollicitudini creditum Nos sic salubriter gubernare, sic in commissi nobis execucione regiminis suum beneplacitum adhibere concedat, ut sibi cedat ad gloriam, nobis et commisso cure nostre populo ad salutem. Et insuper progenitorum tuorum laudabilia imitando vestigia, Romanam et alias ecclesias, et personas ecclesiasticas favere et honorare studeas, et super hiis, que tibi et tuis videris profutura, nos prompta securitate requiras: nam Regie serenitati se favorabilem in omnibus exhibebit apostolici favoris et gracie plenitudo, te siquidem eciam non petente, divina favente clemencia, culmen tue magnitudinis incrementis felicibus exultare. Nec mireris, quod bulla non exprimens nomen nostrum est appensa presentibus, que ante consecracionis et benedictionis nostre solemnia transmictuntur: quia hii, qui fuerunt hactenus in Romanos Electi pontifices, consueverunt in bullandis licteris ante sue consecracionis et benedicionis munus modum huiusmodi observare. Datum Avinione III. Kal. Ianuarii suscepti a nobis apostolatus officii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia fol. 3.

CCV.

Eidem, ut epum Corbaniensem suae ecclesiae possessione libere gaudere permittat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Inter ceteros mundi principes te utpote christianissimum, et contra inimicos christiani nominis invictissimum pugilem, et orthodoxe fidei augmentatorem continuum, aliaque splendida opera Regio culmine digna continuo prosequentem, ac precipue erga Romanam ecclesiam devotione pollentem, extollendum laudibus, et in quo singulariter eadem ecclesia sperare possit ac confidere, quemque specialibus graciis ac benivolencia prosequi debeat, extimamus. Hec itaque, fili carissime, in hoc promotionis nostre ad apicem apostolice dignitatis primordio tibi intimanda fore censuimus, ut cognoscas nostre mentis affectum, licet per alias nostras litteras, in quibus tue serenitati eandem promotionem significare curavimus, eadem in affectu duxerimus intimanda; sed dubitantes, utrum littere ipse ad serenitatem eandem pervenerint, de nulla alia re fore Regie celsitudini scribendum putavimus, quin declararemus erga eandem celsitudinem iterum mentem nostram, que pro certo est disposita, et erit semper Regio honori deferre, ac quantum cum deo poterimus, iam dicte celsitudini complacere. Verum, fili carissime, cum sicut accepimus, Venerabilis frater noster Petrus Episcopus Corbaniensis ecclesie Corbaniensi iam multorum annorum decursis spaciis prefectus in episcopum et pastorem, ecclesie prefate pacificam possessionem habere nequiverit, neque possit, eandem serenitatem rogamus, requirimus et hortamur in domino, quatinus pro divina et nostra ac apostolice sedis reverencia eundem Episcopum possessionem pacificam eiusdem ecclesie adipisci, eaque gaudere eadem celsitudo permittat, ac Regiis favoribus prosequatur. Datum Avinione III. Kal. Februarii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 252.

CCVI.

Elisabethae seniori reginae super eodem.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Helisabeth seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri, nato tuo, scribimus iuxta formam cedule presentibus intercluse, que eciam Reginali excellencie dicta esse volumus, ac eciam repetita, ut ipsa excellencia erga ipsam et dictum Regem cognoscat nostre sincere dilectionis affectum, et ad nos recurrere in omnibus suis beneplacitis audeat confidenter. Tandem serenitatem tuam rogamus, requirimus et hortamur in domino, quatinus pro divina et nostra et apostolice sedis reverencia Venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Corbaniensem, ecclesie Corbaniensi iam multorum annorum decursis spaciis prefectum in Episcopum et pastorem, ut ipsius ecclesie possessionem pacificam adipisci, eaque gaudere Reginali favore valeat, suscipiat eadem excellencia commendatum. Dat. ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 252.

CCVII.

Archiepiscopo Strigoniensi super eodem.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri scribimus iuxta formam cedule presen-

tibus intercluse. Ideoque fraternitatem tuam requirimus, rogamus et hortamur in Domino, quatinus pro divina et nostra et apostolice sedis reverencia penes dictum Regem et alios, prout expedire tua circumspectio viderit, insistas exhortationibus oportunis, ut Venerabilis frater noster Petrus Episcopus Corbaniensis ecclesie sue possessionem pacificam consequatur, in quo tua fraternitas nobis admodum complacebit. Datum Avinione iii. Kal. Februarii. Anno Primo.

In e. m. Guillermo Episcopo Quinqueecclesiensi, et Laudislao Duci Opoliensi regni Ungarie Palatino.

Ex Reg. orig. An. I. com. fol. 252.

CCVIII.

Ludovico regi Hungariae, ut quaedam bona debita Romanae ecclesiae per quondam regem Poloniae restitui mandet.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Ungarie et Polonie Regi Illustri, salutem etc. Cum clare memorie Kazimirus Rex Polonie camere nostre apostolice in diversis pecuniarum summis, dum viveret, prout dilectus filius Arnaudus de Caucina scolasticus ecclesie Cracoviensis, apostolice sedis nuncius, excellentie tue lacius exponet, legitime teneretur: serenitatem tuam nobis caram rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia de huiusmodi pecuniarum summis prefato nuncio predicte camere nostre satisfieri facias; et eciam de quadraginta marchis grossorum Boemialium, pro quibus quedam domus eidem camere efficaciter est obligata, prout per Instrumenta publica legitime constare potest, vel saltem domum ipsam iuxta obligationem huiusmodi eidem nuncio facias dimicti, ipsumque nuncium sic in premissis et aliis nostris et Romane ecclesie matris tue negociis habeas commendatum, quod ipse magnificentie tue fultus presidio commissa sibi dicte sedis negocia bene peragere valeat, nosque sinceritatem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum Avinione xvi. Kal. Marcii. Anno Primo.

In e. m. Carissime in Christo filie Elizabeth seniori Ungarie et Polonie Regine.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia fol. 16.

CCIX.

Eidem, ut bona dotalia Adelaidi reginae Poloniae pro usu suo assignata dimittat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Ungarie et Polonie Regi Illustri, salutem etc. Ad illa te, fili carissime, libenter inducimus ac precibus exhortamur, que pietatem sapiunt, teque in conspectu Regis eterni reddere valeant gratiosum. Sane nuper pro parte Carissime in Christo filie Adelaydis Regine Polonie Illustris nobis fuit expositum, quod dudum clare memorie Kazimiro Rege Polonie viam universe carnis ingresso, tu, qui in Regno Polonie successisti, seu nonnulle gentes tue omnia bona, que eidem Adelaydi in dotalio data fuerant, et eorumdem bonorum possessionem recepisti. Cum autem Regalem excellenciam non deceat bona ipsa detinere, eandem excellenciam rogamus et hortamur in Domino, illam attencius deprecantes, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverencia ac pietatis et tui honoris intuitu bona ipsa, que eidem Adelaydi in dotatio, ut premittitur, fuerunt assignata, et de quibus per litteras auctenticas super hoc confectas eiusdem Kazimiri Regis, ac quamplurimum principum et aliorum nobilium sigillis sigillatas apparere potest, ipsorum bonorum possessionem in pace dimittas eam bonis ipsis gaudere libere permittendo; ita quod omnipotentem Dominum tibi constituat propicium, nosque, qui te sincere diligimus, devocionem tuam dignis in Domino laudibus attollamus. Datum Avinione xii. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. com. fol. 52.

CCX.

Eidem, ut reginae Siciliae pro pacifico regni statu favorem praebeat, et imperatori Constantinopolitano, ut ei obediat, scribat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Gaudemus et letamur in Domino, qui sic personam tuam gracia sue benedictionis perfudit, sicque tibi grandem animum prebuit ad sua beneplacita prosequenda, quod tamquam princeps christianissimus eximie devocionis et illustrium meritorum titulis presignitus apud ipsum Deum ac nos et sedem apostolicam, gerens reverenciam filialem Romane ecclesie, iura atque bona regio favore prosequeris, et quantum in te est, illa molestiis et iniuriis affici non permittis, honorans in hoc eandem Romanam

ecclesiam, in cuius caritatis visceribus locum precipuum obtines inter ceteros catholicos principes orbis terre. Cum itaque Regnum Sicilie et terra citra farum a Romana ecclesia, prout magnificencia tua bene novit, teneatur in feudum a carissima in Christo filia nostra Iohanna regina Sicilie illustri, que eidem Romane ecclesie contra eius hostes tam in gentibus armigeris, quam in galeis et aliis obsequiis multa servicia impenderit, et propterea eam favoribus gratiosis prosequi velimus, et Regnum suum in pacifico et tranquillo statu teneri nec immerito quamplurimum affectemus: Celsitudinem regiam rogandam attencius duximus et hortandam, quatinus velut amator divini nominis constanter in eius, nostra et ecclesie benivolencia perseverans, eidem Regine, quam gerimus in visceribus caritatis sicut filiam predilectam, ut Regnum Sicilie predictum in pacifico et tranquillo statu permaneat, pietatis intuitu ac pro nostra et apostolice sedis reverencia favorem tuum prebeas, ac Carissimum in Christo filium nostrum Philippum Imperatorem Constantinopolitanum et efficaciter scribendo hortari velit, ut prefatam Reginam tamquam dominam et sororem suam honorare et revereri, ac eidem obedire debeat, ut tenetur; in premissis taliter te habendo, quod nos, qui te sincere diligimus, ad ea, que tui sunt honoris et commodi, reddas perpetuo proniores. Datum apud pontem Sorgie Avinionensis diocesis XII. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. com. fol. 50.

CCXI.

Eidem, ut per suas litteras Franciscum de Carraria et Canem de la Scala ad veram pacem tenendam exhortetur.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum temporibus non longe preteritis inter dilectos filios nobiles viros Franciscum de Carraria, Militem Paduanum, in Paduana et Canemsegnorium de la Scala, Militem Veronensem, in Veronensi Civitatibus Imperiales vicarios fuisset discordia suscitata, id nobis considerantibus mala, que ex dicta discordia sequi poterant, presertim cum idem Franciscus sit nobiscum et cum Romana ecclesia colligatus, erat satis implacidum et infestum, sed postquam inter eos, auctore deo, extitit concordia reformata, complacentiam exinde recepimus singularem, et optamus, quod inter eos caritas et benivolencia conserventur: ideoque cum nobis innotuerit, quod prefati nobiles serenitatis tue sint precipui servitores, Regiamque excellenciam venerentur tueque celsitudinis preces apud eos in magno precio et pondere reputentur, celsitudinem eamdem rogamus attente, ac in domino exhortamur, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverencia et pro bono pacis eos ad strictiorem inter se firmandam benivolenciam tuis persuasionibus exhorteris, in quo apud deum excellencia prelibata merebitur et nobis admodum complacebit. Datum Avinione VIII. Kal. Iunii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 277.

CCXII.

Eidem, ut reginam Siciliae excusatam habeat, si principatum Salernitanum Philippo imp. Consantinopol. non concedat, cum propter processus Romanorum pontificum non possit.

Gregorius epicopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Agit nec immerito mater ecclesia, dum letanter tue Magnificencie gesta commemorat, dies festos, iocunditatis et leticie cantica replicat, tui zeli fervorem et strenuitatis merita tam devoti filii, quasi recenter cottidie delectabiliter recensendo, exultat et iubilat in tuorum felicium commemoratione successuum, per quos ad deum ac nos et sedem apostolicam gerens reverenciam filialem, ipsius Romane ecclesie iura atque bona Regio favore prosequeris, et quantum in te est, illa molestiis et iniuriis affici non permittis, honorans in hoc eandem Romanam ecclesiam, in cuius caritatis visceribus locum precipuum obtines inter ceteros catholicos principes orbis terre. Sane nuper percepimus, excellenciam tuam Carissime in Christo filie nostre Iohanne Regine Sicilie Illustri scripsisse, ut nepti tue, quam Carissimo in Christo filio nostro Philippo Imperatori Constantinopolitano in uxorem dedisse diceris, principatum Salerni seu principatum Barensem, vel Montem Sancti Angeli usque ad partes terre Ydronti concederet atque daret. Cum autem, fili precarissime, nuper quam plura ordinationes, prohibiciones, statuta variosque processus diversas sentencias atque penas continentes per nonnullos predecessores nostros Romanos Pontifices, ne terre demanii Regni Sicilie et terre citra farum, que a nobis et eadem Romana ecclesia tenentur in feudum, alienarentur, facta duxerimus confirmanda, ac alia ordinaciones, prohibiciones et

statuta super premissis fecerimus, penas eciam graviores continentes, prefatamque Reginam nostris litteris duxerimus exhortandam, ut omnino precaveat, ne huiusmodi terras demanii alienet quoquomodo, et si que alienate sint, eas absque more dispendio recuperare non tardet, et propterea ac etiam quia contra pacta iuramentis facta inter eamdem Romanam ecclesiam et clare memorie Carolum Regem Sicilie Illustrem in concessionem dicti Regni habita et inita fieret, dicta Regina aliquem ex dictis principatibus seu Montem predictum, cum sint de huiusmodi demanio, et esset destruccio dicti Regni Sicilie, quod a nobis et eadem Romana ecclesia, ut prediximus, tenetur in feudum, prout tua Serenitas peciit, concedere nequeat quoquomodo, et si ipsa eciam hoc vellet, nos in preiudicium eiusdem Romane ecclesie id nullo modo pateremur. Ideo Serenitatem tuam nobis caram rogamus, et hortamur in domino, illam attencius deprecantes, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverencia prefatam Reginam, quam suis exigentibus meritis sincere diligimus, in premissis habere velis excusatam, ac ei prout eciam nuper tibi per alias nostras litteras scripsimus, ut Regnum Sicilie predictum in pacifico et tranquillo statu permaneat, favorem tuum benivolum prebeas, necnon prefatum Imperatorem ei super hoc efficaciter scribendo hortari velis, ut prefatam Reginam tamquam dominam et sororem suam honoret et revereatur, ac eidem obediat, ut tenetur, nullasque novitates facere seu attemptare presumat, cum nostre intencionis nequaquam existat, prefatum Regnum lacerari; sed prefate Regine pro statu suo et honore ac pacifico et tranquillo statu dicti Regni conservandis spiritualiter et temporaliter favere intendamus contra quoscunque occupantes, seu occupare volentes terras demanii, seu statum pacificum et tranquillum dicti Regni turbantes, seu turbare volentes quacunque prefulgeant dignitate: in premissis taliter te habendo, quod omnipotentem Dominum tibi constituas propicium, Nosque, qui te sincere diligimus, sinceritatem tuam non immerito commendare possimus. Datum Avinione Kalendis Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 55.

CCXIII.

Guilielmo ep̄o Quinqueecclesiensi, ut Galvanum de Bononia commendatum habeat, et laboret pro pace inter imperatorem et regem Hungariae reconcilianda.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Wilhelmo Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. In tuis meritis devocionis claritate perspicuis delectati letamur, quod te virum fama predicat multis virtutibus insignitum, letamur in hiis potissime, que nobis de tuis sinceris actibus referuntur, super eo maxime, quod Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri fideliter et ferventer assistis circa suorum conservationem et sui exaltationem honoris, prout ex commendabili testimonio plurium certitudinem accepimus veritatis. Sane nuper sinceritatis tue litteras paterna, sicut decuit, affectione recepimus, in quibus inter cetera supplicabas, ut dilectum filium Galvanum de Bononia Decretorum doctorem, compatrem tuum, haberemus commendatum, quodque te diligere, sicut felicis recordationis Urbanus papa V. predecessor noster dilexerat, dignaremur. Verum circumspectionem tuam scire volumus, quod te sincere diligimus ac te nunc brachiis caritatis amplectimur, tuum in domino desiderantes profectum, et ad illa, que tibi grata fore cognoscemus, apertos habebimus oculos et cor promptum, prefatumque Galvanum, ob contemplationem tui et propter sua grandia merita, quibus omnipotens Dominus eum insignivit, gerimus in visceribus caritatis, sicut filium predilectum habebimus favorabiliter commendatum. Preterea honorificenciam dicti Regis, cui fideliter assistis, magnificis cupientes incrementis augeri, fraternitatem tuam nobis caram rogamus et hortamur attente, quatenus de bono in melius saltem more solito indefesse procures, quecunque statui Regis noveris profutura, ut eodem Rege fructus amabiles de tue solicitudinis studio colligente, nomen tuum crescat in gentibus et ipsum Regem tibi constituas merito debitorem. Ceterum cum summe nobis cordi sit prefatum Regem Ungarie et Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum inter se dissidentes ad bonam concordiam revocare, fraternitatem tuam nobis caram rogandam duximus attencius et hortandam, quatinus pro nostri et apostolice sedis reverencia, ac eciam tue salutis et publice utilitatis intuitu, ipsum Regem Ungarie ad bonam pacem et concordiam cum eodem Imperatore habendam omnibus viis et modis, quibus poteris, inducas, ac Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Augustensem, et Iohannem de Caprespino Canonicum Narbonensem, quos pro certis arduis negociis ad partes illas duximus destinandos, ac nostra et ecclesie Romane negocia habeas favorabiliter com-

mendata: ipsis nunciis, dum ad te venerint, et eorum alteri super hiis, que ex parte nostra tibi dicent, adhibeas plenam fidem. Et insuper cum Nobilis vir Bernabos de Vicecomitibus Miles Mediolanensis, abiecto dei timore, ecclesie Romane matri sue cottidie iniurias irrogare non cesset, et ei guerram facere comminetur, affectuose te rogamus et ex corde, quatinus apud eundem Regem Ungarie, prout plene confidimus, et eciam apud illos, qui in hoc prodesse poterunt, diligenter insistas, ut nobis et eidem Romane ecclesie, si expediens fuerit, ad resistendum eiusdem Barnabonis perversis conatibus auxilium prebeant et iuvamen. Et ut non solum terreni, sed et superni Regis, et per consequens apostolice sedis gratiam et nostram ulterius merearis, sic premissa, de quibus te rogavimus, adimplere, ac prefatum Regem, ut in devocione solita persistens ecclesias et personas ecclesiasticas semper habeat in honore, eorumque iura protegat et defendat, inducere studeas, et quod inde tibi premium compensetur a domino, nosque tuis honoribus favorabilius intendere teneamur, et nichilominus prefato Galvano in hiis, que ex perte nostra tibi dicet, adhibeas plenam fidem. Datum apud Vallamnovam Avinionensis diocesis VII. Id. Septembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 108.

CCXIV.

Elisabethae seniori reginae Hungariae et Polonae, ut laboret pro pace inter regem Hungariae et imperatorem reconcilianda.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Chrissime in Christo filie Elizabeth seniori Ungarie et Polonie Regine Illustri, salutem etc. Operatus est dominus circa structuram habitaculi mentis tue, ut suorum donorum fieri sacrarium mereretur, ad cuius eminenciam et decorem profunde meditacionis aciem extendentes, quanto illud intuitu perspicaciori conspicimus, tanto nostris intellectibus altius se extollit, nosque in eius consideracione plenius delectamur: ipsius namque fundamentum super firmam petram positum intuemur, quia tuam devocionem ingenuam vere fidei, que in petra videlicet in Christo consistit, constancia roborasti, parietibus quoque constat eburneis, quia clarus undique candore meritorum in multis gentibus ambulantibus in lumine vultus tui subsistit, insuper sublimium altitudine columpnarum, quia circumamicta dinosceris varietate virtutum, quibus te Syon filiam ex alto dominus insignivit, tectura nempe huius edificii claritatis tue plenitudo figurat, que regios perficis actus in bonum, et illos Deo peramabiles obsequiosa tibi sedulitate presentas: ex hiis profecto filiam satis evidenter ostendis, quod in te Deus clementer infundit timorem sui nominis, et amorem, dum Christi Vicarium et Romanam ecclesiam matrem tuam clara devocione prosequeris, ecclesiasque et personas ecclesiasticas habes semper in honore, eorumque iura atque bona protegis et defendis, Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Ungarie et Polonie Regem Illustrem, natum tuum, ad id semper efficacibus studiis inducendo. Ideoque Regie celsitudini condignas graciarum actiones in Domino referentes divinam imploramus clementiam, ut ille, in cuius manu regalium corda consistunt, ut ubi voluerit, pro beneplacito sue voluntatis inclinat serenitatem tuam, in hoc ardore fidei, in hac devocione mentis, in hoc integre religionis studio in tempora longiora conservans virtutibus tuis semper adiciat, et ipsis successivis adaugeat incrementis. Porro cum summe nobis cordi sit, prefatum Regem Ungarie natum tuum, et Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum inter se dissidentes etc. ut supra in proxima. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII. Id. Septembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 108.

CCXV.

Elisabetha iunior regina Hungariae de devotione erga Ecclesiam collaudatur.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth iuniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Gaudemus et letamur in Domino, qui sic personam tuam gracie sue benedictione perfudit, sicque tibi grandem animum prebuit ad sua beneplacita prosequenda, que eximie devocionis et illustrium meritorum titulis presignita, ad ipsum Deum et eius Vicarium ac sedem apostolicam gerens reverenciam filialem, ecclesias et personas ecclesiasticas benigno favore prosequeris, necnon regios perficis actus in bonum, et illos Deo peramabiles obsequiosa sibi sedulitate presentas. Super hiis igitur condignas graciarum actiones regie celsitudini referentes, ipsam rogandam attencius duximus et hortandam, quatinus velut amatrix divini nominis constanter in eius matris ecclesie benivolentia per-

severans, huiusmodi ecclesias et personas ecclesiasticas, eorumque iura atque bona pro nostra et dicte sedis reverencia manuteneas favorabiliter et defendas, et ad id Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem virum tuum inducas; ita quod exinde tua devocio possit apud Deum et homines condigno laudis preconio merito commendari. Ceterum tuam sinceritatem in Domino commendantes ad ea, que salutem tuam et domus tue respiciunt et exaltationem eiusdem, apertos habemus oculos et cor promptum, largitorem bonorum omnium deprecantes, ut te tuumque virum predictum sue favore gracie prosequatur, copia liberorum honoret, et de preminencia solii temporalis demum ad gaudia transferat sempiterna. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII. Id. Septembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 109.

CCXVI.

Ludovico regi Hungariae, ut episcopum Milkoviensem in recuperandis suis iuribus commendatum habeat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dum fidei puritatem, virtutis constanciam, strenuorum magnificenciam operum, et ingencia merita, quibus inter alios Principes catholicos quodam insigni titulo specialiter clarere dinosceris, dum eciam eximie devocionis sinceritatem, quam ad nos et sedem apostolicam ac Prelatos et alias personas ecclesiasticas te habere cognoscimus, diligenti meditacione pensamus, grandi profecto gaudio in Domino exultamus in tuis laudibus delectabiliter iocundantes, ac speramus indubie, quod preces nostras tibi directas prosecucione laudabili adimplebis. Cum itaque nuper Milkoviensi ecclesie tunc vacanti de persona Venerabilis fratris nostri Nicolai Episcopi Milkoviensis, qui de partibus illis oriundus existit et honorem tuum et tuorum semper dilexit et diligit, auctoritate apostolica duximus providendum, ac eidem Episcopo, qui ad dictam ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedere proponit in brevi, in recuperandis bonis et iuribus dicte sue ecclesie, que per nonnullos prelatos et alios indebite detinentur, favor regius sit plurimum oportunus, excellenciam tuam nobis caram rogamus et hortamur attente, quatinus prefatum Episcopum pro nostra et apostolice sedis reverencia in recuperandis huiusmodi iuribus atque bonis et alias habeas favorabiliter commendatum; ita quod dictus Episcopus magnificentie tue fultus presidio iura et bona predicta recuperare et eandem ecclesiam suam feliciter gubernare valeat, nosque magnificenciam ipsam dignis in Domino laudibus attollamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Octobris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 110.

CCXVII.

Nicolao archiepo Strigoniensi, ut bona iuraque ecclesiae Milkoviensis eidem episcopo restituat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Quanto personam tuam suadentibus tue devotionis laudabilibus meritis interiori prosequimur in Domino caritate, tanto studiosius ab hiis te cupimus abstinere, que saluti tue vel fame possent quomodolibet derogare. Sane nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Nicolai Episcopi Milcoviensis nobis fuit expositum, quod sua Milcoviensis ecclesia, que in confinibus Regni Ungarie et prope infideles consistit, tam propter guerras quam alias pluribus annis pastore caruit, quodque nonnulli eius prelati multis annis ab eadem ecclesia absentes fuerunt, propter que quamplura iura atque bona ad Episcopum Milcoviensem pro tempore existentem, et suam ecclesiam Milcoviensem iusto titulo pertinencia per nonnullos predecessores tuos Archiepiscopos Strigonienses occupata fuerunt, que adhuc, sicut accepimus, detines de presenti. Cum autem sinceritatem tuam non deceat bona detinere aliena, fraternitatem tuam nobis caram rogamus et hortamur attente, tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverencia, ac tui honoris et salutis intuitu omnia et singula bona atque iura ad prefatum Episcopum Milcoviensem, et suam ecclesiam qualitercunque pertinencia eidem Episcopo libere absque more dispendio restituas et in pace dimittas, in premissis taliter te habendo, quod non oporteat aliud super hoc remedium adhiberi, Nosque devocionis tue promptitudinem non immerito commendare possimus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Octobris. Anno Primo.

In e. m. Episcopo Transilvano.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 111.

CCXVIII.

Ludovico regi Hungariae, ut nuntios apostolicos in exigendo pecuniario subsidio a personis ecclesiasticis regni sui pro bello contra Bernabonem de Vicecomitibus commendatos habeat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Eximie devotionis sinceritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam gerere dinosceris, spem ingerit indubiam cordi nostro, quod preces nostras tibi directas prosecutione laudabili adimplebis. Sane ad sinceritatis tue noticiam devenire potuit, et hoc multitudo fidelium non ignorat, quod iniquitatis filius, maledictionis alumpnus, Nobilis vir Bernabos de Vicecomitibus, Miles Mediolanensis, Redemptoris nostri et sponse sue, sancte matris ecclesie hostis perfidus et crudelis, ad hoc totam suam intentionem ponit, ut ipsius Romane ecclesie iura atque bona usurpet, ecclesiasticam libertatem destruat, et universos iugo subiciat servitutis: et ut nos et eandem ecclesiam ac nostra et ipsius ecclesie bona et iura ab ipsius Bernabonis manibus impiis defendamus, eiusque resistamus perversis conatibus, nos et Cameram nostram tot et tanta gravia subire oportet onera expensarum, quod ad hoc ipsius camere proventus, qui propter premissa et propter guerrarum turbines et mortalitatum pestes, quas christianus populus proh dolor iamdiu sustinuit, diminuti quamplurimum fore noscuntur, sufficere non posse timemus, nisi super hiis ad remedia debita recurramus. Cum autem propterea Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Augustensem, et Dilectum filium Iohannem de Caprespino canonicum Narbonensem, licenciatum in legibus, apostolice sedis nuncios ad Boemie, Ungarie et nonnullas alias partes duxerimus destinandos, videlicet ad habendum a prelatis et aliis gentibus ecclesiasticis parcium predictarum subsidium pecuniarium pro premissis, ac in eis favor tuus sit dictis nunciis plurimum oportunus: excellenciam tuam rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia, et etiam permissorum consideratione sic predictos nuncios nostros et eorum quemlibet favore benivolo prosequaris, quod ipsi benignitatis tue fulti presidio, negocia per nos eorum circumspectioni commissa ad finem optatum perducere valeant, nosque devotionem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum Avinione iv. Kal. Octobris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 113.

CCXIX.

Stephano archiepo Colocensi et aliis praelatis et baronibus Hungariae, ut apud regem insistant pro pace inter ipsum et imperatorem, et nuntio apostolico assistant.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Pro pace inter Carissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum et Ludovicum Regem Ungarie Illustrem, et nonnullos ex dilectis filiis Nobilibus viris . . . Ducibus Bavarie, auctore Domino, reformanda Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Patriarcham Alexandrinum apostolice sedis nuncium ad eosdem Imperatorem et Regem providimus destinandum, ad cuius tam salutaris negocii prosecutionem et consummationem votivam invocantes efficacis et utilis ministerii tui partes, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus ea, que tibi prefatus Patriarcha super hoc pro parte nostra retulerit, credens indubie, sibique in eis speratus cooperator existens apud eundem Regem, quod nostris in hac parte precibus annuat, pro nostra et apostolice sedis reverencia ac publice utilitatis intuitu et tue salutis obtentu favorabiliter et solerte insistas. Datum Avinione iv. Kal. Octobris. Anno Primo.

In e. m. . . . Episcopo Agriensi, Demetrio Episcopo Transilvano, Ladislao Duci Opoliensi Palatino Regni Ungarie, Georgio Bebeg Baroni et Nicolao Cesz.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 115.

CCXX.

Reginis seniori et iuniori Hungariae, operam efficacem dent, ut rex ordinem Cisterciensem commendatum habeat.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth Seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri nato tuo scribimus, ut Cisterciensem ordinem et eius personas regio prosequens favore, patres abbates et alios, qui iuxta statuta dicti ordinis ad visitandum monasteria dicti ordinis in Regno Ungarie consistencia transmitten-

tur, habeas favorabiliter commendatos. Cum autem in premissis favor tuus sit plurimum oportunus, serenitatem tuam attente rogamus, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia, ac eciam pietatis et tue salutis intuitu predictum ordinem et eius personas, nec non visitatores premissos habens, prout plene confidimus, favorabiliter commendatos erga eundem filium tuum, quod nostris in hac parte precibus annuat, opem des et operam efficaces. Datum Avinione VI. Kal. Novembris. Anno Primo.

In e. m. Elizabeth iuniori Regine Ungarie.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 125.

CCXXI.

Ludovico regi, ut ordinem Cisterciensem et abbates eiusdem ordinis visitatores commendatos habeat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. In splendore tue serenitatis ornatibus virtutum Regalium insignite nos, qui eius exaltationem tota mente diligimus, iocunditatis plenitudine delectamur, precelsi quidem fama tui nominis diffusa per orbem, et condescendens gestis laudabilibus in excelsum laudari meruit apud Deum, extolli laudibus populorum, cum in te inveniant gentes affabilitatis benivolenciam, munificencie graciam, caritatis affluenciam, et alte providencie maiestatem. Sane nuper accepimus, nonnullos correccionem et disciplinam Regularum effugere cupientes, Excellencie Regie aliqua suggessisse, propter que tibi displicet Monasteria Cisterciensis ordinis in Regno tuo consistencia per Patres Abbates debere visitari. Cum autem, fili carissime, idem Cisterciensis ordo aliis sit recte vite speculum et salutifere conversationis exemplum, omnem a se rugam enormitatis abiciens et maculam deformitatis excludens, vigilantibus illis, qui in ipso paterne solicitudinis gerunt officium, et propterea dictus ordo officio visitacionis vel correccionis non indigeat aliene: serenitatem tuam, quam in adimplendis votis nostris promptam semper invenimus et paratam, rogamus et hortamur in Domino, illam attencius deprecantes, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverencia, ac eciam tue salutis et honoris obtentu predictum Cisterciensem ordinem et eius personas, prout plene confidimus, Regio prosequens favore, Patres Abbates et alios, qui iuxta statuta dicti ordinis ad visitandum huiusmodi Monasteria tui Regni transmittantur, habeas favorabiliter commendatos; ita quod per hec et alia bona, que inspirante Deo peregeris, post huiusmodi brevis vite cursum acceptus Abrahe sinu cum beatissimis spiritibus glorie conditoris assistas, nosque sinceritatem tuam dignis in Domino laudibus attollamus. Datum Avinione VI. Kal. Novembris. Anno Primo.

In e. m. Archiepiscopo Strigoniensi, Episcopis Quinqueecclesiensi et Zagrabiensi.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 125.

CCXXII.

Eidem ad litteras et dicta per suum nuntium respondetur, et offertur favor.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad ea, que dilectus filius Magister Iohannes de Bredescheid legum doctor, Ambassiator tuus, lator presentium, vigore litterarum tuarum credentie, quas nobis detulit, licet ipse utique fidelis et prudens nostra gesta et intentionem tue magnitudini relaturus, sic plenius harum serie respondemus, videlicet quod nos attendentes tuam excellenciam regiam, et devotionis tue intime puritatem, quam ad Romanam gessisti semper et geris ecclesiam, omnem tuum nuntium et precipue Magistrum Iohannem prefatum nobis et apostolice sedi acceptum reputamus, ydoneum et solennem, etsi plures et solenniores ad nostram non misisti presentiam. Nos considerantes longarum viarum discrimina, te habemus merito excusatum, et in nostre assumptionis ad apicem summi apostolatus primordiis ea tibi notificavimus per apostolicas litteras, quas per nostrum consanguineum ad maiorem regie sublimitatis honorem ordinavimus apportari; sed ex certis causis, ut idem lator referet, idem consanguineus in hoc extitit impeditus. Dispensationem autem pro dilecto filio Woladislao de Polonia Monacho Cluniacensis ordinis, tum quia sine magna causa que non existit in ipso sedes apostolica non consuevit in casu huiusmodi dispensare, nec usquam dispensatum reperit, nisi unum Regnum infidelium per talem dispensationem speretur posse converti, tum quia nos non poteramus eam sine lesione consciencie nostre ac tui, qui hoc petisti, concedere, tum eciam quia nos considerantes, quod idem Woladislaus de recta linea regali Polonie dicitur descendisse, predicta dispensatio in tuum et tuorum liberorum, quos, ut speramus et optamus, tibi concedet omnipotens, posset redundare dispendium, non duximus concedendam. De principatu vero Salernita-

no audivimus, et credimus pro parte carissime in Christo filie nostre Iohanne Regine Sicilie Illustris tuo culmini iam fuisse responsum, et eius iusticiam reservatam, videlicet quod ea, que sunt de demanio sui regni, secundum pacta inter dictam Romanam ecclesiam et clare memorie Carolum primum Regem Sicilie non possunt ab eodem demanio separari, et nonnulla interdum de facto divisa fuerunt postmodum vigore apostolicorum processuum ad manum seu Cameram regiam revocata. Alioquin ius corone dicti regni fuisset nimis deperditum, et de facili ad nichilum deveniret, quod celsitudini tue, que ab eo traxit gloriosam originem, et eiusdem Regni integritatem et prosperitatem optat, ut credimus, deberet merito displicere, et si quandoque primogenitis Regum ipsius et aliorum Regnorum aliquarum terrarum dotis sit titulus, hoc ad honorem, non proprietatem ipsorum primogenitorum noscitur esse factum, et ultra hoc nosti, que pacta habes cum Regina prefata, et ad cautelam eorum copiam, presertim in quantum istum tangere possunt articulum, presentibus destinamus inclusam. Preterea de clero Dalmatie et Chroatie, qui longis temporibus in procurationibus legatorum Italie contribuerunt, adhuc per libros nostre Curie de eo, quod pro parte tua et ipsarum asseritur, licet queri fecerimus, nequimus informari, et tuam eorumque informationem libenter recipiemus, si eam duxeritis transmittendam. Et si hoc concederemus de novo, clerum Italie guerrarum turbinibus et in pluribus locis tirannorum exactionibus nimis oppressum indebite gravaremus; nichilominus parati erimus super hoc facere, quod sit iustum. Ea vero, que idem Ambassiator de dilectis filiis nobilibus viribus . . . Ducibus Bavarie et aliis agendis nobis exposuit, diligenter audivimus, nostramque responsionem ipse tue referet maiestati. Nec hesitet animus tuus benignus et pius, quod celsitudinem tuam, quam Deus fulgore virtutum et claritate glorie illustravit, apud nos quisquam presumpserit oblocutionis labiis offuscare, quia hoc non fuit, et si, quod absit, presumeretur a quoquam, bene scimus quid respondere, quidve credere de tam devoto et probato principe debeamus: inclitam siquidem personam tuam brachiis sincere dilectionis amplectimur, et in quibus poterimus, intendimus honorare, et ad eam cum fiducia speciali recurrere in casibus oportunis. Scimus enim, quod fecisti hactenus pro prefata Romana ecclesia, quidve magnifice obtulisti, et speramus indubie, quod oblata et maiora facies in futurum. Datum Avinione III. Idus Novembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 323.

CCXXIII.

Eidem respondetur ad litteras et dicta per suum nuntium, et offertur favor.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth iuniori Regine Ungarie, salutem etc. Displicet nobis admodum, Carissima filia, quod tuas preces primarias, quas nobis super dispensatione pro dilecto filio Woladislao de Polonia Monacho Cluniacensis ordinis, avunculo tuo, devota confidentia porrexisti, secundum deum adimplere nequimus; sed non putamus negari, quod non potest nisi cum salutis detrimento concedi. Nos siquidem attendentes, quod sedes apostolica sine magna causa, que non est in Woladislao prefato, non consuevit in causa huiusmodi dispensare, nec usquam dispensatum reperit, nisi unum regnum infidelium per talem dispensationem speretur posse converti, tum quia non poteramus eam sine lesione consciencie nostre ac tue serenitatis, que hoc petiisti, concedere, tum eciam, quia considerantes, quod idem Woladislaus de recta linea regali Polonie dicitur descendisse, in tuum et tuorum natorum, quos, ut speramus et optamus, tibi concedet omnipotens, posset redundare dispendium, non duximus concedendam: sed in aliis honestis petitionibus tuis libenter tue magnitudini curabimus complacere. Datum Avinione III. Idus Novembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 323.

CCXXIV.

Ludovico regi Hungariae, ut Florentinos colligatos cum Romana ecclesia et marchione Estensi ad ipsum marchionem iuvandum, ut tenentur, exhortetur.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum dilecti filii ... Florentini cum Romana ecclesia et dilecto filio nobili viro Nicolao Marchione Estensi, in Civitate nostra Ferrariensi pro nobis et ecclesia predicta Vicario, colligati, eumdem Marchionem contra hostes suos et eorumdem Colligatorum impugnantes Civitatem Mutinensem, in qua idem Marchio existit Imperialis Vicarius, non adiuvent, ut tenentur, ac idem Marchio cum gentibus eiusdem ecclesie atque suis nequeat diucius resistere potencie hostium predictorum, propter quod predictis ec-

clesie et Colligatis maximum posset periculum imminere: Serenitatem tuam, cuius eosdem Florentinos credimus esse devotos, affectuose rogamus, quatenus ipsos Florentinos ad iuvandum Marchionem prefatum auxiliis et favoribus oportunis Regiis inductionibus exhorteris, nam nostre et nostrorum preces circa hoc hucusque minime valuerunt. Datum Avinione iii. Idus Decembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 329.

CCXXV.

Carolo imperatori de pace cum rege Hungariae facta gratulatur.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, salutem etc. Ex litteris tue serenitatis manu scriptis accepimus, quod cum Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Ungarie Illustri concordaras, quod tanto nostris affectibus venit acceptius, quanto id desiderabamus ardentius, quantoque id ad tocius Christiani populi prosperitatem et gaudium noscitur redundare. Imperialem igitur excellentiam paterne caritatis monitis exhortamur, quatenus quantum in te fuerit, in huiusmodi concordia tanquam pacis filius continue perseveres: nos enim prefato Regi exhortationem similem destinamus. Ceterum considerantes, quod mora venerabilis fratris nostri Iohannis Patriarche Alexandrini, apostolice sedis nuncii in partibus Alemanie, tue magnitudini oportuna de cetero non existit, et quod ex suis stipendiis Clerus illarum partium pregravatur, nisi eius presentia multum indigeas, providimus eum ad nostram presentiam revocandum, quod ex causis premissis moleste non ferat Cesarea celsitudo. Datum Avinione iii. Idus Aprilis. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 18.

CCXXVI.

Ludovico regi Hungariae, ut nuntio apostolico in exigendis decimis in Hungaria et aliis partibus impositis assistat, et credat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Licet, fili carissime, personas ecclesiasticas, que inter Christi fideles peculialiter nobis subsunt, gravemus inviti, cum tamen sancte Romane ecclesie sponse nostre, matri et magistre cunctarum aliarum ecclesiarum, necessitates imminent, et depressionem sui status, quam deus avertat, instans periculum comminatur, ad instar secularium principum, qui urgentibus necessitatibus petunt et obtinent suorum auxilia subditorum, nos ad ecclesiasticas personas ubicunque consistentes pro prestando nobis eis levi et nobis grandi auxilio debemus recurrere, et recurrimus confidenter. Ideo cum hostis dei et eiusdem ecclesie, videlicet nobilis vir Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanensis nunc insidiis sicut serpens, nunc patenter ut leo dictam ecclesiam et suos fideles totis viribus persequatur, ad obviandum eidem potentius et dictam ecclesiam defendendum, decimam proventuum ecclesiasticorum unius anni in Regnis tuis Ungarie et Polonie, ac aliis partibus duximus imponendum, et ad ipsam decimam recipiendum dilectum filium Heliam de Vodronio Cantorem ecclesie Xanctonensis, Clericum Camere nostre, apostolice sedis nuntium, antiquum nostrum et nostrorum familiarem et servitorem fidelissimum, latorem presentium, de quo in hiis plene confidimus, ad tuam presentiam et partes predictas presentialiter destinamus. Tuam igitur excellentiam et devotionem, quam ad prefatam geris ecclesiam, quanto cordialius possumus, et deprecamur, quatenus predicto nuncio in premissis et aliis negociis nostris ecclesieque prefate procurandis in eisdem partibus tuum providum consilium et favorem efficacem impendas, ut eis mediantibus, sicut in hac parte de tua serenitate speramus, memorate ecclesie necessitatibus valeat realiter subveniri, dictoque nuntio de hiis, que super premissis ex parte nostra maiestati tue narraverit, velis indubiam dare fidem. Datum Avinione xvii. Kal. Maii. Anno Secundo.

In e. m. Elizabet Seniori Regine Ungarie et Carolo de Duracio Duci Sclavonie.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 25.

CCXXVII.

Eidem regi litterae dispensationis pro filiabus Casimiri regis Poloniae mittuntur.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Sicut dudum tue celsitudini scripsisse meminimus litteras apostolicas super dispensatione pro filiabus clare memorie Kazimiri Regis Polonie, per nos concessa ex certis rationabilibus causis, per dilectos filios nostros Guillermum tituli sancti Clementis et Petrum tituli sancti Laurentii in Damaso presbiteros

Cardinales fecimus conservari. Nunc autem ipsas per dilectum filium Cherubinum natum dilecti filii Iohannis Legiste nuntium tuum, latorem presentium, eidem celsitudini, cuius certe honestis votis annuere cupimus, destinamus. Datum Avinione XI. Kal. Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 19.

CCXXVIII.

Eundem regem quemdam alterum de praepositura Albensi iam provisum esse edocet.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Nuper tue Serenitatis litteras, per quas nobis humiliter supplicabas, ut de prepositura ecclesie Albensis tunc certo modo vacante dilecto filio Martino plebano de Magno Erreo, capellano tuo, providere dignaremur, benigne recepimus, et supplicationem ipsam libenter duxissemus ad exauditionis gratiam admittendam, nisi de prepositura ipsa iam per nos provisum alteri extitisset: habebit ergo in hoc nos Regia benignitas, pro qua libenter omnia nobis secundum deum possibilia faceremus, merito excusatos. Datum Avinione VI. Kal. Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 259.

CCXXIX.

Eidem, ut Petrum Stephani nuntium apostolicum in suis regnis commendatum habeat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie et Polonie Illustri, salutem etc. Novimus, quod geris in votis more devotissimi principis, ut circa beneplacita sedis apostolice plenitudinem regie devotionis ostendens, exhibeas te promptitudine animi et operis exercitio in illorum prosecutione paratum, sicut assidue regalium gestorum indicant argumenta: et licet sic credaris ex te ipso devota mente solicitus, quod ad promovenda in regnis tuis dicte sedis negotia te non oporteat apostolicis exhortationibus excitari, scribere tamen tibi decrevimus, ut intentionem nostram plenius comprehendens favorabilius ad eorundem negociorum promotionem intendas. Cum igitur Dilectum filium magistrum Petrum Stephani Archidiaconum de Zaboth in ecclesia Agriensi, quem, ut credimus, magnificentia tua bene novit, apostolice sedis nuncium ac fructuum et proventuum beneficiorum ecclesiasticorum Camere apostolice in dictis tuis regnis debitorum collectorem de novo duxerimus deputandum, ac favor regius eidem nuncio in exercitio officii sibi commissi sit plurimum oportunus: Excellentiam regiam attente rogamus, quatenus pro nostra et dicte sedis reverencia eidem nuncio efficacem in premissis et benevolum favorem impendas; ita quod idem nuncius magnificentie tue fultus presidio commissa sibi negocia feliciter peragere valeat, nosque sinceritatem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis VI. Idus Maii. Anno Secundo.

In e. m. Elizabeth Seniori Regine Ungarie et Polonie.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 140.

CCXXX.

Eidem, ut contra Turcas, qui iam intraverunt regnum Rasciae, exsurgat, et resistat eis, antequam ad ulteriora procedant.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, sal. etc. Audi, fili Carissime, verba patris salubria, audita mature consideres, et considerata studeas adimplere, cum illa tibi suadeant quicquid honoris, quicquid securitatis et commodi, quicquidve perpetui premii valeas adipisci. Diebus siquidem non longe preteritis multiplicati rumores de diversis partibus ad sedem apostolicam perduxerunt, quod impii Turchi, atroces hostes christiani nominis, super nonnullas partes Grecie in gravi multitudine irruentes, subactis quibusdam magnatibus Regni Rascie, tum in eis dominantibus et earundem partium populis professione christianis, sed scismatum et heresum maculatione fedatis et impietatis erroribus depravatis, lata terrarum spacia occuparunt, et usque ad tue Ungarie et prefate Rascie regnorum, nec non Albanie et Sclavonie confinia pervenerunt, et venire ad maritimam et portus obtinere maris Adriatici formidantur: propter que timor et tremor fidelibus partium vicinarum incutitur et desolationis earum proximum preparatur periculum, ac maris et terre conturbatio pertimetur. Eapropter cum ad obviandum sufficienter ingruenti turbini tante cladis aliud quam tue pregrandis potencie valiturum non videatur remedium, cum presenti tempore, quo mundus plus solito est positus in maligno, de generali passaggio in hac parte nequeat provideri, devotissimam magnifi-

cenciam tuam, que inter omnes reges catholicos consuevit esse persecutrix infidelium et defensatrix catholice fidei, omni, qua possumus, affectione precamur, quatenus pie grateque recognoscens eximiam potenciam tuam ad hoc a domino tibi datam, ut ea utaris ad defensionem sui populi, quem preciosissimi cruoris sui sparsione redemit, et per hoc de caduco regno seculi conscendas eternum, ad occurrendum potenter rabiei et presumptioni tam crudelis tamque execrabilis nationis, tamquam leo fortis et animosus exurgas, speresque in dextera regis regum, in tuo fideli populo, quod de ipsis hostibus victoriam reportabis, et a tuis aliorumque fidelium terminis procul pelles, sicque tui regni et aliorum fidelium securitati duraturo, deo dante, efficaci remedio providebis, et preter tui famosi nominis adauctam gloriam eterni regni dyademate potieris. Nos enim dilectum filium nobilem virum ... Ducem Veneciarum, ut tibi, si indigueris, de copia navigiorum subveniat, per nostras litteras exhortamur, aliosque possibiles favores apostolice sedis magnitudini tue offerimus, cum ad hec intendere volueris, promptis affectibus impendendos. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis II. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Carissimis in Christi filiabus Elizabeth seniori et Elizabeth iuniori Reginis Ungarie, Dilectis filiis nobilibus viribus Carolo de Duracio Duci Sclavonie et Andree Contareno Duci Venetiarum, et Venerabilibus fratribus Thome Archiepiscopo Strigoniensi, Stephano Archiepiscopo Colocensi, Iohanni Episcopo Vaciensi.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 32.

CCXXXI.

Vicario ord. Minor. in Bosnia, ut certa loca fratribus Minoribus in quibusdam partibus ultramontanis constituere possit.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Vicario Bosne ordinis fratrum Minorum, sal. etc. Decet prudentiam apostolice sedis, que catholice fidei defensionem et propagationem precipuo studio satagit promovere, ut illis petitionibus benignius annuat, que huius defensionem et propagationem respicere dinoscuntur. Sane exhibita nobis pro parte Carissimi in Christo filii nostri et Christianissimi Principis Ludovici Regis Ungarie Illustris, ac tui et dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum in Vicaria partium Bosne, in quibus pro ordine ipsius Vicarius existis, degentium peticio continebat, quod in eisdem et eciam Rascie ac Basarat et aliis partibus eis vicinis multi scismatici et heretici commorantur, et quod ibidem convertendorum messis est multa, operarii vero pauci, propter quod expedit in partibus ipsis esse plura loca, in quibus predicatores verbi Dei ac defensores et propagatores eiusdem fidei moram trahant. Quare pro dicta parte fuit nobis humiliter supplicatum, ut ibi recipiendi, fundandi, construendi huiusmodi quamplura loca in eisdem partibus licenciam concedere dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus benignum prebentes assensum, discretioni tue, de qua in hiis et aliis gerimus in Domino fiduciam specialem, per te vel alium seu alios in territorio fori de Roinich spectante ad nobilem virum Nicholaum de Altamanich sub dominio regis Rascie duo loca, et in contrata de Glas sub dominio dicti Regis Ungarie unum, et alia novem loca in predictis Bosne ac Rascie et Basarat Civitatibus et partibus quibuscunque quarumcunque, et eciam si nullarum diocesum existant, in quibus sint heretici vel scismatici, cum consilio discretorum dicti ordinis recipiendi, fundandi et construendi cum singulis ecclesiis vel capellis seu oratoriis, campanilibus, campanis et cimiteriis, et aliis necessariis officinis in singulis eisdem locis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis, et ipsis fratribus in eis commorandis, iure parochialium ecclesiarum, si que in eisdem Civitatibus et partibus sint vel erunt pro tempore, et alterius cuiuscunque in omnibus semper salvo, ac constitutione fe. re. Bonifacii PP. VIII. predecessoris nostri prohibente, ut religiosi ordinum Mendicantium loca de novo recipiant absque licentia dicte sedis speciali, faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, et quibuscunque aliis constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica plenam et liberam tenore presentium licentiam elargimur. Et nichilominus tibi et eisdem fratribus eadem auctoritate concedimus, quod tu et ipsi et alii fratres dicti ordinis, qui in eisdem locis, ut premittitur, construendis pro tempore fuerint, gaudeatis omnibus et singulis graciis, privilegiis, exemptionibus, et libertatibus, quibus in aliis antiquis locis eiusdem ordinis gauderetis et gaudere possetis. Nulli ergo omnino hominum etc. Datum Avinione XVI. Kal. Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 35.

CCXXXII.

Universis ministris prov. et custodibus ac guardianis ord. Minorum, ut fratribus sui ordinis ad partes Bosniae fidei dilatandae causa eundi licentiam dent.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis universis et singulis ... Ministris Provincialibus et ... Custodibus ac ... Gardianis ordinis fratrum Minorum, eorumque Vicariis, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Salvatoris Domini nostri Ihesu Christi, qui per universum mundum suos discipulos predicare et baptizare transmisit, vices licet insufficientibus meritis gerentes in terris, viris ydoneis zelum animarum habentibus fideique ardore ferventibus, ad convertendum infideles ac hereticos scismaticos anhelantibus piis votis, cum fructum conversionis illorum spes probabilis repromittit, oportunis convenit nos adesse favoribus, cunctique Christi fideles, presertim in religionis observancia divinis mancipati obsequiis, promptis nos debent studiis imitari. Sane Carissimus in Christo filius noster et Christianissimus Princeps Ludovicus Rex Ungarie Illustris accensus zelo catholice fidei, et dilecti filii Vicarius et fratres Vicarie Bosne ordinis fratrum Minorum nuper nobis significare curarunt, quod in partibus Bosne, in quibus scismaticorum et hereticorum inhabitat multitudo, multi ex eisdem hereticis et scismaticis per gratiam Dei et predicationem eorundem fratrum multociens ad fidem catholicam conversi sunt hactenus et iugiter convertuntur: propter quod cum inibi messis sit multa, operarii vero pauci, plures in ipsis partibus verisimiliter converterentur, si in eis maior copia fratrum eiusdem ordinis haberetur. Quare idem Rex ac Vicarius et fratres nobis humiliter supplicarunt, ut in hac parte providere apostolice solicitudinis studio dignaremur. Nos igitur, qui conversionem huiusmodi scismaticorum et hereticorum ac augmentum dicte fidei ardentibus desideriis affectamus, considerantes, quod idem ordo in dictis partibus meriti et glorie per conversionem huiusmodi, dum de manibus Sathane eruit animas pereuntes, et eas quasi multiplicatos manipulos reportat ad aream Domini in eius celeste horreum inferendas, iugiter suscipit incrementum, nec alibi potest fructum producere pociorem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus singuli vos, filii Ministri, et in absenciam vel in defectum alicuius vestrum vos, filii Vicarii, fratribus dicti ordinis vobis subiectis, cupientibus ad dictas partes Bosne ad predicandum prefatam fidem eisdem hereticis et scismaticis, et iam conversos ad eamdem fidem ad nutriendum eos pabulo verbi Dei, aliasque ad famulandum in eis altissimo pergere, si eos ad hoc discretione, vita, moribus et literatura ydoneos esse credideritis, super quibus vestras consciencias oneramus, eundi ad dictas partes omni directo vel indirecto impedimento remoto, liberam licenciam et oportunas super hoc vestras litteras tribuatis. Volumus eciam, quod aliquibus conversis dicti ordinis professoribus, qui in eo laici appellantur, volentibus ire ad dictas partes ad serviendum aliis fratribus, si eos ad hoc idoneos esse repereritis, similem licenciam concedatis. Vos vero, filii Gardiani, fratribus vestrorum Conventuum volentibus ire ad suos ministros vel custodes ad petendum licenciam ab eis pergendi ad predictas partes vestram licenciam non negetis, non obstantibus regula et constitutionibus eiusdem ordinis, eciam si sint per sedem apostolicam confirmate, necnon constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque. Alioquin preter inobedientie culpam et gravem Dei offensam, quas in hiis delinquentes habent merito formidare, in illos vestrum, qui in hoc maliciose in detrimentum huiusmodi negocii pii deliquerint, excommunicationis sentenciam promulgamus, a qua nullus possit nisi a sede apostolica absolutionis beneficium obtinere. Ceterum cum annuatim in Kal. Augusti ad ecclesiam sancte Marie de Porciuncula Assisinatensis diocesis pro indulgencia ibidem obtinenda soleant multi fratres dicti ordinis cum suorum licencia ministrorum de diversis partibus mundi confluere, propter quod de bona ipsorum vita et intencione est verimiliter presumendum, dilectis filiis Ministro Provintie sancti Francisci et ... Custodi Assisii ordinis prefati similiter presencium auctoritate mandamus, quod minister, et in eius absenciam vel defectum Custos prefati, vel alterius eorum Vicarius illis fratribus, qui ad dictam indulgenciam in Kal. Augusti proxime secuturis accedent, et ad dictas partes Bosne ire voluerint, ut prefertur, quosque ad hoc noverit, vel testimonio fidedigno saltem duorum fratrum sepedicti ordinis repererit esse ydoneos, auctoritate nostra huiusmodi licenciam cum oportunis super hoc litteris largiatur: alioquin qui secus fecerit, culpam inobediencie et huiusmodi excommunicationis incurrat sentenciam ipso facto. Et ne plures, quam sint necessarii, fratres ad dictas partes accedant, volumus et prefato Vicario Bosne ac dilecto filio Berengario de Arragonia eiusdem ordinis professori, nuncio prefati Vicarii Bosne super hoc ad sedem apostolicam destinato, in virtute

dicte obediencie et sub simili pena excommunicationis mandamus, quod ultra numerum sexaginta fratrum eiusdem ordinis inter litteratos et laycos vigore presentium recipere non presumant. Datum Avinione x. Kal. Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. de Curia fol. 36.

CCXXXIII.

Ludovico regi Hungariae, ut cum ducibus Austriae et Cane de la Scala operari studeat, ne difficultatis materiam concordiae inter Venetos et Fr. de Carraria faciendae praebeant.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. De discordia, que inter dilectos filios nobilem virum . . . Ducem et Commune Veneciarum ex una parte, ac Franciscum de Carraria Militem, in Civitate Paduana Imperialem Vicarium, ex altera est exorta, pro quorum facienda concordia per nostrum nuncium partes nostre solicitudinis adhibemus, cum ipsa discordia vergere possit in grande Romane ecclesie et reipublice detrimentum, dolentes quam plurimum materias fomitis ipsius discordie, inter quas esset, si dilecti filii nobiles viri . . . Duces Austrie et Canissegnorius de Lascala se contra dictum Franciscum cum eisdem Venetis colligarent, cupimus amputare. Ideoque serenitatem tuam, quam ad hoc valituram speramus, precamur attente, quatenus eo modo, quo deceat, studeas cum prefatis Ducibus et Canesegnorio operari, quod sua quiete potientes et materiam difficultatis predicte concordie quomodolibet non prebentes, velint ab ipsa colligatione penitus abstinere. Datum Avinione v. Kal. Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 44.

CCXXXIV.

Eidem, ut partes suas pro treugarum prorogatione inter duces Austriae et patriarcham Aquileiensem sub spe pacis faciendae interponat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum, sicut audivimus, inter Venerabilem fratrem nostrum Marquardum Patriarcham Aquilegensem ex una parte, et dilectos filios nobiles viros ... Duces Austrie ex altera, treuga pendeat super guerra, que extitit inter eos, et in festo beati Martini proxime secuturo debeat expirare: celsitudinem Regiam affectuose rogamus, quatenus sub spe pacis inter ipsas partes, dante domino, faciende pro longa prorogatione huiusmodi treuge partes tue magnitudinis interponas. Alioquin ubi huiusmodi treuga cum dictis ducibus non posset haberi, prefatum Patriarcham et eius Aquilegensem ecclesiam eidem magnitudini intime commendamus. Datum Avinione iv. Kal. Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 44.

CCXXXV.

Patriarchae Alexandrino nuntio apostol. ut conventui imperatoris et regis Hungariae pro omnimoda concordia facienda interesse studeat, et requirat eosdem ad subveniendum ecclesiae Romanae contra Bernabonem et Galeazum de Vicecomitibus.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Patriarche Alexandrino Apostolice sedis nuncio, salutem etc. Letanter audivimus, quod Carissimi in Christo filii nostri Carolus Imperator Romanorum semper Augustus et Ludovicus Rex Ungarie Illustris, ac nonnulli ecclesiarum Prelati et Principes seculares ac Magnates Alamanie ad complendum quedam, que a concordia dudum facta inter Imperatorem et Regem prefatos, eorumque colligatos et valitores dependere dicuntur, debent circa metas Regnorum Ungarie et Boemie de proximo convenire. Quare volumus et tue fraternitati mandamus, quatenus una cum dilecto filio Helia de Vodronio clerico Camere nostre, apostolice sedis nuncio, in loco conventionis huiusmodi cum eisdem Imperatore ac Rege studeas personaliter interesse, ipsosque ac valitores et adherentes eosdem ad omnia, que tendunt ad perfectionem dicte concordie et ad perpetuam ipsorum pacem et quietem, ex parte nostra providis tuis consiliis et inductionibus exhorteris; ita quod inter eos sedatis cunctis dissidiis, eorundem Imperatoris et Regis ac Principum studia contra hostes sacre fidei et Romane ecclesie et alias ad utilitatem reipublice, dante domino, convertantur. Preterea licet dictos Imperatorem et Regem tam per fraternitatem tuam, quam per nostras diversas litteras de potenti auxilio nobis et dicte ecclesie contra Bernabonem de Vicecomitibus de Mediolano eiusque complices et fautores, hostes et persecutores dicte ecclesie, magnifice exhibendo duxerimus requirendos, quia tamen illud nondum habuimus et necessitas incumbit habendi; ipsos Imperatorem et Regem, nec-

non Prelatos ac Principes et Magnates communiter et divisim tempore conventionis predicte, si, dante domino, eam contingit fieri, ut speratur, alioquin per tuos nuncios et litteras ex parte nostra instanter requiras et obnixius depreceris, quod etiam idem Helias faciat, ut ad exterminationem dicti Bernabonis et Galeaz fratris sui, qui alias, ut ipsi divisim notificaverunt, et etiam significatum est nobis per multos alios fidedignos et magnos, et publicum reputatur in partibus Lombardie, sunt invicem colligati contra omnem hominem, etiam Imperatore prefato et Imperio non exceptis, propter quod eundem Galeaz colligatum ac fautorem et defensorem dicti Bernabonis, ac hostem et persecutorem dicte ecclesie merito reputamus, sua auxilia secundum decenciam et potestatem eorundem ob reverenciam dei et apostolice sedis et nostram, et pro generali commodo etiam Imperii predicti et partium Italie nimium laniatarum et oppressarum per fratres eosdem non differant destinare, ac eos insuper moneas et requiras ac eciam depreceris, quod dictis hostibus nullum dent auxilium, consilium vel favorem, nec gentes quascunque accedentes ad obsequium, stipendium vel defensionem dictorum fratrum suorumque colligatorum, complicum et fautorum per terras, passus et loca sua transire permittant; et si gentes ipse noluerint retrocedere, ipsas detineat et bona etiam earundem, et ubicunque et apud quoscunque invenerint pecunias transmissas, seu transmittendas imposterum per ipsos fratres seu colligatos et complices ipsorum ad quascunque partes pro stipendiariis conducendis vel aliis causis, eas recipiant suis usibus convertendas, ac in suis Imperio, Regnis et dominiis per publicum edictum moneant et requirant, ac personaliter requiri faciant subditos suos, eis sub pena privationis feudorum et aliorum bonorum, que tenent ab eis et perpetue proscriptionis, quod nullus ipsorum presumat accedere ad servicium dictorum fratrum vel alterius eorundem, suorumque colligatorum, complicum et fautorum, quin imo iam in ipsis serviciis existentes ab eis recedant ad illa nullatenus reversuri; alioquin inobedientes privent feudis et bonis predictis, illaque aut pro se retineant aut aliis concedere non omittant, domosque eorum dirui et alia faciant, de quibus te (?), cum a nostro recessisti conspectu, et prout continetur in aliis litteris nostris, quas super processibus per te faciendis contra tales eidem fraternitati cum presentibus dirigimus, plenius continetur. Specialiter autem venerabiles fratres nostros .. Patriarcham Aquilegensem ac .. Tridentinum, .. Brixinensem et .. Curiensem Episcopos, ac alios prelatos et personas ecclesiasticas, et potissime dilectos filios nobiles viros . . . Duces Austrie et alios habentes terras et passus de Alamania versus Lombardiam, super premissorum adimpletione ex parte nostra roges et moneas et inducas, et per dictos Imperatorem et alios Principes procures induci. Et nichilominus processus, de quibus tibi per alias nostras litteras mandatum dirigimus, facias sine tarditate temporis celeriter publicari, ea, que in predictis feceris, et responsa predictorum Imperatoris, Regis et Principum nobis celeriter rescripturus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xi. Kal. Augusti. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 52.

CCXXXVI.

Ludovico regi Hungariae, ut praefato patriarchae in subveniendo ecclesiae Romanae credat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Necessitatem sancte Romane ecclesie matris tue et indigentiam tui auxilii, quam habet plus solito, quo mediante suos hostes et persecutores, quos Regia serenitas etiam hostes suos et dissipatores reipublice debet merito reputare, sperat de sua potentia deici, mandavimus per venerabilem fratrem nostrum Iohannem Patriarcham Alexandrinum et dilectum filium Heliam de Vodronio clericum camere nostre, apostolice sedis nuncium, vel eorum alterum exponi celsitudini regali. Tuam igitur magnificentiam instanter et instancius requirimus et rogamus attentius, quatenus eisdem nunciis vel eorum alteri in hac parte adhibens plenam fidem, peticioni eorum, ymo nostre et dicte ecclesie filiali promptitudine annuere non omittas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xi. Kal. Augusti. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 52.

CCXXXVII.

Priori Carmelitarum provinciali Alamanniae superioris, ut locum recipere possit in oppido Budae Vesprimiensis dioecesis.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis priori provinciali et fratribus ordinis beate Marie de Monte Carmelo provincie Alemannie superioris secundum morem ipsius ordinis, salutem etc. Sane vestre religionis, in qua sub iugo voluntarie paupertatis devotum deo exhibetis obsequium, promeretur

honestas, ut petitionibus vestris, illis presertim, per quas cultus divini nominis augeatur, vesterque ordo prosperis successibus gratuletur, et etiam propagetur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod Carissimus in Christo filius Ludovicus Rex et Carissima in Christo filia Elizabeth Regina Ungarie Illustres zelo pie devotionis accensi, quemdam locum in villa de Buda Wesprimiensis diocesis, ad eos iusto titulo pertinentem, ad opus et usum fratrum ordinis vestri vobis imperpetuum donarunt et etiam concesserunt: quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis accipiendi locum ipsum licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, qui vos et ordinem vestrum gerimus in visceribus caritatis et divinum cultum augeri totis desideriis affectamus, vestris supplicationibus inclinati, vobis locum ipsum recipiendi, et in eo fundandi, construendi et edificandi ecclesiam seu capellam, vel oratorium cum cimiterio, campanili, campana, domibus et aliis necessariis officinis, iure tamen parochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, et Venerabilis fratris nostri ... Episcopi Wesprimiensis licentia minime requisita, non obstante felicis recordationis Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, qua inhibetur, ne aliqui fratres ordinum mendicantium in aliqua civitate, castro, villa vel loco domos vel loca quecumque recipere de novo presumant absque sedis apostolice licentia speciali, faciente plenam et expressam de inhibitione huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, plenam et liberam auctoritate predicta licentiam tenore presentium elargimur, vobis ex nunc auctoritate presentium concedentes, quod prior et fratres, qui in huiusmodi loco pro tempore morabuntur, omnibus libertatibus, privilegiis et gratiis dicto ordini et eius fratribus a prefata sede concessis, et quibus fratres dicti ordinis quomodolibet potiantur, gaudeant et utantur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. com. fol. 98.

CCXXXVIII.

Episcopo Vesprimiensi, ut fundatio duarum ecclesiarum parochialium in Agriensi diocesi facta per Iacobum de Stepez confirmet.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Vesprimiensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut ea, que pro divini cultus augmento et Christi fidelium animarum salute provide facta sunt, ut illibata consistant, apostolico munimine roborentur. Sane petitio pro parte dilecti filii nobilis viri Iacobi dicti de Stepez, domicelli Agriensis diocesis, nobis nuper exhibita continebat, quod ipse olim in duabus silvis tenebrosis et densis in dicta diocesi et in confinibus infidelium consistentibus, quas Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie eidem Iacobo concesserat et donarat, duas villas pro habitatione Christianorum, quarum unam Fetekekooch et aliam Zepineczec voluit appellari, fundavit pariter et construxit, et quod demum ipse Iacobus de propria salute cogitans, ac cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac pro sue et progenitorum suorum animarum salute et remedio duas parochiales ecclesias, unam videlicet in de Feketekooch in beate Katerine et aliam in de Zepineczec villis predictis in beate Dorothee virginis et martiris honorem, et sub earum vocabulis de diocesani loci licentia et consensu fundavit pariter et construxit; quodque Venerabilis frater noster Michael episcopus Agriensis de dilectorum filiorum capituli Agriensis consensu omnes decimas dictarum villarum dilectis filiis ... rectoribus earundem ecclesiarum, sub hac tamen conditione, quod quilibet dictorum rectorum ratione decimarum huiusmodi unam marcham Budensem usualis monete Episcopo Agriensi, qui est pro tempore, annuatim solvere teneatur, in perpetuum concessit et donavit: quare pro parte dicti Iacobi fuit nobis humiliter supplicatum, ut premissis robur apostolice firmitatis adiicere de speciali gratia dignaremur. Nos igitur huiusmodi laudabile opus multipliciter in domino commendantes, ac volentes illud presidio apostolico confovere, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si huiusmodi decime in alicuius alterius ecclesie parochia non consistant, ac alias donatio huiusmodi facta de illis, sicut promittitur, in alterius quam eiusdem Episcopi Agriensis et dictorum capituli preiudicium non redundet, dictarumque parochialium ecclesiarum quelibet pro sustentatione earum, et supportatione onerum ei incumbentium sufficienter dotata sit, super quibus tuam conscientiam oneramus, fundationem, constructionem, concessionem et donationem huiusmodi per dictos Episcopum et Iacobum factas, sicut predicitur, et quecunque rite inde

secuta apostolica auctoritate confirmes. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIIII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. com. fol. 135.

CCXXXIX.

Universis Christi fidelibus ecclesiae S. Sapientiae Titulensis Coloc. dioec. manus adiutrices porrigentibus venia datur.

Gregorius episcopus etc. Universis etc. ut in precedenti usque Cupientes igitur, ut ecclesia Titulensis Colocensis diocesis, que in honorem sancte Sapientie dei est fundata et reparatione indiget, congruis honoribus frequentetur, et etiam reparetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hiis uberius etc. usque annuatim, et ad reparationem huiusmodi manus porrigant adiutrices, singulis videlicet etc. usque visitaverint et ad reparationem predictam manus porrexerint, ut prefertur, centum etc. usque Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. com. fol. 140.

CCXL.

Eisdem eccelesias S. Stephani prope Strigonium et S. Trinitatis de Aquiscalidis Vesprim. dioec. visitantibus venia datur.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Universis Christi fidelibus etc. Licet is etc. ut in forma usque Cupientes igitur, ut ecclesie domorum sancti Stephani Regis prope Strigonium et sancte Trinitatis de Calidis aquis Vesprimiensis diocesis invicem canonice unitarum, que reparatione indigent, congruis honoribus frequententur, et etiam reparentur, et Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad easdem, et ad reparationem huiusmodi promptius manus porrigant adiutrices, quo ex hiis huberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia etc. usque ac pentecostes et sancte Trinitatis et nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis beate Marie Virginis et nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum apostolorum Petri et Pauli, et sancti Stephani, ac ipsarum ecclesiarum dedicationum festivitatibus et in celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, nativitatis et assumptionis beate Marie, ac nativitatis sancti Iohannis et Apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octabas, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes prefatas ecclesias devote visitaverint annuatim, et ad reparationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, et octabarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus easdem ecclesias visitaverint, et ad reparationem predictam manus porrexerint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictas ecclesias seu ad fabricam dictarum manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Kal. Septembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. com. fol. 149.

CCXLI.

Eisdem ecclesiam B. Ioannis Bapt. Agriensem visitantibus, eiusque fabricam adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Dil. filiis Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, etc. ut in forma usque Cupientes itaque, ut ecclesia Agriensis, que in honorem et sub vocabulo beati Iohannis Evangeliste fundata existit, et in qua caput beati Barnabe Apostoli esse dicitur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad fabricam ipsius ecclesie manus eo libentius porrigant adiutrices, quo ibidem ex hiis dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia etc. usque beate Marie Virginis, beati Iohannis Evangeliste predicti, nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Petri et Pauli apostolorum et ipsius dedicationis festivitatibus, ac in celebritate omnium sanctorum, nec non per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini, ac Nativitatis et Assumptionis beate Marie, beati Iohannis Evangeliste, ac nativitatis beati Iohannis Baptiste et Apostolorum

Petri et Pauli festivitatum octabas, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad huius fabricam manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, ac octabarum sex dierum diebus, quibus prefatam ecclesiam devote visitaverint et manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, seu ad fabricam huius manus porrigentibus adiutrices, aut inibi pias eleemosinas erogantibus aliqua indulgentia perpetuo, vel ad certum tempus nondum lapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Kal. Septembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. com. fol. 153.

CCXLII.

Eisdem ecclesiam SS. Petri et Pauli in Clewregh Coloc. dioec. visitantibus et operam praestantibus indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus ei multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes, domino reddere populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia beatorum Petri et Pauli, quam dilectus filius nobilis vir Nicolaus de Gara, miles Quinqueecclesiensis diocesis, in honorem prefati sancti Petri infra villam suam de Clewregh Colocensis diocesis canonice fundasse dicitur, et que adhuc pro parte complenda existit opere non modicum sumptuoso, et ad cuius operis consummationem pie fidelium eleemosine sunt plurimum oportune: nos cupientes, ut ecclesia ipsa celeriter compleatur, ac congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem ex hiis uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Corporis domini nostri Iesu Christi, Pentecostes nec non nativitatis, annunciationis, purificationis et assumptionis beate Marie virginis ac nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum apostolorum Petri et Pauli et dicte ecclesie dedicationis festivitatibus, ac in celebritate omnium sanctorum et per ipsarum Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, nec non ipsius beate Marie virginis nativitatis et assumptionis, ac nativitatis beati Iohannis baptiste et apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octabas, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad consummationem operis huiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, octabarum vero ipsarum et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias eleemosinas erogantibus aliqua indulgencia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Idus Septembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. com. fol. 139.

CCXLIII.

Ludovico regi Hungariae, ut partes suas pro concordia inter Venetos et Franciscum de Carraria facienda interponat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Quamvis, fili Carissime, credamus indubie, quod propter antiquam devotionis intime puritatem, quam dilectum filium nobilem virum Franciscum de Carraria militem, in Civitate Paduana Imperialem Vicarium, cum Romana ecclesia colligatum, ad serenitatem tuam gessisse hactenus incessanterque gerere sepe percepimus, eidem Francisco cupienti cum dilectis filiis nobili viro . . . Duce ac Communi

Venetiarum, cum quibus est discors, habere concordiam; sed eam assequi eciam cum decentibus oblationibus nequeunti, concordiam ipsam tuis procures operibus studiosis: nichilominus tamen, quia nos nequimus in hac parte proficere, et speramus, quod exhortatio nostra te ad hoc promptum debebit reddere promptiorem, magnitudinem Regiam, quanto cordialius possumus, deprecamur, quatenus pie considerans, quod guerra dissidentium predictorum, si, quod absit, inchoetur, dicte Romane ecclesie et negotiis, que ipsa ecclesia prosequitur de presenti, et in quibus status eius nimium vertitur et alias reipublice, ac etiam christiane fidei, cuius pugil existis, periculosa erit nimium et dampnosa, omnibus viis et modis, quibus poteris, pro eorundem discordantium reformanda concordia, vel saltem pro trium vel duorum annorum Treugis sub spe pacis commodius pertractande, solicitiori et efficaciori studio tuam celsitudinem interponas; nam a multis prudentibus creditur, quod si cordialiter hoc opus sicut tuum assumpseris, illud feliciter consumabis, ac infinitis malis et periculis obviabis, et prefati Veneti non procedent ad guerram, sed tuis beneplacitis acquiescent. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Kal. Octobris. Anno Secundo.

In e. m. Carissime in Christo filie Elizabeth Regine Ungarie Illustri.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 70.

CCXLIV.

Guilielmo epo Quinqueecclesiensi, ut super hoc penes regem et reginam praefatos suas partes efficaciter interponat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Willermo Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Novit tua prudens fraternitas, quod si inter Venetos et Paduanos inchoetur guerra, que inchoari disponitur, magnum potest exinde preiudicium reipublice, presertim statui Romane ecclesie et negociis, que ipsa ecclesia contra hostes suos nunc prosequitur, damnum et preiudicium verisimiliter generari. Ideo cum super hoc, quod nobis nimis est cordi et merito, et super negocio dilectorum filiorum nobilium virorum . . . Ducum Bavarie, quod, ut audivimus, tu pro bono dicte ecclesie fuisti solicite prosecutus, scribamus Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri secundum formas presentibus interclusas, fraternitatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatenus super hiis apud dictum Regem et alias, sicut scies et poteris, non desinas interponere efficaciter partes tuas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Kal. Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 71.

CCXLV.

Regi Hungariae grates de oblatis redduntur, et ut concordiam inter imperatorem et duces Bavariae procuret.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Leto vultu, letiorique animo litteras regias et dilectos filios Albertum de Waschestein, Canonicum Quinqueecclesiensem, ac Galvanum de Bononia, decretorum Doctorem, Ambaxiatores tuos super negotiis dilectorum filiorum . . . Ducum Bavarie ad nostram presentiam destinatos recepimus, et super hiis, que pro parte tua dictorumque Ducum iidem Ambaxiatores coram nobis voluerunt proponere, sepius audivimus diligenter, liberalique magnificentie tue, quam sancta Romana ecclesia in suis necessitatibus invenit hactenus, et sperat invenire imposterum compassione piam et obsequio efficacem, de oblatione magnifica, quam nobis filiali devocione per easdem tuas litteras continentes, quod brachium tue potencie in auxilium et favorem nostrum et eiusdem ecclesie iuxta posse tuum, deo aminiculante, semper existet, fecisti, grates referimus copiosas, illud, cum eo ad conculcacionem inimicorum dei et bonorum hominum, qui sicut degeneres filii sunt et ab antiquo fuerunt hostes et persecutores prefate ecclesie matris tue, et etiam inclite domus Regie, cuius nonnullas civitates et terras in Pedemonte in eiusdem domus vilipendium et dammum gravissimum ocupare superbis animis non verentur, satis indigeamus ad presens, cum spe firmissima prestolantes. Tu autem, qui memoratos Duces non solum ad ferventiorem devotionem, verum etiam ad magnum obsequium exhibendum dicte ecclesie induxisti, eos in hiis velis iugibus confortationibus conservare: quia ipsi per perseverantiam devotionis huiusmodi veri filii eiusdem ecclesie cognoscentur. Ceterum quia petitiones dictorum Ducum difficultates aliquas continebant, quibus sine maiori maturitate et digestione honeste non possemus annuere, respondemus eisdem Ducibus per litteras nostras tenoris presentibus interclusi. Verum quia ipsi Duces cum Carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto habent discordiam, de qua dolemus quamplurimum, cupi-

mus inter eos tam propter eorum quam publicum bonum, et etiam ut ipsi omnes iuvent nos et dictam ecclesiam, concordiam prelibatam: ideoque clemenciam tuam, quanto affectuosius possumus, deprecamur, quatenus pro dicta concordia, et ut prefati Duces eidem Imperatori obedienciam et reverenciam exhibeant, ut tenentur, maxime cum celsitudo tua cum prefato Imperatore sit in bona concordia et cum eo fecerit parentelam, digneris interponere efficacie tue partes. Nos enim dictum Imperatorem per nostras litteras exhortamur, ut versa et debita vice dictos Duces, si eidem debitam reverenciam et obedienciam impenderint, tractet favorabiliter et benigne, ut tenetur dominus fidelem tractare vassallum, sicque mutua concordia et dilectio, dante domino, perdurabit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Kal. Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 71.

CCXLVI.

Priori Carmelitarum provinciali Alamanniae superioris, ut in civitate Quinqueecclesiensi locum recipere possit.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Priori provinciali et fratribus ordinis beate Marie de Monte Carmelo provincie Alamannie superioris secundum morem ipsius ordinis, salutem etc. Ad ea, que divini cultus augmentum respiciunt et ad beate Marie Virginis laudem et gloriam cedere valeant, libenter intendimus, et ut ad effectum debitum perducantur, eis favorem benivolum impertimur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod vos et ordo vester in toto Regno Ungarie locum aliquem ipsius vestri ordinis, unico duntaxat excepto, non habetis; quodque Venerabilis frater noster Willermus Episcopus Quinqueecclesiensis quemdam locum in civitate Quinqueecclesiensi ad opus et usum vestrum vobis in perpetuum pia liberalitate concessit et donavit: quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis recipiendi locum ipsum et inibi fundandi et edificandi ecclesiam et alia necessaria licentiam concedere auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum augeri, et ut ordo ipse prosperis successibus gratuletur, attentis desideriis affectamus, huiusmodi vestris supplicationibus inclinati, vobis locum huiusmodi recipiendi ac in eo fundandi et construendi ecclesiam, oratorium vel capellam cum campanili, campana, cimiterio, domibus et aliis necessariis officinis, cuiuscumque licentia minime requisita, felicis recordationis Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, qua inhibetur, ne aliqui fratres ordinum mendicantium loca quecumque recipere de novo presumant absque sedis apostolice licentia speciali, faciente plenam et expressam de inhibitione huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, iure tamen parochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, plenam et liberam auctoritate predicta licentiam tenore presentium elargimur, vobis nichilominus auctoritae predicta concedentes, quod fratres ipsius ordinis, qui in loco huiusmodi pro tempore morabuntur, omnibus et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus eidem ordini et eius fratribus ab apostolica sede concessis, quibus fratres ipsius ordinis quomodolibet potiuntur, gaudeant et utantur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis ii. Kal. Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. com. fol. 128.

CCXLVII.

Ludovico regi Hungariae, ut Bartholomaeo Spiefamae de certa pecunia debita satisfieri iubeat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad illa te, carissime fili, libenter inducimus ac precibus exhortamur, que honestatem sapiunt, teque in conspectu Regis eterni reddere valeant gratiosum. Sane nuper dilectus filius Bartholomeus Spiefame de Luca mercator et civis Parisiensis nobis exposuit, quod ipse dudum quondam Roberto de Duratio in suis necessitatibus certam et magnam pecunie quantitatem generose mutuavit, idemque Robertus videns eiusdem Bartholomei gratum servicium dictam pecunie summam eidem Bartholomeo eciam hoc non petenti infra brevem terminum solvere promisit, prout constare potest per legitima documenta; et deinde huiusmodi solucione non facta, viam fuit universi carnis ingressus, et dilectus filius nobilis vir Carolus de Duratio, dicti Roberti nepos, eidem Roberto ab intestato dicitur successisse: quare dictus Bartholomeus nobis humiliter supplicavit, ut penes excellentiam regiam pro eo super hoc intercedere dignaremur. Nos igitur eumdem Bartholomeum suis exigentibus meritis nobis carum gerentes in vi-

sceribus caritatis sicut filium predilectum, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia, ac eciam tui honoris et iusticie intuitu eidem Bartholomeo de huiusmodi pecunia sibi debita satisfieri facias atque mandes, in hoc taliter te habendo, quod provide humane laudis attolli preconio merearis, nosque devotionem tuam non immerito commendare possimus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Nonas Octobris. Anno Secudo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 186.

CCXLVIII.

Elisabethae seniori reginae super eodem.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri nato tuo scribimus, ut dilecto filio Bartholomeo Spiefame de Luca mercatori et civi Parisiensi, qui dudum, ut asserit, quondam Roberto de Duratio in suis necessitatibus certam et magnam pecunie quantitatem generose mutuavit, de huiusmodi pecunie summa, cum idem Robertus de ea non satisfacto decesserit, ac dilectus filius nobilis vir Carolus de Duratio, dicti Roberti nepos, eidem Roberto ab intestato defuncto, ut asseritur, successerit, satisfieri faciat atque mandet. Cum autem in premissis favor tuus sit plurimum oportunus, sinceritatem tuam attente rogamus, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia, et eciam pietatis et institie intuitu apud eundem Regem natum tuum, quod nostris in hac parte precibus annuat, opem des et operam efficaces. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Nonas Octobris. Anno Secundo.

In e. m. Elisabeth iuniori Regine Ungarie.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 187.

CCXLIX.

Episcopo Vaciensi super eodem.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Vaciensi, salutem etc. Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri scribimus etc. ut in proxima usque mandet. Cum autem tu eiusdem Caroli gubernator esse dicaris, ac favor tuus in premissis sit plurimum oportunus, fraternitatem tuam attente rogamus, tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia, et eciam pietatis et iusticie intuitu apud eundem Regem, quod nostris in hac parte precibus annuat, opem des et operam efficaces. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Nonas Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 187.

CCL.

Episcopo Vaciensi, ut dicto Bartholomaeo de eadem pecunia, quantum in se fuerit, satisfieri faciat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Vaciensi, salutem etc. Nuper dilectus filius Bartholomeus Spiefame etc. ut supra usque dicitur successisse. Cum autem tu eiusdem Caroli gubernator esse dicaris, fraternitatem tuam hortamur attentius, tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus eidem Bartholomeo de huiusmodi pecunie summa dictum Carolum ad hoc inducendo pro nostra et apostolice sedis reverentia ac eciam tue salutis et iusticie intuitu, quantum in te fuerit, satisfieri facias et procures, in hoc taliter te habendo, quod devotionis tue promptitudinem non immerito commendare possimus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iv. Nonas Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 187.

CCLI.

Archiepo̅ Strigoniensi, ut nuntium apostolicum habeat commendatum et in agendis det auxilium ac favorem.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Cum dilecto filio Petro Stephani Archidiacono de Zamboth (?) in ecclesia Agriensi, apostolice sedis nuncio, quem dudum in Regnis Ungarie et Polonie fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collectorem deputavimus, in exercendo huiusmodi collectorie officio per nos sibi commisso favor tuus sit plurimum oportunus fraternitatem: tuam hortamur attentius, tibi nichilominus per apostolica scripta

mandantes, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia eundem collectorem habens propensius commendatum, ei in quibuscumque factis et negociis predicte camere apostolice auxilium des, prout plene confidimus, ac consilium et favorem, ipsumque contra omnes eum impedientes seu quovismodo molestantes protegas et defendas, in hoc taliter te habendo, quod devotionis tue promptitudinem non immerito commendare possimus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iv. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 190.

CCLII.

Ludovico regi Hungariae, ut Petrum Stephani canonicum Agriensem nuntium apost. in regnis suis habeat commendatum.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie et Polonie Illustri, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam matrem tuam gerere comprobaris, spem ingerit indubiam cordi nostro, quod preces nostras tibi directas prosecutione laudabili adimplebis. Cum itaque dilectum filium Petrum Stephani Canonicum Agriensem, apostolice sedis nuncium, in tuis regnis Ungarie et Polonie fructuum et proventuum Camere apostolise debitorum Collectorem duxerimus deputandum, ac favor tuus eidem Petro in exercendo huius collectorie officio sit plurimum oportunus: serenitatem tuam nobis caram rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia eundem Petrum ac Succollectores, quos deputabit, in colligendis et recuperandis nostris et dicte Camere nostre iuribus et debitis, prout plene confidimus, habere velis favorabiliter commendatos. Datum Avinione xii. Kal. Novembris. Anno Secundo.

In e. m. Carissime in Christo filie Elizabeth Seniori Regine Ungarie et Polonie Illustri.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 194.

CCLIII.

Eidem, ne per ullos Guilielmum card. S. Clementis in beneficiis suis molestari permittat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie et Polonie Illustri, salutem etc. Dum fidei puritatem, virtutis constanciam, strenuorum magnificentiam operum, et ingentia merita, quibus inter alios Principes catholicos quodam insigni titulo specialiter clarere dinosceris, dum eciam eximie devotionis sinceritatem, quam ad nos et sedem apostolicam ac venerabiles fratres nostros sancte Romane ecclesie Cardinales te habere cognoscimus, diligenti meditatione pensamus, grandi profecto gaudio in domino exultamus, in tuis laudibus delectabiliter iocundantes, ac speramus indubie, quod preces nostras tibi directas prosecutione laudabili adimplebis. Sane nuper accepimus, quod nonnulli, qui gloriantur, cum malefecerint, dilecto filio nostro Guillelmo tituli sancti Clementis presbitero Cardinali in dignitatibus, personatibus, iuribus et iurisdictionibus suis multas iniurias et iacturas irrogare non verentur. Cum autem eidem cardinali, qui honoris tui et tuorum fervidus zelator et negociorum tuorum solicitus promotor existit, et quem quidem cardinalem suis claris exigentibus meritis gerimus in visceribus caritatis sicut filium predilectum, favor Regius sit plurimum oportunus: serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia prefatum cardinalem eiusque vicarios et procuratores habens propensius commendatos, non permittas eundem cardinalem in huiusmodi suis beneficiis eorumque iuribus et iurisdictionibus aliquatenus molestari, in hoc taliter te habendo, quod proinde sinceritatem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum Avinione viii. Kal. Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 196.

CCLIV.

Eidem, ut magistrum et conventum Cruciferorum sigillo communi uti permittat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, sal. etc. Ad illa te, fili carissime, libenter inducimus ac precibus exhortamur, que honestatem sapiunt teque in conspectu Regis eterni reddere valeant generosum. Sane nuper pro parte dilectorum filiorum magistri et conventus Cruciferorum ecclesiarum sancti Regis Stephani et sancte Trinitatis de Aquis calidis nobis fuit expositum, quod quamvis ipsi sigillum commune, prout alia capitula et conventus Regni tui Ungarie habent, habere consueverint ab antiquo, tamen dudum nonnulli officiarii tui ipsis eorum si-

gillum commune abstulerunt. Quocirca serenitatem tuam hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia huiusmodi sigillum eisdem magistro et conventui restitui facias, et ipsos huiusmodi sigillo uti, prout dudum consueverunt, permittas, in hoc taliter te habendo, quod devotionis tue plenitudinem non immerito commendare possimus. Datum Avinione VIII. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 197.

CCLV.

Eidem, ut Emericum de Bir in expeditione agendorum suorum habeat commendatum.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum dilectus filius Nobilis vir Emericus de Bir, qui de Regno tuo oriundus et dilecti filii nostri Guillelmi tituli sancti Clementis presbiteri Cardinalis familiaris existit, penes serenitatem Regiam quedam habeat expedire: Excellentiam tuam attente rogamus, quatenus dictum nobilem nostre eciam intercessionis intuitu habere velis in gratiosa expeditione agendorum, prout decebit, favorabiliter commendatum. Datum Avinione VIII. Kal. Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 197.

CCLVI.

Nicolao de Garda bano de Machow, ne cardinalem S. Clementis in iuribus praepositurae suae S. Sapientiae Dei Titulensis Coloc. dioec. molestari permittat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Nicolao de Garda Bano de Machow, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, spem ingerit indubiam cordi nostro, ut ea, pro quibus scribimus, prosecutione laudabili adimplebis. Sane nuper dilecto filio nostro Guillelmo tituli sancti Clementis presbitero Cardinali nobis significante percepimus, quod in quadam possessione, quam idem cardinalis ratione preposituro sue sancte Sapientie dei de Titulio Colocensis diocesis habet, que quidem possessio Eidud nuncupatur, nonnulli nobiles et alii eidem possessioni vicini ipsum cardinalem multipliciter molestant, ac portum et silvam ipsius possessionis perdere et omnino destruere conantur, multasque alias iniurias atque dampna et oppressiones gentibus eiusdem cardinalis faciunt incessanter. Quocirca nobilitatem tuam nobis caram rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia, ac eciam iusticie intuitu non permittas prefatum cardinalem in huiusmodi suis iuribus a predictis nobilibus seu aliis quibuscumque indebite molestari; sed ipsum cardinalem, nec non dilectos filios Petrum Stephani vicarium et procuratorem dicti cardinalis, ac Emericum de Bir Iudicem dicte possessionis pro ipso cardinali in premissis habeas favorabiliter commendatos, in hoc taliter te habendo, quod humane laudis premium merearis, nosque proinde sinceritatem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum Avinione VIII. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 197.

CCLVII.

Ludovico regi Hungariae quaedam utilia pro statu regni Siciliae, visis suis capitulis, reserantur, et super hoc credat nuntio apost. et nil in praeiudicium dicti regni moveat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, sal. etc. In omnibus, fili Carissime, occurrentibus nobis, que tuam celsitudinem dinoscuntur contingere, prius anime salutem, meritique apud deum ac temporalis honoris, qui eciam ex virtutibus provenit, et demum mundane potencie, que in dei obsequiis exercetur, augmentum ac consolacionem honestam eiusdem celsitudinis extimamus et eciam peroptamus. Hic enim debitus caritatis est ordo, de quo sponsa Christi, sua videlicet ecclesia, in canticis gloriatur, hic esse debet ordinatus affectus christiani cuiuslibet, cui moderatus usus temporalium, iustus dominatus et honesta desideria a Rege Regum et dominantium domino in seculo sunt promissa et eterni Regni possessio repromissa, ut pro se vel alio non agat vel optet in mundialibus ea, per que Regem ipsum provocet et amittat eterna. Hec siquidem prelibavimus, ut non turbetur, nec eciam miretur excellentia regia, si eius forsan videamur reluctari conceptibus et desideriis contraire, quod tenemur facere in quocumque fideli, presertim principibus, per quos catholici

populi gubernantur, ut prima iusticia reperiatur in ipsis, qui secundam habent aliis ministrare. Sane Carissima in Christo filia nostra Iohanna Regina Sicilie Illustris nobis cum multi doloris amaritudine, ut sue innuebant littere, reseravit, quod serenitas tua dilectos filios nobiles viros Franciscum Comitem Gallipoli et Budislavum Militem ambaxiatores tuos ad eam cum certis ambaxiatis et Capitulis destinavit, ex quibus non solum ipsa, sed sui curiales ac magnates et populi fuerunt repleti mestitia et timore, cum suspicarentur offensam ex tua parte inferri, per quem sperabant defensionem contra alios offensores, nobisque supplicavit super hoc sibi et suo regno Sicilie de apostolice providencie remedio provideri. Nos igitur prefatis tuis saluti et honori ac quieti dicti Regni providere salubriter cupientes, visis eisdem Capitulis et dicte Regine responsionibus super ipsis, ea que nobis super illis secundum deum dictosque tuos salutem et honorem, ac Regni prefati quietem videbantur utilia, maiestati tue per dilectum filium Galvanum de Bononia decretorum doctorem, Ambaxiatorem tuum ad nos pro aliis negotiis destinatum, duximus reseranda; sed ad exponendum ea plenius venerabilem fratrem nostrum Agapitum Episcopum Ulixbonensem apostolice sedis nuncium, harum latorem, ad presentiam tue magnitudinis paterne caritatis affectibus destinamus, eam rogantes et obsecrantes attencius, quatenus dictum nuncium ob reverenciam prefate sedis et nostram digneris benigne recipere, et sibi in hiis, que de premissis tibi ex parte nostra narraverit, fidem credulam adhibere ac annuere benignitate Regia et promptitudine filiali. **Datum Avinione IV. Kal. Novembris. Anno Secundo.**

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 79.

CCLVIII.

Elisabethae seniori reginae, ut eidem regi ad annuendum scriptis pontificis persuadet et nuntio apostolico credat.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. In omnibus, Carissima filia, occurrentibus nobis, que inclitam personam Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, gloriosi nati tui, dignoscuntur contingere, prius anime salutem meritique apud deum ac temporalis honoris, qui eciam ex virtutibus pervenit, et demum mundane potencie, que in dei obsequiis exercetur, augmentum et consolationem honestam dicti Regis extimamus et eciam peroptamus. Hic enim debitus caritatis est ordo, de quo sponsa Christi, sua videlicet ecclesia, in canticis gloriatur, hic esse debet ordinatus effectus christiani cuiuslibet, cui moderatus usus temporalium, iustus dominatus et honesta desideria a Rege Regum et dominantium domino in seculo sunt promissa, et eterni Regni possessio repromissa, ut pro se vel alio non agat vel optet in mundialibus ea per que Regem ipsum provocet et amittat eterna. Hec siquidem prelibavimus, ut non turbetur, nec eciam admiretur prefati Regis excellentia, si eius forsan videamur reluctari conceptibus et desideriis contraire, quod tenemur facere in quocumque fideli, presertim principibus, per quos catholici populi gubernantur, ut prima iustitia reperiatur in ipsis, qui secundam habent aliis ministrare. Sane carissima in Christo filia nostra Iohanna Regina Sicilie Illustris nobis cum multi doloris amaritudine, ut sue innuebant littere, reseravit, quod prefatus Rex dilectos filios nobiles viros Franciscum Comitem Gallipoli et Budislavum militem Ambaxiatores suos ad eam cum certis ambaxiatis et capitulis destinavit, in quibus non solum ipsa, sed sui Curiales et magnates et populi fuerunt repleti mesticia et timore, cum suspicarentur offensam ex dicti Regis parte inferri, per quem sperabant defensionem contra alios offensores, nobisque supplicavit super hoc sibi et suo Regno Sicilie de apostolice providencie remedio provideri. Nos igitur prefatis eiusdem Regis saluti et honori, ac quieti dicti Regni providere salubriter cupientes, visis eisdem Capitulis et dicte Regine responsionibus super ipsis, ea, que nobis super illis secundum deum dictosque eiusdem Regis salutem et honorem, ac Regni prefati quietem videbantur utilia, prefato Regi per dilectum filium Galvanum de Bononia decretorum doctorem, Ambaxiatorem suum ad nos pro aliis negotiis destinatum, duximus referenda; sed ad exponendum ea plenius venerabilem fratrem nostrum Agapitum Episcopum Ulixbonensem apostolice sedis Nuncium, harum latorem, ad presenciam eiusdem Regis paterne caritatis affectibus destinamus, ipsum rogantes et obsecrantes attentius, quod dictum Nuncium ob reverenciam prefate sedis et nostram dignetur benigne recipere, et sibi in hiis, que de premissis eidem Regi ex parte nostra narraverit, fidem credulam adhibere et annuere benignitate Regia et promptitudine filiali. Quare devotam Serenitatem tuam, quanto cordialius possumus, deprecamur, quatenus hiis, que idem Nuncius ex parte nostra tue maiestati de premissis exponet, vel scribet, si forte propter longam locorum distanciam ad presenciam Reginalem

commode non posset accedere, adhibens plenam fidem super eis, eidem Regi velis persuadere, prout idem Nuncius a te duxerit requirendum. Datum Avinione iiii. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 80.

CCLIX.

Elisabethae iuniori reginae super eodem

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth iuniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Cupientes Regni Sicilie nonnullarumque aliarum partium obviare periculis et iacturis, ac saluti et honori Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, consortis tui, paterna caritate consulere, super certis negociis tangentibus Regnum prefatum Venerabilem fratrem nostrum Agapitum Episcopum Ulixbonensem apostolice sedis Nuncium, harum latorem, ad eiusdem Regis presenciam destinamus. Tuam igitur serenitatem devotam attentius deprecamur, quatenus hiis, que idem Nuncius tue celsitudini super hiis dicet ex parte nostra, velis apud eundem Regem tua preces et consilia interponere cum effectu. Datum Avinione iiii. Kal. Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 81.

CCLX.

Thomae archiepo Strigoniensi et aliis praelatis et nobilibus Hungariae super eodem.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Cupientes Regni Sicilie nonnullarumque aliarum parcium obviare periculis et iacturis, ac saluti et honori Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris paterna caritate consulere, super certis negociis tangentibus Regnum prefatum Venerabilem fratrem Agapitum Episcopum Ulixbonensem apostolice sedis nuncium, harum latorem, ad eiusdem Regis presenciam destinamus. Tuam igitur fraternitatem hortamur attentius, mandantes, quatenus super hiis, que idem Nuncius eidem fraternitati super hiis dicet ex parte nostra, apud eundem Regem tua preces et consilia studeas interponere cum effectu. Datum Avinione iiii. Kal. Novembris. Anno Secundo.

In e. m. Stephano archiepo Colocensi, Wilhelmo epo Quinqueecclesiensi, Ladislao epo Nitriensi, Iohanni epo Vaciensi, Petro epo Bosnensi, Demetrio epo Sirimiensi, . . . epo Tiniensi, Stephano epo Zagrabiensi, Demetrio epo Transilvano, Dominico epo Cenadiensi, Ladislao epo Vespriniensi, Ladislao duci Opuliensi et comiti Palatino Ungarie, Stephano Bebek iudici Curie regni Ungarie, Enrico Vayvode Transilvano regni Ungarie, Nicolao de Dechet comiti Curie regie Ungarie, Petro Zuder militi de Ungaria, Nicolao de Sara Bano de Macho, Georgio Bembeck Vexillifero regni Ungarie, Iohanni magistrum Tavarnicorum regni Ungarie, . . . comiti Posoniensi, Stephano nato Michlz quondam Bani.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 81.

CCLXI.

Ludovico regi Hungariae commendatur Dominicus epus Nitriensis.

Grgorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Ad Serenitatis tue noticiam deducimus per presentes, quod nos venerabilem fratrem nostrum Dominicum Episcopum Nitriensem, olim apostolice sedis penitentiarium, nostrum, dum essemus in minori constituti, confessorem, cuius in Romana curia diutius commemorantis virtutes et sufficienciam nobis, et fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus erant, prout sunt, note pariter et accepte, et quem nobis pluries tua sublimitas tamquam suum devotum per regias litteras commendavit, de ipsorum fratrum consilio ad ecclesiam Nitriensem tunc vacantem duximus promovendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie in Episcopum et pastorem. Quare dictum Episcopum, quem benevolentia speciali prosequimur, eidem Serenitati tanto confidentius recommittimus, quanto ipsum tibi credimus gratiorem. Datum Avinione Idibus Novembris. Anno Secundo.

In e. m. Elizabeth Seniori et Elizabeth Iuniori Reginis Ungarie.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 88.

CCLXII.

Eidem, ut procuratores ad civitatem Thebanam ad foedus ineundum cum aliis fidelibus contra Turcas mittat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dudum per nos intellecto cum multa amaritudine cordis nostri, quod impii Turchi hostes sacri nominis christiani contra nonnullos magnates et populos partium Grecie, Walachie et Regni Rascie obtinuerant grandem victoriam et terris fidelium nimium apropinquabant, Serenitatem tuam cordialiter rogamus, quod pro reverencia dei et catholice fidei ad resistendum eisdem Turchis brachium tue potencie apponere procurares. Nuper autem lacrimabili exposicione Venerabilis fratris nostri Francisci Archiepiscopi Neopatrensis, latoris presencium, publiceque fame attestatione admodum dolenter audivimus, quod ipsorum Turchorum tanta copia de suis finibus est egressa, et peccatis exigentibus, ipsi Turchi noviter sic prevaluerunt, quod nonnullos populos dictarum partium christianos professione, licet scismatis scissione a catholice et apostolice ecclesie unitate divisos, usque prope fines dicti Regni Rascie ac Albanie, ac Principatus Achaie et ducatus Athenarum sue perfidie per armorum potenciam subiugarunt, et tenent astrictos sub sua miserabili servitute, et tam potenter tamquam ferociter alias partes christianorum obsident et impugnant, ac invadunt assidue, quod nisi obvietur eisdem, de perditione dictorum principatus et ducatus aliarumque terrarum fidelium ultramarinarum probabiliter pertimetur. Nos igitur in tantis christianitatis periculis de oportunis providere remediis cupientes, inter alia remedia, deo dante, utilia super resistencia Turchis facienda prefatis unionem ad hoc tue magnificentie ac aliorum fidelium de dictis ultramarinis partibus providimus, et consulimus esse, quam cito fieri poterit, faciendam, et super hoc certis prelatis ac principibus et magnatibus dirigimus scripta nostra. Quare Regalem celsitudinem requirimus et hortamur attentius, ac totis cordis affectibus deprecamur, quatenus ad civitatem Thebanam, que licet sit a tuo Regno remota, tamen aliis, qui ad hoc convocantur, magis quam alius locus reputatur accommoda, ad Kalendas mensis Octobris proxime secuturi tuos Ambaxiatores et procuratores cum pleno mandato ad tractandum et faciendum unionem huiusmodi cum ecclesiarum prelatis ac principibus et magnatibus, qui in ipsa unione ligari et contribuere voluerint, et ad offerendum et promittendum certum subsidium armigere gentis in mari vel terra tenende, tua dignetur sublimitas destinare. Nos enim Archiepiscopo prefato iniunximus, quod ad requirendum ex parte nostra te et eosdem prelatos ac principes et magnates debeat personaliter se conferre, vel mittere alium loco sui, et cum sit in mora periculum et conventio requirendorum huiusmodi propter longam eorum distanciam non possit citius commode fieri, eandem celsitudinem rogamus ex corde, quatenus non expectata firmacione unionis prefate, quam cito poteris, tue gentis subsidium contra eosdem Turchos mittere non retardes, sic prompte, sic magnifice super hiis facturus, quam tuus et totius christianitatis damnis et periculis proinde obvies, et nichilominus minus exinde a deo perenne premium consequaris. Nos eciam de mittendo ad partes illas apostolice sedis legato et aliis oportunis exhibendis remediis, dante domino, curabimus providere. Datum Avinione Idibus Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 87.

CCLXIII.

Elizabethae seniori reginae Hungariae et Poloniae, ut camerae apostolicae de certis pecuniis, quas debebat Casimirus rex Poloniae, satisfieri iubeat.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth Seniori Ungarie et Polonie Regine Illustri, salutem etc. Ad illa te, filia Carissima, libenter inducimus ac precibus exhortamur, que honestatem sapiunt teque in conspectu Regis eterni reddere valeant graciosum. Cum itaque clare memorie Kazimirus Rex Polonie, germanus tuus, certas pecuniarum summas ad Cameram nostram pertinentes, dum vivebat, receperit, ad quorum restitutionem, dum decessit, tenebatur, tuque eidem Regi successisses, Serenitatem tuam rogamus et hortamur in domino, eam attentius deprecantes, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia, et etiam tui honoris intuitu de huiusmodi pecuniis, ne eciam proinde anima dicti tui germani penas sustineat, dilecto filio Petro Stephani apostolice sedis nuncio, ac fructuum et proventuum Camere apostolice in partibus illis debitorum collectori nomine dicte Camere recipienti satisfieri facias atque mandes, in hoc taliter te habendo, quod non oporteat aliud remedium

adhiberi, sed proinde humane laudis attolli preconio merearis, Nosque sinceritatem tuam non immerito commendare possimus. Datum Avinione xviii. Kal. Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 204.

CCLXIV.

Ludovico regi Hungariae, ut nuntium apostolicum et procuratores cardinalis S. Clementis commendatos habeat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie et Polonie Illustri, salutem etc. Cum dilectum filium Petrum Stephani Archidiaconum de Zaboch in ecclesia Agriensi, apostolice sedis nuncium, quem in partibus illis fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectorem duximus deputandum, ad partes illas principaliter destinemus, ac favor Regius eidem collectori sit plurimum oportunus: excellentiam Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia eundem Collectorem, prout plene confidimus, habeas favorabiliter commendatum; ita quod ipse magnificentie Regie fultus presidio commissa per nos sibi nogocia bene peragere valeat, nosque proinde devotionem tuam dignis in domino laudibus attollamus, ac eidem Collectori, cui aliqua ex parte nostra tibi dicenda commisimus, in eis adhibere velis plenam fidem. Preterea super eo, quod gentes dilecti filii nostri Gullielmo tituli sancti Clementis presbiteri Cardinalis, qui Romane ecclesie honorabile membrum existit, quemque sincere diligimus et ipsius Cardinalis negotia, prout ipse nobis exposuit, multipliciter habuisti commendata, eandem devotionem tuam multarum prosequimur actionibus gratiarum, teque deprecamur attentius, quatenus huiusmodi gentes et negotia dicti Cardinalis habere recommendata sicut prius sinceritas tua velit. Datum Avinione Kal. Decembris. Anno II.

In e. m. Elizabeth seniori Regine Ungarie et Polonie.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 209.

CCLXV.

Eidem, ut militibus, quos auxiliares Fr. de Carraria misit, si cum eisdem hostibus facta sit pax, ad Ecclesiae serviendum remanere iubeat.

Grgorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Quia intelleximus, quod tua serenitas certam gentem armigeram in auxilium dilecti filii Nobilis viri Francisci de Carraria Militis, in Civitate Paduana Imperialis vicarii, disposuit destinare et . . . Nuncius apostolice sedis adhuc est Veneciis, pacem inter Venetos et dictum Franciscum, de qua non desperat, solicite procurando: Magnificenciam tuam, quanto affectuosius possumus, deprecamur, quatenus si dictam pacem, quam multum optamus, contingat fieri, gentem huiusmodi nobis et Romane ecclesie, contra suos hostes et persecutores, contra quos ipsa ecclesia incipit per dei gratiam multipliciter prosperari, velis liberaliter et graciose concedere pro eo tempore, de quo tue liberalitati videbatur convenire, super hoc de tuis litteris mandatoriis ac stipendiis sic providendo celeriter, quod ipsa gens in casum dicte pacis ad tuum Regnum ante servicium dicte ecclesie, de quo disposueris, minime revertatur. Datum Avinione xv. Kal. Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 102.

CCLXVI.

Archiepis Strigoniensi et Colocensi eorumque suffraganeis, ut decimam impositam sine ulla excusatione persolvant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Thome Archiepiscopo Strigoniensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Accedens nuper ad nostram presentiam dilectus filius Iohannes de Bredenscheid legum Doctor, Ambaxiator Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, lator presentium, inter alia, que nobis ex parte Regie serenitatis exposuit, nos pro parte eadem rogavit fideliter et instanter, quod ob certas causas, quas nobis expressit, presertim quod ipse Rex intendebat cum potenti brachio contra Turchos inimicos fidei christiane, qui noviter quendam eius subditum seu gentes ipsius conflixerant, exercitum regalem ducere seu dirigere, prelatos et clerum Regnorum suorum, cum ipsi prelati in huiusmodi exercitu magnificentiam Regiam iuvare intenderent, a solutione decime proventuum ecclesiasticorum unius anni, quam pro maximis necessitatibus sancte Romane ecclesie in eisdem Regnis sicut et in aliis Regnis et partibus mundi duximus imponendam, excusatos habere hac vice de benignitate apostolica dignaremur, nosque eidem Regi scribimus iuxta te-

norem presentibus interclusum. Verum licet credamus Regem prefatum tanquam christianissimum prelatos et clerum Regnorum suorum diligere et eorum libenter velle commoda promovere, tamen probabiliter suspicamur, ex suggestione aliquorum prelatorum vel aliorum clericorum dictorum Regnorum facta Regi prefato preces huiusmodi processisse: et si est ita, miramur admodum, quod cum necessitatem dicte ecclesie matris vestre nimiis expensarum oneribus de presenti gravate cognoscere debeatis, cui eidem vestrum possibile auxilium subtrahere cupiatis, quod eciam non requisiti offerre et facere liberaliter deberetis. Igitur fraternitatem vestram requiramus et hortamur attente, per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus decimam per nos vobis impositam, nullius excusationis interveniente occasione, in tante necessitatis articulo libere persolvatis, sic prompte, sicque obedienter agentes, quod apud nos et sedem apostolicam iugiter mereamini commendari. Datum Avinione xv. Kal. Ianuarii. **Pontificatus nostri Anno Secundo.**

In e. m. Stephano Archiepiscopo Colocensi eiusque Suffraganeis.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 100.

CCLXVII.

Ludovico regi, ne molestum ferat, si suae petitioni non annuatur, videlicet ne praelati suorum regnorum decimas impositas solvant.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, sal. etc. Accedens nuper ad nostram presentiam dilectus filius Iohannes de Bredenscheid legum Doctor, Ambaxiator tuus, lator presentium, inter alia, que nobis ex parte tue serenitatis exposuit, nos pro eadem tua parte rogavit fideliter et instanter, quod ob certas causas, quas nobis expressit, presertim quod intendebas cum potenti brachio contra Turchos inimicos fidei, qui noviter quendam tuum subditum seu gentes eius conflixerant, exercitum Regalem ducere seu dirigere, prelatos et clerum tuorum Regnorum, cum ipsi prelati in huiusmodi exercitu magnificenciam Regiam iuvare intenderent, a solutione decime proventuum ecclesiasticorum unius anni, quam pro maximis necessitatibus sancte Romane ecclesie in eisdem Regnis duximus imponendam, excusatos habere hac vice de benignitate apostolica dignaremur. Licet igitur, fili Carissime, honestis votis tuis, ubi possibilitas adsit, affectemus annuere, et libenti animo annuamus et gratum habemus quamplurimum, quod contra dictos Turchos potenciam tue maiestatis extendas, et ad id te dudum per litteras nostras duxerimus provocandum, et circa hoc ea, que de presenti possumus, provideamus remedia adhibere, ac te et alios fideles intendamus apostolicis favoribus et auxiliis, cum poterimus, adiuvare: considerantes tamen, quod iniquitatis filius Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanensis, tirannus crudelissimus, antiquus et implacabilis hostis et prosecutor dicte ecclesie suorumque devotorum et adiutorum, pacem inter eandem ecclesiam nosque, Colligatos et ipsum Bernabonem ultimo factam et alias pluries frangere eidem ecclesie suisque devotis et adiutoribus non expavit, et quod peius est, infidelis, ecclesiam ipsam matrem tuam et cunctorum Christi fidelium caputque fidei christiane debilitare, confundere et subiugare, quod absit, perversis et detestandis conatibus satagebat et satagit, et ad hoc efficiendum celerius Galeaz frater eius, miles Mediolanensis, iniquitate compar et opere similis, favebat eidem, et erat contra ipsam ecclesiam specialiter coligatus. Quodque ipsi ambo fratres deum et censuram ecclesiasticam contempnentes, nonnullas personas ecclesiasticas, eciam religiosas in dignitate constitutas fecerunt et sepe faciunt capi, carcerari, torqueri, relegari, proscribi, suspendi, gladiis interfici et incendio concremari, et reliquas personas ecclesiasticas intollerabilibus exactionibus et servitutibus affici, ac de beneficiis ecclesiasticis iniuste illa possidentes de facto excludi et deponi, aliosque eciam sceleratos et insufficientes in eis intrudi, in hiis et aliis libertatem ecclesie, quantum in eis est, totaliter conculcando, et eciam Episcopos carcerant et arrestant, ut maximam crudelitatem ipsorum in multos nobiles ac in plebeios, eciam pueros innocentes perpetratam, et que cotidie perpetratur crudelius, magis declarare omittamus ad presens, et quod subiectos eis populos immaniter tirannizant, quodque propter hoc et aliorum nefandissima opera, que recitare nos tedet et pudet, non possumus de passagio generali vel resistencia valida infidelibus facienda disponere, licet hoc in nostris desideriis continue habeamus, coacti sumus subire pro ipsorum tirannorum exterminio gravissimam sarcinam expensarum, ad quam continuandam libenter nos ostensio divine voluntatis inducit; nam infra mensem cum dimidio ultra Octuaginta Castra per rebellionem et alios modos dictorum perfidorum tirannidi sunt subtracta, et speratur cum divina gratia ac tuo et aliorum fidelium auxilio, quod in totum vel in magnam partem prefati hostes dei et persecutores sue ecclesie a dicta sua crudeli tirannide deponentur:

ex quo si contingat, speratur, quod totius Italie libertas, securitas et tranquillitas subsequentur, ad exterminium dictorum hostium, cum quibus, ut sepe probatum est, pax haberi non potest, procedi facimus manu forti non absque gravissimis expensarum profluviis, que sine multorum auxilio non possumus supportare. Quare devotam et circumspectam magnificentiam tuam rogamus attentius, quatenus mature considerans tantam necessitatem et utilitatem iam dicte ecclesie, qua languente seu prepedita, quod deus advertat, non possent negotia fidei in ultramarinis, et Grecie ac Bulgarie partibus preter tuum solum brachium, quod grande ac forte fecit altissimus, nedum prosperari, sed nec etiam inchoari, ac sublationem tantarum iniquitatum tantumque rei publice commodum ex prosecutione belli contra memoratos tirannos feliciter inchoati, dante domino, proventura, et quod si remitteremus huiusmodi decimam Clero dictorum tuorum regnorum, seu dilationem super hoc concederemus eidem, prelati et Clerus Alemanie et Boemie et alii de aliis Regnis, cum in omnibus partibus fidelium decimam aut alia subsidia propter necessitates huiusmodi duxerimus imponenda, exemplum reciperent, imposita eis decimam seu alia subsidia non solvendi, et quod in christinissimis Regnis Francie et Sicilie, de quibus traxisti gloriosam originem, decime aut alia subsidia etiam tempore guerrarum ipsorum Regnorum sunt reverenter et humiliter pro necessitatibus ecclesie predicte persoluta, prout solvuntur ad presens, et quod eciam Reges ipsorum Regnorum non solum in hiis non dederunt obstaculum rogaminis vel aliud, sed prebuerunt dicte ecclesie auxilium et favorem; ac insuper quod tua potencia est magna et sufficiens contra Turchos eosdem, et quod iidem prelati et alie persone ecclesiastice dictorum tuorum Regnorum per dei gratiam ad pacem et felicem statum ipsorum Regnorum in facultatibus sint, habundant, sine magno gravamine poterunt adiuvare nos de dicta decima, et quod etiam depositio dictorum tirannorum est dispositio passagii contra Turchos iam dictos et aliter fructuose fieri nunquam posset, digneris non habere molestum, si huiusmodi tue petitioni non prestamus assensum. Nos enim huiusmodi negocio exterminii dictorum tirannorum iam, ut prefertur, inchoato, quod sine evidentissimo periculo et damno dimitti non potest, feliciter expedito prompti erimus contra Turchos prefatos intendere et per fideles intendi facere, tueque sublimitati, que dictam Romanam ecclesiam alias potenter iuvit et nunc contra dictos tirannos pessimos iuvaturam speramus, prebere apostolicum subsidium et favorem. Datum Avinione xv. Kal. Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 101.

CCLXVIII.

Eidem, ut milites, quos Francisco de Carraria contra Venetos misit, in auxilio ecclesiae destinare velit.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Serenitati tue per plures apostolicas litteras, et etiam per Ambaxiatores tuos ad nostram presentiam destinatos, notificasse meminimus, quod nos et Romana ecclesia cum iniquitatis alumpno et tiranno crudelissimo ac antiquo hoste et persecutore sevissimo dicte ecclesie, qui ei sepius fregit pacem, habere concordiam nequeuntes, ut alias eius impietates execrabiles, quas contra deum ac clerum et populum immaniter patrat assidue, presentibus omittamus, ad ipsius et Galeaz fratris et colligati ac fautoris sui perpetrantis similia exterminationem et dissipationem cum aliquorum fidelium auxilio intendimus toto posse, et iam gratia dei successus prosperos dicte ecclesie elargitur; sed ad tantum opus maiori auxilio indigemus. Ideoque cum audiverimus, quod nuper tua sublimitas certas gentes armigeras in adiutorium dilecti filii nobilis viri Francisci de Carraria Militis, in civitate Paduana Imperialis Vicarii, contra Venetos destinavit, nos considerantes, quod inter prefatos Venetos et Franciscum pacem per nostrum nuncium assidue procuramus, de qua aliqua spes habetur, devotam magnificentiam tuam, in qua semper speravimus et speramus, omni, quo possumus, affectu rogamus, quatenus dictas tuas gentes in casum predicte pacis velis in auxilium dicte ecclesie contra hostes huiusmodi pro tempore, de quo regie liberalitati videbitur, destinare. Datum Avinione Kal. Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 105.

CCLXIX.

Eidem, ut Canem de la Scala ad foedus cum ecclesia Romana faciendum, et Florentinos ad auxilium ferendum contra Vicecomites inducat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum dilectus filius nobilis vir Canissegnorius de Lascala, in civitate Veronensi Imperialis Vicarius,

sit vicinus terris, quas detinet Bernabos de Vicecomitibus, et eius desolacionem et opressionem, licet sit eius cognatus, ut audivimus, formidet et habeat merito formidare, et pro securitate sui status et aliis eius prerogativis, ut a multis creditur, expediret, quod ipse Canissegnorius se contra dictum Bernabonem cum Romana ecclesia colligaret: que colligatio eidem ecclesie ad exterminacionem prefati Barnabonis sui hostis et persecutoris multum utilis probabiliter redderetur, et nos sepe audiverimus, quod ipse Canissegnorius est tuus devotus precipuus et libenter tuis consiliis acquiescit, gratum quamplumum haberemus, si serenitas tua, si quo modo hoc decenter facere poteris, memoratum Canemsegnorium inducat ad colligandum se cum dicta ecclesia vel ad alias ei tribuendum auxilium et favorem. Preterea licet dilecti filii populus Florentinus sint cum dicta ecclesia colligati, et colligatio huiusmodi tempore necessitatis eorum, videlicet quando idem Bernabos contra pacta, que ipse et domus sua habebant cum eis, perverso more suo infideliter veniens, intraverat Tusciam et molestabat eosdem, et ad eorum instanciam tractata fuerint et firmata, et quando receperunt a quadam societate per dictum Bernabonem submissa conflictum, prefata ecclesia magnam gentem armigeram destinaverit ad eosdem, guerram propriam, quam tunc habebat pro recuperatione sue civitatis Perusine, non absque multo damno et periculo dimittendo: in presenti tamen guerra, quam ipsa ecclesia habere cogitur ex culpa dicti Bernabonis, qui pacem factam cum eo, primo dilectis filiis nobilibus viris Marchionibus Estensibus, nostris in civitate Ferrariensi Vicarii et cum eadem ecclesia Colligatis, et deinde ipsi ecclesie invadendo territoria eiusdem Ferrariensis et Bononiensis Civitatum spectantium ad ecclesiam prelibatam, adinventis quibusdam frivolis exsusationibus, noluerunt contribuere, neque volunt in magnum dicte ecclesie detrimentum. Cumque ipsi populus devoti tue celsitudinis asserantur multum, etiam nobis esset acceptum, si decenti modo exhortareris eosdem, quod pro honore et debito ac utilitate ipsorum, cum nullum alium hostem quam dictam domum de Vicecomitibus habeant formidare, eandem ecclesiam in tanto onere non relinquant: sed ei dent gentem, quam vigore colligationis huiusmodi ipsi ecclesie debent dare. **Datum Avinione Kal. Ianuarii. Anno Secundo.**

Ex Reg. orig. An. II. secr. fol. 105.

CCLXX.

Omnibus crucesignatis regnorum regis Hungariae volentibus contra Turcas proficisci consuetae indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Animarum salutem ac defensionem catholice fidei professorumque ipsius plenis desideriis affectantes, libenter illa concedimus, per que Christi fideles ad defensionem huiusmodi inducamus, hodie siquidem ad supplicationem Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris intendentes, ut nobis per suos Ambaxiatores notificare curavit, in persona propria cum Regali potentia procedere contra immanissimos Turchos, hostes catholice fidei, Christianos diversarum parcium hostiliter persequentes, subiugantes, captivantes, et eciam crudeliter occidentes, et nonnullas Romanie et Bulgarie, Rascie et alias partes occupantes, aliasque terras eorumdem Christianorum invadere et occupare intendentes, ipsi Regi et omnibus Christifidelibus suorum Regnorum Ungarie, Polonie et Dalmacie et aliarum terrarum ipsi Regi subiectarum, qui dicto Regi huiusmodi bellum seu negocium personaliter prosequente, cum ipso Rege personaliter pergerent, et laborem huiusmodi per sex menses continuos vel interpolatos in personis propriis subirent, et expensas vel infra ipsos sex menses durante prosecucione huiusmodi obirent, plenam suorum peccaminum, de quibus forent veraciter corde contriti et ore confessi, veniam duximus indulgendam eis in retributionem iustorum salutis eterne pollicentes augmentum. Eis autem qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis cum dicto Rege, ut prefertur, accederent, et illis similiter, qui iuxta facultatem et qualitatem suam bellatores ydoneos in expensis propriis pro eodem tempore destinarent, quominus personaliter ipsi non irent, plenariam concessimus suorum veniam peccatorum, penitencias vero omissas seu ratione non factas per aliquos ex predictis, nisi peregrinationem aliam aut aliquod pium opus, vel restitutionem seu realem aliam prestationem aut erogationem concernerent, eisdem misericorditer remittentes, omnibusque ipsis concessimus, quod per confessionem generalem peccatorum, de quibus memoriam non haberent, que tamen, si illa in speciali recolerent, confiterentur, libenter indulgentiam plenam obtinerent, taliter confitentes, ita tamen quod si postmodum ad eorum memoriam huiusmodi peccata redirent, illa tenerentur specialiter confiteri. Eos preterea, qui licet non iuxta qualitatem et facultatem

suam, aliquem tamen seu aliquos bellatores ydoneos, ut premittitur, in subsidium dicti negocii propriis sumptibus destinarent, vel de suis de temporalibus bonis contribuerent ad aliquos destinandos, et illos, qui ad subventionem eiusdem negocii de bonis eisdem congrue ministrarent, prout singulis esset divinitus inspiratum, necnon consiliarios testatorum, qui testatores eosdem ad subveniendum in ipso negocio cum efficacia hortarentur, ac illos eciam, qui pro huiusmodi facto negocio laborarent et hactenus laborarunt, vel ad promotionem huiusmodi consilium et auxilium impendissent, seu impenderent oportunum, iuxta qualitatem subsidii et devotionis effectum ac mensuram laboris participes voluimus indulgencie memorate, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Cumque verisimiliter extimemus, quod nonnulli de diversis partibus extra regna et terras prefata zelo catholice fidei accensi pergent cum Rege iamdicto in negocio prelibato, nos dignum extimantes, quod eciam tales indulgenciam huiusmodi consequantur, si ut prefertur, fuerint corde contriti et ore confessi, omnes predictas indulgencias et gratias per nos concessas incolis seu fidelibus dictorum Regnorum et terrarum in forma predicta auctoritate apostolica tenore presentium elargimur. Volumus, quod haec littere extra Regna et terras dicti Regni nullatenus publicentur: et si secus actum fuerit, eas decernimus non valere. Nulli ergo etc. Datum Avinione x. Kal. Aprilis. Anno Tertio. Per dilectos filios Vratislaum Catonis Prepositum ecclesie Transilvanensis decretorum doctorem, et nobilem virum Nicolaum Comitem de Wrig.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 33.

CCLXXI.

Archiepo Strigoniensi eiusque suffraganeis, ut in regnis et terris regis Hungariae verbum crucis praedicent contra Turcas.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Strigoniensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Ad defendendum fidem catholicam, qua salvatur populus christianus, et ad exterminandum infidelium Turchorum et Tartarorum, sevis conatibus impugnantium et prosequentium eiusdem fidei professores, execrabilem et presumptuosam audaciam, recognoscentes nos ex debito pastoralis officii debitores, et eciam ad id ardentem habentes affectum, libenter illa concedimus atque disponimus, per que catholici Principes aliique fideles ad defensionem et exterminium huiusmodi ferventius animentur, ut dextera domini cum eis faciente virtutem eorundem fidelium roborentur brachia, et ethnicorum cornua conterantur. Sane dudum multorum fidedignorum litteris atque relatibus amare dedicimus, et nuper Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris per dilectos filios Wratislaum Catonis Prepositum Ecclesie Transilvanensis, decretorum doctorem, et nobilem virum Nicolaum Comitem de Wrig, ambaxiatores suos, nobis significare curavit, quod infideles, impii Turchi vocati, crudelissimi hostes nominis christiani et illius persecutores assidui, plus ceteris infidelibus catholicam fidem et ipsius cultores persequi et delere, quod absit, animosis conatibus molientes, a non longis temporibus, presertim a viginti mensibus citra, amplas terras Imperiorum Romanie et Bulgarie et Regnum Rascie, aliasque partes profitentium nomen Christi, quamvis scismaticorum, continuatis hostilitatibus invaserunt, occuparunt et immaniter destruxerunt, et contra Incolas terrarum et partium earundem magnas victorias habuerunt, eisdem incolis aut crudeliter trucidatis, aut in miserabilem captivitatem abductis, aut alias retentis sub iugo infelicissime servitutis, nonnullis eorum abnegantibus prohdolor nomen Christi: quodque ex hiis iidem Turchi in tantam ascenderunt superbiam, quod predictum Regnum Rascie et alias partes christianorum presumpserunt amplius invadere ac presumunt, et ad sue elationis fomentum et robur, ut probabiliter presumitur, sese cum Tartaris vicinis Regno Ungarie ad invadendum ipsum Regnum utique gloriosum, in quo fides catholica precipua noscitur devotione vigere, impietatis funiculis colligarunt, propter que Rex ipse christianissimus princeps et infidelium persecutor magnificus, ut nobis per eosdem Ambaxiatores notificavit, intendit, deo previo, cuius fidei causa geritur in hac parte, in persona propria et cum sua potenti milicia, et eciam alia de diversis partibus fidelium procuranda infra annum, ab instante mense Maii computandum, contra eosdem Turchos et eciam Tartaros, si forte ipsi Tartari contra dictum Regnum Ungarie venire temptaverint, in Christi nomine proficisci, et ipsos persequi iuxta posse. Quare idem Rex nobis humiliter supplicavit, quatenus ut incole dicti Ungarie et Polonie et Dalmacie Regnorum suorum et aliarum suarum terrarum, et alii, qui cum ipso ibunt eo letiores et prompciores ad dictorum infidelium exterminium proficiscantur, quo maiora premia spiritualia videlicet exinde se speraverint adipisci, in dictis suis regnis et terris, et aliis partibus, de quibus nobis videretur expediens, verbum crucis predicari, et venerabile signum eius

quibusvis fidelibus quarumcunque parcium illud suscipere devote volentibus concedi, ipsorumque humeris imponi de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem Regis huiusmodi sanctum propositum dignis laudibus commendantes, et in eo ipsum et alios similiter proponentes intendentes favoribus et graciis apostolicis confovere, fraternitati vestre de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta committimus et mandamus, vos nichilominus obsecrantes per aspersionem preciosi sanguinis domini nostri Iesu Christi, quatenus proinde considerantes, quod cum ipse dominus fidelium suorum regimini vos velut in sollicitudinis partem assumptos prefecerit ad promotionem huiusmodi sancti negocii, plus ceteris tenemini ex officio pastorali tamquam precones et fortes athlete fidei, singuli videlicet vestrum in singulis vestris Civitatibus et diocesibus existentibus, iuxta ipsa Regna et terras, contra predictos infideles blasphemos christiani nominis per vos et alias personas ecclesiasticas seculares et regulares ordinum quorumcunque, quas ad hoc ydoneas fore noveritis, cunctis Christifidelibus iuxta datam vobis et eis a deo prudentiam proponatis publice verbum crucis, et venerabile signum eius quibusvis dictorum Regnorum et terrarum Regis eiusdem dominio subditarum, et illud suscipere devote et cum prefato Rege ire volentibus in negotio prelibato, quos ad hoc utiles fore credideritis, concedatis ipsorumque humeris imponatis, et fideles eosdem, quos ad audiendum propositionem ipsam, quociens expedierit, ad loca ydonea convocare possitis, solicitis exhortationibus et oportunis instanciis inducentes eosdem, ut suscipientes cum reverentia dictum signum, ipsumque suis cordibus imprimentes contra hostium predictorum perfidiam, et ad ipsorum exterminium assurgant viriliter, ac negocium ipsum ferventer assumant et fervencius prosequantur.

Porro quia dignus est operarius mercede sua, singulis vestrum et eorum, quos ad predicationem crucis, ut dictum est, duxeritis assumendos, in hoc divino fideliter laborantibus opere preter mercedem eternam, quam merito sperare potestis, quocienscunque populis specialiter ad hoc convocatis proposueritis verbum crucis, unius anni et quadraginta dierum, nec non fidelibus ipsis, qui ad verbum huiusmodi audiendum devote convenerint, centum dierum, vere tamen penitentibus et confessis, indulgentiam elargimur, et ut cuncti fideles tanto libencius et efficacius premissa prosequi studeant, quanto ex suis laboribus potiorem graciam se noverint percepturos, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ac illa, quam nobis deus, licet immeritis, ligandi atque solvendi contulit, potestatem omnibus Christifidelibus predictorum Regnorum et terrarum ipsius Regis, qui, dicto Rege huiusmodi bellum seu negotium personaliter prosequente, cum ipso Rege personaliter perrexerint, et laborem huiusmodi per sex menses continuos vel interpolatos in personis propriis subierint et expensis, vel infra ipsos sex menses, durante prosecutione huiusmodi, obierint, plenam suorum peccaminum, de quibus fuerint veraciter corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem, qui licet in alienis expensis in propriis tamen personis cum dicto Rege, ut prefertur, accesserint, et illis similiter, qui iuxta facultatem et qualitatem suam bellatores ydoneos in expensis propriis pro eodem tempore destinabunt, quamvis personaliter ipsi non vadant, plenam concedimus suorum veniam peccatorum: penitencias vero omissas, seu recte non factas per aliquos ex predictis, nisi peregrinationem aliam, aut aliquod pium opus vel restitutionem, seu aliam realem prestationem aut erogationem concernerent, eisdem misericorditer remittentes, omnibusque ipsis concedimus, quod per confessionem generalem peccatorum, de quibus memoriam non habuerint, que tamen, si de illis in speciali recolerent, confiterentur, libenter indulgentiam obtineant taliter confitentes, ita tamen, quod si postmodum ad eorum memoriam huiusmodi peccata redierint, illa teneantur specialiter confiteri. Eos preterea, qui licet non iuxta qualitatem et facultatem suam, aliquem tamen seu aliquos bellatores ydoneos, ut premittitur, in subsidium dicti negocii propriis sumptibus destinaverint, vel de suis temporalibus bonis contribuerint ad aliquos destinandos, et illos, qui ad subventionem eiusdem negotii, de bonis eisdem congrue ministrabunt, prout singulis fuerint divinitus inspiratum, nec non consiliarios testatorum, qui testatores eosdem ad subveniendum in ipso negotio cum efficacia hortabuntur, ac illos etiam, qui pro huiusmodi sancto negotio laborabunt et hactenus laborarunt, et alias ad promotionem huiusmodi negocii consilium et auxilium impenderunt seu impenderint oportunum, iuxta qualitatem subsidii et devotionis affectum ac mensuram laboris participes esse volumus indulgentie memorate. Rursus illos, qui crucem assumpserint vel assument, aut votum peragendi in dicto negotio emiserint vel emittent, si morerentur antequam iter accipiant, dum tamen pro subsidio dicti negotii tantum dimiserint, quantum expensuri fuissent secun-

dum sui status decentiam, eundo, morando et redeundo, per sex menses, si personaliter accessissent, et quantitatem huiusmodi in vita eorum iuxta suas declaraverint conscientias, quas super hoc oneramus, nec non et eos, qui post assumpsionem seu votum huiusmodi viventes declaraverint, plenam indulgentiam se velle, dando in dicti negotii subsidium, si eos contingerit premori, quantum esset per sex menses eundo personaliter, ut de aliis premittitur, expensuri, etiam si quantitatem eandem viventes non declaraverint, quo casu quantitas ipsa taliter decedentium per ordinarios debeat declarari, plene prosequi volumus indulgentiam memoratam, retenta nichilominus sedi eidem potestate, quod facultatem declarandi quantitatem predictam possit aliis committere vel transferre in alios, si hoc viderit expedire Verum quia dignum est, ut celestis Imperatoris obsequiis inherentes prerogativis papalibus et libertatibus sint muniti, universis et singulis dictorum Regnorum et terrarum ipsius Regis, qui in dicti negotii prosecutione ibunt, ipso Rege, ut prefertur, illud personaliter prosequente, auctoritate apostolica concedimus, quod ipsi a tempore arrepti itineris usque ad eorum reditum vel obitum a collectis extraordinariis, nullo iure scripto vel non scripto debitis, sint immunes, quorum eciam personas et bona post crucem assumptam extunc sub beati Petri et nostra protectione suscepimus, statuentes, ut sub Archiepiscoporum et Episcoporum et aliorum prelatorum Ecclesie sancte dei defensione consistant, propriis ad hoc protectoribus nichilominus specialiter, si necesse fuerit, deputandis, quodque donec ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integri ab omni violentia et iniuria permaneant et quieti. Et si quis contra premissa presumpserit, censura ecclesiastica compescatur.

Quia vero ad hoc negocium excercendum est permaxime necessarium, ut principes et populi christiani ad invicem astringantur vinculo caritatis et pacis, iniungimus ecclesiarum prelatis, ut discordantes ad veram pacem reducere studeant, aut ad firmam seu longam treugam inviolabiliter observandam, et qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationis in personas et interdicti sententias in terras eorum artissime compellantur, nisi forte tanta fuerit inimicorum malitia, quod ipsi non debeant tali pace gaudere, quodsi forsan censuram ecclesiasticam vilipendent, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem ecclesiasticam contra eos tamquam turbatores negocii crucifixi secularis potencia inducatur. Ut autem huiusmodi secundum negocium felicius prospereretur, volumus, ut in singulis cathedralibus, collegiatis ac parrochialibus Ecclesiis singuli trunci concavi ponantur tribus clavibus consignati, prima videlicet penes Episcopum loci, secunda penes Ecclesie prelatum seu Rectorem aut sacerdotem, et tertia penes aliquem vite probate laicum conservandis, ut in eis fideles ipsi, iuxta quod dominus mentibus eorum inspiraverit, suas elemosinas deponere in suorum remissionem peccaminum moneantur; ita tamen quod de pecuniis in truncis ipsis existentibus idem Rex per se vel alium, nisi per manus illorum, qui auctoritate apostolica ad hoc deputati sunt seu deputabuntur, nichil recipiet, et postquam recepit, nichil expendet nisi in negotio prelibato. Porro desiderantes interesse, quod huiusmodi negocium optatum sortiatur effectum, ac eiusdem Regis et aliorum christifidelium pia devotio adiuta suffragiis circa prosecutionem dicti negocii efficacius roboretur, auctoritate presentium ordinamus, ut in singulis supradictis et aliis eciam regularibus Ecclesiis dictorum Regnorum et terrarum eiusdem Regis qualibet Ebdomada semel certa die pronuncianda populo una missa pro salute dicti Regis et sui populi prefata prosecutione durante solenniter celebretur; ita quod in prima de Trinitate, in secunda de cruce et in tertia Ebdomadis de beata Maria Virgine, et sic deinceps misse huiusmodi debeant celebrari, nisi forsan id festivitatis alicuius solempnitas impediret. Cunctis vero fidelibus vere penitentibus et confessis, qui durante prosecutione dicti negocii pro ipsius consumatione felici devote ad dominum preces effuderint, decem dies, videlicet singulis diebus, quibus oraverint, de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Ceterum volumus, memoratumque Regem hortamur, quod ipsos Turchos usque ad strictum maris, quod est inter Constantinopolim et insulas Agiopelagi, et quod a nonnullis brachium sancti Georgii appellatur, posse suo fideliter prosequatur: vobis autem et ceteris aliis inhibemus, ne crux ipsa predicetur nisi in dictis Regnis et terris dominio prefati Regis subiectis, et personis eorum Regnorum et terrarum dumtaxat humeris imponatur. Presentibus post Triennium ab inceptione prosecutionis huiusmodi negocii computandum minime valituris. Insuper volumus, quod per te, frater Archiepiscope, harum tenor sub munimine tui sigilli singulis vobis fratres suffraganei transmittantur, cui per vos adhiberi volumus plenam fidem. Dat. ut supra.

In e. m. Archiep̄is Collocensi, Gnesnensi, Iadrensi, Spalatensi et Ragusino.

Ex Reg. orig. An. III. secr. fol. 30.

CCLXXII.

Archiepis Strigoniensi et Colocensi atque epo Quinqueecclesiensi, ut pecunias, quae ex predicatione crucis contra Turcas in truncis ponantur, conservent, et ad mandatum regis Hungariae pro dicto negotio expendant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Strigoniensi et ... Colocensi Archiepiscopis ac ... Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Hodie ad instanciam Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, volentis et offerentis, ut nobis per suos Ambaxiatores notificare curavit, cum sua potentia personaliter ire, et procedere contra Turchos et Tartaros inimicos fidei christiane, in Ungarie, Polonie et Dalmacie Regnis et aliis terris suis verbum crucis contra eosdem Turchos et Tartaros mandavimus predicari, ac incolarum dictorum Regnorum et terrarum humeris imponi venerabile signum crucis eiusdem, et hiis, qui ibunt cum ipso Rege contra Turchos et Tartaros memoratos, certas indulgencias et gratias duximus concedendas: et ut huiusmodi sanctum negotium felicius prosperetur, volumus, ut in singulis cathedralibus, collegiatis et parrochialibus ecclesiis dictorum Regnorum et terrarum singuli trunci concavi ponantur, tribus clavibus consignati, prima videlicet penes Episcopum loci, secunda penes ecclesie praelatum seu Rectorem aut sacerdotem, et tertia penes aliquem vite probate laycum conservandis, ut in eis fideles christiani, iuxta quod dominus mentibus eorum inspiraverit, suas elemosinas deponere in suorum remissionem peccaminum moneantur, prout in nostris aliis litteris inde confectis, plenius continetur. De vestre igitur fraternitatis fidelitate et circumspectione confisi, vobis committimus et mandamus, quatenus vos vel duo vestrum per vos vel alios pecunias, que offerentur seu ponentur in dictis truncis pro negotio memorato, petatis et recipiatis ab hiis, qui claves tenuerint prelibatas, ac fideliter conservetis seu conservari faciatis, donec idem Rex arripuerit iter cum sua Regali potentia pergendi contra Turchos et Tartaros antedictos, nisi forte pro aliquibus preparationibus alique expense forent de dictis pecuniis faciende, et tunc illi seu illis, quos idem Rex ad hoc deputavit, faciatis huiusmodi pecunias assignari et de assignatione huiusmodi confici publica Instrumenta. Ceterum cum huiusmodi pecunie offerende pia largitione fidelium pro negocio Iesu Christi sueque catholice fidei in alios usus converti non debeant, universis et singulis tam clericis quam laicis, cuiuscumque ecclesiastice vel secularis preminencie, dignitatis, status, ordinis vel conditionis existant, districtius inhibemus, ne huiusmodi pecunias sua temeritate presumant accipere sine nostro mandato seu licentia speciali, nec vos, nec alii, qui per vos aut dictum Regem ad conservandum et expendendum dictas pecunias fuerint deputati, in alios usus, quam dicti negotii, convertere seu expendere presumatis aut presumant: alioquin in omnes contrafacientes excommunicationis sentenciam promulgamus, a qua non possint absolvi, nisi plene satis fecerint, de sic indebite receptis et tantumdem dederint de suo pro negotio prelibato. Insuper volumus et mandamus, quod in omnibus Ecclesiis, in quibus predicabitur huiusmodi verbum crucis, faciatis has litteras publicari, et quod de hiis, que de singulis truncis per vos vel alium receperitis de premissis, confici faciatis publica Instrumenta: nos enim vobis eos, qui tenebunt dictas claves et huiusmodi pecunias vobis seu vestris nunciis assignabunt, quitandi et absolvendi de receptis, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione x. Kal. Aprilis. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. de Curia fol. 32.

CCLXXIII.

Eisdem, ut antequam litteras apostolicas de praedicatione crucis pervulgent, a rege ad istud onus infra annum assumendum et prosequendum personaliter recipiant iuramentum.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Strigoniensi et Colocensi Archiepiscopis ac ... Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Ad instantiam et in favorem Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris predicationem crucis in Regnis Ungarie, Polonie et Dalmacie et aliis terris suis contra Turchos, adversus quos, ut dilecti filii Vratislaus Catonis prepositus Ecclesie Transilvanensis, decretorum Doctor, et nobilis vir Nicolaus Comes de Wrig, Ambaxiatores sui super hoc ad nostram presenciam destinati, nobis pro parte ipsius Regis asseruerunt, idem Rex personaliter cum Regali potencia intendit procedere, hodie duximus concedendam, prout in nostris litteris inde confectis et inclusis presentibus plenius continetur. Volumus igitur et vestre fraternitati sub pena excommunicationis, quam si secus feceritis vos incurrere volumus ipso facto, precipiendo mandamus, quate-

nus vos vel duo aut unus vestrum, antequam dictas litteras publicetis, seu publicari faciatis, vel aliquorum humeris venerabile signum crucis imponatis, aut imponi faciatis, vel litteras ipsas detis eidem Regi vel alteri cuicumque, ab ipso Rege, prout modus est in talibus, recipiatis Iuramentum, quod ipse Rex assumet negotium dicte crucis, et illud bona fide infra unum annum a proxime futuro mense Maii inchoandum personaliter prosequetur, et continuare curabit, ac ipsos Turchos usque ad strictum maris, quod est inter Constantinopolim et Insulas Agiopelagi, et quod a nonnullis brachium sancti Georgii appellatur, posse suo fideliter persequetur, quodque de pecunia, que vigore predictarum litterarum dabitur a christifidelibus, nihil recipiet, nec recipi faciet, nisi per manus vestras, vel duorum vestrum, quos per alias nostras litteras ad hoc duximus deputandos, vel alterius seu aliorum a vobis seu duobus vestrum ad id constitutorum, nec expendere in alios usus, nisi in negocio prelibato. Ceterum volumus, quod de prestatione iuramenti huiusmodi confici faciatis publicum Instrumentum, vel litteras Regias, quod vel quas nobis, quam cito commode poteritis, transmittatis. Datum Avinione x. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. de Curia fol. 33.

CCLXXIV.

Archiepiscopo Strigoniensi, ut quosdam christianos suae dioecesis portantes seu vendentes ferrum et alia prohibita Turcis denuntiet excommunicatos.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Fidedigno relatu dolenter accepimus, quod nonnulli de tua diocesi Strigoniensi deum non habentes pre oculis, et eorum saluti cupiditatem temere preferentes, ac favendo hostibus catholice fidei, fideles et ipsam fidem detestabiliter impugnantes, arma, ferrum et alia, quibus crudeles et infideles Sarraceni appellati Turchi Christianos impugnant, ipsis Turchis seu Wlachis scismaticis, aut aliis ea portantibus eisdem Turchis vendere, seu deferre et destinare presumunt in animarum suarum et eorumdem fidelium gravissimum detrimentum. Cum itaque talia committentes singulis annis in cena domini per nos et predecessores nostros Romanos Pontifices sint publice in palatio apostolico, presente multitudine copiosa fidelium, excommunicationis et anathematis vinculo innodati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios de nominibus eorum, qui talia commiserunt, aut forsan committent imposterum, te informans, eos, de quorum nominibus tibi constiterit nominatim, alios vero in genere excommunicatos et anathematizatos fore studeas nunciare, ac nominatos huiusmodi mandes et facias a Christi fidelibus arcius evitari, contra eos et participantes cum ipsis huiusmodi sentencias aggravando, prout videris expedire. Datum Avinione Idibus Maii. Anno Tertio.

In e. m. Ven. fratri ... Epō Transilvano.

Ex Reg. orig. An. III. secr. de Curia fol. 51.

CCLXXV.

Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Annae Varadiensem visitantibus et adiuvantibus conceduntur indulgentiae.

Gregorius epicopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur, de habundancia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi maiora retribuat, quam valeant promereri, nichilominus tamen desiderantes domino reddere populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes itaque, ut ecclesia monasterii sancte Anne Waradiensis, in qua moniales sub perpetua clausura manentes, deserviunt deo laudabiliter in divinis, que reparatione indiget, congruis honoribus frequentetur, ac etiam reparetur, et ut Christi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad reparationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hiis ibidem dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Domini nostri Iesu Christi ac Pentecostes, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumpcionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli, et sancte Anne, ac ipsius ecclesie dedicationis festivitatibus, et in cele-

18*

britate omnium Sanctorum, necnon per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini, ac Nativitatis, Assumptionis beate Marie, Nativitatis beati Iohannis, et Petri et Pauli Apostolorum predictorum festivitatum Octavas, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, et ad reparacionem predictam manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis ac octavarum ipsarum et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et manus porrexerint, ut prefertur, Centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. Volumus autem, quod si aliis visitantibus dictam ecclesiam seu ad fabricam ipsius ecclesie manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum lapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Avinione XVI. Kal. Iunii. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. com. fol. 47.

CCLXXVI.

Vicario caeterisque fratribus ord. Minor. Bosniae datur facultas constituendi seu fundandi sex loca sui ordinis in illis partibus.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Vicario ceterisque fratribus ordinis Minorum Vicarie Bosne, salutem etc. Inter ceteros ordines in agro militantis ecclesie complantatos ad vestrum ordinem gerentes sincere caritatis affectum, illa vobis libenter concedimus, per que dictus ordo pro divini laude nominis et lucris animarum, quibus insistitis, prosperis successibus affluat, et continuis proficiat incrementis. Sane petitio pro parte vestra nuper nobis exhibita continebat, quod licet in partibus Bosne et Wlachie et circa metas Ungarie, in quibus moramini, predicantes infidelibus verbum dei, scismaticos eciam ad viam reducendo catholice veritatis, in Civitatibus atque villis, in quibus fideles morantur, singuli sint plebani et Rectores ecclesiarum per ordinarios deputati, qui eisdem fidelibus presunt eosque doctrina imbuunt salutari, tamen circa Wlachos scismaticos, quorum nonnulli in pascuis et tentoriis habitant, animalia, quibus habundant, pascendo, curam predicationis seu conversionis non adhibent, quam vos, ut asseritis, adhibetis eisdem, et magis adhibere cum dei gratia intenditis in futurum, fructum animarum non modicum faciendo; quodque, sicut eadem petitio subiungebat, propter premissa novorum locorum pro vobis receptio et constructio in illis partibus, etiam in terris et locis, in quibus fideles habitant, quamplurimum expediret, quare nobis humiliter supplicastis, ut considerata salute animarum, que ex hoc provenire speratur, vobis in terris, castris seu villis in metis Ungarie circa Sebest et maiorem Wlachiam, ac circa metas Bosne in Absan et in Carbania, quarumcunque diocesum catholicorum vel scismaticorum existant, loca nova recipiendi, ac in eis oratoria cum cimiteriis et aliis pro vestro ordine necessariis officinis construendi, licenciam tribuere dignaremur. Nos igitur, qui salutem desideramus animarum, et ut labor predicationis vestre melius fructificet, vestris supplicationibus inclinati, nobis in partibus seu metis predictis sex loca recipiendi, ac in eis construendi seu construi faciendi, in locis tamen congruis et honestis, in singulis vel eorum singulo oratoria cum campanili, campana, cimeterio et aliis necessariis officinis, fel. recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, per quam inhibetur, ne fratres ordinis mendicantium in aliqua Civitate, Castro vel villa, seu quocunque alio loco ad inhabitandum domos vel loca quecunque de novo recipere, vel iam recepta mutare presumant absque sedis apostolice licencia speciali, faciente plenam et expressam de inhibicione huiusmodi mencionem, et alia qualibet constitucione apostolica contrariis non obstantibus, iuribus tamen parochialium ecclesiarum et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvis, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium licenciam elargimur, ac insuper fratribus vestris, qui in huiusmodi locis, ut premittitur, construendis pro tempore morabuntur, concedimus, quod gaudere valeant omnibus et singulis graciis, privilegiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus, quibus in aliis locis eiusdem ordinis fratres ipsius ordinis soliti sunt gaudere. Nulli ergo etc. Datum Avinione Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. de Curia fol. 60.

CCLXXVII.

Vicario ord. Minorum in partibus Russiae sacramenta fidelibus et neophytis illarum partium ministrandi facultas datur.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio ... Vicario dilecti filii ... Ministri generalis ordinis fratrum Minorum in partibus Russie deputato, salutem etc. Animarum periculis et quorumlibet fide-

lium, presertim Neophytorum, scandalis ac litigiosis concertacionibus oportunis obviare remediis cupientes, tibi et aliis fratribus ordinis Minorum, cuius professor existis, quos ad hoc duxeris deputandos, in terra Lamburge et aliis partibus Russie ministrandi eisdem fidelibus seu Neophytis ecclesiastica sacramenta, ac omnibus aliis privilegiis vobis ab apostolica sede concessis usque ad beneplacitum dicte sedis utendi, non obstante contradictione Venerabilis fratris nostri Episcopi Lubuzanensis seu Lubucensis, qui in eisdem partibus ordinariam iurisdictionem habere se asserit, et alterius cuiuscumque, auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xii. Kal. Augusti. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. de Curia fol. 62.

CCLXXVIII.

Universis neophytis in terra Lembergae et aliis Russiae partibus de ipsorum conversione ad fidem catholicam congratulatur.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Universis et singulis Neophytis quarumcunque nacionum in terra Lamburge et aliis Russie partibus constitutis, salutem etc. Letamur in Domino, filii, et nostrorum cordis holocaustum et labiorum vitulum immolamus, quod de infidelitatis tenebris et heresi ac scismaticis erroribus vos misericorditer eduxit ac produxit ad lumen catholice veritatis. Eapropter vestrarum animarum obviare periculis, ac vestris consolationi et saluti providere salubriter cupientes, vestris precibus inclinati, dilecto filio . . . Vicario dilecti filii ministri generalis ordinis fratrum Minorum in partibus Russie deputato vobis ministrandi ecclesiastica Sacramenta, ac omnibus aliis privilegiis eis ab apostolica sede concessis usque ad beneplacitum dicte sedis utendi, non obstante contradictione Venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Lubuzanensis seu Lubucensis, qui in eisdem partibus ordinariam iurisdictionem habere se asserit, et alterius cuiuscunque, auctoritate apostolica hodie concessimus facultatem. Quare fidelitatem vestram hortamur in Domino, quatenus conversionis vestre ad fidem catholicam eximiam gratiam vobis datam a Deo in humilitatis spiritu et virtute constancie recognoscentes, perseverantes sitis in fide prefata, nec ab ea propter temptaciones et scandala recedatis; sed cum invocacione divine gracie per vestre perseverancie, et aliorum vestrorum bonorum operum exempla alios de nacionibus vestris in huiusmodi tenebris, et erroribus persistentes ad dictam fidem adducere satagatis, ut post huiusmodi vite exitum non solum vestras, sed eorum animas mereamini altissimo presentare. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xii. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. de Curia fol. 63.

CCLXXIX.

Gaufrido Corisopitensi epo et aliis conceditur, ut declarationem cunctorum dubiorum inter praedicantes verbum crucis in partibus infidelium factam extendant ad partes Corsicae et Russiae.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Gaufrido Corisopitensi et Francisco Cavallicensi ac Galthero Glasguensi Episcopis, ac dilectis filiis Guillermo Romani sacri palacii apostolici et Iohanni Elenkoc penitenciario nostro ac Isirardo Regenti in conventu fratrum predicatorum Avinionis, dictorum fratrum predicatorum ac heremitarum sancti Augustini ordinum professoribus, in sacra theologia Magistris, salutem etc. Dudum nos ad procurandum salutem animarum non solum fidelium Christi, sed et deviancium et alienorum a fide catholica fideli studio intendentes, et quantum nobis ex alto datur, intendimus, de declarationibus dubiorum, que predicantibus verbum Dei, presertim inter infideles et hereticos ac scismaticos in remotis partibus constitutos sepe oriri contingunt, et tunc orta erant, apostolica solicitudine providentes, ut predicatores ipsi de predicandis et exercendis per eos certiores effecti, ministerium predicationis iniunctum exequi liberius promptiusque valerent, ad supplicationem dictorum filiorum Bartholomei de Alverna Vicarii dilecti filii ministri generalis ordinis fratrum Minorum ac fratrum eiusdem ordinis in partibus Bosne constitutorum, qui tamquam apes argumentose circa predicationem verbi Dei ac conversionem hereticorum et scismaticorum, quorum in eisdem partibus habitat non parva multitudo, iugiter insistentes, suos nuncios ad sedem apostolicam destinarunt, per quos nobis exponi fecerant nonnulla dubia tunc eis occurrencia, que per nos declarari petebant: de sciencia et prudencia vestris, cum sitis in lege Domini eruditi et in sacra theologia magistri, ac zelo animarum plene confisi, discrecioni vestre duximus auctoritate apostolica committendum, ac mandavimus, quod

adiunctis vobis aliquibus aliis in sacra pagina Magistris et decretorum doctoribus in Romana Curia commorantibus, de quibus vobis videretur, ac visis et diligenter examinatis huiusmodi dubiis, que vobis tradi fecimus, dubia ipsa auctoritate nostra, Deo et salute animarum pre oculis habitis, secundum sacros scripturam et canones declararetis, mandantes auctoritate predicta declaraciones vestras huiusmodi per eosdem Vicarium et fratres ac alios firmiter teneri et etiam observari. Cum autem, sicut audivimus, vos nostris mandatis huiusmodi reverenter parentes, dubia declaraveritis prelibata, prout in Instrumento publico super hoc confecto vestris sigillis munito dicitur contineri, et in Corsice ac Russie, necnon Ultramarinis partibus, in quibus huiusmodi predicatores consistunt, similia dubia sint exorta, vobis et aliquibus, saltem duobus vestrum declaraciones huiusmodi ad predictas Corsice, Russie et Ultramarinas partes extendendi cum insercione Instrumenti predicti plenam concedimus tenore presencium facultatem. Datum Avinione Nonis Novembris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. de Curia fol. 80.

CCLXXX.

Archiepis Strigoniensi et Colocensi et epo Quinqueecclesiensi, ut decimam pro necessitatibus ecclesiae Romanae impositam solvant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Strigoniensi et . . . Colocensi Archiepiscopis ac . . . Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Fraternitatem vestram hortamur attencius, vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus decimam per nos seu auctoritate nostra in Regno Ungarie pro necessitatibus nobis et Romane ecclesie imminentibus vobis et aliis personis ecclesiasticis dicti Regni impositam, in florenis boni auri et legitimi ponderis, ac in eisdem quantitate et valore, quibus ibidem decima alias persolvi consuevit, Venerabilibus fratribus nostris . . . Vaciensi et . . . Brixinensi Episcopis, necnon dilectis filiis Nicolao Preposito et Iohanni Lectori ecclesie Bosnensis ac Collectori fructuum ac proventuum camere apostolice in partibus illis debitorum, aut alicui ex eis integre persolvatis, nec aliquibus curiosis viis, fratres Archiepiscopi, Suffraganeis, qui, prout fertur, magis quam expediat se subtilisantes, huiusmodi decimam non secundum quod hactenus est solvi consuetum, sed secundum commune servicium per ipsos camere apostolice debitum solvere proponunt, in aliquo credatis; sed ipsos suosque subditos ad solucionem integre decime, prout hactenus est solvi consuetum, inducatis, et si necesse fuerit, compellatis, et pro vobis eciam persolvatis, in hoc taliter vos habendo, quod devocionis vestre promptitudinem non immerito commendare possimus. Nos enim eisdem Episcopis, preposito, lectori et collectori, ac eorum cuilibet recipiendi dictas decimas, et vos de receptis quitandi plenam et liberam per alias nostras litteras concedimus facultatem. Datum Avinione vii. Kal. Decembris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. de Curia fol. 167.

CCLXXXI.

Epo Quinqueecclesiensi indulgetur, ut sibi coadiutorem eligere possit.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Wilhelmo Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut petitionibus tuis, illis presertim, per quas tuo et ecclesie tue statui valeat provideri salubriter, favoribus annuamus. Tuis itaque in hac parte supplicacionibus inclinati, tibi, qui, ut asseris, multum senex et valitudinarius existis, et propter hoc ad regendum et gubernandum condecenter ecclesiam tuam et bona mense tue episcopalis Quinqueecclesiensis sufficere nequis, et expedit, ut aliquam personam ad regimen et gubernationem ecclesie ac bonorum predictorum utilem et ydoneam, super quo tuam conscienciam oneramus, in tuum coadiutorem eligere et assumere licite valeas, ac eidem persone per te eligende et assumende, postquam ad id per te electa et assumpta fuerit, ut ecclesiam ac bona predicta una tecum prudenter ac fideliter regere et gubernare iuxta canonica instituta libere ac licite possit, auctoritate apostolica de speciali gracia tenore presentium licenciam elargimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerio contraire. Si quis autem hoc attemptaverit, se noverit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius incursurum. Datum Avinione ii. Kal. Decembris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. com. fol. 155.

CCLXXXII.

Guilielmo epo Senensi nuntio apostolico, ut cum rege Hungariae et aliis foedus inire possit.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Guillermo Episcopo Senensi, apostolice sedis Nuntio, salutem etc. Quoniam funiculus triplex difficilius rumpitur, et per strictiorem unionem fidelium malignantium ausus reprimuntur ac status rei publice solidatur, nos intendentes ad statum Romane ecclesie sponse nostre, et alias publicum, presertim partium Italie, conservandum, et favente Deo prospere promovendum, de tuaque fraternitate in hiis gerentes in Domino fiduciam pleniorem, tibi nomine nostro et dicte ecclesie ac successorum nostrorum Romanorum pontificum cum Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Ungarie Illustri, et cum aliis quibuscunque tam nobilibus et dominis ac officialibus, quam communibus et universitatibus quorumcumque Civitatum, Castrorum, Terrarum et locorum, seu cum procuratoribus et sindicis eorumdem ad hoc ab eis mandatum habentibus speciale, tractandi, ineundi, faciendi, ordinandi et firmandi confederationem, colligationem seu ligam usque ad tempus, de quo videris expedire, cum illis conventionibus, modis, formis et articulis, de quibus tibi videbitur, duraturas, ac offerendi et promittendi nomine nostro et dicte ecclesie supradicte certas gentes armigeras equestres et pedestres, vel pecunias, de quibus tibi videbitur, pro defensione provintiarum, Civitatum, Terrarum, Castrorum, Villarum et locorum, ac iurium, iurisdictionum et bonorum dicte Romane ecclesie eiusque subditorum et fidelium, nec non omnium et singulorum colligandorum et recipiendorum in huiusmodi confederatione, colligatione seu liga, et contra Bernabonem et Galeaz de Vicecomitibus de Mediolano fratres, hostes et persecutores dicte Romane ecclesie suorumque subiectorum et fidelium, devotorum ac colligatorum, et contra eorumdem fratrum colligatos, fautores, defensores, sequaces et adherentes, et alios quoscunque presumentes, seu qui presument imposterum dictam Romanam ecclesiam, eiusque colligatos, valitores, fautores, sequaces et adherentes et colligatos cum eis, ipsorumque colligatorum et colligandorum subditos, Civitates, Terras, Castra et loca, villas, necnon iura, iurisdictiones, et bona in Italia dumtaxat consistentes et consistentia invadere, occupare, turbare, impedire, molestare et gravare, et pro eorumdem invadentium, occupantium, turbantium, impedientium, molestantium seu gravantium, seu invadere, occupare, turbare, impedire, molestare et gravare volentium, et cuiuslibet eorum repressione, impugnatione, molestatione, invasione, et subiugatione, secundum quod eisdem colligandis videbitur expedire, et quascumque promissiones, obligationes, stipulationes, firmitates et renuntiationes cum adiectione pene, de quibus tibi videbitur, faciendi et recipiendi, ac pro hiis obligandi dictam Romanam ecclesiam eiusque provintias, Civitates, castra, terras, villas et loca, ubicunque in dicta Italia consistant, et alia faciendi, que in premissis et eorum quolibet ac circa ea circumspectioni tue videbuntur oportuna et utilia, plenam, omnimodam, generalem et liberam, ac specialem tenore presentium auctoritate apostolica concedimus potestatem, ratum et gratum habituri quidquid per te in premissis et eorum quolibet ac circa ea tractatum, ordinatum, firmatum, oblatum et promissum et alias factum fuerit sive gestum. Datum Avinione vii. Id. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. de Curia fol. 1.

CCLXXXIII.

Ludovico regi Hungariae de ineundis matrimoniis inter natas suas et filios regis Franciae, et ad quaedam alia respondetur.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dilectum filium Symonem de Pata Nuncium tuum, latorem presentium, benigne recepimus, et audivimus pluries spaciose, pluresque litteras Regias et supplicationes nobis pro tua parte presentatas per eum, qui prudenter et fideliter in commissis se habuit, perlegimus et pleno suscepimus intellectu. Ad quas respondemus, quod Carissimo in Christo filio nostro Carolo Regi Francie Illustri causam tue dilationis mittendi tuos Ambaxiatores solennes ad Romanam Curiam pro tractandis matrimoniis pro filiabus tuis et natis dicti Regis eidem Regi duximus intimandam, et cum honesta sit causa huiusmodi, proinde regiam providentiam commendamus, rogantes cordialiter Deum, ut de prole masculina te tuaque regna et ecclesiam Dei dignetur misericorditer consolari ad sui laudem et gloriam, ac defensionem eiusdem ecclesie et fidei christiane. Et vere hoc audire totis nostris desideriis affectamus. Ceterum quia et gravitas apostolice sedis de ecclesiis nondum vacantibus non consuevit, sicut nec decet, spem

dare aliquibus, si de ecclesiis cathedralibus Regnorum tuorum, quas scripsisti credere de primo vacaturas, non respondemus ad presens, id moleste non ferat Regia celsitudo, sed pro certo teneas, quod in hiis, in quibus honeste poterimus, votis tuis libenter curabimus complacere. De negocio autem monasterii Scepusiensis ordinis Cisterciensis Strigoniensis diocesis, cui iam de Abbate ydoneo provideramus, et de similibus, de quibus nobis supplicatio pro parte tue magnitudinis fuit exhibita, per aliquos prelatos Regni tui, quibus super hoc scribimus, quia materia talis sic exigit, ordinavimus Regie celsitudini responderi. Datum Avinione vi. Id. Ianuarii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 1.

CCLXXXIV.

Archiepis Strigoniensi et Colocensi exemplar quarundam regis litterarum, quem super eis informent, mittitur.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus .. Strigoniensi et .. Colocensi Archiepiscopis, salutem etc. Nuper recepimus quasdam litteras et supplicationem Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, quarum tenor presentibus interclusus, super quibus per vestram prudentiam vive vocis oraculo, quia plenius dicendo omnia circa istam materiam dicto Regi narrabitis, quam posset nostris litteris exprimi, eumque allegatis iuribus et veritate, ut speramus, reddetis magis placabilem et acquiescentem iusticie, ut sequitur, providimus respondendum, videlicet quod licet credamus mentem dicti Regis esse puram, et non solum eum nolle usurpare iura ecclesiastica, que Deo dicata sunt, sed nec eciam secularium personarum, tamen perpendimus, quod aliqui aut malignantes, ut turbent eum contra Romanam ecclesiam matrem suam, aut ardentes ambitione prenimia, asserunt fallaciter ipsi Regi, ad eum spectare, quod de iure non spectat, procurant per eumdem Regem scribi nobis minus rationabilia, minusque iusta, derogantia honestati regie maiestatis, prout in ipsa copia videbitis contineri. Nostis enim, quod memoratus Rex ius presentandi abbatem monasterii sancte Marie de Scepus ordinis Cisterciensis Strigoniensis diocesis, et in similibus ius habere non potest. Ideo cum hoc nimis tangat ecclesiasticam libertatem ac nos et totum clerum Ungarie, volumus et mandamus, quod vos una cum aliquibus Episcopis aliisque prelatis ac doctoribus iuris canonici eidem Regi, quod in hac parte iura statuunt et declarant, verbis et modis decentibus exponatis, eumque proinde inducatis, quod sicut christianissimus princeps in hiis et aliis de sanctionibus sacrorum canonum stet contentus, et non dubitamus, quod ita erit, cum bene fuerit informatus. Expeditque honori suo eiusque anime saluti, ut apud se non solum Barones et milites, sed iurisperitos, Theologos et diligentes iusticiam habeat, quos consulat in negociis ecclesiasticis, et eciam temporalibus, sicut decet tantum principem, et sicut habent alii principes orbis terre, presertim cum habet agere cum Apostolica sede. Si autem iam dictus Rex de iure vel antiqua consuetudine, que non sit reprobata a iure, in aliquibus beneficiis ius habeat patronatus, de illis nos et eundem Regem vos informetis: quod in illis non denegabimus iuri suo, quin imo omnem suum honorem non solum volumus conservare, sed prout decens fuerit et poterimus, ampliare. Datum Avinione vi. Id. Ianuarii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 1.

CCLXXXV.

Bonifacio de Lupis, ut apud regem Hungariae super his, pro quibus missus est Guilielmus epus Senensis, insistat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Bonifacio de Lupis Militi Parmensi, salutem etc. Prudentiam tuam et devotionem sinceram, quam geris ad Romanam ecclesiam, sepe gratanter audimus testimoniis fidedignis, propter que de tuo servicio in oportunis casibus impendendo eidem ecclesie confidimus et speramus. Quare cum intellexerimus te apud Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem presentialiter immorari, Nobilitatem tuam rogamus attente, quatenus super hiis, pro quibus Venerabilem fratrem nostrum Guillermum Episcopum Senensem apostolice sedis nuncium ad dictum Regem transmisimus, apud ipsum Regem insistas persuasionibus, consiliis et precibus oportunis, et alias ipsi nuncio assistas, sicut videris expedire. Datum Avinione vi. Id. Ianuarii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 2.

CCLXXXVI.

Ludovico regi Hungariae, ut Simonem de Podio habeat commendatum, et in certis Romanae ecclesiae negotiis eidem commissis credat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, sal. etc. Cum dilectus filius Nobilis vir Symon de Podio Miles Perusinus, lator presentium, qui in tuis negotiis, prout sepe perpendimus, promotor fidelis existit, ad presentiam tuam accedit ad presens, eum tanquam bene meritum tue regie celsitudini commendamus, sibique imposuimus, quod ex parte nostra pietatem tuam precetur instancius, ut negocia Romane ecclesie contra hostes suos, que sunt in bona dispositione, si magnifice illa suscipias, filiali promptitudine habeas commendata. Super quibus precibus dicti militis, imo nostris digneris gratiose annuere, ut speramus, et dicto militi dare fidem. Datum Avinione xv. Kal. Februarii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 5.

CCLXXXVII.

Episcopo Senensi nuntio apostolico, ut negotia Romanae ecclesiae, pro quibus penes regem Hungariae insistit, communicet cum Simone de Podio.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Guillermo Episcopo Senensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum dilectus filius nobilis vir Symon de Podio Miles Perusinus, lator presentium, qui pro matrimoniis tractandis inter natos et natas Carissimorum filiorum nostrorum . . . Francie et . . . Ungarie Regum Illustrium in Curia nostra diucius moram traxit, ad presentiam dicti Regis Ungarie accedit ad presens, sibi imposuimus, quod negocia Romane ecclesie, que prosequeris, dicto Regi attencius recommendet. Ideoque cum de ipsius Militis fidelitate ac prudentia confidamus, sibi facta et motiva nostra confidenter communices, prout videris expedire. Datum Avinione xv. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 5.

CCLXXXVIII.

Ludovico regi Hungariae litteras testimoniales de fama Dominici archiepi Iadrensis, quibus credit, recepisse annuntiat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Regie serenitatis litteras in favorem fame Venerabilis fratris nostri Dominici Archiepiscopi Iadrensis recepimus a presentium portitore, et sicut dolemus, cum sinistra de fratribus nostris Antistitibus apostolico auditui referuntur, ita de ipsorum commendatione fidedigna, prout est Regia tua Serenitas, in domino gratulamur: noscatque magnitudo tua, quod gravitas apostolice sedis, cum detractiones deferuntur ad eam, licet sepe contineant veritatem, sepeque falsitatem, eis fidem non prebet de facili; sed cum multa maturitate procedit, et cum aut crebescunt rumores, aut iusticia, que denegari non debet, cum instantia petitur, illam cogitur ex debito pontificalis officii ministrare. Tuum itaque testimonium pro dicto Archiepiscopo, quod non nisi plene informatus non ferres, libenter audivimus, ipsaque tua excitatione caritativa moneatur, ut per ostensionem suorum bonorum operum tollat detractoribus materiam obloquendi, et in conspectu dicte sedis semper de ipso laudabilia merito valeant predicari. Datum Avinione ii. Id. Februarii. Anno Quarto.

Eodem modo Carolo de Duratio Dalmacie et Croacie Duci, mutatis mutandis.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 13.

CCLXXXIX.

Eidem regi Rugerius comes Mileti in his, pro quibus mittitur, commendatur.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum dilectus filius nobilis vir Rogerius Comes Mileti, quem suis exigentibus meritis sincere diligimus, penes celsitudinem tuam quamplura peragere habeat, que dilectus filius nobilis vir Matheus de Bosis Miles Theatinus, eiusdem Comitis nuncius, lacius tibi declarabit: eandem celsitudinem tuam nobis caram rogamus et hortamur in domino, eam attencius deprecantes, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia, et eciam tui honoris intuitu huiusmodi nuntium benigne recipiens, sic dictum Comi-

tem in huiusmodi peragendis suis, prout iusticia pacietur, habere velis favorabiliter commendatum, quod idem Comes huiusmodi nostra rogamina sibi sentiat profuisse, nosque proinde sinceritatem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Idus Martii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Eodem modo Carolo Duracio et dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarite eius consorti.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 90.

CCXC.

Elisabethae seniori reginae, ut penes regem efficacem super praedictis det operam.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth Seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. In favorem dilecti filii nobilis viri Rogerii Comitis Mileti, quem suis exigentibus meritis sincere diligimus, Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Ungarie Illustri filio tuo scribimus, ut ipsum Comitem in certis expediendis negociis, que Comes ipse penes eundem Regem filium tuum habet expedire, et que dilectus filius nobilis vir Matheus de Bosis Miles Theatinus, ipsius Comitis nuntius, lacius tibi dicet, in graciosa expedicione habere velis favorabiliter commendatum. Cum autem in premissis favor tuus sit plurimum oportunus, Serenitatem tuam nobis caram rogamus attencius, eam attencius deprecantes, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia, et eciam tui honoris intuitu apud eundem Regem filium tuum, quod nostris in hac parte precibus condescendat, opem des, prout plene confidimus, et operam efficaces. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Id. Martii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 90.

CCXCI.

Ludovico regi Hungariae, ut supplicationes Henrici de S. Severino exaudire velit.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Eximie tue devocionis sinceritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, spem ingerit indubiam cordi nostro, quod preces nostras tibi directas prosecutione laudabili adimplebis. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Henricus de Sancto Severino, quem suis exigentibus meritis sincere diligimus, super nonnullis tue excellentie Regie supplicet, prout dilectus filius nobilis vir Matheus de Bosis Miles eidem excellentie lacius declarabit: excellentiam ipsam nobis caram rogamus et hortamur in domino, eam attentius deprecantes, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia supplicationes huiusmodi in hiis, que commode fieri poterunt, ad exaudicionis gratiam admittere sinceritas tua velit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIIII. Kal. Aprilis. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 93.

CCXCII.

Archiepis Strigoniensi et Colocensi, ne decimam impositam solvere, et in suis dioecesibus solvi facere postponant.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Dudum per litteras dilecti filii Helie de Vodronio Cantoris ecclesie Xanctonensis, clerici Camere nostre, tunc in Ungarie et aliis diversis partibus apostolice sedis nuncii, nobis missas, per nos intellecto, qualiter idem Helias te ad levandum et exigendum in tuis civitate et diocesi ac provincia Strigoniensi decimale subsidium pro necessitatibus nobis et Romane ecclesie tunc multipliciter, et nunc magis imminentibus, in Regno Ungarie personis ecclesiasticis auctoritate apostolica impositum deputarat, super quo valde contenti fuimus, cum de te specialiter confidamus, et cum ignoraremus, quid actum esset in premissis, licet contra non solventes graves processus, etiam diversas excommunicationis sententias et alias penas continentes, quas recusantes solvere incurrerent, predicta auctoritate apostolica facti essent: nos fraternitatem tuam rogandam duximus et etiam exhortandam, tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus id quod de huiusmodi subsidio tenebaris persolvere, si nondum solveras, absque more dispendio solveres, ac subsidium ipsum a personis ecclesiasticis tuarum civitatis et diocesis ac provincie predictarum iuxta commissionem tibi factam celeriter exigeres, ipsas personas ecclesiasticas ad huiusmodi subsidium persolvendum inducendo, et quid in premissis factum esset, nobis quantocius rescribere non omitteres, aliud mandatum non expectando. Cum autem de premissis nichil

nobis rescripseris, de quo quamplurimum admiramur, et quid actum sit, ignoremus sicut prius, fraternitatem tuam iterum exhortamur, tibi nichilominus in virtute obedientie per apostolica scripta mandantes, quatenus id, quod de huiusmodi subsidio teneris persolvere, si nondum persolvisti, absque more dispendio persolvas, ac subsidium ipsum a personis ecclesiasticis tuarum civitatis et diocesis ac provincie predictarum, exceptis tamen Cisterciensibus, qui nobis certum subsidium contulerunt, iuxta commissionem tibi factam celeriter exigas, ipsas personas ecclesiasticas ad huiusmodi subsidium persolvendum inducendo, et quid in premissis factum sit, nobis quantocius rescribere non omittas, aliud mandatum non expectando, et in hoc taliter te habeas, quod non oporteat aliud per nos remedium adhiberi: nam contra inobedientes et rebelles per privacionem beneficiorum et alia iuris remedia taliter procedemus, quod de eorum rebellione non gaudebunt, cedetque ceteris in exemplum. Nec sufficimus ammirari de prelatis et aliis personis ecclesiasticis dicti regni, qui quamvis in proventibus ecclesiasticis multum habundant, ipsumque Regnum per dei gratiam bona pace letetur, censuras ecclesiasticas, ut videtur, non verentes, nobis et Romane ecclesie in tanta necessitate subvenire recusant, cum alii prelati et ecclesiastice persone partium diversarum etiam variis guerris oppressi, videntes necessitates huiusmodi, nobis subvenerint generose. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Eodem modo Venerabili fratri ... Archiepiscopo Colocensi.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 96.

CCXCIII.

Fratribus ord. Minor. in Bosnia, ut libros fratrum suorum morientium in subsidium fidei valeant retinere.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Leonardo ordinis fratrum minorum ministro generali, salutem etc. Cum, sicut audivimus, quedam constitutio ordinis tui contineat, quod libri fratrum dicti ordinis professorum ubicunque decedentium remitti debeant ad Conventus sive loca, in quibus primaria eorundem fratrum receptio facta fuit; et sicut audivimus, vestri fratres in Bosne, Bulgarie et Wlachie aliisque vicinis eis partibus degentes, qui pro fide catholica contra hereticos in dictis partibus existentes iugi predicatione certant et eos satagunt convertere indefesse, multum indigeant libris diversis, quorum carentia operi, quod prosecuntur, impedimentum afferret: discretionem tuam hortamur attente, mandantes, quatenus eisdem fratribus concedas, quod pro aliquo tempore, de quo tue circumspectioni videatur, possint libros fratrum morientium in dictis partibus retinere, super hoc tuas oportunas litteras concedendo, tibi enim in hoc deferentes nostra in hac parte uti volumus potestate. Datum apud Orgonum Avinionensis diocesis IV. Idus Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. com. fol. 97.

CCXCIV.

Universis fidelibus manus adiutrices porrigentibus ecclesiae parochiali de Bresna Bosnensis dioec. veniam largitur.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is etc. ut in aliis usque aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Michaelis de Bresna Bosnensis diocesis congruis honoribus frequentetur, et ut christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, ac manus ibidem porrigant adiutrices, quo uberius ibi dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini nostri Iesu Christi et Pentecostes, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis beate Marie Virginis, ac in Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum beatorum Petri et Pauli Apostolorum ac sancti Michaelis et dedicationis dicte ecclesie festivitatibus, et in celebritate omnium sanctorum et per dictarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri, ac Nativitatis et Assumptionis beate Marie, ac Nativitatis beati Iohannis Baptiste et Apostolorum predictorum festivitatum ipsarum octavas, et per sex dies dictum festum Pentecostes immediate sequentes dictam ecclesiam devote visitaverint et manus adiutrices inibi porrexerint, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium a data presentium computandum minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam predictam, seu ibi manus porrigentibus adiutrices aliqua indulgentia imperpetuum

vel ad certum tempus nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Novis Avinionensis diocesis v. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. com. fol. 117.

CCXCV.

Ludovico regi Hungariae, ut procuratores cardinalis S. Angeli in adipiscenda possessione dignitatum in suo regno habeat commendatos.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum nuper dilecto filio nostro Guillielmo sancti Angeli diacono Cardinali, qui in nonnullis terris Italie Romane ecclesie immediate subiectis pro nobis et eadem ecclesia in temporalibus vicarius generalis existit, de certis dignitatibus ac canonicatibus et prebendis infra Regnum tuum consistentibus duxerimus providendum, ac favor Regius gentibus dicti Cardinalis in adipiscendis possessionibus dignitatum ac canonicatuum et prebendarum huiusmodi, et pro eorum gubernatione sit plurimum oportunus: excellentiam Regiam nobis caram rogamus et hortamur attente, quatenus huiusmodi gentes dicti Cardinalis, qui eiusdem Romane ecclesie honorabile membrum ac tui honoris sincerus zelator existit, sic pro nostra et apostolice sedis reverencia habere velis favorabiliter commendatas, quod ipse regii favoris fulte presidio possessiones dignitatum ac canonicatuum et prebendarum predictorum libere adipisci, eorumque iura atque bona feliciter gubernare et recuperare valeant, nosque proinde sinceritatem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum Novis Avinionensis diocesis III. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 137.

CCXCVI.

Episcopo Quinqueecclesiensi super eodem.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Cum nuper etc. per totum ut supra usque oportunus inclusive: fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus huiusmodi gentes dicti Cardinalis, qui dicte Romane ecclesie honorabile membrum existit, sic pro nostra et apostolice sedis reverencia habere velis favorabiliter commendatas, quod ipse tui favoris fulte presidio possessiones dignitatum ac canonicatuum et prebendarum predictorum libere adipisci, eorumque iura atque bona feliciter gubernare et recuperare valeant, nosque proinde devocionem tuam non immerito commendare possimus. Datum Novis Avinionensis diocesis III. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 137.

CCXCVII.

Universis fidelibus adiuvantibus ecclesiae parochialis fabricam Omnium Sanctorum Agriensis dioec. indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Dil. fil. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes reddere domino populum acceptabilem ac bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum itaque, sicut accepimus, parochialis ecclesia omnium Sanctorum Agriensis diocesis, que de novo fundata existit, elemosinis fidelium Christi pro ipsius confirmatione indigere noscatur: nos cupientes, ut ecclesia ipsa congruis honoribus frequentetur ac feliciter consummetur, et ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad fabricam ipsius ecclesie manus promptius porrigant adiutrices, quo ibidem ex hiis dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Iesu Christi, Pentecostes, et in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli ac ipsius ecclesie

dedicationis festivitatibus, et celebritate omnium sanctorum, et per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Christi, nec non Nativitatis et Assumptionis beate Marie, ac Nativitatis beati Iohannis Baptiste et Apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavas, et per sex dies dictum festum Pentecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, et manus ad fabricam ipsius ecclesie porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum, celebritatis et dedicationis, octavarum quoque et dictorum sex dierum diebus, quibus ipsam ecclesiam visitaverint, et ad fabricam ipsius manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium a dato earum computandum minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam predictam seu ad fabricam ipsius ecclesie manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis IV. Idus Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. com. fol. 64.

CCXCVIII.

Elisabethae seniori reginae Hungariae et Poloniae, ut camerae apost. de certis pecuniis, quas Casimirus rex Poloniae a collectoribus acceperit, satisfieri iubeat.

Gregorius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth Regine Ungarie et Polonie Illustri, salutem etc. Cum dudum clare memorie Cazimirus Rex Polonie, germanus tuus, dum agebat in humanis, mille quingentas quinquagintaquinque Marchas grossorum Pragensium, et ducentos florenos auri a Collectore fructuum et proventuum Camere apostolice in illis partibus debitorum de propriis pecuniis dicte Camere receperit, nosque et predicta Camera pro variis necessitatibus nobis et Romane ecclesie, matri tue, incumbentibus huiusmodi pecuniis indigeamus plus solito de presenti: serenitatem tuam, quam in adimplendis votis nostris promptam semper invenimus et paratam, rogamus et hortamur in domino, eam attentius deprecantes, quatenus cum eidem germano tuo in Regno Polonie successeris, de premissis mille quingentis quinquaginta Marchis, et ducentis florenis auri prefate Camere nostre apostolice pro nostra et apostolice sedis reverencia, ac etiam tui honoris intuitu satisfieri facias atque mandes, in hoc taliter te habendo, quod omnipotentem dominum tibi constituas propicium, nosque sinceram devocionem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis XVII. Kal. Octobris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 144.

CCXCIX.

Ludovico regi Hungariae de nuntiis sibi missis et ad multa alia respondet.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Venerabilem fratrem nostrum Stephanum Episcopum Zagrabiensem et dilectum filium nobilem virum Petrum Zuder Banum Sclavonie, Ambaxiatores tuos, latores presencium, ad nos missos, in primo adventu et in regressu eorum de Francia benigne vidimus, in ipsis mittentis effigiem contemplantes, eosque multiplicatis vicibus tam pro arduis, quam pro minoribus agendis tuis et tuorum nonnulla pro parte tua nobis prudenter exponentes et solicite prosequentes, quantum fuit expediens, spaciose audivimus, et in illis, in quibus iuste potuimus, exaudivimus gratiose. Verum licet per diversas personas, et specialiter per Venerabilem fratrem nostrum Guillermum Episcopum Senensem, ad petitiones tuas super Regno Sicilie nostram intencionem, immo pocius possibilitatem secundum iusticiam, in qua omnibus debitores existimus, duxerimus reserandam; idem quoque fecerit fel. rec. Urbanus PP. V. predecessor noster, et tandem dilectus filius magister Nicolaus de Auximo notarius et secretarius noster, tuusque devotus, qui dictam intencionem ex parte nostra sciscitatus est a nobis, illam per suas litteras, quas vidimus, per eum, ut dixit, traditas dudum dilecto filio Symoni notario et nuncio tuo ad sedem apostolicam destinato eciam intimari: tamen quia prefati Ambaxiatores super declaracione per nos simpliciter, non vocata parte contraria, in qua persone sunt plures, de iure, quod tibi competere asseris super prefatis Regno et principatu facienda, apud nos fideliter instigerunt, tibi, qui es amator et ministrator iusticie, prout eisdem Ambaxiatoribus, eciam communicato fratrum nostrorum

consilio, verbo respondimus, iterum harum serie respondemus, quod prout tua prudens serenitas et tui consiliatores in iure periti ignorare non debent, nisi vocata dicta parte, et secundum ius, ad quod astringimur, dictam declarationem facere non valemus. Et quidem si de tuo feudo similem casum haberes, similiter te facturum non ambigimus, quia similiter facere teneris. Quod si hanc viam iuris velis prosequi, offerimus, quantum iuste poterimus, expeditam iusticiam ministrare. Et ubi super hoc per viam concordie, si forsitan Deo favente intervenire posset, velles procedere, eciam in hac parte, si nos requisieris, offerimus nos laboraturos animo gratulanti et in cunctis, que honeste possimus, tuis desideriis complacere. Et propterea cum de iustis responsionibus nostris regalis sublimitas debeat contentari, pietatem tuam et devocionem, quam habes ad Romanam ecclesiam, deprecamur obnixe, quatinus eandem ecclesiam non relinquas; sed ad firmitatem sui status velis sibi contra suos hostes de tuo magnifico auxilio utique tibi possibili, honorabili, multipliciter utili, et eciam apud Deum meritorio liberaliter subvenire, maxime cum hostes ipsi sint debilitati quamplurimum, et probabiliter de ipsis cito, dante Domino, poteris triumphare, prout hec omnia dictis Ambaxiatoribus plenius verbo expressimus, et ipsi ea regie celsitudini seriosius referre poterunt oraculo vive vocis. Ceterum quia iidem Ambaxiatores, audita nostra responsione prefata, quedam de principatu Salerni et honore Montis Sancti Angeli, necnon de Comitatibus Provincie et Pedemontis eciam ex tua parte nobis exponere curaverunt, eis respondimus, prout ipsi referent celsitudini prelibate. Datum Avinione XIIII. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 55.

CCC.

Eidem, ut foedus contra Turcas inire velit et super hoc respondeat, et suis credat nuntiis.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Rediens ad presenciam nostram dilectus filius nobilis vir Iohannes Lascari miles Constantinopolitanus, qui dudum cum nostris litteris ad presenciam tue serenitatis accessit, nobis retulit, quod serenitatem eamdem ad contribuendum in unione inter Romanam ecclesiam tuamque celsitudinem et nonnullos alios principes ac magnates facienda contra Turchos hostes sacri nominis Christiani, et ad contribuendum in certo numero galearum tenendarum continue contra Turchos eosdem dispositam non invenit: de quo miramur non modicum, cum regnum tuum Ungarie vicinum sit nunc Turchis eisdem, et negocium huiusmodi te et ipsum regnum non modicum tangere dinoscatur. Quare regalem devocionem ac magnificenciam precamur attentius et in Domino exhortamur, quatinus provide considerans, quod alii, qui volunt esse et contribuere in unione predicta, te in hac parte deficiente, eciam deficient, quod absit, et sic non facta resistencia Turchis eisdem, ipsi contra fideles poterunt, prout verendum est, nimium prevalere in perdicionem innumerabilium animarum, et catholice fidei maximum detrimentum, digneris ob reverenciam Dei et dicte fidei, ac tutelam prefati et aliorum fidelium regnorum et parcium huiusmodi tuum propositum in melius commutare, ac ligari in unione predicta et in illa contribuere condecenter, super hoc nobis tuam piam et gratiosam responsionem per regias litteras reserando, ut ea habita, ad dandum debitum ordinem in hac parte procedere valeamus, prout hec et alia Venerabili fratri nostro Stephano episcopo Zagrabiensi et dilecto filio nobili viro Petro Zuder Bano Sclavonie Ambaxiatoribus tuis, latoribus presencium, plenius verbo duximus exprimenda, ut ea tue referant maiestati. Datum Avinione XIIII. Kal. Octobris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 55.

CCCI.

Ioannae reginae Siciliae scribit, quod rex Hungariae petit declarari se successorem in regno Siciliae post eius obitum.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Carissime in Christo filie Iohanne Regine Sicilie Illustri, sal. etc. Ad serenitatis tue noticiam deducimus per presentes, quod Venerabilis frater noster Stephanus episcopus Zagabriensis et dilectus filius Nobilis vir Petrus Zuder Banus Sclavonie, Ambaxiatores Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris ad sedem apostolicam de Francia redeuntes, nobis retulerunt, quod per Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Francie Illustrem suo et per ipsos prefati Regis Ungarie nominibus erant facte promissiones, et prestita iuramenta de contrahendo debito tempore matrimonio inter dilectum filium nobilem Ludovicum secundo genitum Fran-

cie et alteram dilectarum in Christo filiarum nobilium natarum Ungarie Regum predictorum impuberes, quam ipse Rex Ungarie ad hoc duceret eligendam, sed sub quibus conventionibus hoc sit actum, penitus ignoramus. Deinde nobis exposuerunt, quod licet idem rex Ungarie debuit, ut dixerunt, de iure succedere pro eo, quod clare memorie Carolus Rex Ungarie pater suus tamquam unigenitus quondam Caroli Martelli primogeniti clare memorie Caroli secundi Regis Sicilie, proavi tui, indebite exclusus ab eodem extiterat, post dictum obitum tuum ad extraneos deveniret, et propterea pecierunt per nos declarari regnum prefatum ad eundem Regem Ungarie pertinere. Cumque nos dictis Ambaxiatoribus in contrarium allegavissemus declaracionem fe. re. Bonifacii PP. VIII. Predecessoris nostri super hoc de voluntate prefati Caroli secundi factam, ipsi Ambaxiatores aliqua replicarunt, et nos quedam contra ea allegavimus, que hinc inde dicta causa brevitatis omittimus de presenti. Sed postea subiecerunt, quod memoratus Carolus Rex Ungarie primo, et deinde idem Ludovicus Rex principatu Salerni et honore Montis Sancti Angeli, nec non Comitatibus Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis, qui non venerunt in declaracione predicta, fuerunt, et ipse Rex est, ut dicebant, indebite spoliati, et quod Carolus Martellus, cum, ut eorum (vocabulo) utamur latino, Bastardus non fuerit, et Carolus Ungarie et Ludovicus Reges prefati predictos principatum et honorem debuerunt, prout ceteri filii eiusdem Caroli secundi, pro sua portione habere, dicentes, quod iamdicti Comitatus Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis non spectabant ad Romanam ecclesiam, et quod sepedictus Rex Ungarie super ipsis bene consequeretur ius suum, et quod quia notorium erat prelibatos principatum et honorem ad supradictos Carolum Martellum et Carolum Regem Ungarie spectavisse, et ad eundem Ludovicum Regem nunc spectare, nobis supplicarunt, ut ex officio nostro, te eciam non vocata ad iudicium, declarare dignaremur, ipsos principatum et honorem ad dictum Regem Ungarie pertinere. Nos autem ipsis Ambaxiatoribus, prout eciam nonnullis aliis pro parte dicti Regis Ungarie ad nos hactenus destinatis sepe respondimus, nos promptos semper et paratos eidem Regi super premissis bonam, expeditam ac favorabilem iusticiam ministrare. Et si Rex ipse vellet ac posset cum eis, qui in hac parte tanguntur, ad aliquem bonum et amicabilem devenire tractatum, in hoc eciam nos inveniret favorabiles et benignos. Verum quoniam Ambaxiatores ipsi de hac nostra responsione contentari minime videbantur, imo non recedebant de Romana Curia, ferventer adhuc pro nostra meliori responsione instabant: Nos ne ipsi male contenti a nobis recederent, et ex eorum relatibus scandala pullularent, voluimus super premissis cum fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus maturiorem deliberationem habere. Demum vero cum eisdem fratribus communicato super inde consilio, dictis Ambaxiatoribus de ipsorum fratrum consilio nostrum in hunc modum dedimus finale responsum, videlicet quod nos de premissis plenam non habentes noticiam, inde volebamus, prout congruebat eciam rationi, per te et alios, quos presens tangebat negocium, vos primitus informare, et mera veritate comperta quicquid pro bono concordie per nos rite posset fieri, procul dubio faceremus. Ideoque premissa, que non sunt negligentie committenda, ad Reginalis celsitudinis noticiam duximus deducenda, te paterne hortantes, ut ea mature discutias, et dilectis in Christo filiabus nepotibus tuis et aliis, qui in hac parte tanguntur, notifices, tuque et ipsi aliquem seu aliquos viros peritos et fideles plene informatos de tuis et ipsorum iuribus, ac cum tuis et eorum responsionibus rationabilibus et discretis, et de aliqua bona via concordie, si tibi et eis occurrat, ad nostram presentiam, quam cito commode poteris, studeas destinare, ut de iuribus et responsionibus ipsius sepedicto Ludovico Regi cito scribere valeamus. Optamus enim inter te et personas, que tibi deberent pro tempore in premissis succedere, ipsumque Ludovicum Regem taliter predicta disponi, quod nulla invicem oriatur animosa discordia, nullumque scandalum suscitetur; sed petitionibus et revisionibus utriusque partis, qualibet altercatione cessante, quieto et amicabili modo in libram deductis iusticie, dilectio consanguinealis firmiter maneat et sumat iugiter incrementum. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis x. Kal. Octobris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 56.

CCCII.

Ludovico regi Hungariae pontifex accessum ad Urbem faciendum mense Sept. prox. futuro annuntiat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Licet a nostre promotionis ad apicem summi apostolatus primordiis in votis semper gesserimus, prout gerimus incessanter, visitare sacram Urbem, in qua est principaliter sedes nostra, in ipsaque ac vici-

nis partibus cum nostra Curia residere; tamen ex diversis impedimentis, que perduxerunt media tempora, ipsa vota implere nequivimus, nec hucusque ad id prefigere certum tempus: nunc autem nolentes, quantum in nostra deliberatione consistit, id ulterius retardare, deliberavimus cum Dei auxilio de mense Septembris proxime futuro versus dictam Urbem arripere iter nostrum, quod ipse Deus, cui ex hoc placere confidimus, dignetur suis presidiis ad eius laudem et gloriam, et universi sui gregis salutem et pacem reddere prosperum et iocundum. Credentes itaque hoc gratum reddi tuis affectibus, id Regali celsitudini ad gaudium nunciamus, rogantes eandem, quod, ut nos et dicta Curia possimus dictum iter tute peragere, ac in eisdem Urbe et partibus manere quiete, digneris, si oportunum fuerit, tui favoris auxilium impertiri. Datum Avinione VIII. Id. Octobris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 59.

CCIII.

Eidem, ut benigne audiat et exaudiat archiepos Strigoniensem et Colocensem de conversione Valachorum facta et facienda ad fidem catholicam, et prosequatur dictam conversionem.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Nuper ad audientiam nostram fideli et admodum grata relatione perducto, quod certa pars multitudinis nationis Wlachonum, qui certas metas Regni tui versus Tartaros commorantes, secundum ritus et scisma Grecorum vivebant, prout longe maior pars eorum adhuc vivit, ex ferventi zelo, quem ad augmentum vere fidei christiane semper promptum et propicium habuisti, ad dicte fidei veritatem fuerat, te procurante, conversa, et quod alii de ipsis Wlachonibus, cum sint homines simplices et convertibiles ad observantiam fidei antedicte, ad fidem ipsam satis faciliter converterentur cum assistentia tui favoris, si de proprio antistite per apostolicam sedem provideretur eisdem, cum de solo ministerio sacerdotum Ungarorum non bene contentari dicantur: Nos de premissis cupientes habere noticiam certiorem, ut cautius in hiis agamus, Venerabilibus fratribus nostris Strigoniensi et Colocensi Archiepiscopis nostris dedimus litteris in mandatis, ut super hiis excellencie Regie requisito consilio, ac de omnibus, que pro animarum salute et propagacione dicte fidei in illis partibus expedirent, diligentius se informent, et quicquid inde invenerint, nobis per suas litteras eorum sigillis munitas, vel per instrumenta publica fideliter intimare procurent, prout in ipsis litteris plenius continetur. Ut igitur divine retribucionis premium et humane laudis preconium de tam pio et salutifero opere tuo excelso culmini acquirantur, tuam fervidam caritatem rogamus et hortamur attente, quatenus huiusmodi inchoatum principium fructus conversionis predicte laudabiliter prosequens, et dictos Archiepiscopos benigne pro Regis eterni, ac nostra et apostolice sedis reverencia audiens et exaudiens, huiusmodi negocium propensius commendatum habeas, ita quod, deo propicio, ad tuum perenne premium valeat prosperari. Datum Avinione III. Idus Octobris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 61.

CCIV.

Archiepis Strigoniensi et Colocensi, ut sese informent, an utile sit cathedralem Valachorum conversorum ecclesiam erigere.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Strigoniensi et . . . Colocensi Archiepiscopis, salutem etc. Hodie ad audientiam nostram perducto ex relatione fideli, quod certa pars multitudinis nationis Wlachonum, qui circa metas Regni Ungarie versus Tartaros commorantes, secundum ritus et scisma Grecorum vivebant, prout longe maior pars eorum adhuc vivit, procurante Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Ungarie Illustri, conversa fuerat ad sacre fidei catholice veritatem, et quod alii de multitudine ipsa faciliter converterentur cum assistentia dicti Regis, si in partibus eorumdem Wlachorum erigeretur ecclesia Cathedralis, et Episcopus preficeretur eidem, cum ipsi Wlachones, ut dicitur, de solo ministerio sacerdotum Ungarorum non sint bene contenti, nos fraternitati vestre certa super hiis indaganda per vos, et nobis fideliter referenda per alias nostras literas duximus committenda, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut eadem relatio subiungebat, dilectus filius frater Anthonius de Spoleto ordinis fratrum Minorum professor, qui linguam dicte nationis scire asseritur, et qui tempore dicte conversionis multos ex dictis Wlachis convertisse, baptizasse, et magnum fructum sua predicatione animabus eorum dicitur attulisse, satis habilis et utilis ad convertendum Wlachos reliquos non conversos ad fidem predictam, si preficeretur in Episcopum multitudini

antedicte: Nos de premissis, ut agamus cautius, cupientes de hiis ac scientia, vita et moribus dicti Anthonii habere notitiam certiorem, eidem fraternitati, de qua gerimus in Domino plenam fidem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de predictis scientia, vita ac moribus dicti fratris Anthonii, et etiam aliorum, qui utiliores esse possent huiusmodi ecclesie, si erigeretur, et conversioni Wlachonum predictorum, super quo vestras consciencias oneramus, studeatis nos diligentius informare, et que per informationem ipsam repereritis, nobis per vestras autenticas litteras harum seriem continentes curetis nos reddere certiores. Datum Avinione III. Id. Octobris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. de Curia fol. 55.

CCV.

Carolo imp. Romanorum indulgetur, ut Sigismundus natus suus cum filia regis Hungariae matrimonium inire possit.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Carolo Imperatori Romanorum semper Augusto ac Boemie Regi Illustri, salutem etc. Etsi inter illos, qui consanguinitatis vel affinitatis linea invicem sunt connexi, sacrorum canonum instituta matrimonialem copulam interdicant, summus tamen Pontifex ex plenitudine potestatis, quam non ab homine obtinet, sed a deo, considerata personarum et temporum qualitate, utiliora prospiciens, nonnunquam rigorem eorum mansuetudine, maxime circa sublimes personas, pro pace regnantium temperat et Regnorum, et quod negat eorum severitas, indulget provide dispensando de gratia speciali. Sane petitio pro parte tue celsitudinis nobis nuper exhibita continebat, quod ad sopiendum guerras, inimicicias et odia, que inter te et Carissimos in Christo filios nostros Wenceslaum Boemie primogenitum tuum ex una et Ludovicum Ungarie Reges Illustres ex alia partibus pacis emulus suscitavit, et ad obviandum guerris et malis aliis, que inter ipsos Reges, quod advertat dominus, possent forsitan suboriri, necnon pro defensione et exaltacione fidei catholice pro tua et ipsius Regis Ungarie parte tractatum extitit, et etiam concordatum, quod inter dilectum filium nobilem virum Sigismundum secundogenitum tuum et unam ex filiabus dicti Regis Ungarie matrimonium contrahatur, et iam inter eos per verba de futuro sponsalia sunt contracta: sed quia dicti Sigismundus et filia quarto consanguinitatis gradu invicem se attingunt, matrimonium huiusmodi contrahere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc de oportune dispensationis gratia dignaremur. Nos igitur, qui cunctis christifidelibus quietis et pacis commoda procuramus, volentes huiusmodi guerris, inimicieiis et odiis, quantum cum deo possumus, salubriter obviare, huiusmodi supplicationibus inclinati, cum dictis Sigismundo et filia illa, videlicet quam ad hoc malueris, ut ipsi impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, non obstante, matrimonium invicem contrahere libenter, et in eo postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate apostolica de speciali gratia tenore presentium dispensamus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciantes. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum Avinione VIII. Idus Decembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. com. fol. 78.

CCCVI.

Ludovico regi Hungariae, ut regiis favoribus Ioanni de Riparia priori hosp. S. Ioan. Ierosol. in Hungaria in assecutione ipsius prioratus ac recuperatione bonorum assistat.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Dilecti filii Iohannes de Eredia Castellanus Emposte hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, locumtenens dilecti filii Roberti de Iuliaco Magistri hospitalis eiusdem in partibus cismarinis, ac Ferricus Cassivolli doctor utriusque Iuris et procurator generalis dicti hospitalis, in Romana Curia commorantes, gravem querelam de multiplicibus excessibus Raymundi de Bellomonte fratris hospitalis eiusdem, qui dudum in Ungaria morabatur, nobis exponere curaverunt, videlicet quod quamvis dilecto filio Iohanni de Riparia, priori prioratus Ungarie hospitalis prefati, per . . . Vicegerentes dicti magistri ad hoc potestatem habentes de iam dicto prioratu fuisset debito modo provisum, prefatus Raymundus ardore ambitionis accensus ad habendum, quocunque modo posset, prioratum eundem, inique et contra fidelitatem et debitum sue professionis aspirans, de ipso prioratu per tuam celsitudinem sub colore iuris patronatus sibi obtinuit provideri, licet de facto, et non est veritus se in prioratu intrudere memorato. Quodque nonnulla pecunias, vasa argentea, animalia et alia bona mobilia religionis dicti hospitalis relicta per quon-

dam Baudonum Cornuti priorem dicti prioratus, ac dudum, sicut et cetera similia bona priorum et aliorum fratrum dicti hospitalis decedentium anno preterito pro defensione insule Rodi et aliarum partium fidelium orientis adversus impios Turchos, inimicos nominis christiani, per generale capitulum Priorum et fratrum hospitalis sepedicti provide deputata temere rapere, sibique appropriare, et quibusdam tuis subditis, ut ei in huiusmodi intrusione faverent, erogare presumpsit. Ac insuper tam ipse Raymundus, quam prefatus Baudonus nonnulla castra, villas, loca, possessiones, redditus et alia bona immobilia ac iura prioratus sepedicti, etiam de facto, cum de iure non possent, certis viris potentibus tui regni donaverunt, seu aliis modis illicitis alienarunt, et nequiter distraxerunt: ac insuper idem Raymundus mala malis accumulans prelibatum Iohannem cum litteris collacionis canonice sibi facte de prioratu predicto ad dictum regnum confidenter profectum, non recepta possessione predicta, de ipso regno per vim et metum procuravit expelli in grave dicti hospitalis prefatique Iohannis prioris preiudicium, detrimentum dicte fidei, ad cuius defensionem fratres dicti hospitalis sunt in ultramarinis partibus deputati, lesionem iusticie, exempli perniciem et scandalum plurimorum. Quare pro parte dictorum magistri et Iohannis prioris, ac locumtenentis et procuratoris tociusque religionis prefate super hiis fuit a nobis oportune provisionis remedium imploratum. Nos igitur attendentes premissa, si eis, ut prefertur, suffragetur veritas, esse non solum in gravem dei offensam, sed etiam detrimentum honoris et salutis Regie celsitudinis attemptata, te, qui es eximius cultor iusticie, propugnator dicte fidei, personarum ecclesiasticarum defensor, et excessuum detestator, paterne requirimus et rogamus, quatenus provide attendens, quod collacio et disposicio predicti et aliorum prioratuum et domorum hospitalis sepedicti ad prefatum magistrum, et alias apostolicam sedem dumtaxat, cum vult de illis disponere, et non ad alium, etiam prelatum vel principem, pertinere dinoscitur et debet, electionem, presentacionem vel aliam disposicionem de dicto prioratu per dictum Regem (sic) factam ratam non habens de cetero, illamque aliquatenus non defendens, sed pocius irritam et nullam reputans, prout est, eidem Raymundo vel aliis pro eodem in nullo velis dare auxilium vel favorem; quinimmo illos, qui tuam piam excellentiam ad talia induxerunt, seu pocius seduxerunt, ne simile in futurum attemptent, Regia increpacione corripere tua sincera devocio non omittat, dictoque Iohanni et suis procuratoribus in assecutione pacifice possessionis dicti prioratus iuriumque suorum, ac in recuperacione pecuniarum, vasorum, animalium, necnon castrorum, villarum, locorum et aliorum bonorum predictorum, ut premittitur, alienatorum ob reverenciam dei et dicte fidei, ac apostolice sedis et nostram, et Regie serenitatis meritum apud deum ac honorem et famam in seculo efficaciter digneris assistere auxiliis et favoribus oportunis (ac detentores huiusmodi pecuniarum, vasorum, animalium et bonorum ad eorum restitucionem plenariam districtione Regia compescendo), sic, ut speramus, in premissis acturus, quod inde iusticia suum consequatur effectum, et honor Regius non ledatur, sed sumat potius incrementum. Datum Avinione Id. Decembris. Anno Quarto.

Eodem modo Elizabeth Regine seniori, et Elizabeth Regine iuniori Ungarie.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 69.

CCCVII.

Thomae archiepo Strigoniensi, insistat penes eundem regem, ut scriptis papae in negotio ipsius prioratus annuat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Archiepo Strigoniensi, salutem etc. Super quodam negocio, nobis non solum propter preiudicium ecclesiastice libertatis, sed eciam propter derogationem salutis et honoris Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, cuius gloriam in seculo et meritum apud deum paternis desideramus affectibus, et contraria exhorremus, admodum displicibili, eidem Regi scribimus secundum formam presentibus interclusam. Multum miramur, si tua fraternitas et alii prelati Ungarie hoc senserunt, quod non opposuerunt se murum pro domo domini, ne tam graviter lederetur. Tantum enim de bona intencione Regis prefati presumimus, quod si sibi, quid in hac parte ei liceret, vel non liceret, fuisset expositum, ad talia minime processisset; sed credimus, quod sua puritas maligna fuit suggestione seducta. Quare fraternitatem eandem hortamur attente, mandantes, quatenus tu et tui suffraganei, et alie ecclesiastice persone solemnes, quas commode habere poteris, quasque ex parte nostra requiras, apud dictum Regem ac Carissimas in Christo filias nostras seniorem et iuniorem Reginas Ungarie provide ac solicite insistatis, quod ipse Rex hiis, que sibi scribimus, filialiter acquiescat, ut tantum malum emendetur in melius, et incorrectum, quod

absit, ad consequenciam non trahatur. Datum Avinione Idibus Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Eodem modo Stephano Archiepõ Colocensi et . . . Epõ Quinqueecclesiensi.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. fol. 70.

CCCVIII.

Quibusdam clericis de canonicatibus providetur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Pauli Archidiacono de Henes in ecclesia Agriensi, salutem etc. Confert ei canonicatum et prebendam in ecclesia Agriensi. Datum Novis Avinionensis diocesis viii. Kal. Iulii. Anno Quarto.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Strigoniensi, salutem etc. Mandat ei, curet, ut Michael Pauli canonicus Strigoniensis archidiaconatum Zoliensem in eadem ecclesia vacantem obtineat. Datum Avinione xv. Kal. Decembris. Anno Quarto.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Preposito ecclesie sancti Georgii Strigoniensis, salutem etc. Mandat ei, curet, ut Benedictus Petri de Opem parrochialem ecclesiam sancte Marie de Sarloco (Sartelo) obtineat. Datum Avinione vi. Idus Octobris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. com. fol. 117, 138, et 139.

CCCIX.

Priori ac praeceptoribus hospit. S. Io. Ierosol. in Hungaria, ut ad passagium in terram sanctam milites contra Turcas mittat.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Priori ac universis et singulis Preceptoribus domorum, aliisque personis Prioratus Ungarie hospitalis sancti Iohannis Ierosolymitani, obtinentibus quecunque beneficia, domos, grangias, seu bona dicti Hospitalis in dicto Prioratu, salutem etc. Inter cetera, que humeris solicitudinis apostolice sedis incumbunt, illud noscitur esse precipuum et efficacioribus studiis promovendum, quod fides catholica, sine qua salus animarum non provenit, illibata servetur, defendatur a suis hostibus, et in nationibus, Salvatori nostro Domino Ihesu Christo non credentibus, extensius propagetur, sicque fiat unum ovile et unus pastor ovium salvandarum. Et propterea decet et oportet nos vias et modos possibiles et honestos exquirere, quibus premissa cum omnipotentis Dei et Domini Sabaoth auxilio impleantur. Sane ingentissima damna aliaque mala animarum et corporum non absque flebili memoratu fidelium recitanda, que evenerunt propter Christianorum negligenciam in gravissimum dispendium fidei Christianae commissam, piget et pudet recolere; sed id cogit urgens necessitas, ut ostensis negligencie culpis et infelicissimis eventibus subsecutis, ex eis ipse culpe horreantur detestabilius, et promptioribus animis possibilis emendacio prebeatur. Est siquidem notissimum, quod olim eciam de multorum memoria impii Turchi persecutores nominis Christiani, non inventa resistencia sufficienti fidelium, post dissipacionem multarum insularum, que fertiles erant et inhabitate per populos Christianos, invaserunt, occuparunt, destruxerunt fere totum gloriosum imperium Romanie et sibi tributarium effecerunt, abductis abinde in servitutem miserrimam infinitis personis utriusque sexus, quas ad terras suas abducere voluerunt. Nuncque Imperium Bulgarie ac Regnum Servie aliasque partes dictorum Christianorum crudeliter impetere asseruntur, Civitas quoque gloriosa Constantinopolitana et eius Imperator Illustris adeo sunt artati a Turchis eisdem, quod non solum eis tributarii facti sunt, sed fere in eorum manibus consistunt, nisi ipsis per auxilium fidelium occidentalium celeriter succurratur. Regnumque Armenie minoris utique Christianum positum inter Sarracenos et Turchos eosdem iam longis temporibus auxilium fidelium occidentalium eciam minimum persensit, propter quod paulatim et quasi totaliter in manus decidit impiorum. Premissis igitur et nonnullis aliis utilibus et necessariis causis circa istam materiam, que consultius presentibus subticemus, matura deliberatione digestis, ad laudem Dei, defensionem et dilatacionem dicte fidei, gloriam et honorem Romane ecclesie, animarum nostrarum salutem, et religionis nostre reformationem, ac augmentum in spiritualibus et temporalibus, dante Domino, proventurum, auctoritate apostolica duximus ordinandum, ut quingenti fratres milites dicti hospitalis et totidem eorum scutiferi tempore veris anni nativitatis Dñi millesimi trecentesimi septuagesimi septimi ad partes Romanie prefatas debeant transfretare, in eisdem partibus ad dicte sedis beneplacitum permansuri, et gesturi bellum dictum contra Turchos eosdem, prout per dilectos filios . . . et Conventum Rhodi dicti hospitalis et alios presidentes et consiliarios ad hoc deputandos

pro tempore proinde disponetur. De quibus quidem militibus et scutiferis per dilectos filios Iohannem Ferdinandi Castellanum Emposte, locumtenentem dictorum Magistri et Conventus, necnon per Bertrandum Frete magnum preceptorem, ac . . . Francie et . . . Campanie et . . . Sancti Egidii priores et nonnullos preceptores providos, qui ad hoc convocari commode poterunt, fideli discussione et taxatione factis, decem et octo fratres milites cum totidem scutiferis nos contingunt. Quare volumus et mandamus, quatenus tu, fili prior, statim receptis presentibus Capitulum preceptorum et aliarum personarum tui prioratus studeas convocare: ita quod infra mensem a dicta receptione computandum ipsum Capitulum diligenter, plene ac mature sit celebratum, et in eo facta electio fratrum militum predictorum, et ipsi fratres eligant suos scutiferos bonos et aptos ad arma, et ordinatum de sumptibus eorum, qui transfretare debebunt: quam quidem electionem et sumptuum provisionem volumus et mandamus per vos, prestitis primitus corporaliter iuramentis, fieri discrete, fideliter et caritative; ita ut quantum fieri poterit, nullus iturus vel remansurus ultra debitum sit gravatus. Hii vero, qui eligentur seu assumentur, sint viri fortes et strenui, bene muniti armis et equis, per totumque mensem Martii dicti anni sint in portubus Regni Sicilie aut Venetiarum vel Ianue, prout commodius eis erit: sintque prompti et voluntarii ad opus dictum exequendum, cum voluntarie sacrificandum sit Domino, et ex delectatione operis rei perficiatur effectus, cum studiosus esse nequeat in commissis, quem ad ea voluntaria affectio non accendit. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta et sub excommunicationis in personas vestras ac suspensionis a prioratu et preceptoriis ac domibus et proventibus prefati hospitalis, quos et quas quomodolibet obtinetis, penis districte precipiendo mandamus, quatenus intra huiusmodi tempora predicta nostra ordinationem et mandatum, exceptionibus, excusationibus et diffugiis seu dilacionibus exclusis, efficaciter adimplere curetis. Volumus eciam ad certitudinem nostram ac mandamus, quod illi ex vobis, qui ad hoc assumentur, seu ire debebunt, iurent ad sancta Dei evangelia, quod huiusmodi nostra mandata fideliter ac diligenter implebunt, et celeriter nobis rescribant per eorum authenticas litteras de huiusmodi assumptione ipsorum, et quod erunt parati in locis et terminis antedictis: alioquin inobedientes et rebelles quoscunque predictas penas incurrere volumus eo ipso, sciatisque quod ad exequendum prefata nostra ordinationem et mandata nonnullos ecclesiarum prelatos executores duximus deputandos, ac Regum, principum, magnatum et communitatum, civitatum, opidorum et aliorum locorum secularc brachium per alias nostras litteras invocamus, et cum dei gratia debitam et realem executionem super premissis contra inobedientes et rebelles fieri faciemus. Ceterum vobis precipiendo mandamus, quod quicquid feceritis in premissis, curetis nobis celeriter intimare. Datum Avinione VI. Id. Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. fol. 46.

CCCX.

Capitulo Quinqueecclesiensi libertates et privilegia a pontificibus et regibus concessa confirmantur.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Quinqueecclesiensis, salutem etc. Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petencium precibus favorem benivolum impertiri: eapropter, dilecti in domino filii, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus sive per privilegia vel alias indulgentias vobis et ecclesie vestre concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a Regibus et principibus ac aliis christifidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut ea iuste et pacifice obtinetis, vobis et per vos ea dicte ecclesie auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et communitionis infringere etc. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 28.

CCCXI.

Valentino epo Quinqueecclesiensi cum certis personis de defectu natalium dispensandi datur facultas.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Valentino Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Personam tuam, tuis claris exigentibus meritis, prona benevolentia prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere gratiosum: tuis itaque supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, dispensandi hac vice auctoritate nostra

cum viginti personis tuarum civitatis et diocesis defectum natalium pacientibus, de coniugatis, solutis, presbiteris religiosisque parentibus genitis ac clericali caractere insignitis, quas duxeris eligendas, dummodo de personis pontificali dignitate preditis aut monialibus genite non fuerint, ut huiusmodi natalium defectu nequaquam obstante, quelibet earum ad omnes ordines promoveri, et beneficium ecclesiasticum, etiam si curam habeat animarum, recipere et retinere, illudque simpliciter vel ex causa permutationis dimittere, et loco dimissi aliud simile vel dissimile aliud beneficium ecclesiasticum etiam recipere et retinere licite valeat ac libere; dummodo beneficia ipsa eis alias canonice conferantur et persone ipse, consideratis circumstantiis universis, que circa ydoneitatem ipsarum fuerint attendende, non sint prave incontinentie sectatrices, sed bone conversationis et vite, aliasque ipsis merita suffragentur ad huiusmodi dispensationis gratiam obtinendam, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 4.

CCCXII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam de Alsam Quinqueecclesiensis dioec. visitantibus indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Dil. fil. Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes populum domino reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum itaque, sicut accepimus, Venerabilis frater noster Valentinus Episcopus Quinqueecclesiensis in terra sua hereditaria inter scismaticos et infideles in loco de Alsam Quinqueecclesiensis diocesis situata, de bonis a deo sibi collatis quandam ecclesiam in honorem et sub vocabulo beati Francisci confessoris edificari et construi facere inceperit opere sumptuoso: nos cupientes, ut ecclesia ipsa congruis honoribus frequentetur, et etiam perficiatur, et ut christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et pro consummatione ipsius operis eo promptius manus porrigant adiutrices, quo ibidem ex hoc uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Iesu Christi, Pentecostes, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie, ac Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum et beati Francisci festivitatibus ac in celebritate omnium Sanctorum, et per octabas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon Nativitatis et Assumptionis beate Marie ac Nativitatis beati Iohannis et Apostolorum predictorum festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitando annuatim ad fabricam ipsius manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis ac octabarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus ecclesiam ipsam devote visitaverint, ac manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post decem annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam predictam, seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 28.

CCCXIII.

Stephano archidiacono de Vynar, ut una cum archidiaconatu ecclesiam parochialem de Galhano retinere possit.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Stephani Archidiacono de Wynar in ecclesia Agriensi, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te favore apostolico prosequamur. Dudum siquidem volentes tibi gratiam facere specialem, Archidiaconatum de Wynar in ecclesia Agriensi, et si dignitas existeret et curam haberet animarum, et etiam si ad ipsum consuevisset quis per ele-

ctionem assumi, qui tunc certo modo vacare sperabatur, conferendum tibi, cum vacaret, donationi apostolice per nostras certi tenoris litteras duximus reservandum, certis tibi super hoc executoribus deputatis: tecum nichilominus, ut predictum Archidiaconatum libere recipere, et una cum parrochiali ecclesia de Calhano Narbonensis diocesis, quam tunc temporis obtinebas, prout obtines, retinere valeres, duximus dispensandum; ita tamen quod infra biennium a data dictarum litterarum computandum alterum ex ipsis Archidiaconatu et parrochiali ecclesia pro alio beneficio compassibili cum altero, quod retineres, permutare, alioquin lapso huiusmodi biennio predictam parrochialem ecclesiam, quam extunc vacare decernimus, omnino dimittere tenereris. Nos igitur volentes te, qui predictum Archidiaconatum predictarum litterarum vigore tibi collatum fuisti pacifice assecutus, et qui fructuum et proventuum in Regnis Ungarie et Polonie Camere apostolice debitorum collector existis, premissorum intuitu favore prosequi gratie amplioris, tecum motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate, ut predictam parrochialem ecclesiam cum dicto Archidiaconatu vel alia dignitate curata, quam, predicto Archidiaconatu simpliciter vel ex causa permutationis etiam pro dicta alia dignitate dimisso, te assequi continget, usque ad aliud biennium a fine dicti primi biennii computandum licite retinere valeas, generalis concilii et quibuscumque aliis constitutionibus apostolicis et consuetudinibus ipsius Agriensis vel alterius ecclesie, in qua premissa dignitas forsan fuerit, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, et aliis contrariis nequaquam obstantibus, de ulterioris dono gratie dispensamus: volumus tamen, quod infra predictum secundum biennium huiusmodi Archidiaconatum vel parrochialem ecclesiam aut dignitatem, quam te assequi continget, pro alio beneficio compassibili cum illo, quod retinebis, permutare, alioquin dicto secundo lapso biennio, predictam parrochialem ecclesiam, quam extunc vacare decrevimus, omnino dimittere tenearis: proviso, quod huiusmodi Archidiaconatus sive alia dignitas ac parrochialis ecclesia debitis interim non fraudentur obsequiis, et animarum cura in dicta parrochali ecclesia ac Archidiaconatu predicto seu alia dignitate, si ei immineat, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre dispensationis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione VII. Kal. Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 36.

CCCXIV.

Epis Zagrabiensi et Varadiensi mandatur, ut a Petro epo Iauriensi olim Bosnensi fidelitatis iuramentum recipiant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Zagrabiensi et . . . Varadiensi Episcopis, salutem etc. Cum nuper Venerabilem fratrem nostrum Petrum Iauriensem olim Bosnensem Episcopum a vinculo, quo Bosnensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Iauriensem tunc vacantem auctoritate apostolica duxerimus transferendum, ipsumque eidem Iauriensi ecclesie prefecerimus in Episcopum et pastorem: Nos volentes eiusdem Episcopi in illis partibus commorantis parcere laboribus et expensis, ne propter hoc cogatur veniendo ad Romanam curiam personaliter laborare, fraternitati vestre auctoritate presentium committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ab eodem Episcopo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiatis iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam; formam autem iuramenti, quod idem Episcopus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare curetis. Datum Avinione VI. Kal. Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 3.

CCCXV.

Archiepo Strigoniensi et epo Cenadiensi, ut a Dominico epo Bosnensi solitum fidelitatis iuramentum recipiant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Strigoniensi et . . . Episcopo Cenadiensi, salutem etc. Cum nuper Venerabilem fratrem nostrum Dominicum Episcopum Bosnensem olim Iadrensem Archiepiscopum a vinculo, quo Iadrensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Bosnensem tunc vacantem auctoritate apostolica duxerimus transferendum, ipsumque eidem ecclesie Bosnensi in Episcopum etc. ut in superiori. Datum Avinione Idibus Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 4.

CCCXVI.

Epis Quinqueecclesiensi et Vesprimiensi, ut a Demetrio epo Zagrabiensi olim Transilvanensi fidelitatis iuramentum recipiant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Quinqueecclesiensi et . . . Vesprimiensi Episcopis, salutem etc. Cum nuper Venerabilem fratrem nostrum Demetrium Zagrabiensem olim Transilvanensem Episcopum a vinculo, quo eidem Transilvanensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Zagrabiensem, tunc pastore carentem, auctoritate apostolica duxerimus transferendum, ipsumque eidem Zagabriensi ecclesie prefecerimus in Episcopum etc. Datum Avinione xv. Kal. Marcii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 5

CCCXVII.

Demetrio epo Zagrabiensi indulgetur, ut per certum tempus ab ecclesia sua abesse, in locis interdictis divina celebrare et sibi confessorem eligere possit.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Demetrio episcopo Zagrabiensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut te favore specialis gratie prosequamur. Sane dudum ecclesie Zagrabiensi tunc vacanti de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de eorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te eidem ecclesie Zagrabiensi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; tuque in ipsa ecclesia personaliter residere tenearis, et si id non feceris iuxta quandam constitutionem per nos, ut prelati in eorum ecclesiis resideant, alias fructus suos vel eorum partem amittant, et alias penas incurrant, editam, huiusmodi penas incurras: nos volentes personam tuam, consideratione etiam Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratie amplioris, huiusmodi ipsius Regis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut premissis et aliis quibuscumque constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, usque ad festum pentecostes proxime venturum in dicta ecclesia, seu civitate vel diocesi Zagrabiensi personaliter residere minime tenearis, neque ad id a quoquam invitus valeas coartari, fraternitati tue tenore presentium concedimus de gracia speciali; proviso tamen quod ecclesia ipsa ac tuus episcopatus Zagrabiensis debitis interim obsequiis non fraudetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Avinione ii. Kal. Iunii. Anno Sexto.

Eidem. Devotionis tue etc. usque indulgemus, ut si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita te contigerit declinare, liceat in illis, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et submissa voce missam et alia divina officia celebrare, ac in tua et familiarium tuorum presencia facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto etc. Datum ut supra.

Eidem. Benigno sunt etc. usque inclinati, tibi auctoritate apostolica indulgemus, ut aliquem ydoneum et discretum presbiterum in tuum possis eligere confessorem etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VI. com. fol. 57.

EPISTOLAE URBANI PP. VI.

CCCXVIII.

Demetrio cardinali SS. Quatuor Coronatorum in Hungaria existenti, ut sese informet de spoliis Floriani episcopi Cracoviensis.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Demetrio tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbitero Cardinali in Regno Ungarie moram trahenti, salutem etc. Cum nos dudum ex certis rationabilibus causis ad id moventibus animum nostrum disposicionem et ordinacionem bonorum mobilium ac creditorum bone memorie Floriani Episcopi Cracoviensis, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, que huiusmodi obitus sui tempore haberet, vel pertineret quomodolibet ad eundem, disposicioni apostolice, eodem Episcopo adhuc in humanis agente et diu ante infirmitatem, ex qua decessit, duxerimus reservandam, decernentes extunc irritum et inane quicquid contra reservacionem nostram huiusmodi per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos igitur de tua in hiis et aliis nostris negotiis Romane ecclesie utiliter promovendis et expediendis circumspectione et diligentia confidentes, eidem circumspectioni per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te seu alium vel alios de huiusmodi bonis et creditis ac spoliis, et eorum valore te diligenter informes, et vera informatione super eis recepta, cum dilecto filio Zavisio Electo Cracoviensi vel procuratore suo sufficientem ad id potestatem habenti nomine Camere nostre componas, ipsumque Electum se et etiam suam ecclesiam, ac eorum bona mobilia et immobilia presencia et futura, vel dictum procuratorem per eosdem facias obligare, et promittere dictam composicionem solvere in Romana Curia gentibus Camere nostre apostolice in termino sive terminis per te prefigendis, super qua prefixione tibi concedimus tenore presencium potestatem. Volumus insuper et mandamus, ut predictum Electum aut procuratorem suum auctoritate nostra moneas et per censuram ecclesiasticam compellas, ut predictam composicionem per te fiendam in terminis eidem per te prefigendis gentibus Camere prefate persolvat, et de huiusmodi promissionibus et obligacionibus facias fieri unum vel plura publica instrumenta per te gentibus eiusdem Camere transmittenda: litteras vero provisionis facte per nos dicte ecclesie Cracoviensi de persona Zavisii Electi predicti tibi mittimus per dilectos filios Wenceslaum custodem Cracoviensis, decretorum doctorem, et Deslaum prepositum Wisliciensis Cracoviensis diocesis ecclesiarum, presentibus alligatas, quas recepta et facta obligacione huiusmodi eidem Electo vel procuratori suo tradere et assignare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum x. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. lib. I. fol. 28.

CCCXIX.

Eidem cardinali ecclesia Strigoniensis denuo confertur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Demetrio tituli sanctorum quatuor Coronatorum presbitero Cardinali, salutem etc. Romani pontificis providencia circumspecta ecclesiis universis, ut gubernatorum utilium fulciantur presidio, prospicit diligenter, et sancte Romane ecclesie Cardinalibus, ut expensarum onera que ipsos assidue subire oportet, supportare valeant, libenter prout est decens et congruum, de subventionis auxilio providet oportuno. Dudum siquidem ecclesia Strigoniensis ex eo pastoris solacio destituta, quod nos te licet absentem a vinculo, quo eidem ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de apostolice potestatis plenitudine absolventes, ut nobiscum onera universalis ecclesie partireris, ad Cardinalatus honorem duximus assumendum: nos attendentes, quod nullus preter nos ea vice de provisione ipsius ecclesie Strigoniensis se intromittere potuerat, neque poterat pro eo, quod nos diu ante vacacionem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc qualitercunque vacantium, et in antea vacaturarum ordinacioni et disposicioni nostre reservantes, decernimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac volentes tam dicte ecclesie de gubernatore secundum cor nostrum ydoneo, per quem ecclesia ipsa circumspecte regi et salubriter dirigi valeret, quod eciam tibi de alicuius subventionis auxilio pro supportandis expensarum oneribus, que te iugiter subire oportebat, prout oportet, providere, ecclesiam Strigoniensem predictam tibi usque ad nostrum beneplacitum auctoritate apostolica duximus commendandam. Attendentes itaque, quod tu, qui de mandato nostro post huiusmodi assumptionem tuam ad Cardinalatus honorem in illis partibus continue permansisti, prout permanes, non solum predicte Strigoniensi ecclesie, sed toti Regno Ungarie, in quo ecclesia ipsa consistit, poteris esse multipliciter fructuosus, Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris nobis super hoc humiliter supplicantis precibus inclinati, predictam Strigoniensem ecclesiam cum omnibus iuribus et pertinenciis suis per te, quoad vixeris, tenendam, regendam et etiam gubernandam, tibi tam in spiritualibus, quam eciam in temporalibus auctorirate apostolica commendamus, curam, regimen et administracionem plenariam et liberam eiusdem ecclesie tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, alienatione tamen bonorum immobilium, necnon preciosorum mobilium ipsius ecclesie tibi penitus interdicta, et salva semper in premissis dicte Romane ecclesie et apostolice sedis auctoritate, et debita reverencia atque subiectione. Volumus autem, quod, debitis et consuetis mense archiepalis Strigoniensis oneribus supportatis, de residuis fructibus, redditibus et proventibus ad predictam mensam spectantibus libere disponere valeas, sicut antequam te a vinculo predicto absolverimus, poteras, et sicut archiepi Strigoniensis, qui fuerant pro tempore, disponere potuerunt, seu eciam debuerunt. Quocirca circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus curam, regimen, gubernacionem et administracionem huiusmodi per te vel alium seu alios sic geras solicite, fideliter et prudenter, quod dicta ecclesia utili gubernatori gaudeat se commissam, tuque preter retribucionis eterne premium, quod proinde meraberis, nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Id. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. lib. I. fol. 93.

CCCXX.

Eidem cardinali, ut in subsidium domini Papae duodecimam omnium beneficiorum ecclesiasticorum in regno Hungariae exigat.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Demetrio tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum apostolice sedis legato, salutem etc. Cum ad persequendum scismaticos et hostes Romane ecclesie ac fidei christiane, et presertim iniquitatis alumpnum Robertum olim basilice duodecim Apostolorum, nunc antipapam, qui se Clementem Papam ausu temerario nominare presumit, ac eius sequaces et adherentes eidem, et ex aliis certis causis nos oporteat subire diversa et magna onera expensarum, ad que supportanda Camera apostolica nullatenus sufficere potest: ideoque duodecimam partem omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum unius anni a te ceterisque personis ecclesiasticis quibuscunque, exemptis et non exemptis, in Ungarie ac Polonie, et aliis Regnis ac terris et locis dicioni Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris subiectis consistentibus, quantacunque preful-

geant dignitate, seu cuiuscumque sint preminencie, condicionis aut status, religionis vel ordinis, quibus et eorum alicui nulla privilegia vel indulta sub quacumque verborum forma vel expressione concessa volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris eiusdem Romane ecclesie Cardinalibus monasteria, prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebendas, ac quacumque, qualiacumque et quodcumque beneficia ecclesiastica in dictis Regnis et terris et locis obtinentibus, ac imposterum obtenturis, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sortiuntur, et a dilectis filiis magistris et fratribus hospitalium sancti Iohannis Ierosolimitani et sancte Marie Teotonicorum, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos Cardinales, magistros ac fratres militarium ordinum ab eiusdem prestacione duodecime prorsus exemptos, et liberos fore decernimus et immunes, exigendam et colligendam per te et alios a te deputandos de omnibus fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis dictarum personarum ecclesiasticarum, exemptarum et non exemptarum, secundum modum et morem ac consuetudinem in exactione et collectione decime in eisdem Civitate et diocesi hactenus observatos duximus imponendam, solvendam in festo omnium sanctorum proxime secuturo. Ideoque circumspectionem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus per te vel alium seu alios a quibuslibet personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, Regnorum ac terrarum et locorum predictorum, supradictis Cardinalibus, magistris ac fratribus, ut prefertur, exceptis, de universis proventibus et redditibus ecclesiasticorum beneficiorum, que habent et obtinent in Regnis ac terris et locis predictis, ipsos, exigas in predicto dominio duodecimam partem predictam, ad solucionem ipsius quoscumque exemptos et non exemptos eosdem ecclesie debitores in eisdem Regnis, terris et locis per censuram ecclesiasticam, et eciam per sequestracionem huiusmodi fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum, si expedire videris, appellatione postposita, compellendo; ita quod ad fructus, redditus et proventus ecclesiasticos alios eorundem extra dicta Regna, terras et loca consistentes huiusmodi compulsionis officium non extendas, nec ad exactionem huiusmodi faciendam in aliquo casu per te vel alium seu alios invoces auxilium brachii secularis, nisi predictorum non solvencium contumacia exigente aliud circa hoc per sedem apostolicam fuerit ordinatum. Et ne de moneta, in qua duodecime predicte solucio fiet et fieri debebit, valeat hesitari, et ut vitemus gravamina, que per hoc viri ecclesiastici pati possent, per te et succollectores tuos ipsam duodecimam ad monetam currentem eorum tempore solucionis ipsius decime levent, et etiam exigant iuxta constitucionem super collectione decime editam in Concilio Viennensi; ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte duodecime non graventur. Huiusmodique duodecimam exiges et exigi facias secundum taxacionem decime in eisdem Regnis, terris et locis hactenus consuetam, vel ubi nulla huiusmodi certa taxacio fuerit, secundum consuetudinem in exactione et solucione huiusmodi hactenus observatam, attencius provisurus, quod per te vel alium seu alios exactionem et collectionem huiusmodi duodecime in dictis Regnis, terris et locis facias absque aliquo onere expensarum eorum, a quibus huiusmodi duodecima exigetur, nisi forte eis deficientibus in solucione huiusmodi in termino supradicto ab huiusmodi eorum defectuum expensas fieri oporteret, ad quarum restitucionem eos teneri volumus et astringi. Quodque circa hoc constitucionem eiusdem Viennensis concilii observans, calices, libros et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignoris vel distraxionis capere seu recipere, distrahere seu quomodolibet occupare per te vel alios non presumas. Non obstantibus, si predictis personis ecclesiasticis et aliis quibuscumque communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad solucionem alicuius duodecime minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi ac toto eius tenore de verbo ad verbum, ac propriis eorum ordinibus, et locorum seu personarum nominibus plenam et expressam non fecerint mencionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgenciis, exemptionibus et litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus seu eorundem ordinibus, et specialiter Cisterciensi, Premonstratensi, Cartusiensi, Grandimontensi, vel eorum universitatibus et singularibus personis generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel conceptione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mencio sit habenda. Datum Rome apud S. Petrum Octavo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. lib. I. fol. 242.

CCCXXI.

Collectoribus Hungariae, ut cum Petro Zowdinger de Buda de voto limina Apostolorum visitandi dispensent.

Augustinus miseracione divina etc. Cardinalis etc. Venerabilibus viris dominis in Regno Ungarie iurium apostolice Camere Collectori et eius in Civitate et diocesi Vesprimiensi Succollectori, salutem etc. Tenore presencium vobis districte precipimus et mandamus, quatenus diligenter et mature consideratis expensis, quas discretus vir Petrus Zowdinger de Buda, laicus dicte Vesprimiensis diocesis, verisimiliter incurrere debuisset iuxta status sui condecentiam in visitando limina beatorum Petri et Pauli Apostolorum de Urbe, que zelo devocionis accensus vovit personaliter visitare, prout in litteris nostris primarie, cuius curam in absencia Reverendissimi in Christo patris et domini Luce miseratione divina tituli sancti Sixti presbiteri Cardinalis de presenti gerimus, quas cum presentibus vobis mittimus, plenius videbitur contineri, habita etiam vera informacione de facultatibus eiusdem, cum eodem Petro componatis ad illam pecunie summam solvendam pro reparacione ecclesiarum Urbis, que vobis videbitur convenire; super quo vestram conscientiam oneramus, ac summam ipsam, ad quam vos componere contigerit, ab eodem petatis et exigatis, et ipsam ad Cameram apostolicam pro reparacione ecclesiarum Urbis indubie convertendam, quanto cito poteritis, transmittere studeatis, concedentes vobis dictum Petrum de solucione vobis pro huiusmodi causa quittandi, liberandi et absolvendi plenarie potestatem, in premissis vos tam diligenter et fideliter habentes, quod de fide et diligencia possitis merito commendari. Quidquid autem in premissis feceritis, illud nobis quantocius per vestras litteras notificare curetis. In quorum etc. Datum Rome MCCCLXXXIX. Indicatione XII. die XXII. mensis Ianuarii. Pontificatus dñi nostri Urbani Pape Sexti Anno Undecimo.

Divers. Cam. lib. I. fol. 6.

EPISTOLAE BONIFACII PP. IX.

CCCXXII.

Ladislao abbati Scepusiensi, ordinis Cisterciensis, ne ipse cetaerique Cistercienses in Hungaria monachi abbati generali eiusdem ordinis, Clementis VII. antipapae sectatori, adhaereant.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Ladislao Abbati monasterii beate Marie Virginis in Scepus Cisterciensis ordinis, Strigoniensis diocesis, Capellano nostro, salutem etc. Pastoralis officii cura nobis licet immeritis ex alto commissa cor nostrum continua pulsat instancia, ut gregem nobis creditum a noxiis et adversis preservare solicita diligencia studeamus, et oves nobis commissas, ne luporum patiantur incursus et eorum morsibus lanientur, satagamus nostre protectionis munimine confovere. Cum itaque, sicut Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Rex et Carissima in Christo filia nostra Maria Regina Ungarie Illustres nobis significare curarunt, et alias ex multorum relatione percepimus, iniquitatis filius Gerhardus, qui se gerit pro Abbate Monasterii Cisterciensis Cabilonensis diocesis, in reprobum sensum datus, iniquitatis alumno Roberto, olim basilice XII. Apostolorum presbitero Cardinali, nunc Antipape, qui se Clementem VII. ausu temerario nominare presumit, etiam post et contra processus per felicis recordationis Urbanum papam VI. predecessorem nostrum contra ipsum Robertum et nonnullos alios complices et fautores factos, et in diversis partibus mundi publicatos, publice adherere et favere presumpserit et presumat, et propterea dilecti filii Abbates, priores, prepositi et alii religiosi predicti ordinis in Ungarie, Dalmatie et Croatie partibus constituti tanquam prudentes et fideles Romane ecclesie filii consortia predicti Abbatis, et aliorum professorum dicti ordinis prefato Roberto adherentium et faventium studeant evitare. Nos cupientes predictorum devotorum et fidelium filiorum statui et honori salubriter providere, ne pretextu scismatis, quo prefatus Abbas et eius complices involuti fore noscuntur, predicti fideles filii circa regularem observantiam et alias possint in eorum iuribus detrimenta subire, dictorum Regis et Regine in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tue, de qua in domino specialem fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos Abbates, priores, prepositos et alios prelatos et religiosos dicti ordinis in dictis partibus consistentes, qui secundum statuta et consuetudines eiusdem ordinis per dictum Abbatem vel de eius mandato visitari consueverunt, eorumque monasteria, prioratus, prepositura et alia loca dicti ordinis in eisdem partibus consistentia, prout etiam in generali Capitulo eiusdem ordinis de mense Septembris proxime preterito, die videlicet beati Lamberti Episcopi et Martiris, pontificatus nostri Anno primo in Romana Curia de nostro mandato celebrato, tibi similiter commissum extitit, usque ad aliud generale Capitulum eiusdem ordinis proxime celebrandum visites tam in capitibus quam in membris. Nos enim tibi in monasteriis, prioratibus, prepositurís et aliis locis predictis corrigenda corrigendi, reformanda reformandi etiam supplendo vices scismaticorum patrum abbatum dictorum monasteriorum

et aliorum prelatorum scismaticorum locorum huiusmodi in dictis partibus consistentium, et in electionibus pro tempore faciendis preessendi, et auctoritatem prestandi, ipsasque confirmandi et alia circa electiones huiusmodi necessaria faciendi et disponendi, que iuxta statuta et consuetudines eiusdem ordinis fieri possint et debeant, ac omnia et singula alia faciendi statuendi, et ordinandi, que per Abbatem Monasterii Cisterciensis, qui est pro tempore, et generale Capitulum dicti ordinis fieri possent et deberent, necnon contradicentes quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volentes et auctoritate predicta decernentes, quod tu et Abbates, priores, prepositi ac prelati predicti et alii quicumque religiosi dicti ordinis in predictis partibus constituti, durante huiusmodi scismate, in nullo teneamini seu debeatis obedire Gerhardo prefato seu eiusdem sequacibus, adherentibus prefato Antipape, quoquomodo, quinymo te et ipsos ab eorundem scismaticorum iurisdictione, dominio et potestate prorsus eximimus, et eciam liberamus, subicientes tam te quam etiam ipsos alios Abbates, priores, prepositos, prelatos et religiosos predictos, illi vel illis, de quo vel quibus in generali Capitulo de nostro mandato pro tempore congregando ordinatum et approbatum extiterit. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus dicto ordini vel eius locis ab apostolica sede concessis, quoruncumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, que quo ad hoc eis nolumus suffragari; seu si Abbatibus, prioribus, prepositis, prelatis et aliis personis eiusdem ordinis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum IV. Idus Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia fol. 292.

CCCXXIII.

Georgio Stratimiri principi Zente, ut civitatem Duracensem, Clementi VII. antipapae adhaerentem, ad obedientiam S. Rom. Ecclesiae reducat.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Georgio Stratimiri de Balssa, domino et principi Czente in Regno Rasie, salutem etc. Cum, sicut accepimus, iniquitatis filius Georgius, quondam Caroli Tobie, natus Domicellus Duracensis, civitatem Duracensem pretextu concessionis de illa sibi seu dicto quondam Carolo eius patri facte per iniquitatis alumnum Ludovicum, qui se gerit pro duce Andegavensi, detineat, prout eciam dictus eius pater nomine dicti Ludovici per nonnulla tempora detinuit occupatam, dictique Ludovicus et Georgius notorie adheserint et faverint, et adherere ac favere perdicionis alumno Roberto olim Basilice duodecim apostolorum presbitero Cardinali, nunc antipape, qui se Clementem VII. ausu temerario nominare presumit, eciam post et contra processus per felicis recordacionis Urbanum papam VI. predecessorem nostrum contra ipsum Robertum ac eius fautores, sequaces et adherentes eidem factos et solempniter publicatos, per quos idem predecessor dictum Robertum velut hereticum et scismaticum puniendum sentencialiter condemnavit, presumpserint ac presumant: nos cupientes, quod dicta civitas et eius cives ac incole ad obedienciam et devotionem nostram et ecclesie Romane reducantur, et de tua prudencia et strenuitate specialem in domino fiduciam obtinentes, Nobilitatem tuam rogamus et hortamur attencius, quatinus omnibus viis et modis, quibus commode poteris, des opem et operam efficaces, ut predicta civitas ac eius cives, incole et habitatores ab obediencia et subiectione Ludovici et Georgii predictorum et quorumlibet aliorum scismaticorum resiliant, et totaliter liberentur, et ad nostram et ecclesie Romane predicte devotionem et obedienciam, prout tenentur, libere convertantur, tenens indubie, quod preter eterne retributionis premium et humane laudis preconium, que proinde mereberis, nostram et apostolice sedis graciam peramplius consequeris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Aprilis. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. litt. div. lib. II. fol. 103.

CCCXXIV.

Idem Georgius se subiicit una cum suis terris Sedi Apostolicae et sub eius protectione suscipitur.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Georgio Stratimiri de Balssa, domino et principi Czente in Regno Rasie, salutem etc. Magne devotionis et sinceritatis affectus, quem ad nos

et Romanam ecclesiam gerere conprobaris, merito promeretur, ut votis tuis favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu ex devocionis fervore deliberato animo desideras, et proponis tam personam tuam ac filios tuos, si quos te habere contigerit, quam eciam omnes civitates, terras, necnon castra et loca tue ditioni subiecta, Romane ecclesie ac nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus subicere, et immediate nobis et successoribus ac ecclesie predictis subesse vis et consentis, et in casu, quo te absque filiis legitimis et naturalibus ex tuo corpore descendentibus decedere contingeret, tue intencionis et voluntatis existit, quod predicta Romana ecclesia in civitatibus ac terris, necnon castris et locis aliis ad te pertinentibus tibi succedat, et illorum dominium libere ad eandem ecclesiam perveniat, et sic propria sponte et ex tua mera liberalitate nobis tua nobilitas offerre curavit. Nos igitur tuum huiusmodi propositum plurimum in domino commendantes, et liberalem oblationem huiusmodi per te nobis factam gratanter acceptantes, et exinde tibi grates quam plurimas referentes nobilitatem eandem hortamur attentius, ut in huiusmodi devotione ac proposito firmiter perseveres, ac illa ad effectum realiter perducere satagas, tenens indubie, quod in hiis, que tuum statum et honorem concernent, semper nos et apostolicam sedem gratiosos ac favorabiles reperies incunctanter. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. litt. div. lib. II. fol. 103.

CCCXXV.

Andreae Blasii canonico Transilvano, ut Iacobo Ruffi canonicatum in ecclesia Albaregali conferat.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Andree Blasii Canonico Transilvano, sal. etc. Dignum arbitramur etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Iacobi Andree dicti Ruffi presbiteri Vesprimiensis diocesis peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie beate Marie Albere-galis dicte diocesis per liberam resignationem dilecti filii Martini Pauli, tunc canonici ipsius ecclesie, per eum de illis in manibus bone memorie Demetrii sanctorum Quatuor Coronatorum presbiteri Cardinalis, tunc in partibus illis dicte sedis legati ac administratoris ecclesie Vesprimiensis in spiritualibus et temporalibus per dictam sedem deputati, extra Romanam Curiam sponte factam, et per eundem Cardinalem tunc administrorem extra eandem Curiam vigore legationis huiusmodi admissam, vacantibus, dilectus filius Iohannes prepositus eiusdem ecclesie, cum ad prepositum ipsius ecclesie, pro tempore existentem ipsorum canonicatus et prebende collatio et provisio de antiqua et approbata, et hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes prefato Iacobo auctoritate ordinaria contulit, et providit eciam de eisdem, idemque Iacobus canonicatum et prebendam predictos vigore collationis et provisionis huiusmodi extitit assecutus. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Iacobus dubitet collationem et provisionem predictas ex certis iuribus non subsistere, et sicut accepimus, dicti canonicatus et prebenda adhuc, ut prefertur, vacare noscantur: Nos volentes eundem Iacobum, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si post diligentem examinationem ipsum Iacobum ad hoc ydoneum esse repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus septuaginta florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Iacobus asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio ad sedem apostolicam secundum Lateranensis statuta Concilii legitime devoluta existat, et persona, per cuius factum ultimo vacaverunt, sedis predicte Capellanus vel nuncius, aut fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collector vel Succollector, aut eiusdem sedis vel alicuius ex Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus familiaris fuerit, et super eis in palatio apostolico inter aliquos lis pendeat indecisa, dummodo dictus Iacobus in dictis canonicatu et prebenda intrusus non fuerit, et tempore date presencium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Iacobo auctoritate nostra conferre et assignare procures; inducens per te vel alium, seu alios eundem Iacobum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et prebende, iuriumque et pertinentiarum predictorum eadem auctoritate, et defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens ipsum Iacobum vel dictum procuratorem pro eo ad huius-

modi prebendam in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignato, sibique de ipsius canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri et quibuscunque aliis constitutionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis; aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in dicta ecclesia speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus dictum Iacobum in assecutionem canonicatus et prebende predictorum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem canonicatuum et prebendarum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si Venerabili fratri nostro . . . Episcopo Vespriniensi, et dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presbiteris non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quo cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; aut si dictus Iacobus prius non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie ratione dictorum canonicatus et prebende solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestet, seu si idem Iacobus, ut asserit, super prepositura, lectoratu seu magistratu nuncupate ecclesie sancti Nicolai extra muros Alberegalis eiusdem diocesis, et super altari sancte Trinitatis, sito in dicta ecclesia beate Marie, quod sine cura est, et quorum fructus, redditus et proventus centum et vigintiquinque Marcharum argenti puri secundum extimationem predictam valorem annuum non excedunt, in palatio apostolico noscitur litigandi. Nos enim, si dictus Iacobus ad hoc repertus fuerit ydoneus, ut prefertur, ex nunc perinde irritum decernimus et inane, si secus super hiis, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac si die date presencium eidem Iacobo ad hoc reperto ydoneo de canonicatu et prebenda predictis cum interpositione decreti provideri mandavissemus. Datum Rome apud S. Petrum Quintodecimo Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia lib. VII. fol. 179.

CCCXXVI.

Lectori Bosnensi, ut Antonio Petri presbytero Zagrabiensi ecclesiam parochialem S. Laurentii M. de Diato Bosnens. dioc. conferat.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio . . . Lectori ecclesie Boznensi, salutem etc. Dignum arbitramur etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Antonii Petri presbiteri Zagrabiensis diocesis petitio continebat, quod olim parrochiali ecclesia sancti Laurencii Martiris de Diato Boznensis diocesis, quam quondam Iohannes Milfe ultimus ipsius ecclesie rector, dum viveret, obtinebat, per ipsius Iohannis obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Boznensis ecclesiam predictam sic vacantem eidem Antonio auctoritate ordinaria contulit, et de illa etiam providit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Antonius dubitet collationem et provisionem predictas ex certis causis iuribus non subsistere, et sicut accepimus, ecclesia predicta adhuc, ut prefertur, vacare noscatur: Nos volentes prefatum Antonium, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem prefatum Antonium bene legere, bene construere et bene cantare, ac congrue loqui latinis verbis, et alias ydoneum ad dictam ecclesiam obtinendam esse repereris, vel eciam si ipse Antonius non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret ad sancta dei evangelia, quod infra an-

annum a tempore examinationis huiusmodi computandum bene cantare addiscet, super quibus tuam conscientiam oneramus, ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus Quadraginta florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Antonius asserit, non excedunt, sive premisso etc. ut in proxima superiori. Datum apud S. Petrum xi. Kal. Maii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia lib. VII. fol. 42.

CCCXXVII.

Epo Zagrabiensi, ut Nicolao de Chap clerico Agriens. ecclesiam parochialem S. Laurentii de Hay Coloc. dioec. conferat.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Zagabriensi, salutem etc. Dignum arbitramur etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Nicolai de Chap clerici Agriensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia Prepositura nuncupata sancti Laurentii de Hay Colocensis diocesis ex eo vacante, quod dilectus filius Hermannus de Lempmitz, tunc ipsius ecclesie rector, parrochialem ecclesiam sive plebanatum in Leuthe Strigoniensis diocesis canonice sibi collatam extitit pacifice assecutus. Venerabilis frater noster Nicolaus Archiepiscopus Colocensis eandem ecclesiam sancti Laurentii sic vacantem eidem Petro auctoritate ordinaria contulit, et de illa eciam providit, ipseque Petrus eandem ecclesiam sancti Laurentii vigore collationis et provisionis huiusmodi extitit pacifice assecutus. Cum autem, sicut èadem peticio subiungebat, dictus Petrus dubitat, collationem et provisionem huiusmodi ex certis causis iuribus non subsistere, et sicut accepimus, dictam ecclesiam sancti Laurentii adhuc, ut prefertur, vacare noscatur: nos volentes eundem Petrum, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinacionem eundem Petrum bene legere, bene construere, et bene cantare, ac congrue loqui latinis verbis, et alias idoneum ad dictam ecclesiam sancti Laurentii obtinendam esse repereris, vel etiam si dictus Petrus non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret ad sancta Dei evangelia, quod infra annum a tempore examinationis huiusmodi computandum bene cantare addiscet, super quibus tuam conscienciam oneramus, predictam ecclesiam sancti Laurentii, cuius fructus, redditus et proventus sexaginta Marcharum argenti puri secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Petrus asserit, non excedunt, sive premisso etc. ut in proxima superiori. Datum Rome apud S. Petrum Sexto Idus Maii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia lib. VII. fol. 134.

CCCXXVIII.

Bertrando epo Eugubino, ut controversiam inter Georgium Galli custodem ecclesiae Quinqueecclesiensis et Benedictum Blasii clericum ciusdem dioecesis de canonicatu in ecclesia Quinqueecclesiensi exortam examinet et dirimat.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Bertrando Episcopo Eugubinensi in Romana Curia commoranti, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Georgius Galli Custos ecclesie Quinqueecclesiensis fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Georgii peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et dilectum filium Benedictum Blasii clericum Quinqueecclesiensis diocesis super Canonicatu et prebenda dicte ecclesie, de quibus tunc ex eo, quod dilectus filius noster Valentinus tituli sancte Sabine presbiter Cardinalis, administrator eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus, per sedem apostolicam deputatus contra quondam Iohannem de Praga, tunc Canonicum eiusdem ecclesie, propter hoc ad sui presentiam evocatum legitime procedens, ipsum Canonicatu et prebenda, quos in dicta ecclesia tunc temporis obtinebat, suis culpis et demeritis exigentibus per suam diffinitivam sententiam, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, auctoritate ordinaria privaverat et amoverat etiam ab eisdem vacantibus, Georgius sibi auctoritate apostolica gratiose et canonice mandatum fuisse provideri, ipsosque Canonicatum et prebendam vigore gratie et mandati huiusmodi sibi deberi, prefatumque Benedictum se gracie et mandato huiusmodi contra iustitiam opposuisse et opponere, ac fecisse et facere, quominus gracia et mandatum huiusmodi debitum sortirentur effectum, et quominus eidem Georgio de ipsis Canonicatu et prebenda provideretur, prefatumque Benedictum Canonicatum et prebendam predictos contra iusticiam occupasse ac detinuisse, et detinere indebite occupatos: Benedictus vero predictus,

eosdem Canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebat, prout asseruit materia questionis. Nos causam huiusmodi ad instanciam dicti Georgii tibi tunc Capellano nostro et causarum palacii apostolici Auditori audiendam commisimus, et fine debito terminandam. Non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam Curiam legitime devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset, et cum potestate citandi dictum Benedictum extra eamdem Curiam et ad partes quotiens opus esset, tuque ad instanciam dicti Georgii eumdem Benedictum extra prefatam Curiam et ad partes, per tuas litteras citari mandasti. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, huiusmodi citatio nondum sit executioni demandata, prefatusque Benedictus liti et cause huiusmodi ac omni iuri, si quod sibi in dictis Canonicatu et prebenda, seu ad eos quomodolibet competit, seu competere potest, sponte et libere cedere proponat: nos votivis ipsius Benedicti in hac parte favorabiliter annuentes, ac eidem Georgio, ne sibi in causa huiusmodi novus adversarius surrogetur, providere, sibique premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex Auditoribus causarum dicti palatii de speciali mandato nostro tenes, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ab eodem Benedicto vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto cessionem huiusmodi, si eam sponte et libere facere noluerit, auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa, eumdem Georgium, dummodo ipse in dictis Canonicatu et prebenda intrusus non fuerit, in iure et ad ius huiusmodi, si quod dicto Benedicto tempore cessionis huiusmodi in prefatis Canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competet, aut competere poterit, auctoritate nostra surroges, ipsumque ius sibi conferas et provideas etiam de eodem, prefatumque Georgium ad huiusmodi ius ac eius prosecutionem et defensionem in eo statu, in quo prefatus Benedictus tempore cessionis huiusmodi erat, et si cessionem huiusmodi non faceret, posset et deberet admitti, admittas et admitti facias, ut est moris, et nichilominus Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus quinquaginta florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Georgius asserit, non excedunt, sive promisso etc. ut in proxima superiori. **Datum Rome apud S. Petrum VII. Kal. Augusti. Anno Septimo.**

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia lib. VII. fol. 46.

CCCXXIX.

Antonio de Teramo constituitur administrator ecclesiae Iadrensis.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio magistro Antonio de Benedicto de Teramo decretorum doctori, Capellano nostro, salutem etc. Grata tue devotionis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendisti, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, nec non fidelis providentia et prudentia circumspecta alieque virtutes, quibus tam per operum experientiam quam etiam per fidedignorum testimonia fulgere dinosceris, fidem nobis indubiam pollicentur, ut ea, que tibi duxerimus committenda, solerti et diligenti studio fideliter exequaris. Cum itaque Venerabilis frater noster Petrus archiepiscopus Iadrensis, nostris et Romane ecclesie servitiis apud sedem apostolicam et in nonnullis aliis terris et locis de mandato nostro habeat insistere: nos, ne propter sui absentiam ecclesiam Iadrensem in spiritualibus et temporalibus detrimenta suscipiat, prout ex debito pastoralis officii tenemur, super hoc cupientes salubriter providere, ac de fidelitate et circumspectione tua in multis et arduis sepius comprobata sumentes in domino fiduciam specialem, te eiusdem ecclesie in eisdem spiritualibus et temporalibus usque ad nostrum beneplacitum Administratorem auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi omnia et singula, que ad huiusmodi administrationis officium pertinent, de consuetudine vel de iure, eodem beneplacito durante, faciendi, ordinandi, statuendi, mandandi, exequendi et complendi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, ordinis vel conditionis existant, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appelatione postposita, compescendi, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, eadem auctoritate facultatem plenam et liberam concedentes, ac districte precipiendo mandantes universis dicte ecclesie subditis, ut tibi, beneplacito ipso durante, in omnibus, que ad officium administrationis huiusmodi quomodolibet pertinent, pareant efficaciter et intendant, alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Tu igitur huiusmodi administrationis officium sic prudenter, fideliter et sollicite exequaris, quod exinde optati fructus adveniant, tuque apud nos et

sedem ipsam de fidelitate, diligentia et prudentia valeas merito commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Octobris. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. litt. div. fol. 46.

CCCXXX.

Eidem censuram ecclesiasticam adversus quoscumque personas in Hungaria et Sclavonia exercendi facultas conceditur.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio magistro Antonio de Benedicto de Teramo decretorum doctori, Capellano nostro, salutem etc. Grata tue devotionis obsequia, que nobis et Romane ecclesie hactenus impendisti et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, nec non litterarum scientia aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam ornari percepimus, nos inducunt, ut personam tuam precipuis gratiis et favoribus apostolicis prosequamur. Hinc est, quod cum te ad Ungarie et Sclavonie et nonnullas alias partes pro certis nostris et Romane ecclesie negotiis peragendis presentialiter destinemus, ut contra omnes et singulos tibi tuisque familiaribus tam in rebus quam in personis iniuriantes possis ubique ecclesiasticam exercere censuram, auctoritate nostra tam in eundo quam stando et redeundo, aliqua contradictione non obstante, tibi tenore presentium de specialis dono gratie concedimus omnimodam potestatem, ratam et gratam habituri omnem sententiam, quam rite tuleris in eosdem, ac eam volumus usque ad satisfactionem condignam ab omnibus inviolabiliter observari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Octobris. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IV. litt. div. fol. 46.

CCCXXXI.

Paulo ep̃o Calcedoniensi nuntio apostolico, ut verbum crucis in Hungaria contra Turcas in subsidium imperatoris Constantinopolitani praedicet et praedicari faciat.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Paulo Episcopo Calcedoniensi apostolice sedis nuntio, salutem etc. Vinee domini Sabaoth, populi scilicet christiani, custodes licet immeriti deputati summopere vigilare compellimur et tenemur, ne singularis ferus de silva, impiissima videlicet gens Teucrorum, qui alias Turchi vulgariter appellantur, vineam ipsam immaniter depascatur, quantumque nobis ex alto conceditur, ut eadem vinea perserveretur illesa, impetum bestiarum illam demoliri cupientium reprimamus. Verum sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium et magistra, suspiria producit ab intimis, oculi eius solvuntur in lacrimas, vehementibus gemitibus ipsius pectora quatiuntur, eo quod preter hostilitates, que a blasphemis crucis adversus fidei professores exercentur extrinsecus, undique bella fremunt intrinsecus, seditiones intestine dilaniant, et inquietant domestice simultates, gladiusque fidelium, qui foret contra hostium fidei cuneos exercendus, conversus in proximos proh dolor! inebriatur sanguine christiano, et quod acrius extorquet mentem nostram, scelerati filii quasi quodam ceco furore vexati armantur in matrem, ac illum, ex quo prodierunt, uterum nituntur pravis viribus lacerare: quo fit, ut nos una cum memorata ecclesia, legitima sponsa nostra, circa exhibitionem oportuni subsidii in hac parte iuxta desiderium nostrum et officii nostri debitum manus adiutrices extendere nequeamus. Sane licet iam pridem non sine parva mentis amaritudine ad nostrum fama publica perduxisset auditum, quod perfidus ille Baysetus Princeps Turchorum manu potenti et brachio extento in christianum populum immani feritate feraque immanitate extiterat debachatus, et quod propterea deleta fuerat christianorum maxima multitudo: tamen nuper dilectus filius nobilis vir Ilarius de Auria, Domicellus Ianuensis, et cognatus ac nuntius Illustris Principis Manuelis Paleologi Imperatoris Constantinopolitani, ad apostolicam sedem per ipsum Imperatorem propterea destinatus, auribus nostris lacrimabiliter intimavit, quod prefatus Baysetus, quodammodo securitate concepta, quod christianus populus de recepta preterita confusione non pudeat, et de tanto pudore verecundia non suffusus post terga reiecerat contumelias et ruinas illatas sibi per blasphemos nominis Iesu Christi, et quod converterit gladium in propria viscera, in hostes orthodoxe fidei solitum exerceri, ac negligat causam Christi, de tanta negligentia subsannans et glorians cepit vires congerere et conflare potentiam non solum ad exterminium civitatis Constantinopolitane et circumposite regionis ceterarumque terrarum, que a fidelibus in illis partibus habitantur, verum etiam ad invadendum Wlachie et Ungarie regna personaliter se accinxit, spem gerens, civitatem, regionem et terras et regna predicta, imo universitatem christiani populi, quod avertat, bone Iesu! funditus evertere, et prorsus extinguere, si eius in-

fando proposito possibilitas responderet. Attendat populus christianus, quantus sibi ex hoc pudor, quantave confusio resultaret. Ecce iam crebris infidelium arietibus fidei catholice fundamenta pulsantur, et nemine opem ferente, christianorum reliquie illarum partium dantur excidio. Considerent insuper christiani, si, quod absit, prefatus Imperator in ditionem ipsius veniat Bayseti, quod heu! futurum esse conspicimus, nisi christianus populus dicto Imperatori tam potenter quam celeriter studeat subvenire, in quanto periculo foret universitas christiani populi constituta. Hec igitur populus ipse devota meditatione considerans erigat animos, et in auxilium Imperatoris memorati totis viribus accingatur. Nam licet Imperator ipse vetustorum errorum anfractibus circumdatus in plena obedientia nostra et apostolice sedis non consistat, tamen quia per eum et populos sibi subiectos invocatur salutiferum nomen Christi, et speramus, quod superne gratie radio illustratus in processu temporis ad ecclesie catholice redeat unitatem: attente pensantes publicum malum atque periculum christianitatis matura deliberatione, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, mentes fidelium in subsidium dicti Imperatoris, et per consequens christiane religionis salutaribus et paternis persuasionibus decrevimus excitare. Ideoque virum ad hec promovenda perutilem eligere cupientes, super quo cum eisdem fratribus solerti facto scrutinio, prout talis et tanti negotii qualitas exigebat, tibi, cui de litterarum scientia, fidei puritate, virtutis constantia et circumspecta providentia apud nos fide digna testimonia perhibentur, predicationis officium in civitatibus, terris, castris, oppidis et locis aliis universis in nostra et ecclesie Romane obedientia constitutis, preterquam in regno Ungarie ac civitatibus, terris et locis aliis subiectis Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri, ad cuius instantiam predicationem salutifere crucis in dicto regno Ungarie et nonnullis aliis locis dudum duximus committendam, nisi forsan ad id ipsius Regis assensus accederet, per te vel alium seu alios, quos ad hoc idoneos fore cognoveris, contra hostes fidei, Baysetum videlicet antefatum, et gentem perfidam Theucrorum, qui civitatem Constantinopolitanam et Imperatorem prefatos incessanter infestant, de dictorum fratrum consilio presentium auctoritate committimus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus calamitosum nec minus periculosum totique christianitati dampnosum civitatis et Imperatoris predictorum statum, nec non premissa omnia christifidelibus diligenter exponens, eos iuxta prudentiam a domino tibi datam attentis inducas monitis et sedulis predicationibus exhorteris, ut cogitantes prudenter, quod Imperator et civitas prelibati a cunctis fidelibus liberationis sue subsidium expetunt et remedium auxiliationis eorum expectant, ad vindicandum christiani nominis opprobria et liberandum eosdem Imperatorem et civitatem promptis intendant animis, et suas ad id habilitent facultates, ac de bonis sibi a deo collatis studeant largitiones tam promptas quam uberes elargiri. Ut autem huiusmodi ministerium per nos tibi iniunctum eo facilius atque felicius prosequi valeas, quam per sedem predictam munitus fueris prerogativa privilegii potioris, fraternitati tue, de qua specialem in domino fiduciam obtinemus, locorum ordinarios, ad quos propterea te declinare contigerit, ut ipsi per se vel alios idoneos et fidei zelo ferventes predicatores suarum civitatum et diocesium diebus dominicis et festivis infra missarum solempnia et alias, prout eis melius et magis opportunum videbitur, christifidelibus premissa proponant, seu proponi faciant, sperantes, quod fideles inaniment et inducant ad erogandum pias elemosinas pro prosecutione negotii prelibati, auctoritate nostra requirendi hac vice duntaxat plenam tenore presentium concedimus facultatem, contradictores auctoritate nostra etc. Non obstante, si prefatis locorum ordinariis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicatio in hac parte impediri valeat quomodolibet vel differri. Et ut ipsi fideles premissa tanto libentius atque ferventius prosequantur, quanto ex eorum labore mercedem se noverint percepturos, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa, que nobis licet immeritis est divinitus tradita, potestate omnes et singulos, qui pro liberatione et subsidio Imperatoris et civitatis predictorum manus adiutrices porrexerint ac predicaverint, ut prefertur, illam suorum peccaminum, de quibus fuerint veraciter corde contriti et ore confessi, veniam consequi volumus, que per sedem prefatam concedi consuevit elemosinas erogantibus seu predicantibus in subsidium terre sancte, ac eis in retributione iustorum augmentum eterne beatitudinis pollicemur. Cete-

rum, ut oblationis et elemosine, quas fideles ipsi pro huiusmodi pio negotio, dante domino, erogaverint, ad manus dicti Imperatoris cum omnimoda integritate proveniant, volumus, quod in singulis ecclesiis principalibus civitatum, terrarum et locorum, in quibus te, ut premittitur, predicare et ad que te adire contigerit, singuli trunci ponantur tribus clavibus consignati, in quibus oblationes et elemosine huiusmodi reponantur; quarum quidem clavium singule per singulos tres boni testimonii viros ecclesiasticos vel seculares, per te et dictum Ilarium cum consilio dilectorum filiorum regiminis civitatis seu loci illius eligendos seu deputandos, teneantur, in aliis vero locis idipsum disponere valeas secundum distantiam et dispositionem locorum per te cum dicto Ilario, vel per prefatos procuratores in locis, que eis duxeritis deputanda; quodque pecunie, que ex huiusmodi oblationibus et elemosinis fuerint congregate, per dictos tres viros Venetias vel Ianuam cum bona et diligenti cautela et sub fida custodia transmittantur, et quod pecunie huiusmodi, que Venetias transmittentur, ut prefertur, per Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Castellanensem et dilectos filios nobilem virum ducem et consilium Venetiarum apud certum Banchum vel plura, quod seu que ipsi Episcopus, Dux et Consilium ad hoc eligenda duxerant, deponantur, per eosdem Ducem et Consilium Imperatori prefato postmodum transmittende; super qua quidem transmissione et quantitate pecuniarum, ut per litteras Episcopi, Ducis et Consilii predictorum certi efficiamur, tu una cum memorato Ilario sollicite studeas procurare. Ille vero pecunie, que Ianuam per eosdem viros transmitti forte contigerit, per Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Ianuensem et dilectos filios nobiles viros Antonium Grillum et Nicolaum Lomellinum, domicellos Ianuenses, de quorum probata fidelitate et timore dei apud nos fide digna testimonia perhibentur, etiam apud aliquod Banchum seu plura, quod seu que ipsi ad hoc elegerint, deponantur, et predicto Imperatori per eosdem, ut premittitur, transmittantur; super qua etiam transmissione et quantitate pecuniarum per eorum patentes litteras sigillis ipsorum munitas volumus esse certi. Presentibus post unum annum et sex menses a data presentium computandos minime valituris. Datum Rome II. Non. Martii. Anno Decimo. **Ex Reg. orig. An. X. litt. div. fol. 99.**

CCCXXXII.

Epo Varadiensi, ut Electum Transilvanum ad solvendos fructus primi anni censura ecclesiastica cogat.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Waradiensi, salutem etc. Cum dilectus filius Lucas Iohannis de Florentia mercator, in Romana curia nomine et vice dilecti filii Nicolai Electi Transilvani pro fructibus primi anni Camere nostre debitis ratione dicte ecclesie certam pecunie quantitatem, prout in quodam Instrumento publico plenius continetur, solverit realiter cum effectu ad instantiam et requisicionem dilecti filii Petri de Suessa archidiaconi Zolensis in ecclesia Strigoniensi, dicti Electi procuratoris, prout de eius procuratore quodam alio publico Instrumento plenius continetur: nos volentes indempnitati ipsius Luce salubriter providere, volumus et decernimus per presentes dictum Nicolaum Electum, si in restitutione dicte quantitatis in termino in Instrumento contento defecerit aut noluerit, dicti Petri procuratoris ad id accedente consensu, excommunicationis eo ipso sententia innodatum: et ut dictus mercator huiusmodi summam celerius consequatur, quo gravius senserit se contra dictum Electum posse procedere, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si, quod absit, in alio termino per te ei prefigendo non satisfecerit competenter mercatori predicto seu eius legitimo procuratori, ad omnem ipsius Luce mercatoris seu procuratoris sui petitionem prefatum Electum sic excommunicatum facias in ecclesiis, quando maior populi multitudo conveniret ad divina, publice nunciari, et a Christifidelibus arcius evitari, donec satisfecerit in premissis, et alias contra eum ad graviora procedas, appellatione cessante, prout iustitia suadebit. Non obstante, si eidem Electo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome VI. Id. Aprilis. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. lit. div. fol. 347.

CCCXXXIII.

Angelus card. S. Laurentii legatus a latere in regnum Hungariae mittitur.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Angelo tituli sancti Laurentii etc. salut. etc. Rex excelsus, filius summi regis, deus et homo Christus Iesus, quem legi necessitas non subiecit, sed factus

est voluntate sua sub lege, de celorum summis ad ima mundi descendens, ut eriperet hominem de laqueo servitutis, in quem ipsum impigerat suggestio serpentina, vestem nostre mortalitatis induit, volens per propriam aspersionem sanguinis incendia perpetui extinguere cruciatus, ut suos eterna morte possessos vite perennis efficeret possessores. Ipse quidem commisse sibi in regione peccaminum officium legationis exercens, in universum mundum discipulos, quos elegerat, destinavit, ut omni predicarent evangelium creature, vicarium suum instruens nonnunquam alios eius exemplo in partem sollicitudinis avocare, ubi officii sui debitum corporalis absentia solvere prohiberet. Licet enim sit nobis potestatis plenitudo commissa, fines tamen humane possibilitatis excedere non valemus, ut, dum in parte una iniunctum nobis officium exercemus, illud alibi presentialiter exequamur: quia lex conditionis non permittit, personam eandem simul in diversis partibus creditam sibi presentialiter exequi potestatem, nec etiam patitur ius nature corpus unum eodem tempore locis pluribus comprehendi. Unde cum suscepti a nobis cura regiminis nos universis Christifidelibus constituat debitores, ne quos negligentie relinquamus expositos. Sane inter cetera desiderabilia nostri cordis animarum salutem, incrementum vere fidei, observantiam ecclesiastice libertatis, quietem et pacem cunctis Christifidelibus adesse desiderabiliter affectantes, sedula solertia vigilamus et adhibemus, quantum possumus, diligentie nostre studium, ut hec fidelibus ipsis laudabiliter possint, submotis impedimentis quibuslibet, iuxta nostri desiderii plenitudinem, actore domino, provenire. Sed quamvis universis et singulis regionibus deo et apostolice sedi devotis favorem apostolicum, quotiens necessitas ingruit, impendere debeamus, et ad eas nostre mentis diffundamus intuitum, levando in circuitu vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos, visuri quid gregi commisso nobis expediat, et quid operis impendi debeat circa ipsum; ac illius fulti presidio, cui cogitationes hominum preparantur, quique fortium actus superat, et infirmos robore potenter accingit, ministerii nostri sollicitudinem ad ea presertim, que fidelibus populis necessario expedire viderimus et noverimus profutura, salubriter et utiliter exponamus: impresentiarum tamen Ungarici regni nobilis necessitates precordialiter intuemur, profundis meditationibus laboriosisque vigiliis insudando, ut eidem in huiusmodi necessitatum articulis, et maxime ut assistentia tam spiritualis quam temporalis Carissimo in Christo filio nostro Ladislao Regi Sicilie Illustri circa recuperationem regni Ungarie ac partium predictorum, aliorumque iurium in illis et aliis partibus eidem Regi quomodolibet competentium valeat efficacius exhiberi, oportunum adhibeatur, auxiliante domino, consilium, salubreque remedium impendatur. Unde cum hostis humani generis, pacis emulus et zizanie seminator, ab olim in eodem regno turbationes et scandala suscitarit, ex quibus regale solium et ipsius regni regimen sunt depressa, vastatis fidelium bonis, ecclesiarum et locorum direptis iuribus, pessumdata dampnabiliter ecclesiastica libertate, ac subsecutis exinde animarum periculis, deplorandis personarum nephandis excidiis, et aliis fere innumeris detrimentis: nos exinde graves et amaras gessimus et portamus in mente nostra puncturas, dum miserabilis illius regni conditio et commissorum inibi enormitas excessuum infra nostra precordia revolvuntur: et utinam desuper datum esset, ut cum honore dei et ecclesie ac aliorum salubri statu fidelium posset commode circa tantum negotium exhiberi nostra presentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi presentialiter nostrum desiderium panderemus. Sed quia id conditio nostra non patitur, et innumera negotiorum undique concurrentium varietate distrahimur, illos in partem apostolice sollicitudinis de latere nostro nonnunquam assumimus, quibus fore percipimus celesti dono provisum, ut altis et arduis negotiis sciant et possint consulere provide, ac utili consilio providere. Attendentes itaque, quod personam tuam altissimus gratiarum donis scientiarum magnitudine, providentie munere, circumspectionis gratia, industrie claritate multisque virtutibus insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adiiciens, ut ad laudem sui nominis frequenter onera grandia supportares; plenissimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, licet apud sedem apostolicam ex eminentia tui consilii valde necessarius habearis, nosque inviti quodam modo tanti viri presentia careamus, tamen propter urgentem et inevitabilem necessitatem dicti regni, cui speramus in predictis per tuam industriam circumspectam, illo tibi auxiliante, qui potest salubriter consulere, utiliter subvenire, ad prefatum regnum, commisso tibi plene legationis officio in eodem regno ac in Sclavonie, Dalmatie, Croatie, Rascie, Bosne, Valachie et Bulgarie partibus, ut in eis evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices, plantes et statuas in nomine domini, sicut videris expedire, de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum destinemus; iniuncto tibi nichilominus, ut in regno ipso tam ibidem quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros, et universos alios cuiuscunque

conditionis, preeminentie, status agas et tractes, que ad cultum dei et predicte sedis honorem, observantiam ecclesiastice sanctionis, integritatem ecclesiastice libertatis, consecutionem regni et iurium prefatorum pro dicto Ladislao, robur prosperi status regni et provinciarum predictorum, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum ac animarum salutem et tranquillitatem corporum pertinebunt. Et ut circa legationis officium, quod in eodem Regno Ungarie ac aliis provinciis ac partibus supradictis tibi duximus committendum, eo possis facilius prosperari, quo more solito legatorum, qui missi de latere transeunt adornati insigniis, personam nostram quodammodo presentabis, de speciali gratia apostolica tibi auctoritate concedimus, ut eisdem insigniis infra predictum regnum Ungarie duntaxat uti libere valeas, predicte legationis officium prosequendo; ita tamen quod premissis insigniis in aliis commissis partibus, provinciis et locis aliquatenus non utaris, ut id, quod in hac parte tibi pro evidentibus necessitatibus et utilitatibus regni predicti et terrarum earumdem conceditur, ad aliquam consequentiam pretextu concessionis huiusmodi in regno et terris eisdem propter hoc imposterum non trahatur. Quocirca circumspectioni tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus iniunctum tibi onus laboris huiusmodi pro divina et nostra reverentia devote suscipiens, illud sic sollicite et viriliter et laudabiliter iuxta datam tibi a deo potentiam exequaris, quod de tuis studiosis laboribus, celesti tibi favente clementia, sperati fructus adveniant, tuque per sollicitudinis tue ministerium illam, que pias causas gerentibus pro retributione rependitur, palmam glorie feliciter consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kal. Iunii. Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia lib. IX. fol. 147.

CCCXXXIV.

Eidem absolvendi ab excommunicationis poena conceditur facultas.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Angelo tituli sancti Laurentii etc. salutem etc. Cum te ad Regnum Ungarie etc. usque destinemus: Nos volentes illa tibi concedere, per que te possis reddere aliis gratiosum, circumspectioni tue, postquam limites tue legationis fueris ingressus, quascunque personas utriusque sexus ecclesiasticas et seculares seu etiam religiosas ab omnibus et singulis excommunicacionum et interdicti, et aliis quibuscunque sententiis et penis in eas quavis auctoritate prolatis, quas eedem persone quovis modo vel ex quacunque causa, et interdicta apostolica vel alia quavis auctoritate prolata violando incurrissent, in forma ecclesie consueta absolvendi, iniunctis eis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungendi, ipsosque ad statum et famam pristinos restituendi et cointegrandi, omnemque inhabilitatis et infamie maculam per ipsos premissorum occasione contractam abolendi, necnon cum illis ex eisdem personis, que ecclesiastice fuerint, super irregularitate, si quam forsitan sic ligate, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina, vel immiscendo se illis contraxissent, et quod quecunque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si canonicatus et prebende ac dignitates, personatus et officia in Metropolitanis vel Cathedralibus vel Collegiatis, et dignitates ipse in Metropolitanis vel Cathedralibus maiores post pontificales, aut in Collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint et ad eas consueverint qui per electionem assumi, obtinere possint, Constitutionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus, quibuscunque, dispensandi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Rome apud S. Petrum quarto Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia lib. IX. fol. 147.

CCCXXXV.

Eidem schismaticos et adhaerentes antipapae absolvendi facultas datur.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Angelo tituli sancti Laurentii in Damaso presbitero Cardinali apostolice sedis legato, salutem etc. Consueta apostolice sedis clementia erga illos, qui a gremio sancte matris ecclesie discesserunt, et ad illam in humilitatis spiritu revertuntur, libenter piis affectibus exercemur, ut hiis, qui sic redeunt, tanto erga ipsam ecclesiam fideliores existant, quanto illius benignitatem gustaverunt pleniorem. Tue igitur circumspectioni, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam pleniorem, omnes et singulas personas tam ecclesiasticas, quam etiam seculares, regulares et laicales, cuiuscunque status, gradus, conditionis, preeminentie, dignitatis vel condicionis extiterint, tam nostros et Romane ecclesie subditos, quam eciam quoscunque alios, qui dudum damnate

memorie Roberto olim Basilice duodecim Apostolorum presbitero Cardinali tunc Antipape, ac eorum sequacibus et fautoribus credentibus et adherentibus eisdem, aut aliis per processus apostolicos condempnatis adhererint et faverint per se vel alium seu alios publice vel occulte directe vel indirecte, eisque vel eorum alicui prestiterint auxilium consilium, vel favorem, et qui propterea excommunicationis suspensionis et interdicti sententias atque penas alias spirituales vel temporales per fe. re. Urbanum papam VI. predecessorem nostrum, aut per nos aut quoscunque alios predecessores nostros Romanos pontifices aut apostolice sedis legatos, seu alios auctoritate sedis eiusdem vel alia qualibet latas, inflictas et promulgatas incurrerint quoquomodo, necnon Romane ecclesie rebelles, postquam ad veram et debitam obedientiam ipsius ecclesie redierint, et hoc a te humiliter petierint, ab huiusmodi sententiis et penis, etiam si earum absolucio sit Romane ecclesie specialiter reservata, auctoritate nostra, quotiens opus fuerit et eidem circumspectioni videbitur expedire, absolvendi auctoritate nostra iuxta formam ecclesie consuetam, iniunctis personis ipsis pro modo culpe penitencia salutari, et quod de cetero similia non committent, nec ea facientibus prebeant auxilium, consilium vel favorem, et aliis, que de iure fuerint iniungende, et insuper interdicta, quibus ecclesie, monasteria et alia loca ecclesiastica ac civitates, opida, castra, ville et loca huiusmodi delinquentium in premissis propter huiusmodi eorum culpas essent supposita, relaxandi, et nichilominus cum personis eisdem, premissa per eos debita et solita abiuratione et iuramento, in talibus fieri consueto per dictum Urbanum predecessorem ordinato, super irregularitate, si quam sic legate, aut in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina, non tamen in contemptum clavium, celebrando vel immiscendo se illis contraxerint, ipsis prius etiam ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum executione suspensis, dispensandi, et omnis infamie maculam sive notam per eas vel earum aliquam premissorum occasione contractam plenarie absolvendi, ipsos omnes et singulos quorumcunque laicorum et secularium personarum filios et nepotes, ac alias personas quaslibet quascunque ecclesiasticas ad quecunque beneficia etiam curata obtinenda, et ad omnia et singula, ad que per sententias et processus huiusmodi inhabiles forsitan reddebantur, habilitandi et habiles reddendi, et ad omnia privilegia, indulgentias, gratias, immunitates ac exemptiones reales et personales eis, seu eorum alicui vel aliquibus per dictam sedem vel alias concessa, necnon ad feuda, honores, iurisdictiones, bona et iura, que obtinebant prius, necnon ad famam et statum, in quibus erant antequam decederent seu delinquerent in premissis, dummodo in eisdem feudis, honoribus, officiis, bonis, iuribus et iurisdictionibus tempore restitucionis ad ea perficienda non sit alicui specialiter ius quesitum, in integrum restituendi; et nichilominus omnes et singulas personas huiusmodi, que redire non curaverint ad ecclesie unitatem et ad veram et debitam obedientiam et fidelitatem nostram et dicte ecclesie, omnibus et singulis beneficiis privandi et privatos fore et esse declarandi, et deinde omnia et singula beneficia huiusmodi, quibus eos per te privatos declarare contigerit, ut prefertur, alii seu aliis, de quibus tibi videbitur, dum tamen quolibet beneficiorum huiusmodi summam centum et quinquaginta florenorum auri fructus redditus et proventus valorem annuum non excedant, eadem auctoritate libere conferendi, et eis etiam de hiis providendi, ac in corporalem possessionem eorumdem beneficiorum personas, quibus, ut prefertur, contuleris, inducendi, sibique de huiusmodi fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre provideri faciendi, et ab eis alias personas huiusmodi, quas privaveris, amovendi et amoveri faciendi cum clausulis et non obstantibus necessariis et oportunis; et insuper eos, qui a dicto Roberto olim Antipapa vel alio eius nomine aut eorum sequacibus adherentibus beneficia quecunque receperint, vel sibi conferri et de eis provideri fecerint, premissa per eos abiuratione predicta absolvendi, eisdemmet personis, si tibi videbitur expediens et hoc humiliter petierint, post absolucionem et abiuracionem huiusmodi de novo conferendi et de illis etiam providendi, et nichilominus cum personis ecclesiasticis, que ab eodem Antipapa, vel eius mandato seu aliis supradictis scienter vel ignoranter sacros ordines receperint, prout tue circumspectioni videbitur, dispensandi, ut sic susceptis libere ministrare valeant, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod de nominibus et cognominibus beneficiorum huiusmodi et personarum, quibus ea per te conferri et de illis provideri contigerit, ut prefertur, ac de die collationum huiusmodi Cameram apostolicam vel gentes ipsius certificare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum quarto Non. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia lib. IX. fol. 144.

CCCXXXVI.

Eidem extendit iura et facultates legationis suae ad Bohemiae et Poloniae regna.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Angelo tituli sancti Laurentii in Damaso presbitero Cardinali apostolice sedis legato, salutem etc. Cum te ad Regnum Ungarie, nec non Sclavonie, Dalmacie, Croacie, Razie, Bozne, Valachie et Bulgarie partes commisso tibi in illis plene legacionis officio pro quibusdam arduis nostris et Romane ecclesie negociis, ac ut assistenciam tam spiritualem quam temporalem, quantum divinitas concesserit Carissimo in Christo filio nostro Ladislao Regi Sicilie Illustri circa recuperationem Regni et partium predictorum, et aliorum iurium in illis et aliis partibus eidem quomodolibet competentium, circumspectio tua exhibere valeat, nec non pro salute et pace principum, magnatum ac populorum Regni et partium prefatorum tamquam pacis angelum presentialiter destinamus: Nos volentes, ut commissum tibi dicte legacionis officium eo efficacius exequi valeas, quo maiori fueris per nos auctoritate munitus, Circumspectioni tue quotienscunque ad Regna Bohemie ac Polonie aut ipsorum alterum pro tractandis aut exequendis aliquibus negociis, statum honoremque nostrum ac Romane ecclesie aut officium huiusmodi tue legacionis quomodocunque concernentibus seu dependentibus, quovis modo eamdem tuam circumspectionem declinare contigerit, ac in eis seu eorum altero personaliter residere volumus, et eidem circumspectioni tue, tua legacione durante, ut quotienscunque ad Regna Bohemie atque Polonie supradicta seu ipsorum alterum pro tractandis seu exequendis negociis huiusmodi accesseris, etiam cum perceptione procuracionum ac evehectionum, pontificaliumque insigniorum usu et aliis privilegiis et indultis, omnibusque et singulis potestatibus ac facultatibus, quibus in Regno Ungarie vel aliis partibus supradictis per formam aliarum litterarum nostrarum super eadem tua legacione concessarum quomodolibet uti potest, que omnia et eorum tenores hic alias de verbo ad verbum haberi volumus pro sufficienter expressis, in dictis Bohemie ac Polonie Regnis et eorum utroque, quamdiu in ipsis Bohemie ac Polonie Regnis seu eorum altero residere contigerit, uti, exercere ac procurationes exigere et percipere valeas in omnibus et quoad omnia, prout in Regno Ungarie et aliis partibus supradictis uti, exercere, exigere et percipere potes, extendentes potestates et facultates huiusmodi ad Regna Bohemie et Polonie supradicta et eorum utrumque, et perinde haberi volentes, ac si in legacione facultatibus et litteris ipsis de Bohemie et Polonie Regnis huiusmodi plena et expressa mencio haberetur, constitutionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque, auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus. Datum Rome apud S. Petrum quarto Non. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. secr. lib. IX. fol. 160.

EPISTOLAE GREGORII PP. XII.

CCCXXXVII.

Henrico de Piscina fructuum ac proventuum camerae apost. in Strigoniensi et Colocensi provinciis collectori, et collegae suo super caritativi subsidii impositione.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Henrico de Piscina de Mediolano, Preposito ecclesie beate Marie de Asilo Tervisine diocesis, fructuum et proventuum Camere apostolice in Strigoniensi et Colocensi Provinciis debitorum Collectori, ac Magistro Antonio de Gualdo decretorum doctori, scriptori et familiari nostro, salutem etc. Cum ad sustinenda expensarum profluvia, que pro extirpatione huius lugubris et pestiferi scismatis nos subire oportet, apostolice Camere redditus, que iam diu exhausta substantiis et ero alieno gravata a creditoribus infestatur, omnino non suppetant: nos hodie, ne tanti boni prosecutio temporalium destitutione tardetur, de fratrum nostrorum consilio deliberavimus ab universis Prelatis et Cleris aliquod subsidium petere, ut desiderabilis unionis conclusio subsequatur. Quapropter vos, de quorum fide plenam in domino fiduciam obtinemus, in Ungarie, Bohemie, Polonie, Sclavonie, Dalmatie et Croatie Regnis, ac Austrie et Saxonie Ducatibus, nec non in Brandeburgensi et Moravie Marchionatibus ac Ragusina et Antibarensi provinciis taxatores, coactores et receptores dicti subsidii tenore presentium deputamus, discretioni vestre subsidium predictum, quod in dictis Regnis, Ducatibus, Marchionatibus et provinciis imponimus per presentes, taxandi, petendi et exigendi, contradictores etiam et rebelles per censuram ecclesiasticam, subtractionem fructuum ecclesiasticorum et alia iuris remedia, appellatione postposita, compellendi, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, facultatem vobis plenariam concedentes. Volumus autem, quod in solutione huiusmodi subsidii omnes Patriarche, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, Prepositi, Archidiaconi, hospitalium et beneficiorum quorumcunque Rectores et omnes clerici ecclesiasticeque persone exempti et non exempti seculares et regulares ordinum quorumcunque, etiam sancti Iohannis Ierosolimitani et beate Marie Teutonicorum, Cartusiensis, Cisterciensis, Predicatorum, Heremitarum sancti Augustini, Carmelitarum et Minorum, sancte Clare etiam minorissarum et aliorum Mendicantium, qui in predictis Regnis, Ducatibus, Marchionatibus et provinciis possessiones aliquas obtinent, Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, quos una nobiscum pro eadem causa similium sumptuum onera subire oportet, duntaxat exceptis, iuxta taxam per discretionem vestram fiendam, super qua vestram conscientiam oneramus, omnino et cum effectu contribuant: nec eis aut eorum alicui privilegium aliquod aut indulgentiam sub quacunque verborum forma vel expressione concessum quo ad hoc volumus suffragari, et quod vobis nomine dicte Camere recipientibus dictum subsidium persolvatur iuxta

constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi; ita quod pretextu alicuius cambii solutores dicti subsidii non graventur, aut calices, libri et adornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignorum vel alias nullatenus distrahantur vel etiam capiantur. Vobis etiam eadem auctoritate concedimus, quod illos, quos ex defectu non facte solutionis huiusmodi contingeret ecclesiasticam censuram incurrere, ab ea post satisfactionem huiusmodi absolvere et cum eis super irregularitate, si quam forte sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, valeatis dispensare; et si aliqui ex predictis personis ad solutionem huiusmodi subsidii omnino impotentes aut parum potentes extiterint, ultra suarum exigentiam facultatum nullatenus compellantur; super hoc etiam vestram conscientiam onerantes. Volumus etiam, quod illi, qui vobis dictum subsidium infra terminum per vos eis prefigendum exolverent, ad solutionem currentis decime triennalis per collectores aut subcollectores deputatos ad hoc pro uno integro anno, qui duos terminos continet, nullatenus compellantur; quibus etiam solventibus predicto uno anno eandem decimam nos liberaliter remittemus et donamus. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, et de una et de duabus dietis in consilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque; seu si eisdem Episcopis, Prelatis et aliis personis ecclesiasticis vel quibuscumque aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod ad solutionem huiusmodi subsidii minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto eius tenore de verbo ad verbum et propriis ipsorum ordinum, locorum et personarum nominibus et cognominibus plenam et expressam non fecerint mentionem; et quibuscumque privilegiis, indulgentiis et exemptionibus et litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus seu ordinibus, et specialiter sanctorum Benedicti et Augustini, Cisterciensis, Premonstratensis, Cartusiensis, Camaldulensis, Grandimontensis, Vallisumbrose, Cruciferorum et Humiliatorum et ipsorum universitatibus generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel conceptione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus ac de verbo ad verbum in nostris litteris plena et expressa mentio sit habenda; seu si eisdem Prelatis, Clero, ecclesiis, monasteriis, capellis, hospitalibus, ordinibus, capitulis, conventibus, aut secularibus quibuscumque personis vel Cleris et ordinum quorumcunque quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad solutionem huiusmodi subsidii seu alterius oneris minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas de indulto huiusmodi et toto eius tenore, ac de verbo ad verbum et propriis ipsorum ordinum, locorum et personarum nominibus plenam et expressam non facientes mentionem; et quibuslibet privilegiis, indulgentiis, et presertim privilegio felicis recordationis Nicolai pape quarti, predecessoris nostri, Abbatissis, priorissis, et monialibus ordinis sancte Clare et aliorum ordinum quorumcumque, ut dicitur, concesso, quo indulget eisdem, ut ipse vel alique ipsarum ad prestandum subventionem quamcunque, vel ad contribuendum in exactionibus vel collectis seu subsidiis aliquibus per litteras dicte sedis minime teneantur, nec ad id cogi possint, etiam si in huiusmodi litteris sedis eiusdem contineatur, quod ad quevis exempta loca et monasteria se extendunt, nisi forsan littere ipse dicte sedis de indulto huiusmodi et ordine ipsorum ac de nomine Cardinalis, cui gubernatio et protectio fratrum Minorum et etiam cura monasterii Abbatissarum et monialium predictarum pro tempore commisse fuerint, plenam et expressam fecerint mentionem, quibus non obstantibus, declaramus nostre intentionis fuisse et esse, quod Abbatisse et moniales predicte, ac omnes et singuli supradicti ad contribuendum in subsidio supradicto omnimode teneantur, etiam si nobis et ecclesie Romane fuerint immediate subiecti, et quibuslibet aliis exemptionibus et litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus et ordinibus generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel expressione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in ipsis litteris plena et expressa mentio sit habenda. Volumus autem, quod quicquid ratione huiusmodi subsidii percipietur, per litteras cambii ad nos dirigere fideliter et caute ac celeriter aut per vos ipsos per modum tutum deferri curetis. Vos igitur in premissis adeo laudabiliter ac moderate equalitatem servando procedere studeatis, quod apud nos et sedem ipsam possitis merito commendari. Datum Senis xv. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. II. fol. 16.

CCCXXXVIII.

Universis Christi fidelibus, ut cum rege Hungariae per se vel alios pro se mittentes contra Turcas et infideles irent.

Gregorius episcopus etc. Dil. filiis Universis et singulis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. In vinea domini Sabaoth, sancta videlicet et universali ecclesia, cultores atque custodes quanquam immeritos inscrutabilis dispositione consilii deputatos attentius vigilare nos convenit, ne gens impiissima de silva tanquam effera progrediens, videlicet Theucrorum, quos Turcos vocant, Arianorum, Manicheorum ac aliorum perfidorum infidelium, vineam ipsam inhumaniter depascatur, et quantum nobis ex alto conceditur, ut eadem vinea preservetur illesa, impetum bestiarum illam demoliri satagentium sub omnipotentis virtute dextere reprimamus. Verum sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium et magistra, suspiria producit ab intimis, oculi eius solvuntur in lacrimas, vehementibusque gemitibus ipsius pectora quatiuntur, eo quod preter hostilitates, que a blasphemis crucis adversus fidei professores exercentur extrinsecus, undique bella fremant intrinsecus, seditiones intestine dilaniant et inquietant domestice simultates, gladiusque fidelium, qui ad Christianorum salutem et exterminium malorum foret contra hostium fidei cuneos exercendus, conversus in proximos proh dolor! inebriatur sanguine christiano, et quod acrius extorquet mentem nostram, scelerati filii et a devotione semoti ceco furore immaniter debaccati armantur in matrem, ac illum, ex quo prodierunt, uterum nituntur summis viribus lacerare: quo fit, ut nos una cum memorata ecclesia sponsa nostra circa exhibitionem opportuni subsidii in hac parte iuxta desiderium nostrum et apostolice debitum servitutis manus adiutrices extendere nequeamus. Sentientes igitur, quod sicut et fama publica referente, ac insinuantibus dilecto filio nostro Valentino tituli sancte Sabine presbitero Cardinali, ac Venerabili fratre nostro Andrea Archiepiscopo Spalatensi, oratoribus Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Ungarie Illustris, percepimus, idem Rex zelo devotionis accensus et pie compatiens diris cruciatibus, calamitatibus et erumpnis ac iugo miserabilis et lugende servitutis, quibus pars magna fidelium christianorum per huiusmodi Turcos, Arianos, Manicheos, et alios infideles de Regnis et partibus Constantinopolitanis, Valachie, Ungarie, Bosne, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomerie, Comanie, Bulgarie et aliis circumiacentibus regionibus ad partes huiusmodi infidelium in captivitatum angustias est deducta, ac pro salute huiusmodi et aliarum partium tam lugubriter afflictarum totiusque populi christiani, in cuius excidium gens huiusmodi nefandissima et truculentissima in dies nititur crudelius ac inhumanius desevire, tanquam princeps catholicus et pervigil fidei orthodoxe cum eius felici et glorioso exercitu se accinxerit et militet de presenti: attendentesque, quod nisi iniquissima perfidorum hostium redemptoris nostri Iesu Christi ac suo pretiosissimo sanguine redemptorum in virtute altissimi et manu potentissima conteratur, quantum christianitati discrimen immineat, quodque nemine opem ferente prefato Regi, Christianorum reliquie illarum partium dabuntur excidio, et regna, provincie ac civitates et partes ipse in deditionem Turcorum et infidelium predictorum devenient; quod heu futurum ferme conspicimus, nisi omnipotentia Salvatoris et huiusmodi christianus populus prefato Regi, qui ad hanc dei causam ad occiduas partes cum suo potenti exercitu personaliter est profectus, tam potenter quam celeriter studeat subvenire ad hoc, ut Salvatoris dextera protegente, eorum laboribus triumphi acquirat gloriam, ac celestis vite stipendia, que sunt immortalitatis gaudia, consequatur: universitatem vestram per aspersionem sanguinis omnium Redemptoris requirimus et hortamur in domino Iesu Christo, per apostolica vobis scripta presentium tenore mandantes, ac in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus virtute constantie communiti assumptum eterni Regis negotium tali vigore tantoque studio subire indesinentibus studiis et susceptum prosequi procuretis, erogando profutura subsidia ac stipendia in prosecutione tanti negotii per vos vel alios iuxta vestrarum potentiam facultatum, ut gentis Theucrorum, Arianorum, Manicheorum et aliorum infidelium feritas, que christiano in sanguine tam immaniter debaccatur, in confusionis foveam deducatur eo, quod correctorem et ducem perditionis ministrum et principem habeat tenebrarum; ita quod in virtutis vestre dextera conteratur, qui ad notitiam Salvatoris saltem in via redeat, que multis perventa monitis se illius excellentie non inclinat. Et cum in desideriis habeamus, ut vobis sit una fides mentium et pietas atque conformitas indeficientium actionum, devotioni vestre duximus paternis affectibus suadendum, ut inter vos mutuam caritatem habentes, semper unanimes existatis, solliciti ad depressionem barbare nationis secundum consilia ac modos prefati Regis, quem ad reddendam suis hostibus ultionem fortis et potens ac Rex Regum et dominus

deputavit, ita communiter vota vestra dirigere, quod solitis et exquisitis fallaciis laborem vestrum Theucrorum et aliorum infidelium nequeat evacuare perfidia, sicque fiat, quod vobis proficientibus ad triumphum, illos continue confusio comitetur, et vobis sempiterna gloria conferatur. Et ut premissa tanto libentius atque ferventius prosequamini, quanto ex vestris laboribus mercedem potiorem vos noveritis percepturos, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa, que nobis licet indignis est divinitus tradita, potestate omnes et singulos Christi fideles, cuiuscunque preeminentie, dignitatis, sexus vel status existant, qui acta una prefato Rege vel eius gente contra infideles huiusmodi nunc personaliter militant per se vel alios, et qui militabunt etiam per se vel alios, ut prefertur, imposterum, et etiam, qui alias fideliter iuxta possibilitatem eorum in huiusmodi negotio laborant vel imposterum laborabunt, illam suorum peccaminum, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint rectoribus parochialium ecclesiarum, infra quarum limites extiterint, seu aliis sacerdotibus secularibus vel religiosis idoneis tamen, quos duxerint eligendos, veniam ac remissionem consequi volumus, que per sedem apostolicam concedi consuevit transfretantibus tempore generalis vel particularis passagii in subsidium terre sancte, etiam, semel tantum, in mortis articulo ac si ad Civitatem Ierusalem personaliter accessissent, ipsisque in retributione iustorum augmentum eterne beatitudinis pollicemur. Nos enim rectoribus et sacerdotibus huiusmodi absolvendi confitentes ipsos ab omnibus eorum peccatis plenam et liberam concedimus auctoritate predicta harum serie facultatem. **Datum Senis Quinto Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.**

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. II. fol. 179.

CCCXXXIX.

Universis Christi fidelibus Gregorius XII. intimat, quae ad sopiendum Benedicti XIII. antipapae schisma egerit.

Gregorius episcopus etc. Dil. fil. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Docet apostolus, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa et erunt homines se ipsos amantes, qualia tempora et homines nos in presenti periculosa et se ipsos amantes incessanter experimur et patimur: nam cum pro integratione unionis christianorum renunciationis viam iuxta formam datam ingressi fideliter, et pure pro conclusione laboraverimus, et huiusmodi vie natura exigat, ut caritative, provide ac libere per eandem viam incendatur, quod summe desideravimus et desideramus ab intimis, quodque si ab utraque parte fuisset observatum, propere ad finem deventum fuisset optatum; sed mixtis hinc inde non puris affectibus, nondum effectualiter inceptum est, pro dolor! pro caritate odia, pro providentia inscitia, pro veritate falsitas, pro cautela calumnia, pro obedientia protervitas, pro maturitate levitas, pro defensione oppugnatio, pro confortatione impulsio, et ut de ceteris taceamus, pro ordine servando ingesta confusio, pro directione suspicio adversus nos a nostris fere continuo apposita fuere, et dum sub specie unionis nostra depositio appetitur, molesta et periculosa divisio loco unionis in parte nostra subsecuta est; ex qua divisione conspirationes, machinationes, collusiones contra sinceritatem nostram suspici possunt, in neglectu posito omnium eo, quod nostre obedientie confusionis, desolationis, ruine ac divisionis contingeret, dummodo hoc unum habeatur videlicet nostra deiectio: nam dum fideliter tractavissemus convenire cum Petro de Luna, qui se facit nominari Benedictum, de uno loco, in quo nos cum nostris Cardinalibus et ipse cum suis pretensis conveniremus personaliter, et preparatoria et omnia necessaria pro integratione unionis christianorum tractarentur et finirentur, et conclusio optata haberetur unionis, nec umquam cum eodem Petro proficere potuerimus, ipso nos trahere ad quedam castrucula maritima periculosa, inhabilia et omnino fugienda cupiente, nos vero inter alia loca nominaverimus locum Pisarum tamquam magis idoneum pro conventione utriusque personali; quo loco per ipsum declinato, condescensive tractabamus, quod ipse saltem Liburnium veniret, et nos Pisas, primo habitis a dilectis filiis Florentinis, que pro nobis videbantur necessaria pro libera executione negotii unionis; de quibus duobus locis pendente tractatu inter nos et prefati ambassiatores Petri gravissima et novissima contigerunt, ex quibus adeo tractatus ipse obscuratus et obtenebratus est et sic immutata conditio, ut apertis oculis videamur circumdari undique laqueis et insidiis. Nam ipse Petrus de Luna cum subsidio gubernatoris Ianue graviter innovavit in subversionem status et honoris nostri, nitens precedente occulto tractatu sibi subire Romanam Urbem, pro qua obtinenda dictus gubernator cum galeis et nepotibus maioribus prefati Petri de Luna et aliis propriis galeis, quas sub ficto colore occultabat esse ordinatas, ad occupationem Urbis vigesima quinta die mensis Aprilis

cum copioso et forti armatu exivit procedens versus Urbem: quem accessum secrete disposuit, omnes versus ista loca, in quibus cum nostra residemus Curia, venientes, obsessis itineribus, per quosdam dies capi et detineri faciens, et inter alios quosdam ad nos venientes, quibus diebus sub spe conventionis nos tenebat intentos: nam et sequenti die de mane scilicet vigesima sexta dicti mensis Ambassiatores prefati Petri nobiscum tractantes in publico obtulerunt, prefatum Petrum ad Liburnum venturum infra breve spatium, si nos Pisas accederemus, quod ex causa predicta per ipsum rationabiliter fieri non posse sciebant, nec per nos impleri posse cernebant, quoniam tractatus per nos capitulandi cum Florentinis super predictis necessariis pro nobis non posse finiri rationabiliter tam breviter videbatur. Et cum huiusmodi exercitus vento contrario retro transmissus et per dies detentus, attente tamen esset compositus ad prosequendum iter versus Romam, infra prefatos dies scilicet vigesima octava dicti Ambassiatores iterum idem in scriptis dederunt, nos luditicantes: que res nos et multos merito conturbavit et ab inceptis retraxit, concurrentibus periculis et immutatis conditionibus verisimiliter Florentinorum et civitatis Pisarum ex traditione Urbis per dilectos filios . . . Romanos Carissimo in Christo filio Ladizlao Regi Sicilie Illustri facta, suspicionibus quampluribus involuta materia, ac detectis fraudibus et machinationibus et conspirationibus quorundam nostrorum, ut ipsi effectus subsecuti aperte indicant: nam cum merito ex tam gravibus interea exortis deberemus mature prospicere, quid essemus facturi, et tam periculosis immutationibus supercrescentibus et in dies magis lucescentibus uti saniori consilio et provido auxilio, ne res male intenta sub spe unionis in precipitium daretur; res in aperto deducitur, cum quidam de nostris Cardinalibus contra mandata nostra a nobis discesserint et Pisas accedentes et permanentes conspirantes in unum adversus nos, et sibi usurpantes potestatem contra ordinem datum ab altissimo, volentes nos trahere sub sua usurpata potestate et nobis legem imponere corruptis affectibus sub pallio unionis; de quo loco Pisarum detenti ex parte adversa tractatum sub fictis coloribus deductum nunquam conclusimus et concludere, ut apparet, sperare tute non habebamus. Nunc vero innovatis premissis collusiones incipiunt in lucem prodire, quibus attentis cogimur ad dominum exclamare, ut liberet nos et ecclesiam a laqueis, quos periculose paraverunt pedibus nostris. Nos enim cum pure et efficaciter incederemus per viam renuntiationis ad unionem, tum in has involutas conditiones innocenter, insidias et molestias eorum incidimus, qui abusi sunt mansuetudine, humilitate, gratia et clementia nostris; qui fere continuo intendentes nos opprimere, foverunt et exaltaverunt partem adversam suis non rectis tractatibus tendentibus ad precipitium nostre obedientie, nos calumniantes per se et suos ministros, per orbem falsa contra nos disseminantes, et nunc id ipsum fortius procurantes, colorantes eorum intentionem ex casibus, qui nos interceperunt: sed solet deus eripere et defensare innocentem, veritatem illustrare et pervertere conatus reprobos et pravas et vanas cogitationes hominum ac consilia non recta dissipare; in quo confidimus iuxta gratiam nobis concessam. Que ideo universitati vestre intimare decrevimus, ut adversum calumniam rerum seriem ac puritatem verissimam sentiatis, tenentes indubie, quod, quantum in nobis fuerit et ex alto concesserit divine omnipotentia maiestatis, cuius res agitur, et in quam nostros iactavimus cogitatus, inveterato nimium ac lugubri scismate sublato de medio, viis salutaribus, rationabilibus, congruentibus atque iustis christianitati pacem et ecclesie dabimus desiderabilem unitatem, ad que suprema desideria nostra tendunt. Et cum hiis anfractibus circumcinctos nos dinosceremus existere, ad hoc, ut salubrius premissa possemus, deo auctore, complere, quatuor Venerabiles fratres nostros in partem apostolice sollicitudinis ad perferenda dicte ecclesie onera nostris humeris incumbentia et promovendum huiusmodi negotium unionis prefate ecclesie assumpsimus Cardinales. Datum Luce duodecimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. fol. 221.

CCCXL.

Sigismundo regi Hungariae, ne fautoribus schismatis adhaereat

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo ex desiderio nostro filio Sigismundo Ungarie Regi Illustri, salutem etc. Ex eo videmus veritatem et iustitiam nostram opprimi multifarie ab hiis, qui multiplici errore nos impugnaverunt et variis astutiis non cessant nos lacerare: quia super deductione et directione ad pacificum statum et omnibus clarum propositum pervenire non nostra querendo cupientes, iudicem in terris non habemus super iustitia nostra, ad quem recursum habere po-

fuerimus, et ideo serenitatem tuam excitamus, in qua ex pluribus tue regie benignitatis providis actibus sepius magnam fiduciam suscipientes nos confortasti, et de tua virtute in domino letitiam suscepimus ampliandam, et quanto magis postea nos percepisti desolatos et lucide videre potuisti, has persecutiones nobis contingere, ut solet fieri, ex dilectione dei defensoribus veritatis sustinentibus partem domini, tanto gloriosius assurgere debuisti. Sed o dolor! nimium partem domini gravasti, cum per formam excogitatam secundum exigentiam subversionis facte adversus catholicam ecclesiam et thronum apostolicum eidem serenitati ministrandam attigisses generale Concilium, ad quam formam potestas papalis condescendebat extreme pro pace et unitate christianorum introducenda; sed declinatus es partialiter ad particulare concilium aptum pacem turbare et errores nutrire, ex qua declinatione robur usurpatoribus addidisti. At si ad dominum cor effuderis, conversus ad primam virtutem, non permittes nos confundi. Quia ex eo patimur et passi sumus, quum fideliter et recte ambulare voluimus: quam rem per experientiam perpendere potuisti, quippe per tunc Venerabilem fratrem nostrum Andream Archiepiscopum Spalatensem nobis ex parte tua persuadentem transitum ad viam Concilii generalis, per quem responsum dedimus, quod inceperamus per viam renuntiationis, et ideo per illam tendebamus perficere sacratissimam unionem; sed si in desperationem duceremur, ad viam huiusmodi generalis Concilii nos converteremus, sicut et fecimus. Si ergo lumen nostre puritatis animadverteris, sustine dominum altissimum, qui te glorificabit: nos vero, qui continuo in varia et gravia impedimenta incidimus, remedia, que possumus, libenter apponimus. Et ideo dilectos filios Iohannem tituli sancti Sixti presbiterum Cardinalem et Iohannem Electum Constantinopolitanum, nostros et apostolice sedis nuntios, ad providentiam tue regie Celsitudinis presentialiter destinamus, quos eidem in domino commendamus. Datum Arimini XVI. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia lib. VI. fol. 3.

CCCXLI.

Eidem regi nuntiat, quae ad tollendum schisma egerit.

Gregorius episcopus etc. Carissimo ex affectione nobis in Christo filio Sigismundo Regi Illustri, salutem etc. Ex gratia omnipotentis dei, in qua sincerrime confidimus, et a qua omnis iusta voluntas regitur, credimus serenitati tue respondisse, non ut tibi mandatum inferremus aut alteri, sed potius, ut te multosque ad honorem dei et propriam excitaremus moveremusque salutem; hoc quidem paterne affectionis est, que convenit officio dato nobis a domino licet indignis: nec scripturas sacras ad repugnantem sensum traximus, seu ab alio trahi fecimus, sed illis usi sumus, quas a spiritu veritatis esse credimus et fatemur sincere et pure absque dolo in defensionem veritatis et iustitie catholice: quia illis diligimus armis defendi, que christianis optima sunt, iuxta quod apostolus docet: Induite vos armaturam dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; et infert: State ergo succinti lumbos vestros in veritate et induti loricam iusticie, et calceati pedes in preparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum dei. Ad cetera autem non duximus respondere per singula, non quia illa dedignemur, que caritatis affectu a tua serenitate suscepimus; verum ne videamur tecum contendere, vel dicamur te velle verbis circumvenire, quem deprecamur dominum a nemine circumveniri posse. Pro multis enim ea pauca dicimus, que non fuerint silentio transeunda. Non equidem, Carissime ex affectione fili, latebras querimus, non concilium evitamus, quod longe canonica fieri auctoritate, et christianorum universitati certum optavimus, quanto autem desiderio anhelaverimus ad illud ubique interesse, ex scriptis et dictis aperte constare potest, et que ad illiuscemodi concilium habendum operati sumus, manifestare possunt, si latebras quesivimus. Quod enim ad vocationem intrusi catholicus successor beati Petri parere debeat, neque canones consentiunt, neque sanctorum patrum mores persuadent: miseramus tamen ante littere receptionem tue legatos nostros ad serenitatem tuam, per quos discere amodo potuisti, quanta cum sinceritate quantaque cum caritate pacem christianorum optamus, et quantum pro unionis ipsorum reintegratione efficaciter, quantum in nobis est, fuerimus operati. Et crede, fili serenissime, utique crede, quod nichil omittere intendimus, quod conferat saluti et vere paci christianorum, nec timebimus propter illas animam nostram dare pariterque pro divino honore servando et apostolice sedis. Deus autem omnipotens, cuius iudicium tanto amplius timere debemus, quantum a se solo nos iudicandum servavit, iudicare dignetur inter nos et adversa-

rios nostros; illis tamen in eo, quod erraverunt, misericordiam faciendo cum iudicio. Denique enim causam ecclesie sue sancte et apostolice sedis tutelam, nec non sinceritatem mentis nostre commendamus sue omnipotentie, et eius gloriose genitrici et beatissimis apostolorum principibus Petro et Paulo, qui ecclesiam Romanam plantaverunt sanguine suo, et ipsius constituti sunt a deo precipui defensores. Tibi etiam ipsius sancte matris ecclesie et apostolice sedis honorem et bonum in domino commendamus, pro quibus multa sollicitudo multumque onus tue serenitati apud Altissimum incumbit. Dictam autem litteram tuam datam Nurimberge Bambergensis diocesis die quarto mensis Octobris preteriti recepimus die quartodecimo huius per Antonium, qui se dicit tue serenitatis familiarem, et ad nos fuit die undecimo huius mensis, dicens de mandato tuo eam presentare habere in presentia Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium: et sic eum admisimus, et tibi remittimus cum presentibus hodie expeditum. Datum Arimini XIIII. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno VIII.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia lib. IV. fol. 155.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXIII.

CCCXLII.

Valentinus de Strigonia ord. S. Augustini in capellanum pontificium recipitur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Valentino de Strigonia ordinis heremitarum sancti Augustini professori, Capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarens et meritis, sicut fame laudabilis testimonio commendaris, illam in nostro et apostolice sedis conspectu gratiam meruisti, quod personam tuam paterna benivolentia prosequamur, et eam libenter attollimus honoris gratia specialis. Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit mentis nostre affectus, te in nostrum et dicte sedis capellanum gratiose recipimus, ac nostrorum et ipsius sedis capellanorum consortio favorabiliter aggregamus, intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidia plenius sortiaris, tibique concedimus, quod indulgentiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus et privilegiis per felicis recordationis Iohannem XXII. et Clementem VI. Romanos Pontifices, predecessores nostros, Capellanis dicte sedis concessis uti et gaudere libere et licite valeas, pie memorie Innocentii sexti, Urbani sexti, Gregorii undecimi et aliorum predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum atque nostris restrictionibus, declarationibus, constitutionibus, revocationibus, voluntatibus et decretis super indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus et privilegiis predictis, nec non aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod ad faciendum tibi pleniorem gratiam merito invitemur. Nulli ergo etc. nostre receptionis, aggregationis, intentionis et concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Bononie xii. Kal. Augusti. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 16.

CCCXLIII.

Brandae episcopo Placentino nuntio apostolico, ut se informet de loco, ubi generale litterarum studium in Hungaria erigi possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Brande Episcopo Placentino Referendario nostro, ac in Ungarie et aliis Regnis et partibus Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri subiectis pro nobis et Romana ecclesia in spiritualibus reformatori, salutem etc. Cum ad Ungarie ac alia Regna et partes Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri subiecta pro nonnullis arduis nostris et Romane ecclesie negotiis, ac pro salute et tranquillitate, statu pariter et honore Regis et regnorum ac partium predictorum, ecclesiarum et monasteriorum, in illis existentium et degentium in eisdem presentialiter destinemus: nos ad Regem et regnum huiusmodi, et ad eorum honorem ac status incrementa gerentes paterne dilectionis affectum, ac volentes votis pre-

fati Regis in hac parte annuere, regnumque ipsum Ungarie vel alia dicto Regi supposita decore generalis studii illustrare, fraternitati tue de ac super loco notabili, fertili, insigni et alias accommodo et idoneo ad conservationem et exaltationem ipsius studii in ipso Ungarie vel alio regno, seu partibus ipsi Regi subditis erigendi, et doctorum, magistrorum, scolarium et aliorum degere debentium in eodem auctoritate nostra etiam cum consilio prefati Regis te informandi, et super premissis et eorum circumstantiis universis inquirendi diligentius veritatem, et quod per informationem et inquisitionem huiusmodi super dicti loci idoneitate et aliis circumstantiis inveneris, nobis per tuas litteras vel nuncium idoneum intimendi, quantocius et commodius poteris, plenam concedimus tenore presentium facultatem, ut informatione per nos in premissis habita, ad erectionem dicti studii et alia concedenda indulgenda privilegia procedere valeamus, prout noverimus expedire. Datum Bononie Kal. Augusti. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 87.

CCCXLIV.

Eidem, ut varios abusus apud clerum tam regularem quam saecularem reformet.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Placentino, ac in Ungarie et aliis regnis et partibus Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri subiectis in spiritualibus pro nobis et Romana ecclesia Reformatori, salutem etc. Intenta semper salutis operibus apostolice sedis circumspecta benignitas, indulta sibi desuper potestatis plenitudine, sicut in domino expedire prospicit, illa statuit, disponit et ordinat, que pro animarum salute et cultu divini nominis ampliando salutaria conspicit ac utilia fore credit. Cum itaque, sicut nobis nuper innotuit, in Ungarie et plerisque aliis regnis et partibus dominio Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Ungarie Illustris subiectis a multis retro temporibus citra damnabilis irrepsit et inolevit abusus, etiam in interitum salutis eterne multorum fidelium, qui fermento coinquinati malitie nonnullorum hostium nominis crucifixi trahuntur in devium, et impiorum suggestionibus a fidei catholice cultu seducuntur in preceps usque adeo, ut huiusmodi cultus et animarum cura in nonnullis etiam cathedralibus et aliis ecclesiis, monasteriis et locis, quibus illa imminet, damnabiliter negligatur, eo maxime, cum rectores tam parochialium quam aliarum ecclesiarum curam habentium animarum a plerisque laicis seu patronis, etiam in baroniis et potentatibus constitutis, absque ordinaria auctoritate ad regimen et curam ecclesiarum huiusmodi assumuntur, et pro beneplacito assumentium amoventur ab illis, alii surrogantur, quidam videlicet ad semestre, nonnulli ad quadrimestre, quidam vero ad annum seu ad aliud tempus ut plurimum deputantur; ex quo succedunt scandala quam plurima et errores, ecclesiis in divinis minime deservitur, et in spiritualibus et temporalibus damna permaxima subsequuntur; hereses pullulant et innumerabilia catholice fidei ex propinquitate, quam habent cum Cumanis, Philisteis, Valachis, Tartaris, et quamplurimis aliis infidelibus in finitimis partibus commorantibus, detrimenta consurgunt iugiter, ac etiam malefiunt, ac publica cessat et privata bene regendi affectio vitio temporis in premissis; quodque similia damna et incommoda in plerisque monasteriis, prioratibus ac beneficiis aliis regularibus curatis et non curatis sancti Benedicti et nonnullorum ordinum aliorum iugiter causantur: nos itaque attendentes, quam sit non solum utile, sed summe necessarium super premissis ex apostolice servitutis officio de salutari remedio previdere, discretioni tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta presentium tenore committimus et mandamus, quatenus auctoritate nostra moneas huiusmodi abbates, priores ac parochialium et aliarum curatarum et non curatarum ecclesiarum rectores, quocunque nomine censeantur, qui sunt aut erunt tempore exhibitionis presentium, ut infra terminum, de quo eidem discretioni tue placuerit, a sede apostolica; illi vero, qui de cetero assumentur ad huiusmodi regimen, curam seu administrationem, antequam possessionem suscipiant per se vel alios administrationis seu regiminis aut gubernationis monasteriorum, prioratuum, parochialium seu aliarum ecclesiarum seu beneficiorum aliorum regularium, secularium, et ordinum quorumcunque curatorum confirmationes accipere a locorum ordinariis seu a prefata sede, in forma iuxta sacrorum canonum instituta sub illis censuris et penis spiritualibus et temporalibus, etiam per privationis, dispositionis, suspensionis et amotionis, etiam interdicti sententias et penas, de quibus tibi videbitur, teneantur et debeant, quacunque constitutione contraria non obstante, ac huiusmodi patronis et aliis laicalibus personis et in quibusvis dignitatibus constitutis sub eisdem censuris et penis, etiam privationis iuris, essent huiusmodi rectores instituendi, eadem auctoritate districtius inhibeas, ne aliquem vel aliquos nominare, presentare, aut nominatos seu presen-

tatos in rectores ipsarum ecclesiarum, nisi duntaxat ad vitam, recipere, hiis duntaxat exceptis, qui de iure essent ad nutum abbatum seu priorum monasteriorum aut prioratuum regularium aliquorum amovibiles, quoquomodo presumant, ac decernas irritum et inane, quicquid contra inhibitionem huiusmodi per quosvis et quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit quomodolibet attemptari. Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis spiritualis vel temporalis extiterint, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione cessante, compellas, invocato auxilio brachii secularis etiam adversum laicalem potentiam quorumcunque tociens, quociens opus esse cognoveris. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur; seu quod iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, aut de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis quam personis ultra certum numerum ad iudicium non trahendis, aut aliis editis, que tue possint in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare; seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Bononie Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 179.

CCCLXV.

Pontifex Sigismundum pro rege Hungariae habere, et eius successores ut tales habituros esse declarat.

Iohannes episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Summus omnium moderator et opifex, unigenitus dei filius Iesus Christus sacrosanctam militantem ecclesiam, sponsam nostram, ad cuius Regimen licet insufficientibus meritis assumpti sumus, sic supra petram fidei indeficienti soliditate firmavit, ei tribuens in apostolice confessionis fortitudine fundamentum, ut ipsam per reductionem ad ovile dominicum vagantium in aliquo fetu sue prolis amplificet, ac sinum gratie semper exhibeat redeunti: eamque taliter roboravit, quod in eam nec procella turbinis, nec cuiusvis prevalere valeat malignantis spiritus tempestatis. Sane petitio pro parte Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Ungarie Illustris per dilectum filium nobilem virum Piponem Comitem Themisiensem, oratorem, commissarium ac procuratorem suum, nobis nuper exhibita continebat, quod cum idem Rex retrolapsis temporibus a nonnullis, qui pro Romanis pontificibus se gesserunt, conspexerit serenitatem domumque suas inclitas non ea, qua decebat, benignitate paterna iuxta sue serenitatis iudicium indebite pertractatas; et quod hiis presertim temporibus, quibus tanquam pugil et athleta invictissimus orthodoxe fidei adversus barbaras infidelium nationes et hostes truculentissimos et immanes Redemptoris omnium, ut catholicum decebat principem, cunctis superatis laboribus, periculis, etiam personalibus discriminibus suis ac suorum regnorum quorumlibet fervide ac intrepide militasset, nonnulli Christicole ipsum Regem, civitates, castra, villas, territoria seu regna sue regie ditioni supposita subditosque suos, res et bona impetere, invadere, molestare, ac dampnificare multipliciter ac damnabiliter in gravissimum sui status, subditorum ac regnorum huiusmodi detrimentum et animarum offendentium periculum et gravamen inhumaniter presumpserunt: quare pro parte dicti Regis, qui, ut idem Pipo orator asserit, in nostra et ecclesie ac successorum nostrorum canonice intrantium Romanorum pontificum fidelitate, devotione ac obedientia permanere, ac illa semper per se ac successores et descendentes suos regali integritate intendit efficere, per que status honorque noster ac successorum nostrorum huiusmodi, et hostium nominis crucifixi confusio, et orthodoxe exaltatio fidei subsequantur, nec se subtrahere quomodolibet in futurum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis, ne ea vel similia contingant de cetero, statuique suo, regnorum et subditorum ac descendentium et successorum suorum de domo sua providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur intendentes preclaram fidem ipsius et opera catholico Rege dignissima, que idem Rex et clare memorie progenitores sui Reges domusque sua Illustris pro statu et honore, defensione et confusione huiusmodi laudabiliter atque regaliter peregerunt, ac laude dignissima impenderunt hactenus, et que iugi, regali et catholica perseverantia tanquam basis invicte fortitudinis

impendere eadem sua serenitas non desistit, ac sperantes hiis et aliis suis recensitis actionibus, quod futuris temporibus se non subtrahet ab huiusmodi studiis, sed propensioribus curis atque vigiliis et impendiis exponet regalius atque potentius, divina favente clementia, cuius res agitur, se et sua, ac volentes statui ac tranquillitati prefati Regis nec non regnorum et subditorum ipsius ac descendentium et successorum eiusdem de prefata eius domo, premissis et nonullis aliis rationabilibus causis ad hec animum nostrum moventibus, personaliter ac salubriter providere, huiusmodi supplicationibus inclinati tenore presentium declaramus, nostre intentionis fuisse et esse, prefatum Sigismundum Regem et omnes et singulos descendentes ac successores suos de prefata eius domo benigne ac personaliter tanquam benemeritos, ac nostros et eiusdem ecclesie carissimos filios et christiane fidei zelatores ardentissimos pertractare, et pro talibus pro nobis ac successoribus nostris huiusmodi descendentes et successores prefatos habere, recipere et in perpetuum tenere pariter et reputare, ac eandem Regiam serenitatem potissime, tanquam scutum atque murus inexpugnabilis nostreque et christiane fidei fortitudinis brachium, suis recensitis gloriosissimis studiis, descendentes et successores de domo sua prefata non immerito reputare, exinde pro talibus habemus, recipimus ac reputamus, ac eosdem tenere volumus pro constanti, quod ipsius Regis, descendentium et successorum et domus huiusmodi serenitatem pariter et honorem atque domus exaltationem, quantum cum deo et honestate poterimus, nos et successores nostri paternis affectibus prosequemur; districtius inhibentes eximie universis et singulis christianam fidem profitentibus, cuiuscumque status, preeminentie, dignitatis, ordinis, gradus, vel conditionis, ecclesiastice vel mundane, etiamsi cardinalatus, pontificali, regali, reginali vel quavis alia dignitate prefulgeant, ne quis audeat vel presumat per se vel alios quomodocunque aut qualitercumque seu quovis quesito colore ipsum Regem, aut descendentes vel successores suos de prefata eius domo, subditos, regna seu territoria ipsorum aut eorum vel alicuius ipsorum partem, maxime cum ipsum Regem, descendentes vel successores suos prefatos in expeditione contra huiusmodi hostes fidei esse contigerit, impetere, inquietare, molestare, perturbare, invadere aut offendere quoquomodo presumant huiusmodi, ab hiis omnibus teneantur et debeant protinus abstinere, scituri, quod contra impetitores et inquietatores huiusmodi, qui per ipsum Regem, descendentes aut successores ipsius alias iniuriis lacessiti seu aliter irritati non fuerint, per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia ad punitionem debitam et satisfactionem condignam mediante iustitia, quotiens a Rege, descendentibus aut successoribus ipsis, eorum vel alicuius eorum procuratoribus nos vel successores nostri requisiti fuerimus, per cognitionem summariam quousque de iniuriis atque damnis satisfactum fuerit competenter et prout iustum fuerit, procedemus, ut corrigantur errores et punitio ceteris transeant in exemplum, et taliter militantibus sit parta securitas et eorum subditis, prout decet, cultusque fidei intrepidos semper inveniat defensores; volentes nichilominus, quod si idem Rex, descendentes aut successores sui prefati ullo unquam tempore, quod absit, a fidelitate, devotione et obedientia nostris, vel successorum nostrorum et ecclesie prefatorum se quoquomodo subtraxerint aut rebelles fuerint, presentes littere et omnia et singula in eis contenta eo ipso nullius existant roboris vel momenti. Nulli ergo etc. nostre declarationis, habilitationis, reputationis, voluntatis et inhibitionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Bononie III. Non. Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 29.

CCCLXVI.

Sigismundo regi Hungariae fructus reditusque ecclesiastici per ipsum suosque in eodem regno hactenus percepti conceduntur ad conterendos fidei hostes.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Sigismundo Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Etsi cunctis Christi fidelibus et presertim regia claritate conspicuis, qui pro defensione fidei orthodoxe intrepidis animis in confusionem hostium nominis crucifixi se exponunt assidue ac indefessis laboribus se ac sua, apostolice sedis munificentiam nostreque liberalitatis dexteram exhibere convenit gratiose; attamen erga personam tue serenitatis et ipsius sequacium tue regie considerationis intuitu eo excitamur propensius ac esse volumus liberales, quo inter christiane religionis principes, reges et dominos nullis parcendo periculis, etiam personalibus laboribus aut impensis et non absque, de quo anxiamus ab intimis, strage tuorum permaxima subditorum, prelium domini iugiter preliaris adversum perfidiam barbaricam truculentissimorum hostium prefatorum, qui in gregem dominicum desevire im-

maniter ac sedulo non desistunt. Sane petitio pro parte eiusdem tue serenitatis per dilectum filium nobilem virum Piponem comitem Themesiensem, oratorem et commissarium tuum, nobis nuper exhibita continebat, quod si forsan preteritis temporibus serenitas tua ac sequaces eiusdem maxime pro defensione tui regalis status atque regnorum et subditorum tuorum, nec non multiplicibus et variis expensarum oneribus, que pro defensione catholice fidei contra huiusmodi infideles hostes, et ob quedam dampnabiliter contra statum et honorem eiusdem tue serenitatis, et etiam subditorum hactenus attemptata per nonnullos in pontificalibus et plerisque aliis spiritualibus dignitatibus regnorum et partium tue regie ditioni subiectorum constitutos, adversus eaclesias, monasteria, loca, prelatos, clericos ecclesiasticasque personas, aut eorum iura et bona aliqua commiseris, seu commiserint, et de huiusmodi eorum bonis, rebus, pecuniis tu aut sequaces ipsi quandocumque et quomodocunque aliquid percepissetis usque in presentem diem; et quia talia vel similia per te vel alios de cetero intendis non solum non facere, sed nec presumere quomodolibet attemptare, et per eundem Piponem, nuncium ac commissarium eiusdem tue serenitatis, inter alia in nostra presentia proponi feceras atque peti, ut cum intendas totis viribus, ut ecclesie ac monasteria regnorum tuorum et partium tue ditioni subiectorum ad eorum bona stabilia atque iura et iurisdictiones ac honores restituantur ac reintegrentur, et tam in spiritualibus quam in temporalibus regantur feliciter et salubriter gubernentur, et in hiis impendes totius regalis diligentie tue curas pariter atque vires, et huius rei causa in apostolice sedis nuncium vel legatum, qui premissa exequi auctoritate nostra valeret, dirigere ad regna et partes ipsa curaremus; et attento etiam, quod sicut idem Pipo nobis exposuit, tu cupiens transitoria cum eternis felici commercio commutare, de bonis tibi adeo collatis in honorem ac sub vocabulo beate virginis Marie decrevisti collegiatam ecclesiam pro uno preposito et certis canonicis in partibus huiusmodi et in civitate Bude erigere et sufficienter dotare, et iam eandem fundari feceris et exponi multa millia florenorum et ad consummationem et persecutionem intendere solutionem: quare pro parte eiusdem tue serenitatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut te et sequaces tuos huiusmodi ab omnibus et singulis excommunicationis sententiis ac suspensionis, ac aliis censuris et penis spiritualibus et temporalibus a iure vel ab homine propterea quomodolibet in talia perpetrantes inflictis et promulgatis, quibus essetis aut vestrum aliquis esset quomodolibet irretiti seu irretitus, necnon a quibuscunque pecuniarum summis, rebus et bonis huiusmodi habitis, ablatis et perceptis usque in presentem diem, absolvere plenarie et liberare, illaque tibi et illis, qui in nostra et eiusdem ecclesie ac successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium fidelitate, devotione ac obedientia perpetuo persistere, et a talibus et simlibus imposterum protinus abstinere, libertatemque ecclesiasticam, ut catholicum decet Regem et principem, illibatam et alia supradicta per te et alios proponis et intendis efficaciter et inviolabiliter observare et custodire ac facere observari, remittere, concedere et donare ac alias in premissis statui tuo et illorum misericorditer providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur illius vices gerentes in terris, qui cunctos querit salvos facere et neminem vult perire, ac sperantes, quod ex hoc in fidelitate, obedientia ac devotione huiusmodi tu et ipsi sequaces tui incommutabiliter persistetis et alia supradicta deducetis realiter ad effectum, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac de fratrum nostrorum prefate ecclesie Cardinalium consilio auctoritate apostolica te ex certa scientia specialique gratia omnia et singula per eandem serenitatem tuam et sequaces ipsos, quorum nomina hic haberi volumus pro sufficienter expressis, hactenus et usque in presentem diem quomodocunque et qualitercunque et ubicunque facta, et quandocunque accepta, habita communiter vel divisim, aut tuo regio vel ipsorum nomine percepta, quecunque et qualiacumque fuerint, etiam si Romanam ecclesiam et cameram apostolicam publicumque interesse respicerent, et ad Romanam ecclesiam et cameram prefatas spectare vel pertinere quomodolibet potuissent, cuiuscumque qualitatis, quantitatis seu valoris extiterint, plenissime atque liberrime et de apostolica liberalitatis munificentia presentium tenore tibi et ipsis sequacibus tuis remittimus et concedimus ac donamus, salvis tamen et reservatis nobis et successoribus nostris, ecclesie et camere prefatis omnibus et singulis iuribus et actionibus ac pecuniarum summis, in quibus ecclesie, monasteria, loca, prelati ecclesiasticeque persone regulares et seculares, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis seu conditionis extiterint, etiamsi Cardinalatus seu quavis alia dignitate fulgeant, quomodocunque et qualitercumque et quibusvis de causis tenerentur, et recepta vel habita per te vel sequaces tuos non fuerint, ut prefertur, ita quod in presenti donatione, remissione et concessione nullatenus includantur, sed ab his protinus sint et esse intelligantur exclusi: eandem sereni-

tatem tuam nichilominus et sequaces tuos huiusmodi et ipsorum quemlibet harum serie ab omnibus et singulis pecuniarum, rerum et bonorum mobilium summis, ut prefertur, ablatis et extortis ac perceptis per ipsam serenitatem tuam et sequaces seu ipsorum aliquem hactenus usque in presentem diem, quorum omnium quantitates, valores et qualitates hic alias haberi volumus pro sufficienter expressis, et a quibusvis excommunicationum sententiis, censuris et penis spiritualibus et temporalibus a iure vel ab homine in talia perpetrantes inflictis seu promulgatis, de consilio, scientia et auctoritate predictis plenarie absolvimus, liberamus ac decernimus ac declaramus protinus absolutos, districtius inhibentes Venerabilibus fratribus et dilectis filiis prelatis, gentibus camere ecclesiasticisque personis huiusmodi et aliis quibuscumque, quorum posset quomodolibet interesse, ne contra concessionem et absolutionem nostras huiusmodi aliquid per se vel alios directe vel indirecte agere aut quomodolibet attemptare presumant; irritum et inane censentes ex nunc, si secus aliter a quoquam et quavis auctoritate attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum scienter vel ignoranter contigerit quomodolibet attemptari. Volumus autem, quod si ullo unquam tempore, quod absit, tu aut sequaces tui prefati a fidelitate, devotione et obedientia huiusmodi vos subtraxeritis aut rebelles fueritis, et talia vel similia de cetero quomodolibet attemptare presumpseritis, presens remissio, donatio et concessio quoad se subtrahentes vel rebellantes et talia facere presumentes eo ipso nullius existant roboris vel momenti. Nulli ergo etc. nostre remissionis, concessionis, donationis, absolutionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Bononie III. Non. Augusti. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 31.

CCCXLVII.

Brandae episcopo Placentino nuntio apostolico, ut iniquos Ladislai de Duratio in usurpando regno Hungariae conatus reprimat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Brande Episcopo Placentino, Referendario nostro et apostolice sedis nuncio, salutem etc. Pastoralis officii cura nos sollicitare non desinit studio mentis nostre, ut paci ac statui fidelis populi desuper cure nostre commissi, quantum nobis ex alto permittitur, providere curemus. Dudum siquidem in ecclesia universali vigente scismate, ac quondam Bonifacio, qui nonus, et pertinaci heresiarcha Petro de Luna, qui Benedictus decimus tertius in suis obedientiis nominabantur, de papatu contendentibus, cum Ladislaus de Duracio, qui se gerit pro rege Sicilie, dicti Bonifacii, cui tanquam Romano Pontifici tunc in regno Ungarie obediebatur, favore fultus et presidio, regnum ipsum animo illud usurpandi manu armata hostiliter invadere niteretur: Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Rex Ungarie Illustris cernens, in hoc suo statui periculum imminere, postquam prefatus Ladislaus causa perficiendi conatum suum in premissis ad civitatem Iadrensem in limitibus dicti regni constitutam pervenit, ab huiusmodi obedientia predicti Bonifacii declinavit, ex tunc usque in diem date presentium quam plura beneficia ecclesiastica secularia et regularia cum cura et sine cura in dicto regno vacantia, quedam videlicet auctoritate litterarum prefati Regis absque aliqua canonica collatione, quedam vero ex hiis auctoritate ordinaria seu per illos, qui se ordinarios esse dicebant, diversis personis ecclesiasticis secularibus et regularibus collata fuerunt. Cum autem, sicut nuper pro parte ipsius Regis, qui per suum solempnem nuncium ad nostram presentiam propter hoc specialiter destinatum de unione sancte Romane ecclesie per generale concilium dudum Pisis celebratum facta congaudens, in domino nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus firmiter obedire spopondit, propositum extitit coram nobis, quod nonnulli asserentes aliqua ex beneficiis huiusmodi tam pretextu litterarum dicti Regis, quam etiam ordinaria auctoritate aliis, ut premittitur, collata ad se spectare, possessores beneficiorum ipsorum super eis impetere non desistant, et super eorum aliquibus in Romana curia ex commissionibus apostolicis, aut alibi cause pendeant indecise, sintque etiam contra aliquos ex possessionibus huiusmodi super dictis beneficiis diffinitive sententie late, que nullis provocationibus suspense in rem transierunt iudicatam, ad quorum executionem contra predictos possessores auctoritate apostolica, etiam quo ad promulgationem excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiarum est processum, seu mandatum procedi, etiam cum invocatione auxilii brachii secularis, et propterea non modica scandala ibidem sunt exorta, et verisimiliter in futurum exoriri timeantur: pro parte prefati Regis fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc de opportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum Christi fidelium pacem et concordiam intensis desideriis affectamus, eorumque scandalis, quantum possumus libenter obviamus, huiusmodi

supplicationibus inclinati, ac statum causarum huiusmodi habentes presentibus pro expresso ipsasque causas ad nos tenore presentium advocantes dictosque processus auctoritate apostolica suspendentes, fraternitati tue, quem in multis arduis nostris et ecclesie Romane negotiis plene comprobavimus, quemque propter hec et nonnulla alia ardua nostra, et ecclesie ac regni predictorum negotia ad partes illas specialiter destinare per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si congrue fieri possit partes huiusmodi rationabili et amicabili concordia componas; quod si forsan fieri nequeat, et ex huiusmodi impetitione ibidem scandalum sic exortum aut verisimiliter exoriri posse cognoveris, et huiusmodi scandalis nequeat aliter obviari, huiusmodi impetentibus super beneficiis ipsis, etiam si canonicatus et prebende aut dignitates, personatus vel officia cum cura vel sine cura in metropolitanis vel cathedralibus post pontificalem maiores, aut in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad eas consueverint qui per electionem assumi, dummodo regularia beneficia huiusmodi dignitates conventuales non fuerint, auctoritate predicta hac vice perpetuum silentium imponas, et nichilominus illos ex possessionibus antedictis, in quos huiusmodi excommunicationis, suspensionis et interdicti sententie premissorum occasione late fuerint, ut prefertur, si hoc humiliter petierint, ab huiusmodi sententiis eadem auctoritate absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis inde ipsis et eorum cuilibet pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda; et insuper prefata beneficia, que interim sic collata fuerint, ut prefertur, et etiam illa, super quibus concordiam huiusmodi facere vel impetentibus ipsis perpetuum silentium imponere te continget, ut prefertur, sive eo modo, quo ipsorum possessionem adepti sunt, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, vel beneficia ipsa specialiter aut quovismodo generaliter dispositioni apostolice reservata existant, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ipsorum possessoribus abolita, tamen prius per te omnis inhabilitatis et infamie macula sive nota, si qua per eos vel eorum aliquem vel aliquos premissorum occasione contracta ipsisque, qui forsan propterea huiusmodi excommunicationis sententia innodati fuerint, per te, ut prefertur, absolutis, si alias sint idonei, eadem auctoritate hac vice de novo conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios huiusmodi personas, quibus beneficia ipsa conferes, ut prefertur, vel procuratores suos in eorum nominibus in corporalem possessionem beneficiorum, iurium et pertinentiarum predictorum eadem auctoritate et defendens inductos, amotis quibuslibet aliis ab eisdem, ac faciens personas easdem, quibus beneficia ipsa conferes, ut prefertur, vel dictos procuratores pro eis ad illa, ut est moris, admitti, eisque de beneficiorum huiusmodi fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione beneficiorum huiusmodi personas ipsas, quibus illa conferes, ut prefertur, volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si locorum ordinariis, ac dilectis filiis capitulis ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; aut si persone ipse, quibus huiusmodi beneficia, ut premittitur, conferes, presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia fuerint, ut prefertur, solita iuramenta, dummodo in absentia sua per procuratores idoneos, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa prestent. Nos enim ex nunc irritum et

inane decernimus, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et insuper tibi cum personis huiusmodi, que dicta beneficia occuparunt, ut prefertur, super fructibus per eas ex illis indebite perceptis, nec non super media annata fructuum, reddituum et proventuum beneficiorum huiusmodi ex collationibus tuis huiusmodi eis, ut premittitur, faciendis nobis et camere apostolice debita nostro et eiusdem apostolice camere nomine componendi, easque de receptis per te ab illis occasione premissorum quittandi ac liberandi tenore presentium concedimus facultatem. Datum Bononie XVII. Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 78.

CCCXLVIII.

Eidem facultatem tribuit ecclesias parochiales olim a Tartaris aliisque infidelibus destructas denuo instaurandi, eisque idoneos praeficiendi pastores.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Brande Episcopo Placentino, Referendario nostro, ac in Ungarie et aliis regnis et partibus Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri subiectis pro nobis et Romana ecclesia reformatori, salutem etc. Ut in executione reformationis, quam in regno Ungarie et nonnullis aliis partibus Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri subiectis tue commisimus fraternitati, expressioribus auctoritatis nostre patrociniis fulciaris, et cum, sicut accepimus, in certis partibus infra et circa limites dicti regni sint Cumani, Philistei et Tartari noviter ad fidem christianam conversi, quorum curam animarum fratres ordinis Minorum ex ordinationibus, ut dicitur, apostolicis hactenus gesserunt, prout gerunt, et qui modernis temporibus non modicum multiplicati sunt, et insimul commorantur, sintque in eisdem partibus certe ecclesie ab olim per Tartaros et alios infideles destructe et dirupte, ac Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Rex Ungarie Illustris desideret huiusmodi ecclesias in ecclesias parochiales erigi, et ipsos conversos, et in antea, annuente domino, convertendos ad fidem predictam in parochianos assignare: tibi easdem ecclesias in parochiales ecclesias erigendi, et eis de rectoribus idoneis providendi, ipsasque Archidiacono seu Archidiaconis locorum vel aliis, prout tibi videbitur, subiciendi, ac omnia et singula alia circa erectionem et parochiales ecclesias huiusmodi necessaria et requisita faciendi et ordinandi, plenam et liberam auctoritate apostolica concedimus tenore presentium facultatem. Datum Bononie XV. Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 86.

CCCXLIX.

Eidem, ut omnia privilegia etc. ab antipapis in Hungaria tempore schismatis concessa irritet et annullari faciat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Brande Episcopo Placentino Referendario nostro, ac in Ungarie et aliis regnis et partibus Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri subiectis pro nobis et Romana ecclesia Reformatori, salutem etc. Cum te ad Ungarie et alia regna et partes Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri subiecta pro nonnullis arduis nostris et Romane ecclesie negotiis, ac pro salute et tranquillitate, statu pariter et honore Regis et regnorum ac partium predictorum, ecclesiarum et monasteriorum in illis existentium et degentium in eisdem presentialiter destinemus, Nos ad Regem huiusmodi et ad eius honorem et status incrementa gerentes paterne dilectionis affectum, et cum, sicut accepimus, a tempore obitus felicis recordationis Gregorii pape undecimi predecessoris nostri per nonnullos, qui pro Romanis Pontificibus fuerint in eorum obedientiis nuncupati, quedam auctoritas et facultas legationis concesse sint nonnullis archiepiscopis intra metas regnorum et partium prefatorum et episcoporum ecclesiis pro tempore existentibus, que dicuntur vergere in detrimentum honoris et status prefati Regis, ipsique afferre preiudicium et gravamen, discretioni tue de et super concessionibus auctoritatis et facultatis legationis huiusmodi per quoscunque, qui in suis obedientiis fuerint Romani Pontifices nuncupati, cuicunque archiepō et eius ecclesie infra metas predictas quomodolibet indultis, et circumstantiis ipsarum universis te summarie, simpliciter et de plano auctoritate nostra informandi et inquirendi diligentius veritatem, et si ita esse inveneris, eadem auctoritate concessionem auctoritatis et facultatis huiusmodi legationis sue cuivis ex Archiepiscopis, aut ecclesiis ipsis communiter vel divisim factam, et contenta in eis, uti vi-

deris expedire, cassandi, revocandi, annullandi et viribus evacuandi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Datum Bononie xv. Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 87.

CCCL.

Andreae electo Varadiensi et suae ecclesiae omnia debita cum camera apostolica contracta remittuntur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Andree Electo Varadiensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolentia prosequentes, illo te favore libenter prosequimur, per quem tuis et ecclesie tue Varadiensis opportunitatibus providetur. Volentes igitur tam tibi, quam eidem ecclesie, que, sicut asseritur, multorum oneribus debitorum gravata existit, de aliquo subventionis auxilio providere, omnia debita, in quibus ipsa ecclesia tam ratione communium, quam minutorum servitiorum, quam etiam alias undecumque nobis et apostolice camere a tempore predecessorum tuorum Episcoporum Varadiensium, qui fuerunt pro tempore, obligata existit, tibi et eidem ecclesie de nostra mera liberalitate remittimus et donamus, teque et eandem ecclesiam de debitis ipsis penitus quittamus et etiam liberamus. Nulli ergo etc. nostre remissionis, donationis, quittatio et liberationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Bononie viii. Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 46.

CCCLI.

Cardinalibus S. Laurentii in Damaso, S. Viti in Marcello et S. Georgii in Velabro mille florenorum super mensis episcopalibus Colocensi et Syrmiensi conceduntur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Iordano tituli sancti Laurentii in Damaso presbitero, et Raynaldo sancti Viti in Marcello ac Oddoni sancti Georgii ad velum aureum Diaconis sancte Romane ecclesie Cardinalibus, salutem etc. Dum exquisitum vestre circumspectionis industriam diligenter attendimus, et paterna consideratione pensamus, quod nos Romanam ecclesiam, cuius honorabilia membra existitis, vestrorum honoratis magnitudine meritorum, dignum reputamus et debitum, ut eam vobis reperiatis in vestris opportunitatibus liberalem. Cum itaque nos nuper, suadentibus rationabilibus causis, Colocensem et etiam Sirmiensem ecclesias tunc pastorum regiminibus destitutas, et antea ordinationi ac dispositioni nostre reservatas, cum omnibus iuribus et pertinentiis archiepiscopalis Colocensis et episcopalis Sirmiensis mensarum ipsarumque fructus, redditus et proventus, debitis tamen ipsarum mensarum supportatis oneribus, nobis et apostolice Camere, donec predictis ecclesiis de pastoribus canonice provisum fuerit, applicandos per alias nostras litteras reservaverimus, prout in eisdem litteris plenius continetur: nos attendentes, quod licet vos preemineatis Cardinalatus honore, ad supportandum tamen expensarum onera, que iugiter vos oportet de necessitate subire, decenti non affluitis abundantia facultatum, ac volentes propterea vestris in hac parte necessitatibus pro huiusmodi expensarum facilius supportandis oneribus de alicuius subventionis auxilio providere, motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera libertate summam mille florenorum auri de Camera in et super medietate fructuum, reddituum et proventuum ecclesiarum predictarum, si et in quantum dicta medietas ad tantum se extendat, deductis oneribus, alioquin pro rata dicte medietatis, durante predicta reservatione pro nobis et dicta Camera, ut premittitur, facta, cuilibet vestrum annis singulis persolvendam auctoritate apostolica vobis tenore presentium nostro et dicte Camere nomine liberaliter concedimus et donamus, mandantes venerabili fratri nostro Brande Episcopo Placentino, Referendario nostro et apostolice sedis nuntio, quem ad partes illas pro nostris et dicte Romane ecclesie negotiis intendimus in proximo destinare, quemque administratorem in spiritualibus et temporalibus Colocensis et Sirmiensis ecclesiarum predictarum duximus deputandum, ut cuilibet vestrum vel procuratori vestro ad hoc a vobis specialiter constituto huiusmodi summam mille florenorum, durante administratione huiusmodi, annis singulis de dictis fructibus, redditibus et proventibus studeat assignare. Nos enim vobis et cuilibet vestrum per vos, vel alium seu alios, nostro et prefate Camere nomine quittandi, liberandi et absolvendi Brandam Episcopum et administratorem prefatum de hiis, que presentium vigore persolverit, eadem auctoritate presentium tenore concedimus plenariam potestatem. Datum Bononie octavo Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 91.

CCCLII.

Branda card. S. Clementis legatus sedis apostolicae cum additis facultatibus in Hungariam mittitur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Brande tituli sancti Clementis presbitero Cardinali in Regno Ungarie et aliis Regnis et partibus, que Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo in Regem Romanorum Electo ante huiusmodi electionem subiecta erant, apostolice sedis legato, salutem etc. Cum te ad Ungarie et alia regna et partes, que Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo in Regem Romanorum Electo ante huiusmodi electionem subiecta erant, commisso tibi in illis legationis officio, pro nonnullis magnis et arduis nostris et sancte Romane ecclesie negotiis, ac pro salute et pace Regnorum et partium predictorum tanquam pacis angelum deputaverimus: nos volentes tibi illa concedere, per que personis Regnorum et partium predictorum te possis reddere gratiosum, circumspectioni tue conferendi auctoritate nostra, huiusmodi legatione durante, quecunque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si canonicatus et prebende aut dignitates, personatus vel officia in patriarchalibus, metropolitanis vel cathedralibus maiores post pontificalem, aut in collegiatis ecclesiis prefatis principales fuerint, et ad ea consueverint qui per electionem assumi, tuorum commensalium, familiarium, domesticorum te comitantium in legatione prefata, quomodocumque vacaverint, dummodo tempore date collationum per te faciendarum non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, ac etiam quod huiusmodi beneficia sedi apostolice aliis quam familiaribus cardinalatus reservata generaliter vel specialiter quomodolibet non existant, singula videlicet cum omnibus iuribus et pertinentiis suis personis idoneis, de quibus tibi videbitur, ac inducendi per te vel alium seu alios personas easdem, vel earum procuratores ipsarum nominibus in corporalem possessionem beneficiorum huiusmodi et defendendi inductos, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, ac personas ipsas vel procuratores predictos pro eis faciendi ad eadem, ut est moris, admitti, sibique de ipsorum beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores quoque auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi. Non obstantibus statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia fuerint, contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis Regnis et partibus speciales vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione beneficiorum huiusmodi personas easdem volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si locorum ordinariis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem etc. aut si persone ipse presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia forsan fuerint, solita iuramenta, dummodo in absentia ipsarum per personas idoneas, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa prestent, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod de nominibus et cognominibus personarum, quibus ipsa beneficia conferes, ac de diebus collationum huiusmodi gentes Camere apostolice quantocius certificare procures. Datum Rome apud S. Petrum quarto Idus Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. II. fol. 168.

CCCLIII.

Eidem legato facultates legationis suae in Alamanniae et Lombardiae partes extenduntur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Brande tituli sancti Clementis presbitero Cardinali, apostolice sedis Legato, salutem etc. Cum te dudum pro felici statu Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Ungarie Regis Illustris ad Ungarie et nonnulla alia Regna et partes apostolice sedis legatum cum plena potestate legati de latere, prout in litteris aliis nostris desuper confectis plenius continetur, duximus destinandum: nos attendentes, quod idem Rex iam pridem in Romanorum Regem electus Romanum Imperium prosecuturus ad Italie partes se transtulit, in quibus etiam militat de presenti, posset ad Alamanie ac Longobardie et alias provincias atque loca etiam divertere ac circumspectionem tuam ipsam commutare, et propterea volentes tuam honorare personam, ut per honorem tibi exhibitum eo utilius proficere valeas, et negotia tam nostra et Romane ecclesie, quam Regis ac Imperii prefa-

torum opportunis favoribus efficacius prosequi, quo maiori fueris per nos auctoritate suffultus, eidem circumspectioni tue, quamdiu cum prefato Rege in Alamanie, Longobardie vel aliis partibus eandem circumspectionem esse, aut in nostris et dicte ecclesie sive dicti Regis ac Imperii negotiis contigerit exerceri, quotiens prefate circumspectioni tue visum fuerit expedire, preter quod in provinciis, civitatibus atque diocesibus legationi alias vicariatui dilecti filii nostri Ludovici sancti Adriani diaconi Cardinalis in Bononiensi et nonnullis aliis civitatibus, terris ac locis ad nos et prefatam ecclesiam spectantibus vicarii in temporalibus generalis, et in certis aliis prefate sedis legati per nos commissis, quas hic alias haberi volumus pro specifice declaratis, utendi omnibus et singulis facultatibus, iurisdictionibus ac potestatibus etiam per nos alias eidem tue circumspectioni in regnis et partibus potissime temporali dominio Regis Ungarie quomodocunque suppositis per alias nostras litteras, quarum tenores etiam hic haberi volumus pro expressis, hactenus concessis, ac potestates et facultates huiusmodi per te vel alios exercendi solum et in solidum: non obstante, quod dilecto filio nostro Petro tit. sancti Chrysogoni presbitero Cardinali, in nonnullis Alamanie provinciis, civitatibus et diocesibus etiam prefate sedis legato, fuisset in illis partibus, in quibus te forsan esse continget, attributa potestas, quam pro eo tempore, qua eandem circumspectionem tuam in aliqua ex provinciis legationi dicti Petri Cardinalis atque legati commissis fore contigerit, ut prefertur, exnunc quo ad ipsam provinciam suspendimus per presentes, quousque in provinciis, civitatibus, diocesibus atque locis ipsis cum predicto Rege ipsam circumspectionem tuam esse, aut circa huiusmodi negotia communiter vel divisim emerserit exerceri, etiam si semel aut pluries in provincias, civitates, dioceses vel loca ipsa reditus fiat, exercendi, ac etiam exequendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud sanctum Petrum Id. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. VI. fol. 141.

CCCLIV.

Archiepis Colocensi et Strigoniensi, ut praelatos et dominos temporales provinciarum suarum ad comparendum in concilio generali Constantiensi moneant et exhortentur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Andree Archiepiscopo Colocensis ac Baciensis ecclesiarum invicem unitarum, salutem etc. Cum ad Romandiole ac nonnullas alias mundi partes pro parte Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Electi Romanorum et Ungarie Regis Illustris de proximo, sicut te referente percepimus, transiturus: nos cupientes, ut indictio et celebratio futuri et generalis concilii in civitate Constantiensi, provincie Maguntine, in proximis Kalendis Novembris, auctore domino, inchoandi et consumandi feliciter omnibus innotescat, et cum de tue fraternitatis industria in hiis et aliis sumpserimus et sumamus in altissimo fiduciam specialem, quod illa, que eidem tue circumspectioni committenda duxerimus, exacta diligentia exequetur, prefate circumspectioni tue pro parte nostra requirendi ac monendi omnes et singulos prelatos et dominos tam spirituales quam temporales, nec non capitula et conventus cathedralium et monasteriorum quorumlibet, de quibus eidem tue circumspectioni videbitur, ut ad prefatum concilium loco et tempore supradictis pro reformatione saluberrima status et pacis universalis ecclesie, cunctorum matris et magistre fidelium, velint et debeant personaliter interesse: et si aliqui ex ipsis prelatis vel dominis aut aliis supradictis, iustis fortasse et canonicis impedimentis causantibus, ad huiusmodi locum celebrandi concilii tempore debito personaliter venire nequiverint, sic impediti aliquos deum timentes, scientia et rerum experientia preditos sufficientique mandato suffultos, eorum nomine mittere non postponant, vices eorum in prefato concilio in singulis impleturos, ut sic congregata Christi fidelium multitudine copiosa, que tantum bonum respiciunt, inspirante et adiuvante Altissimo, ordinetur salubriter et ad executionem plenariam perducantur, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Datum Bononie Id. Iulii. Anno Quinto.

Eodem modo . . . Archiepiscopo Strigoniensi.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia lib. VII. fol. 142.

EPISTOLAE MARTINI PP. V.

CCCLV.

Iudicibus committitur, ut raptores bonorum archiepi Strigoniensis, qui ad generale concilium venerat, absolvant.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Bisuntino et . . . Episcopo Lingonensi, salutem etc. Illius vices gerentes in terris, qui cunctos querit salvos facere, ac neminem vult perire. Sentientes nobiles viros Iohannem de Vergeyo, Dominum loci de Champlico nuncupati Lingonensis diocesis, et Antonium ac Iohannem eius filios sive nepotes milites ratione spolii per eos commissi, et rerum ac bonorum ablatorum spectantium ad venerabilem fratrem nostrum Iohannem Archiepiscopum Strigoniensem, qui ad generale Concilium Constanciense venerat pro pace et unione eiusdem ecclesie ac eius reformatione, ascendentium ad summam et valorem mille ducatorum auri et ultra, que quidem res et bona de civitate Parisiensi ad hanc civitatem Constanciensem ad eundem Archiepiscopum deferebantur, circa finem mensis Marcii et principium mensis Aprilis proximi preteritorum, per venerabiles fratres nostros . . . Episcopos ac Iudices generales dicti Concilii, servatis servandis, ad instantiam procuratorum dicti Archiepiscopi super restitutione huiusmodi spolii fuisse, et ratione contumacie secundum dicti decreta Concilii contra impedientes seu turbantes, capientes vel spoliantes venientes ad ipsum Concilium seu recedentes ab ipso, aut dantes spoliatoribus ipsis vel eorum alicui receptum, auxilium, consilium vel favorem, per eorum Iudicum diffinitivam sententiam excommunicationis vinculo sentencialiter innodatos, ac terras illas, castra et oppida Iohannis de Vergeyo, Antonii et Iohannis eius filiorum seu nepotum, et alia loca, in quibus ipsi aut eorum aliquis moram traxerint, et eciam illa, in quibus huiusmodi spolia perpetrata aut recepta fuerint, ecclesiastico supposita interdicto, et nonulla alia contra ipsos patratores et dantes eis auxilium, receptum, consilium vel favorem promulgata per ipsos Iudices sententialiter extitisse, prout latius in sententia lata per eos dicitur contineri; te sicut nuper accepimus, prefatus Iohannes de Vergeyo, Antonius et Iohannes de commissis dolentes ab intimis, et ad cor reversi offerunt restitutionem spolii rerum et bonorum huiusmodi raptorum facere cum effectu aut extimationis condigne, ipsisque de absolutionis beneficio ab excommunicationis et aliis censuris et penis, eorumque terris et locis, de relaxatione et absolutione interdicti ecclesiastici et alias statui eorum misericorditer providere: Nos attendentes apostolice sedis gremium nulli cum humilitate redire volenti quomodolibet claudendum, premissis et nonnullis rationabilibus causis ad hoc animum nostrum moventibus, et ipsorum Iohannis, Antonii ac Iohannis in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestre et utrique vestrum in solidum prefatos Iohannem de Vergeyo, necnon Antonium et Iohannem ipsius Iohannis filios vel nepotes in prefata sententia denotatos, eorumque et cuiuslibet ipsorum adherentes, complices et sequaces a vobis vel aliquo vestrum in humilitatis spiritu petierint, facta

prius restitutione spolii, necnon bonorum et rerum ablatorum, vel condigne extimationis et precii ad ipsum Iohannem Archiepiscopum Strigoniensem pertinentium, aut eius procuratori ad id speciale mandatum habenti in forma ecclesie consueta, non obstante, quod huiusmodi absolutio per decreta dicti Concilii et alie similes nobis essent specialiter reservate, iniuncta eis et eorum cuilibet pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, super quo vestras conscientias oneramus, recepta tamen ab eis promissione eciam iuramento vallata, quod talia vel similia per se vel alios de cetero non committent, nec committentibus dabunt auxilium, consilium vel favorem, per vos vel alios auctoritate nostra huiumodi sententiis, censuris et penis spiritualibus et temporalibus per decreta, necnon per Iudices dicti Concilii et alias quomodocunque inflictis et promulgatis plenarie absolvendi, et interdicta ecclesiastica, quibus terre, castra, ville et loca, necnon universitates Iohannis de Vergeyo, Antonii et Iohannis predictorum occasione premissorum supposita dinoscuntur existere, relaxandi seu suspendendi, et alias in premissis, et circa ea, necnon dependencia seu connexa oportuna quelibet gerendi, providendi et exequendi, que oportuna videbitis, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, ratum et gratum habituri, quicquid per eandem discretionem vestram aut vestrum alterum, aut deputandos a vobis factum fuerit in premissis, idque faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Constantie II. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. I. fol. 48.

CCCLVI.

Ioannes card. S. Sixti ad regna Hungariae et Bohemiae pro rebus fidei mittitur Sedis Apost. legatus.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni tituli sancti Sixti presbitero sancte Romane ecclesie Cardinali, ac in Regnis Ungarie atque Bohemie et omnibus terris atque dominiis Carissimis in Christo filiis nostris Sigismundo Romanie et Ungarie ratione Regni Ungarie ac Wenceslao Bohemie Regibus Illustribus communiter vel divisim suppositis apostolice sedis Legato, salutem etc. De summis celorum ad yma descendens unigenitus dei filius Iesus Christus, ut hominem de laqueo servitutis eriperet, in quem ipsum suggestio impulerat serpentina, vestem nostre mortalitatis induit, volens aspersiones proprii sanguinis incendia perpetui cruciatus extinguere, ac suos eterna morte possessionis vite perhempnis efficere possessores: qui commisse sibi legationis in regione peccatorum exercens officium in universum mundum discipulos, quos elegerat, destinavit omni creature evangelium predicare, Vicarium suum instruens, ut eius exemplo nonnumquam in partem sollicitudinis advocaret, ubi sui officii debitum corporali absencia solvere prohibetur. Nam licet nobis sit potestatis plenitudo commissa, fines tamen humane possibilitatis excedere non valemus, ut dum in parte una officium exercemus, iniunctum illud alibi presentialiter exequamur: unde cum suscepti cura regiminis nos constituat universis christifidelibus debitores, ne absentes negligencia relinquamus, ad ipsos interdum personas ydoneas dirigimus, vice nostra per eas residuum solicitudinis, quam ad presentes personaliter gerimus, dispensantes. Sane levantes in circuitu nostre mentis oculos, et non absque maxima cordis nostri amaritudine recensentes, quod in ipso Regno Bohemie ac finitimis partibus proh dolor preteritis et modernis temporibus argumenta pestifera contra puritatem catholice fidei, hostis humani generis procurante versucia viperea dogmata, que tanquam cancer mentes mortalium serpere non desistunt, pestifere pullularunt per predicationes nepharias et articulos dampnate memorie Ioannis Wickleff heresiarche et sequacium ipsius, iugiter connitentium christifidelium mentes et corda seducere a veritate orthodoxe fidei, contra sacrosanctam matrem et universalem ecclesiam sponsam nostram in perniciem salutis eterne multorum fidelium christianorum, et sicut lugubri insinuatione didicimus multorum fidedignissimorum eciam prelatorum et principum in partibus illis atque finitimis existentium et remotis, nisi celeriter atque salubriter ad reductionem ad prefate ecclesie unitatem ac nostram fidelitatem et obedienciam, coinquinatorum horrenda ac perniciosa labe heretice pravitatis obstinatorum, quod proterviam ex agro militantis ecclesie radicitus extirpandam oportunis remediis occuratur, non solum regnum et partes illas, sed alias sic debaccatur, et sunt huiusmodi labes, impellente satore zizanie, quod innumerabiles orbis partes in confusionem prefate orthodoxe fidei precipitabiliter et inexterminabiliter secum trahent, et supremis exoptantes affectibus, ut in Regno et partibus et aliis resurgant desiderabilis pax et quies, et cultus prefate fidei orthodoxe, incrementis salutaribus animarum salus et corporum coalescant, eoque dili-

gentius veniant in premissis apponenda remedia, nec minus precavenda discrimina, quo plures ad morbum causas et incrementa pestifera videtur in dies ad infectionem mentium christianarum pater ille malignantium seminare. Ecce ad te, quem potentem quidem opere et sermone, in magnis expertum et arduis eximie circumspectionis industria, claritate sciencie prelibate ac fidelitate et morum elegancia probatum, divinarum humanarumque rerum noticia ac gerendarum rerum experiencia, maturitate et attitudine consilii insignitum, in cuius affectibus geritur, prout indubitanter tenemus, extirpare hereses, veritatem catholice fidei labefactatis et coinquinatis heretica coinquinatione multorum mentibus sacris tuis eloquiis inserere, et oberrantes ac devios ab huiusmodi veritate catholice fidei et unitate ipsius ecclesie, nostraque et sedis prefate fidelitate et obedientia revocare atque reducere salutaribus argumentis, et ad veram pacem et concordiam cunctos dissidentes reducere et universa dissidencia in pacis pulcritudine commutare, et si oberrantes huiusmodi in perfidia sue malignitatis perseveraturos iusticia mediante compescere omnibus viis et modis, ut eorum malignitas persecutione qualibet tam iuris quam facti modis omnibus prosternatur, licet tue circumspectionis presencia nobis et apud nos ecclesie universali perutili careamus inviti, nostre convertimus deliberationis intuitum, pro tuarum considerati one virtutum tibi a domino in habundancia concessarum, te tanquam pacis Angelum de fratrum nostrorum consilio ad Regna Ungarie atque Bohemie et terras ac dominia ipsis Sigismundo Romanorum ac Ungarie racione corone Ungarie, necnon Wenceslao Bohemie Regibus Illustribus supposita, et rerum iurisdictioni subiecta apostolice sedis legatum inpresenciarum, ut in ipsis evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices atque plantes, deformata reformes, indirecta dirigas, corrigenda corrigas et convertas aspera in vias planas, ac deviantes ad semitam reducas veritatis, ac statuas in nomine domini, prout celestis gracie infusio tuaque tibi providentia monstrabunt, providimus destinandum, firma tenentes fiducia, quod actus tuos dirigente, qui novit prava in directa et aspera in vias planas convertere, per tue circumspectionis industriam periculis et discriminibus, que ex dogmatizationibus, heresibus, divisionibus, perversionibus, inobedientiis, scismatibus atque guerris in Regnis, terris et dominiis supradictis, procurante pacis emulo, exorta evenerunt, seu de cetero possent verisimiliter evenire, poterit laudabiliter obviari, necnon oberrantium et indevotorum huiusmodi reductio, extirpatio heresum ac scismatice pravitatis, obstinatorumque contra eandem fidem catholicam, fieri observantia censure et reintegrationis, libertatis et immunitatis ecclesiastice, relevatio ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum, oppressorum pauperum deffensio, animarum salus, tranquillitas corporum ac pacis desideranda tranquillitas Regni et partium predictorum, inspirante altissimo, ad effectum saluberrimum deducentur, eidem circumspectioni tue inter quascumque personas ecclesiasticas et seculares, cuiuscunque status, habitus seu conditionis existant, eciamsi Regali, Reginali, Pontificali aut quavis alia ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgeant, Regnorum et partium predictorum vel alterius earundem bonum pacis et concordie reformandi, hereticos ac scismaticos, abiuratis prius per eos et eorum quemlibet heresi ac scismate, in forma ecclesie consueta recipiendi, et ad gremium eiusdem ecclesie ac sedis apostolice, nostramque fidelitatem, devotionem et obedientiam reducendi et reintegrandi, ac etiam absolvendi et liberandi, si hoc humiliter petierint, predictos et quemlibet ipsorum per eandem circumspectionem tuam receptorum ab omnibus et singulis culpis, criminibus, excessibus et delictis, fautoriis, rebellionibus, scismatibus, heresibus et criminibus lese maiestatis et aliis quibuscunque per eos aut eorum aliquem quibuscunque loco vel tempore usque in diem absolutionis per eandem circumspectionem faciende, quocunque aut qualitercunque per se vel alios dictis factis, dicto facto assensu vel opere quomodocunque aut qualitercunque commissis vel perpetratis, cuiuscunque qualitatis vel speciei, eciam si maxima fuerint, et in generali remissione, nisi de eis specialis mentio in apostolicis litteris facta fuerit, non veniant; Banna quoque, processus et sententias tam ab iure quam ab homine in talia vel eorum aliquod perpetrantes facta vel illata, inflicta seu promulgata, prout ad publicum interesse et apostolicam cameram spectare noscuntur, cassandi, irritandi, tollendi et abolendi, necnon cassari et aboleri mandandi, et faciendi de quibuscumque libris, registris, in quibus huiusmodi processus, banna, condempnationes et sententie quomodolibet apparerent, per quoscunque, ad quos spectaret, ad cuiuscunque petentis instantiam, omni exceptione remota, ac etiam penas et multas propter ea vel ob id inflictas et promulgatas remittendi in totum seu pro parte, prout eidem tue circumspectioni, personarum criminum ac delictorum, temporum et locorum qualitate pensata, visum fuerit expedire; interdicta quoque ecclesiastica, quibus Regna, provincie, civitates, dioceses, terre, castra et loca ac dominia

huiusmodi, aut eorum aliquod supposita essent perpetuo vel ad tempus, suspendendi aut relaxandi, etiamsi auctoritate apostolica emanassent, necnon ad honores, officia tam ecclesiastica quam mundana, ac dignitates, actus publicos, privilegia, iura et bona queque, etiam feudalia, et alia quevis, et in statum pristinum, in quo erant, antequam huiusmodi crimina, excessus aut delicta commissa fuissent, restituendi et reponendi, et abolendi omnem infamie maculam sive notam, premissorum vel alicuius eorum occasione contractas, ac habilitandi ad premissa et quelibet imposterum obtinenda, superque irregularitatibus, si quas forsan celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, predicti vel eorum aliquis incurrissent seu potuissent incurrere, ut in susceptis ordinibus ministrare valeant, eadem auctoritate dispensandi, ac pro executione omnium supra et infrascriptorum et cuiuslibet eorum de celeri et votiva in Regnis et partibus predictis, prout eadem tua circumspectio expedire cognoverit, et in illis locis, et quociens oportunitas flagitabit, pro eiusdem tue circumspectionis arbitrio generalem seu particularem Synodum prelatorum et principum regnorum, dominiorum et partium predictorum vel alicuius eorum convocandi, et congregandi ac proponendi, et in illis deliberandi et exequi mandandi, et faciendi per te vel alios, que pro efficaci executione premissorum utilia videbuntur, necnon omnibus et singulis prelatis ecclesiarum et monasteriorum, quorumlibet et ordinum quorumcunque Magistris, Prioribus et Preceptoribus, cuiuscunque dignitatis aut conditionis existant, Capitulis aut Conventibus et eorum locatenentibus regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, mandandi et clero, ut eidem tue circumspectioni circa prosecutionem omnium premissorum et cuiuslibet eorum pareant efficaciter et intendant, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, ac etiam exequantur omnia iniungenda, prout ex eiusdem tue circumspectionis processerit beneplacito voluntatis, et ut premissa omnia et eorum quelibet, quum frustra esset ferre sententias aut decreta condere, nisi qui ea exequerentur, existerent invocandi pro premissorum et cuiuslibet eorum executione plenaria tociens, quociens expedire videbitur, auxilium brachii secularis quorumcunque Regum, Principum, Dominorum, Potentatuum, Universitatum et singularum quarumlibet personarum, ac etiam processus et sententias contra hereticos atque scismaticos et eorum fautores, receptatores, adherentes, complices et sequaces, ac eis dantes auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte per se vel alios, tam a Romanis Pontificibus predecessoribus nostris, quam per generalia concilia factos et latas, et quecunque decreta sacrorum canonum, quorum omnium tenores et formas hic haberi volumus pro specifice declaratis et insertis, publicari et exequi mandandi et faciendi, etiam per citationem seu edictum publicum in valvis cuiusque ecclesie seu in portis tue residentie, ubicumque eandem circumspectionem tuam esse contigerit, necnon huiusmodi processus et sententias aggravandi et reaggravandi, non obstantibus feriis eciam ad honorem dei quomodolibet introductis, quandocunque et quocienscunque visum fuerit convenire, et si aliqui oberrantes ad viam voluerint redire veritatis atque iustitie huius, seque reduxerint, ut mansuetudinem sedis apostolice, que cum humilitate redire volentibus gremium sue pietatis non claudit, percipiant fructuose, cum eisdem et eorum quolibet rigorem iuris et canonum mitigandi in singulis casibus, prout et sicuti qualitate personarum, criminum, temporum et locorum conditionibus recensitis, eiusdem tue circumspectionis industria cum mansuetudine iudicabit et noverit convenire. Et si forsan aliqui Barones, Principes aut Domini seu Prelati tam ecclesiastici quam seculares, aut universitates aut alique seu singulares persone, quecunque Regnorum, dominiorum seu partium predictorum vel alicuius eorum fuissent, occasione heresis seu fautorie vel scismatis huiusmodi aut dependentium ab illis, seu aliquo ipsorum, quomodolibet diffamati, et eidem tue circumspectioni constiterit, eosdem seu eorum aliquos contra debitum veritatis fuisse super hiis aut dependentibus aliqua infamia denigratos, ut nullus notetur infamia, seu fautoria heresis vel scismatis aspergatur contra debitum rationis, pro illis et eorum quolibet vix iudicium eiusdem tue circumspectionis ad famam et nomen preservandum, declarandi illos nulla aspersione macule seu infamie nota respersos esse seu notandos, prout et quemadmodum et sub illis modis et conditionibus, prout materia flagitabit, et eadem tua circumspectio cognoverit expedire, et omnia et singula aliaque in premissis et circa ea, maxime concernentia heresum aut scismatum extirpationem, seu reductionem hereticorum, scismaticorum aut rebellium prefate ecclesie ad nostram et ipsius sedis fidelitatem, devotionem et obedientiam, reformationem morum ac ecclesiarum seu monasteriorum ac piorum locorum, necnon pauperum orphanorum, pupillorum, viduarum et miserabilium personarum regnorum et partium predictorum relevationem, ecclesiastice honestatis cultum, animarum corporumque salutem, ac eciam robur status prosperi prefa-

torum Sigismundi Romanorum Ungarieque atque Wenceslai Bohemie Regum, et utriusque eorum partium et dominiorum predictorum et cuiuslibet eorundem quomodolibet pertinebunt, corrigendi, statuendi, providendi, ordinandi, mandandi, decernendi, precipiendi ac etiam exequendi, et nichilominus contradictores et rebelles quoscunque, quacunque ecclesiastica vel mundana, etiamsi Regali, Reginali, Cardinalatus, Pontificali seu quavis alia prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, quibuscumque privilegiis, indulgenciis, exemptionibus et litteris apostolicis generalibus vel specialibus sub quacumque verborum forma vel expressione concessis, per que nullum cuicumque, cuiuscumque status, gradus, conditionis vel ordinis etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, Humiliatorum, sanctorum Benedicti et Augustini, hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, sancte Marie Theutonicorum, sancti Iacobi de Spata et Calatravensis seu quorumcunque aliorum ordinum existant, in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica tenore presentium facultatem. Quocirca circumspectioni tue per apostolica scripta presentium tenore committimus et mandamus, quatenus iniunctum tibi ministerium laboris huiusmodi pro divina et dicte sedis ac nostra reverentia devote suscipiens, sic illud utiliter sicque sollicite et laudabiliter iuxta datam a deo tibi prudentiam exequaris, quod de tuis laboribus, celesti favente clementia, desiderati fructus adveniant, quos speramus, tuque illam, que pias causas gerentibus celesti retributione rependitur, feliciter consequi palmam glorie merearis: nos enim sententias, quas rite tuleris, et penas, quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem ac expresse prefata auctoritate harum serie reservamus, districtius inhibentes, ut eadem tua circumspectio vigore huiusmodi per nos, ut prefertur, concesse legationis aut contentorum in ea seu ab illis dependentium, per se vel alium directe vel indirecte, aut quovis quesito colore possit vel debeat quomodocumque aut qualitercumque petere, exigere seu capere aliquas procurationes vel subventiones aut assignationes, nisi dumtaxat illas, de quibus expresse in aliis nostris litteris desuper confectis declaratio et assignatio facta est, et secus facta non teneant ipso iure, constitutionibus apostolicis ac facultatibus a iure concessis legatis de latere, et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Gebennis VI. Idus Iulii. Pontificatus nostri. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. I. fol. 135.

CCCLVII.

Conradus lector Varadiensis suscipitur in pontificium acolytum.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Conrado Petri lectori ecclesie Waradiensis, Acolito et familiari nostro, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque multiplicia dona virtutum, quibus personam tuam tam familiari experiencia, quam etiam fidedignorum testimoniis novimus insignitam, merito nobis inducunt, ut etiam tam dignis honoribus attolamus. Cum itaque tu nostris et Romane ecclesie obsequiis disponas insistere, nosque alias gratum sentiamus tue fame et probitatis odorem, ac propterea te grato prosequentes affectu, et intendentes te pro meritis dignioris nominis titulo decorare, te in nostrum et apostolice sedis Acolitum ex nunc gratiose recipimus, et aliorum nostrorum et dicte sedis Acolitorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, volentes, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, emolumentis et honoribus uti et gaudere possis et debeas, quibus alii nostri et dicte sedis Acoliti usi sunt hactenus, ac gaudebunt quomodolibet in futurum; quodque tu, antequam officium Acolitatus huiusmodi incipias exercere, in manibus venerabilis fratris nostri Francisci Archiepiscopi Narbonensis Camerarii nostri fidelitatis debite prestes in forma solita iuramentum. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, ut in conspectu nostro ad maiora te semper constituas meritorum studiis digniorem, nosque proinde ad faciendum tibi uberiores gratiam et honorem artius invitemur. Nulli ergo etc. Datum Gebennis II. Idus Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. I. fol. 147.

CCCLVIII.

Idem Conradus constituitur nuntius et collector decimarum in Hungaria.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Conrado de Cardinis de Florentia lectori Waradiensi, Acolito nostro, Apostolice sedis nuncio, ac fructuum, reddituum et proventuum aliorumque Iurium apo-

stolice Camere in Ungarie, Dalmacie, Croacie, Servie, Rame, Lodomirie, ceterisque Regnis et partibus Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri ratione Corone Regni Ungarie suppositis, ipsorumque civitatibus et diocesibus exemptis et non exemptis generali Collectori, sal. etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudencia quoque, ac rerum non parva noticia et probitate pariter circumspecta, aliisque virtutum donis, quibus personam tuam, quam in magnis et arduis iam sepius comprobatis negociis, etiam per familiarem experienciam multipliciter fulgere novimus et presumimus evidenter, quod ea, que tibi commisimus, solerti et salubri studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de huiusmodi probitate et virtutibus plurimum in domino confidentes, te in Regnis Ungarie, Dalmacie, Servie, Rame, Lodomirie predictis, eorumque civitatibus et diocesibus prefatis nuncium apostolicum nostrum et eiusdem sedis, ac fructuum, reddituum et proventuum, censuum aliorumque iurium quorumcumque nobis et Romane ecclesie debitorum et debendorum Collectorem, et generalem Receptorem usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus et deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi Collectores, Receptores et Succollectores, prefatis Regnis, civitatibus et diocesibus per nos aut quacunque alia auctoritate hactenus deputatos, ac commissiones alias super huiusmodi Collectorie, Receptorie et Succollectorie officiis aliis, quam tibi sub quavis verborum forma, per quoscunque et quavis auctoritate factas penitus revocando, tibi nichilominus per te vel alium seu alios clericos tantum fide ac facultate ydoneos nostro et camere predicte nomine a quibuscunque Prelatis, Collegiis, Capitulis, Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis ordinum quorumcunque, ac etiam laicalibus personis, necnon universitatibus, communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et locorum, quorumlibet Regnorum, civitatum et diocesium predictorum omnes et singulos pecuniarum summas, ac rerum et bonorum quantitates prefate ecclesie et apostolice Camere debitas et debendas, eciam si bona huiusmodi confiscata fuerint, necnon fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque quavis auctoritate collatorum et inantea conferendorum fructus, et eciam redditus, proventus et omnia alia et singula iura ecclesie et Camere predictis in Regnis, civitatibus et diocesibus predictarum quacunque ratione vel causa debita vel debenda, et ad easdem ecclesiam et Cameram nunc vel imposterum pertinentia, quacumque et qualiacumque fuerint, communibus et minutis serviciis prelatorum dumtaxat exceptis, petendi, exigendi, levandi et recipiendi, rationes quoque et computa a quibuscunque Collectoribus et Succollectoribus apostolicis, necnon Inquisitoribus heretice pravitatis ac Officialibus aliis pro dicta Camera in Regnis, civitatibus et diocesibus predictis deputatis hactenus, et personis aliis, in quantum negocia et utilitatem Camere memorate concernunt, audiendi, recipiendi et examinandi ipsos, recepta finaliter petendi et recipiendi, et de receptis dumtaxat solvendis quitandi, liberandi et absolvendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque gradus, status, ordinis vel preeminentie existant, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate predicta per censuram ecclesiasticam et bonorum suorum sequestrationem, aliaque Iuris remedia oportuna, appellatione postposita, compescendi, necnon contra quoscumque tibi vel tuis officialibus iniuriantes, seu te vel dictos tuos officiales impedientes in execucione negociorum dicte Camere directe vel indirecte, auctoritate nostra predicta procedendi, prout ordo exegerit rationis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum coram nobis seu Camerario nostro, aut eius locumtenente personaliter vel legitime infra certum terminum competentem per te eis assignandum citandi, et etiam si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, sentencias quoque excommunicationis, suspensionis et interdicti in contumaces, inobedientes et rebelles tam per predecessores, quam precessores tuos, vel eorum substitutos, quam per te vel ad te substituendos latas et ferendas, si opus fuerit, aggravandi et reaggravandi, et cum ad obedientiam debitam venerint, tollendi et suspendendi, ipsasque personas ab eisdem sententiis absolvendi, ac cum eisdem super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel admiscendo se illis, quomodolibet contraxissent, auctoritate predicta dispensandi. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. de una, et de duabus dietis in Concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque, etiam si de illis et eorum totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda esset in presentibus mentio specialis, seu si aliquibus aut eorum ordinibus communiter vel divisim a sede predicta sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, aucto-

ritate prefata plenam et liberam harum serie concedimus facultatem; ita tamen quod in fructibus, redditibus et proventibus, seu bonis aliis quibuscumque ipsi Camere debitis persolvendis ultra annuam dilationem dare nequeas, et quod in singulis Civitatibus et diocesibus infra tuam Collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, et si parve fuerint, in duabus etiam ultra unum duntaxat succollectorem non deputes, et quod omnium et singulorum succollectorum, quos deputare te continget, nomina et cognomina, statim cum illos deputaveris, ad nos et dictam Cameram clare et distincte transmittas, et quod singulis bienniis de receptis et gestis per te, et succollectores tuos in huiusmodi Collectorie Officio rationem et computum reddere, et calculum ponere in Camera et gentibus ipsius tenearis, necnon quicquid in predictis per te recipere contigerit, per litteras Cambii aut alium tutum modum nobis seu Camerario aut eius locumtenenti, vel gentibus Camere prelibate predictis, quam tocius poteris, mittere non postponas. Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus Camerarii vel eius locumtenentis predictorum de ipso officio fideliter exercendo, ac alias fidelitatis debite prestes in forma solita iuramentum, ipsique succollectores per te deputandi id idem in manibus tuis, antequam illud exerceant, similiter prestare teneantur. Tu igitur predictum officium iuxta datam tibi a deo prudenciam sic studeas bene, fideliter et laudabiliter exercere, quod sperati fructus proveniant, tuque exinde apud nos et sedem predictam possis merito commendari. Datum Gebennis Kalendis Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Officior. lib. I. fol. 82.

CCCLIX.

Benedictus de Guidalottis fit procurator ecclesiae Strigoniensis vacantis, ut bona archiepo defuncto depraedata exigat.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Benedicto de Guidalottis de Perusio, legum doctori ac apostolice Camere Clerico, salutem etc. Ecclesiarum omnium regimini, disponente domino, licet immeriti presidentes, de illarum cura praesertim, que suis destitute pastoribus sue vacationis incommoda deplorare noscuntur, soliciti reddimur et sollertes, ut iura atque bona earundem tempore vacationis huiusmodi recuperari valeant et defendi, libenter exponimus totius pastoralis diligencie nostre curas. Dudum siquidem bone memorie Iohannes Archiepiscopus Strigoniensis, veniens ad sacrum Constantiense generale Concilium pro pace et unione ecclesie sancte dei ac pro reformatione eiusdem de Ungarie partibus cum maxima Prelatorum, Nobilium, Cleri nobilium et aliarum nobilium personarum comitiva de civitate Parisiensi ad Constantiensem civitatem Provincie Maguntine, pro usu et decentia sui status per partes Burgundie nonnulla pretiosa bona, nec non ornamenta et paramenta ecclesiastica, et plura alia et diversa, quorum omnium species, qualitates atque valores hic haberi volumus pro specifice declaratis, per certos vecturales seu aurigas deferri, dum in humanis ageret, ad eundem archiepiscopum pleno iure spectantia et pertinentia, fecit. Et sicut manifeste didicimus, dilecti filii nobiles viri Iohannes de Vergeyo, ac Antonius et Iohannes eius nati milites Lingoniensis diocesis, cum certis eorum subditis et aliis eorum complicibus huiusmodi bona, dum per Burgundiam transferebantur, contra Deum et iustitiam, ac in maximum preiudicium atque damnum prefati olim archiepiscopi suorumque iurium rapuerunt, et quo voluerunt, asportari indebite tunc fecerunt: nos expost, prout iuris ratio et prefati decreta Concilii exigebant, volentes ac intendentes dicto archiepiscopo circa recuperationem bonorum huiusmodi de oportuno providere remedio, contra prefatos Iohannem atque natos milites et reliquos raptores huiusmodi procedi, eosque excommunicari fecimus cum aggravatione et reaggravatione processuum et penarum, prout materia flagitabat, et in processibus ac sententiis huiusmodi, quorum tenores et formas hic alias haberi volumus eciam pro expressis, plenius continetur: quorum quidem processuum et sententiarum, ac penarum in illis contentarum tenoribus prefati raptores perteriti, ad terram Berne Constantiensis diocesis dilectos filios nobiles viros Conradum Theobaldi militem et Stephanum Arbuquici dominum loci de Rivant, Basiliensis et Bisuntine diocesium, transmiserunt, ac tecum, sicut percepimus, fili Benedicte, tunc procuratore dicti archiepiscopi, nomine ipsorum Iohannis et natorum convenerunt, ac etiam promiserunt se reddituros et restituturos tibi dicto nomine aut prefato archiepiscopo, aut illi vel illis, cui vel quibus idem archiepiscopus suum ius cessisset, et restitutionem huiusmodi facerent in hac presenti civitate Gebennensi, in qua nunc cum nostra curia residemus, de bonis prefatis, et in defectu restitutionis huiusmodi non secute per totum mensem Augusti proxime preteriti pro satisfactione ipsorum bonorum tibi procuratori, aut archiepiscopo vel alteri ius habenti ab

eodem summam mille florenorum auri de Camera boni et iusti ponderis, prout in contractu desuper confecto plenius continetur. Cum autem post premissa idem archiepiscopus, sicut domino placuit, fuerit vita functus, et sicut manifeste didicimus relatione fideli, Conradus miles et Stephanus de Rivant prefati per obitum dicti archiepiscopi recusaverint, ac negligentes fuerint, et resistant tibi, ut olim procuratori dicti archiepiscopi, solvere dictam summam mille florenorum auri de Camera, asserentes mandatum ipsum mandantis morte protinus expirasse: Nos considerantes premissam recusationem et retardationem satisfactionis mille florenorum vergere in maximum preiudicium dicte Strigoniensis ecclesie, iuriumque et bonorum eiusdem, aut heredum dicti archiepiscopi seu illius vel illorum, cui vel quibus idem olim archiepiscopus sua in premissis iura cessisset, ac eciam in pernicionem salutis eterne militis, domini et raptoris huiusmodi, qui fidem suam pro satisfactione huiusmodi, ut premittitur, astrinxerunt, ac volentes defensioni et recuperationi iurium et bonorum, ac pecuniarum huiusmodi ad dictam ecclesiam Strigoniensem, sic vacantem, tamquam universalis administrator debite providere, nec non heredibus et hiis, quibus de bonis huiusmodi per prefatum olim archiepiscopum facta cessio extitisset, circa consecutionem pecuniarum huiusmodi, ac saluti animarum prefatarum de oportuno providere remedio cupientes, et de tua fidelitate ac litterarum scientia, prudentia, experientia et in agendis maximis precipue ecclesie prefate negociis sepius comprobatis sumentes in altissimo fiduciam singularem, quod illa, que tue diligencie committenda duxerimus, accuratissime exequeris, premissis et nonnullis aliis rationabilibus causis ad hoc animum nostrum moventibus, inclinati, auctoritate apostolica et ex nostra certa scientia te procuratorem, actorem, factorem et certum nuncium specialem nomine dicte Strigoniensis ecclesie ac heredum dicti olim archiepiscopi, nec non eorum, quibus olim idem archiepiscopus, dum in humanis ageret, huiusmodi iura cessisset, ut supra exprimitur, et cuiuslibet ipsorum ad petendum et exigendum a dictis Conrado et Stephano, et eorum heredibus et successoribus dictam summam mille florenorum auri de Camera, ac omnia alia et singula promissa et conventa tecum nomine predicti olim archiepiscopi per eosdem in dicta terra Berne observanda, nec non contra dictos Iohannem de Vergeyo et natos, ac Conradum Theobaldi nec non Stephanum et quemlibet eorum, ac heredes et successores ipsorum, ad agendum et defendendum in iudicio et extra, processusque hactenus in premissis habitos continuandum, ac etiam novos inchoandum et prosequendum, ac censuras et alias sentencias quaslibet exequi faciendum, ac cum predictis et quolibet prefatorum transigendum et amicabiliter componendum, ac de receptis quitandum tenore presentium facimus, constituimus et eciam deputamus, dantes tibi nichilominus in premissis, et circa ea dependencia et connexa plenariam et omnimodam potestatem, eciam cum generali administratione ac facultate substituendi unum et plures procuratores, salvo tibi semper remanente mandato, semel, pluries et quociens tibi visum fuerit oportere, et generaliter ad omnia et singula alia gerenda, facienda et exercenda, que causarum seu negotiorum merita postulabunt, eciam si talia essent, que mandatum exigerent speciale, et in generali commissione non caderent, ratum et gratum habituri, quicquid per te, aut substitutos per te in premissis factum fuerit seu gestum, idque faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam per ipsam Strigoniensem ecclesiam, aut ipsius archiepiscopi heredes aut successores inviolabiliter observari. Volumus autem, quod dicta pecunia, que, ut prefertur, exigi debet, postquam habita fuerit, deponatur apud personam ydoneam, que illam solvere et restituere teneatur, et debeat illis ex ecclesia Strigoniensi aut heredibus, seu quibus cessio seu recognitio per ipsum olim archiepiscopum facta foret, ad que vel quos de iure pertinet et spectat, tamen clausulis necessariis et etiam oportunis; ita quod nullus, ad quem ipsa summa mille florenorum auri de Camera de iure debet pervenire, in aliquo possit aut valeat defraudari. Et nichilominus pro securitate et cautela omnium premissorum de hiis, que acta fuerint in premissis, ac circa ea gentes apostolice Camere per instrumentum publicum vel tuas litteras, tuoque sigillo signatas, quantocius certificare procures, decernentes irritum et inane, quicquid a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Gebennis Kal. Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. I. fol. 170.

CCCLX.

Ioanni Georgii de Capruncha cantori Zagrabiensi conceditur salvus conductus.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ac dilectis filiis Electis, Abbatibus etc. salutem etc. Cum dilectus filius Iohannes Georgii de Capruncha, Can-

tor ecclesie Zagrabiensis, ad Alamanie et nonnullas alias etiam diversas mundi partes tum pro nostris et Romane ecclesie negotiis, tum pro suis habeat sepius se conferre: nos cupientes eundem Iohannem cum familiaribus suis, equis et bonis in eundo, stando et redeundo securitate gaudere, universitatem vestram requirimus et hortamur in domino, subditis vere nostris et gentium armorum capitaneis ubicunque militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus prefato Iohanni cum octo familiaribus tam pedestribus quam equestribus salvis valisibus, rebus, argenteriis, clenodiis, et bonis suis omnibus per nostra et vestra territoria passus, pontes, portus et alia quelibet loca tam per mare quam per terram, quociens voluerit, pertransire, stare, ire et redire pro nostra et apostolice sedis reverencia tute, libere et expedite, omnibus impedimentis et arrestatione cessantibus, permittatis, nec ei aut alicui eorum molestiam, iniuriam vel offensam aliquam inferatis, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri: sed ipsi et familiaribus, ac etiam comitive, equis, rebus, bonis, argenteriis, clenodiis et personis eiusmodi de salvoconductu, securoque transitu et oportuna scorta, si sibi expediens fuerit, sic liberaliter absque solucione dacii, pedagii, fundinavium aut gabelle seu alterius oneris cuiuscumque providere curetis, quod exinde vestra devotio possit apud nos et sedem apostolicam non immerito commendari. Presentibus post unum annum minime valituris. Datum Tibure xv. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Eodem modo pro Stephano Nicolai Sirimiensi Cantore ecclesie Quinqueecclesiensis.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. III. fol. 211.

CCCLXI.

Episcopus Lucensis mittitur nuntius apostolicus in Hungariam.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Fernando Epo Lucensi nuntio nostro, salutem etc. Cum dudum te ad regnum Ungarie et Bohemie pro nonnullis nostris et Romane ecclesie arduis negotiis, et presertim pro evellenda ac extirpanda heresi Wicleffistarum duxerimus transmittendum, tibique octo primo et postea decem florenos auri de Camera pro incumbentibus tibi expensarum oneribus supportandis quolibet die deputaverimus, et maxime ut dilecto filio Martino Talavero Magistro in sacra pagina, per nos tecum destinato, ut tibi in premissis assisteret auxiliis, consiliis aut favoribus oportunis, expensas condecentes cum duobus familiaribus et tribus equis efficeres, eidemque Martino viginti florenos auri similes quolibet mense pro aliis expensis quotidie per ipsum subeundis de provisione tibi assignata contribueres, et ut accepimus, ipse iam duobus annis elapsis a te vix quinquaginta florenos acceperit, ac pondus diei et estus cum omni promptitudine vigilanter pertulerit, et plurimum indigere noscatur, et inter alia de mense Septembris proximi preteriti tibi concessum sit, ut clerus Ungarie tibi pro premissis tria millia florenorum contribuere teneatur: nos eidem Martino, quem plurimum paterno affectu complectimur, et quem in negotiis iniunctis cum omni fidelitate, diligencia ac solicitudine laborasse, et indefesso studio laborare didicimus, ac necessitatibus suis salubri remedio, prout debitum est, providere volentes, fraternitati tue stricte presentium tenore mandamus, quatenus de provisione tibi, ut prefertur, deputata eidem Martino pro tempore ad rationem florenorum et viginti auri predictorum pro quolibet mense, omni exceptione remota, efficaciter et integre satisfacias, ac etiam in futurum quolibet mense ad eandem rationem sibi contribuere tenearis, faciendo etiam eidem cum duobus familiaribus et tribus equis, ut prefertur, expensas, tua nunciatione durante, taliter te in premissis habiturus, ut de promptitudine obedientie apud nos et apostolicam sedem possis merito commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum duodecimo Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia lib. III. fol. 333.

CCCLXII.

Sigismundi Romanorum, Hungariae et Bohemiae regis con[illegible] Bohemiae [illegible] et [illegible] ecclesiae [illegible] laudatur

Martinus episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Romanorum et Ungarie Regi Illustri, salutem etc. Mentem nostram sollicitam et intentam ad extirpationem heresis, que in tuo Regno Bohemie et quibusdam vicinis partibus pullulavit, multaque pro varietate casuum humanorum discrimina formidantem, littere serenitatis tue, date Posonii vigesimo octavo Septembris proxime lapsi nobis novissime reddite, in spem certam huius sancte victorie et firmam fiduciam erexerunt. Scribis enim, te, Regno tuo Ungarie provisione securitatis adhibita, copiosum exercitum ad Regnum Bohe-

mie premisisse, et consumato iam matrimonio inter dilectum filium nobilem virum Albertum ducem Austrie et dilectam in Christo filiam Elizabeth genitam tuam, te una cum genero tuo prefato adversus hereticos cum magna potentia, Deo duce, procedere, de quorum conculcatione et reductione in sinum ecclesie non videris aliqualiter dubitare. Qua significatione litterarum tuarum spiritum nostrum super ista materia vigilem semper et anxium recreasti; nam speramus, quod cum omnipotentis Dei auxilio virtus tua et magnitudo animi tui non patietur tantam pravitatem, tantamque perfidiam contra fidem catholicam diu manere: debes enim, fili carissime, ad hanc victoriam obtinendam principaliter intendere, cum tu primus omnium Principum Christianorum catholice fidei pugil, et christiane religionis et ecclesie defensor existere tenearis, cumque hec labes corruperit regnum tuum, nec eo poteris unquam nisi a labe purgato iucunde perfrui, nec tranquille gaudere, quia tibi ante alios principes cum pro tutela fidei Christiane, que dignitati Romani Imperii, quam sustines, est commissa, tum pro regni tui quiete laborandum est, precipue ad hoc similiter intentis aliis Alemanie Principibus, quos videmus libenter in hac tibi causa esse iunctissimos, ut hec maligna heresis extirpetur, quod cum Deo auxiliante perfeceris, quamvis in vita tua multas maximasque res gessisti, nihil ad promerendam Dei gratiam, nec ad consequendam gloriam apud homines, nec ad firmandam potentiam status tui efficacius te fecisse iudicabis. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem x. Kal. Novembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. lib. I. fol. 23.

CCCLXIII.

Idem pro pace inter Sigismundum imp. et regem Poloniae reconcilianda nuntius apostolicus in Hungariam mittitur.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Fernando Episcopo Lucensi, nostro et apostolice sedis nuntio, salutem etc. Omnis pax fidelium procuratio nostra est, et ad eam libenter adiutrices manus apponimus, et presertim ad eam pacem, per quam reges et regna christianorum in statu tranquillo conservantur, et fidei catholice firmamenta et presidia comparantur. Cum itaque Carissimi in Christo filii nostri Sigismundus Romanorum, Ungarie et Boemie, et Wladislaus Polonie Reges Illustres, et dilectus filius nobilis vir Alexander Litwanie dux pro pace inter eos et eorum complices, adherentes, confederatos et subditos tractanda de proximo debeant insimul convenire, quo nichil in re tanta et tam salubri populo christiano utilius fieri potest: nos, qui principes ipsos paterna caritate complectimur, considerantes, quanta commoda ex hac concordia et pace successura sint Christifidelibus, et quanti motus et gravia pericula evitabuntur, dignum existimamus, ut cum prefatis regibus et duce aliqua persona ecclesiastica nomine nostro intersit cum complacentia principum prefatorum, precipue cum de pace fidelium et defensione catholice fidei agendum sit, ut omnis sincera conventio in dei nomine secutura nostra et Romane ecclesie roboretur auctoritate. Cum igitur cogitaremus de prelatis ad hoc sanctum munus idoneis, direximus oculos nostre considerationis in te, quem cognoscimus pacis et iustitie zelatorem, circumspectione, prudentia aliisque virtutibus preditum ac in multis arduis comprobatum, et in illis partibus ex commissione nostra pro aliis causam fidei concernentibus negotiis presentialiter existentem. Quare fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus te conferas ad eum locum, in quo prefati principes, deo dante, convenient et cum ipsis de concordia et pace eorum, a qua dependet status ipsorum et magna Christianitatis salus, nomine nostro agas et tractes, ipsis per rationes efficacissimas demonstrando, quantum ipsorum concordia accepta deo, ipsis utilis, nobis grata, et christiane reipublice necessaria est, et quod si deficit, quod absit, pars, que erit in culpa, rea erit in divino iudicio tot malorum, que sunt in bello secutura, ipsosque horteris et moneas, ut potius vires suas pro communi salute, pro fidei catholice defensione et conservatione coniungant ad extinguendam heresim, que regnum Boemie dampnabiliter excecatum tenet, quam velint inter se odia execranda fovere in animarum suarum grave periculum et communem iacturam populi christiani. Nos enim tibi omnia et singula, que fuerint necessaria et utilia ad huiusmodi pacem, tranquillitatem et concordiam procurandam inter prefatos reges et ducem eorumque complices, confederatos, subditos et adherentes, et nominatim dilectos filios magistrum generalem et fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani, qui dudum cum prefatis rege Polonie et duce difficilem controversiam habuerunt, nostro et Romane ecclesie nomine, ipsarum partium accedente consensu, deducendi, tractandi, concludendi, procurandi, faciendi et exequendi, et etiam si, deo prout speramus volente, partes ad optatam pacem, te interveniente, reducentur, in capitulis pacis eiusdem

nostram auctoritatem et decretum interponendi, illaque sub quibusvis censuris et honestis stipulationibus validandi, ac etiam quod pacem et capitula huiusmodi, auctore domino, inviolabiliter observari faciemus, pronuntiandi plenam et liberam concedimus harum serie potestatem. Quam ob rem, Venerabilis frater, perge in nomine domini et pacis angelus tecum sit et opera tua secundet, sicut summe cupimus et speramus, ut hac sancta et desiderata pace conclusa, pias et humiles referamus gratias deo pacis auctori, tuque preter summum premium vite eterne nostram et apostolice sedis commendationem in domino merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kal. Martii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia lib. IV. fol. 170.

CCCLXIV.

Iordanus eps Albanensis ad Hungariae et Bohemiae regna legatus a latere mittitur.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Iordano Episcopo Albanensi apostolice sedis legato, salutem etc. Cum te ad Hungarie et Bohemie Regna, ac Moravie et Misnensem Marchionatus, necnon predictas civitates, dioceses, terras et loca dictorum regnorum et marchionatuum ditioni subiecta, pro nonnullis arduis nostris et Romane ecclesie negotiis statum et defensionem catholice fidei concernentibus, salute quoque et pace regnorum, marchionatuum predictorum, civitatum, diocesum, terrarum, et locorum predictorum, tibi plene potestatis legati de latere officium committendo, de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum presentialiter destinemus: Nos volentes illa tibi concedere, per que te possumus aliis reddere gratiosum, fraternitati tue, ut postquam infra limites tue legacionis extiteris, quibuscumque Episcopis et superioribus tantum illarum partium, quos duxeris eligendos, auctoritate apostolica valeas, ut cuilibet eorumdem Episcoporum et superiorum liceat habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis possint per se seu per proprium vel alium sacerdotem ydoneum missam, et alia divina officia sine iuris aliorum preiudicio in eorum et familiarium suorum domesticorum presentia celebrare seu facere celebrari, tenore presentium indulgemus. Datum Rome apud S. Petrum XVII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Offic. lib. III. fol. 192.

CCCLXV.

Sigismundo regi Hungariae et Bohemiae super reductione Bohemorum haereticorum ad Ecclesiam.

Martinus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Sigismundo Ungarie et Bohemie Regi Illustri, salutem etc. Nuper reddite sunt nobis littere tue date die vigesima mensis Maii proxime elapsi in partibus Transilvanis, quarum continentie respondentes ab earum ultima particula incipiemus, ubi post longam querelam postremo queris, qua causa nos moveamur ad scribendum potius Carissimo in Christo filio nobili viro Alexandro Duci Litwanie super certa materia reductionis Bohemorum hereticorum, quam serenitati tue: hac enim parte cognita, satisfecisse nos debito nostro sine aliqua tua iniuria, si omnia mature considerares, iudicabis, nobisque necessarium non erit respondere ad reliquas partes litterarum tuarum, gravem de nobis ea in properatione servitii querimoniam continentes. Carissime fili, cum superiori tempore misissemus legatos et nuntios ad tantam labem et ignominiam tollendam de natione Germanica, et sollicitari Principes et populos nationis eiusdem fecissemus, et te ante omnes, sicut dignitas tua requirebat, et omnia alia nobis possibilia remedia temptassemus, cum quibus vel reducere, vel exterminare Bohemos hereticos possemus, sicuti notum est celsitudini tue, quia, te inscio, nichil gestum est, et nichil de tantis apparatibus successisset nobis, nec armorum potentiam habemus ad hanc heresim opprimendam, ne possemus facere aliud quam dolere, et Deum rogare, ut finem ipse reperiret tante calamitati populi christiani: facta significatio nobis fuit per certos nuntios, et copias litterarum Sigismundi nepotis Regis et Ducis prefatorum, qualiter heretici cupiebant redire ad gremium sancte matris Ecclesie, sed petebant immediate ab apostolica sede audiri causam eorum: persona forsitan Sigismundi suspecta videri poterat, quia fautor illorum. Sed nichilominus hoc in casu oblatio reputanda non fuit ex parte hominis, licet mali, melius tamen de ipsorum consiliis informati, nec ullo modo conditio erat obiicienda, cum diceretur, ipsos hereticos vel audiri apud sedem Apostolicam, que nemini redeunti et petenti veniam gremium claudit; sed notare in ipsis nostris litteris debuisti, quomodo ipsos volebamus audire, ita scilicet, si venirent parati stare nostre determinationi, nobis et ecclesie de cetero parituri: sic enim erat hereticis audientia concedenda, non discussionis et

deputationis gratia, sed informationis et instructionis eorum, ne fierent ex desperatione venie duriores. Quod autem ad hoc munus direptionis (? ipsorum non requisivimus, sed nominatim verbum fecerimus de Rege et Duce prefatis, non processit ex eo, quod negligeremus, aut in hac causa aspernaremur Excellentiam tuam, cui multiplici ratione hoc precipue conveniret; sed quia nobis tunc extitit intimatum, quod vel timore vel odio ita erant Bohemi a tua celsitudine alienati, quod abhorrebant ab omni opera et intercessione sublimitatis tue. Nos igitur cogitantes ad tantum periculum, quod saluti animarum et cause fidei imminebat, inclinati fuimus etiam ad eos mediatores, quos ipsi et preter eos neminem requirebant, nec credebamus tibi molestum fore, si per quoscumque alios ad Ecclesie gremium reducerentur, dummodo ab eorum errore desisterent, te magnopere non curare, quod quidem dictum tuum sepe laudavimus, profectum sane a Principe catholico et sapienti; neque enim propterea per nos unquam derogatum est alicui tuo iuri Regio, quod desideramus, ut cum illa, que tante rei convenit, magnitudine animi prosequaris: habes, fili carissime, rationem, qua moti fuimus ad scribendum ipsis Regi et Duci super reductione Bohemorum, non ut tibi faceremus iniuriam, sed ut nichil intentatum reliqueremus, quod proficere posset ad tollendum hoc scandalum in populo christiano. Cum nobis per hanc viam spes aliqua reductionis eorum esset oblata, quod consilium nostrum, si rerum statum ponderabis et causam, licet desideratum non habuerit eventum, te probaturum esse non dubitamus, confidentes in equitate iudicii tui. Ceterum tam prolixa commemoratio meritorum tuorum in litteris tuis expressa nobis superflua visa est, nec propterea aliter respondemus: quid enim opus est repetere efficacia tua in Ecclesiam Dei merita, que notissima mundo sunt, et erunt semper in memoria posteritatis illustria cum perpetua laude nominis tui, pro cuius amplitudine, commodis et honore ac Romani Imperii dignitate tuendis et conservandis nos semper invenies cum omni cordis sinceritate dispositos et paratos. Datum Rome apud Sanctos Apostolos IV. Idus Septembris. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. lib. II. fol. 221.

CCCLXVI.

Iulianus card. S. Angeli legatus a latere in regnum Bohemiae etc. mittitur.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Iuliano sancti Angeli Diacono Cardinali, in Regno Bohemie ac Marchionatibus Moravie et Misnensi apostolice sedis legato, salutem etc. De summis celorum ad ima mundi descendens unigenitus dei filius Iesus Christus, ut hominem de laqueo servitutis eriperet, in quem ipsum suggestio serpentina impulerat, vestem nostre mortalitatis induit, volens proprii aspersione sanguinis incendia perpetui cruciatus extinguere, ac ipsos eterna morte possessos vite perhennis efficere possessores: qui cum ipse sibi legationis in regione peccatorum exercens officium, in universum mundum discipulos, quos elegerat, destinavit omni creature evangelium predicare, vicarium suum instituens, ut eius exemplo nonnunquam alios in partem solicitudinis advocaret, ubi officii sui partes corporali absencia solvere prohiberetur. Quoniam licet nobis sit potestatis plenitudo commissa fines humane possibilitatis excedere non valemus, ut, dum in parte una officium exercemus iniunctum illud alibi presentialiter exequamur, quod lex humane conditionis non permittit personam eandem simul in diversis partibus existendo traditam sibi exequi potestatem, nec eciam patitur lex nature unum corpus eodem tempore locis in pluribus comprehendi: unde cum suscepti cura regiminis nos universis Christifidelibus constituat debitores, ad ipsos interdum personas ydoneas meritis et virtutibus insignitas, presertim quando agitur de errantibus ovibus ad ovile dominium reducendis, vel perfidis hereticis et infidelibus evertendis, dirigimus, vice nostra per eas residuum solicitudinis, quam ad presens personaliter gerimus, dispensando. Sane inter graves curas, que continue mentem nostram solicitant, nichil maius desideramus, nichil in mente nostra ardentius insidet, quam Bohemos hereticos ad viam veritatis reduci, et animarum ipsorum salutem et pacem et cultum fidei orthodoxe, ac eius libertatisque ecclesiastice incrementum in dei ecclesia provenire supremis affectibus exoptantes, ad id sedula solercia vigilamus, et quam possumus diligentius studium adhibemus, ut huiusmodi salus, pax et cultus incrementum in agro dominico, succisis ac penitus eradicatis ex illo dampnabilium heresum vepribus pestiferis et nocivis, ac summotis impedimentis quibuslibet, iuxta mentis nostre conceptum possint, auctore domino, provenire. Levatis igitur in circuitu nostre mentis oculis, non absque amaritudine cordis nostri recensentes, quod in Regno Bohemie ac finitimis partibus diu argumenta pestifera contra fidem catholicam, hoste humane generis procurante, viperina dogmata, que velut cancer mentes christianorum serpunt et infi-

ciunt, hactenus pullularunt, per predicationes nepharias et articulos dampnate memorie Iohannis Wicleff heresiarche et sequacium eius iugiter commitentium Christifidelium mentes et corda seducere a veritate fidei orthodoxe, ac supremis desiderantes affectibus, ut in Regno et Marchionatibus Moravie et Misnensi, ac circumstantibus partibus resurgant desiderabiles pax et quies, ac cultus fidei incrementis salutaribus, animarum salus et corporum coalescant, ad te, qui tue vite probata fidelitate et singulari prudentia divino munere illustratus existis, et quem potentem quidem opere et sermone, in magnis expertum et arduis, eximie circumspectionis industria, claritate, scientie probitate et fidelitate ac morum integritate comprobatum, benegerendarumque rerum experientia et maturitate consilii insignitum, in cuius affectibus geritur, prout indubitanter tenemus, extirpare hereses, et oberrantes ac devios ad viam veritatis reducere salutaribus argumentis, et ad veram pacem et concordiam quoslibet dissidentes revocare, et oberrantes huiusmodi, si in perfidia seu malignitate perstiterint, iusticia mediante compescere, licet tua presentia nobis et universali ecclesie perutili careamus inviti, nostre tamen convertimus ad te deliberationis intuitum, et propterea consideratione tuarum virtutum te apostolice sedis legatum, plene potestatis legati de latere nostro tibi officium committendo de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica constituimus et etiam deputamus, teque ad Regnum et Marchionatus predicta, nec non provincias, civitates, dioceses, terras et loca eisdem Regno et Marchionatibus vel alicui eorum subiecta, ut in illis quecunque pestifera et nociva evellas, dissipes, destruas et disperdas, edifices atque plantes, deformata reformes, corrigenda corrigas et deviantes ad viam veritatis reducas, ac illa inibi statuas, ordines et disponas, prout celestis gratie illuminatione tua providentia tibi subministrabit, de ipsorum fratrum consilio tamquam pacis angelum providimus destinandum, firma spe fiduciaque tenentes, quod actus tuos domino dirigente per tue circumspectionis industriam omnibus et singulis, que sub tua legatione consistunt, presertim periculis et discriminibus, que ex dogmatizationibus, heresibus, perversitatibus atque guerris ipsorum hereticorum in Regno, Marchionatibus et partibus supradictis, procurante pacis emulo, suscitatis et exortis hactenus evenerunt et insunt, poteris salubriter obviare, et etiam providere, quodque oberrancium et perfidorum reductio, extirpatio heresum et reintegratio libertatis ecclesiastice, relevatio ecclesiarum, piorum locorum et pauperum oppressorum defensio, et pacis tam animarum quam corporum desiderata tranquillitas per eiusdem circumspectionis industriam, deo tibi propicio, ad effectum felicem et saluberrimum deducentur. Eidem igitur circumspectioni tue inter quascunque personas ecclesiasticas et seculares, cuiuscumque status, gradus, preheminencie, ordinis seu conditionis existant, etiamsi Regali, reginali, pontificali aut quavis alia ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgeant, Regni, Marchionatuum et partium predictorum bonum pacis et concordie ac reductionis eorum ad gremium sancte matris ecclesie, nostramque et sedis apostolice obedientiam et devotionem inducendi et incitandi, et que ad cultum divini nominis, orthodoxe fidei augmentum et eiusdem sedis honorem, observanciam, canonicarum sanctionum integrationem et conservationem ecclesiastice libertatis, extirpationem heresum et errorum, effectivam reductionem quorumlibet oberrantium et indevotorum ad gremium militantis ecclesie, relevationem et reformationem desolatarum ecclesiarum et monasteriorum, animarum salutem et status prosperi Regni, Marchionatuum et partium eorundem quomodolibet pertinebunt, corrigendi, conformandi, statuendi, providendi, mandandi, decernendi, ordinandi et exequendi, et quoscumque hereticos ad gremium dicte ecclesie humiliter redire volentes abiuratione previa, ubicumque te esse contigerit, etiam extra huius tue legationis limites directe, vel indirecte iuxta tue prudentie iudicium, quam sine alia instructione, consilio et providentia munitam esse iudicamus, reducendi, illosque etiam, si in hereses semel vel pluries relapsi fuerint et abiuraverint, a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis, aliisque censuris et penis ecclesiasticis absolvendi in forma ecclesie consueta, interdicta quoque ecclesiastica, quibus Regnum, Marchionatus et partes predicti, eorumque civitates, terre, castra et loca supposita fuerint, perpetuo vel ad tempus suspendendi aut libere relaxandi, prout circumspectioni tue videbitur expedire, etiamsi huiusmodi interdicta auctoritate sedis apostolice processerint, nec non quascumque personas ecclesiasticas seculares et regulares ordinis cuiuscunque Regni, Marchionatuum et partium predictorum ad honores, officia tam ecclesiastica quam mundana, ad dignitates, actus publicos, privilegia, iura, et bona quecumque, etiam feudalia, et quevis alia, ac in statum pristinum, in quo erant, antequam huiusmodi crimina, excessus et delicta per eos commissa essent, restituendi et reponendi, ac abolendi omnem infamie maculam sive notam per eos premissorum occasione contractam, ac habilitandi ad premissa, et quelibet alia imposterum obti-

nenda; personis quoque ecclesiasticis de beneficiis quibuscunque, que obtinebant seu obtinent de presenti, noviter providendi, ac cum eis super irregularitatibus, si quas forsan celebrando divina vel immiscendo se illis etiam in contemptum clavium quomodolibet contraxerunt, et quod in susceptis ordinibus ministrari valeant, nec non pro votiva et celeri expeditione negociorum per nos tibi commissorum, quociens tibi videbitur, generalem vel particularem synodum prelatorum, principum, ducum, baronum et dominorum temporalium quorumcumque, ubi fuerit expediens, convocandi et congregandi, ibique proponendi et deliberandi, prout agendarum rerum pondus pro tempore exiget, et quod inibi per te decretum et deliberatum fuerit, exequi mandandi et faciendi per te vel alios oportune, et etiam omnibus et singulis prelatis ecclesiarum et monasteriorum ac ordinum quorumcumque, magistris, prioribus et preceptoribus, cuiuscumque dignitatis aut conditionis existant, capitulis quoque et conventibus ecclesiarum et monasteriorum predictorum, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, et Clero per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia mandandi et iniungendi, ut omnia, quecunque ordinaveris seu disposueris, exequantur efficaciter, plene pareant et intendant; et nichilominus pro premissorum executione plenaria, quandocunque tibi videbitur, implorandi et invocandi auxilium brachii secularis quorumcumque Regum, principum, dominorum, potentatuum, universitatum et singularum quarumlibet personarum, ac etiam sententias et processus contra quoscumque hereticos et indevotos eiusdem ecclesie, eorumque fautores, receptatores, complices et sequaces, ac eis dantes auxilium, consilium et favorem per se vel alios quovismodo publice vel occulte, tam per sedem ipsam quam generalia concilia factos et latas publicari et exequi mandandi, etiam per edictum publicum in valvis cuiuscumque ecclesie seu in portis domus tue residentie affingendum, ipsosque processus et sententias aggravandi et reaggravandi, quandocumque tibi visum fuerit convenire; et si aliqui oberrantes ad viam veritatis et catholice fidei redire voluerint seque reduxerint, cum eisdem rigorem iuris in similibus casibus mitigandi, prout personarum, locorum et temporum qualitate pensata, tibi videbitur expedire, et si forsitan aliqui principes, barones, domini temporales, vel prelati, aut universitates, et singulares persone quecumque Regni, Marchionatuum et partium predictorum fuissent occasione heresis seu fautorie huiusmodi quomodolibet diffamati, et tibi constiterit illos iniuste fuisse super hiis aliqua infamia denigratos, ut nullus notetur infamia vel heresis maculis aspergatur indebite, pro illis iuxta tue mentis arbitrium ad famam et nomen preservandum declarandi, illos nulla aspersione macule seu infamie respersos esse seu notandos, et omnia et singula alia, que in premissis et circa ea, maxime concernentia heresum et errorum extirpationem, et reductionem hereticorum et indevotorum ad nostram et ipsius ecclesie devotionem et obedientiam, reformationem morum ac ecclesiarum, monasteriorum et piorum locorum, nec non pauperum et miserabilium personarum regni et partium predictorum relevationem, ecclesiastice libertatis cultum, animarum corporumque salutem, quietem et pacem dicti regni quomodolibet pertinebunt, corrigendi, statuendi, providendi, ordinandi, decernendi, precipiendi et exequendi, contradictores quoque quoslibet et rebelles, quacumque ecclesiastica vel mundana, etiam si regali, reginali, pontificali seu quovis alia prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, quibuscumque privilegiis, indulgentiis, exemptionibus et litteris apostolicis generalibus vel specialibus sub quacumque verborum forma vel expressione concessis, per que nullum cuiquam cuiuscumque status, gradus, religionis, ordinis etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, Humiliatorum, sanctorum Benedicti et Augustini, hospitalium sancti Iohannis Ierosolimitani, sancte Marie Theutonicorum et Calatravensis, ac quorumcumque aliorum ordinum etiam mendicantium existant, in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus, plenam et liberam auctoritate predicta concedimus facultatem. Nos insuper sententias, quas rite tuleris seu statueris in rebelles ratas habebimus, idque faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quocirca circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus iniunctum tibi ministerium laboris huiusmodi pro divina et dicte sedis et nostra reverentia devote suscipiens, sic illud utiliter sicque solicite et laudabiliter iuxta datam tibi a deo prudentiam exequaris, quod de tuis laboribus, celesti favente clementia, desiderati fructus proveniant, quos speramus, tuque illam, que pias causas agentibus superna retributione impenditur, feliciter consequi eterne palme gloriam merearis. Datum Rome apud Sanctos Apostolos Kalendis Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. Offic. lib. IV. fol. 183.

CCCLXVII.

Eidem certae facultates conceduntur.

Martinus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Cum Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Romanorum, Ungarie et Bohemie Rex Illustris tamquam ardens fidei catholice defensor inter cetera novissime nobis significaverit, quod nonnulli catholici deum ac fidem christianam contempnentes, victualia et alias res necessarias, ac subventionem Bohemis hereticis sepius subministrant; cumque preterea filiali sua devotione nos requisiverit, ut huiusmodi subventores penis a iure edictis et aliis oportunis remediis prosequeremur: nos, qui ex debito pastoralis officii catholice fidei defensionem et veprium ex agro dominico extirpationem omnibus studiis procurare debemus, tam perniciosam heresim et abhominandam pestem in visceribus christianorum existentem, deo auctore, abolere cupientes, nonnullorum Romanorum pontificum predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, qui deferentes infidelibus arma, equos, ferrum, lignamina, victualia et alia quecunque mercemonia in nonnullas penas et sentencias incidere statuerunt, cum dicti heretici omnem Christi doctrinam pervertere machinantes, deteriores quam infideles christianorum hostes existant, tenore presentium statuimus et decernimus, ut nullus in subsidium ipsorum Bohemorum hereticorum contra et adversus catholicos personaliter accedere, aut alias auxilium vel favorem in catholicorum dispendium prestare, necnon ipsis Bohemis hereticis arma, equos, ferrum, plumbum, sal, vina, speties, victualia et alia quecumque mercemonia deferre, seu subventionem aliquam aut presidium facere, nec ab ipsis calices, cruces, monstrancias, iocalia, paramenta, ornamenta et quecunque alia clenodia ad ornatum et usum ecclesiarum spectantia et pertinentia emere quoquomodo presumant, nec aliud commertium cum ipsis hereticis habeat. Nos vero, qui contra huiusmodi constitutionem nostram ausu temerario venire presumpserint, eo ipso excommunicationis sententie decernimus subiacere, a qua etiam absolvi nequeant, nisi tantum de bonis propriis in civitatum, terrarum et locorum, quibus dampna intulerunt, subsidium convertendum exsolverint, quanti detrimenti et dampni civitatibus, terris et locis huiusmodi attulerunt, necnon etiam ab eadem preterquam in articulo mortis absolvantur sententia absque mandato sedis apostolice vel nostri contra predictos hereticos legati de latere speciali. Et nichilominus si personarum earundem aliquam capi contingat, in servitute et captivitate eorum esse volumus, in quorum ceciderunt captionem, auctoritate insuper apostolica statuentes, ut illi, qui contra huiusmodi nostrum statutum venire presumpserint, preter penas predictas ipso facto incurrant, ut perpetuo sint infames, intestabiles habeantur, ita quod neque testari, neque legata eis relicta percipere valeant, et insuper ad successiones tam ex testamento quam ab intestato sint prorsus et reddantur inhabiles, nec ad publica quelibet admittantur officia, suntque illis omnes actus legitimi penitus interdicti, et tamquam excommunicati hostesque catholice fidei, postquam de ipsorum huiusmodi temeritate constiterit, diebus dominicis et festivis publice nuntientur, et in prosecutione adversus dictos hereticos fienda bona eorum omnia devolvantur, monentes nichilominus venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, necnon dilectos filios nobiles viros duces, barones, comites, potestates, capitaneos, consiliarios, comitatus, populos vel universitates omnium et singularum civitatum, castrorum et locorum in Regno predicto et partibus finitimis consistentium, eis universis et singulis iniungentes, ut iidem Archiepiscopi, et Episcopi omnia supradicta in civitatibus eorum et in locis insignibus suarum diocesium coram populo publicent, et faciant per alios solenniter publicari, iubentes et facientes ipsa ab omnibus potestatibus, rectoribus, comitatibus, universitatibus et personis singularibus civitatum, castrorum et locorum predictorum auctoritate nostra inviolabiliter observari; duces vero, barones, comites, potestates, capitanei, consilia, comitatus et universitates premissa observent firmiter, et faciant a suis subditis inviolabiliter observari; districtius insuper inhibentes universis et singulis christifidelibus ubique locorum constitutis, cuiuscumque dignitatis, preeminentie, conditionis aut status extiterint, ut nullus omnino contra premissa vel eorum aliquid quomodolibet scienter attemptare presumat, et qui secus egerit, premissis penis, sententiis, conditionibus et preceptis iuxta conditionem eandem sit eo ipso ligatus. Ut autem predicta ad communem singulorum noticiam deducantur, ne de eius ignorantia pretendi valeat, seu etiam allegari, presentes litteras valvis ecclesie sanctorum Apostolorum de urbe mandavimus fecimusque affigi etc. Datum Rome apud SS. Apostolos v. Id. Ianuarii. Anno XIV.

Ex Reg. orig. An. XIV. offic. de Curia lib. IV. fol. 188.

EPISTOLAE EUGENII PP. IV.

CCCLXVIII.

Iuliano card. S. Angeli legato facultas datur statuendi, ut monasteria fratrum Minorum in confinibus Hungariae consistentia sub domus Bosnensis gubernio sint.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Iuliano sancti Angeli diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Rationi congruit et convenit honestati, ut ea, que de Romani Pontificis providentia processerunt, licet eius superveniente obitu littere apostolice super illis confecte non fuerint, suum consequantur effectum. Sane dudum felicis recordationis Martino papa quinto, predecessori nostro, pro parte Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Romanorum Regis Illustris exposito, quod cum domus fratrum minorum de observantia nuncupatorum in Regno Ungarie in confinibus Turcorum consistentes, retroactis temporibus sub custodia et gubernatione custodis domus Bosnensis eiusdem ordinis hactenus gubernate fuerant, et fratres in domibus ipsis et gentes secundum ipsius ordinis regularia statuta ad dei laudem et religionis decorem pure et sinere vixerant, propterea idem Rex desiderarit, ne fratres prefati ad mundane conversationis illecebras et seculi vanitates se diverterent, sed deo, cui dedicati erant, pure ac religiose famularentur, ut domus predicte sub gubernatione et custodia dicti custodis, prout hactenus constitute erant, reponerentur et reducerentur; ac pro parte dicti Regis prefato predecessori supplicato, ut domus prefatas sub huiusmodi custodia et gubernatione reduci mandare, et alias super premissis salubriter providere de benignitate apostolica dignaretur: idem predecessor voluit et concessit, videlicet xiv. Kal. Martii pontificatus sui anno quartodecimo, tibi dari in mandatis, ut vocatis, qui forent evocandi, de premissis omnibus et singulis et eorum circumstantiis universis auctoritate sua te diligenter informares, et si per informationem huiusmodi expediens et utile esse reperires, quod huiusmodi reductio foret facienda ipsamque honestati et religioni dicti ordinis videres convenire, domus prefatas et inibi residentes fratres huiusmodi sub custodia et gubernatione predictis eadem auctoritate reduceres et in statum pristinum reponeres, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ordinis et domorum predictorum, etiam in generalibus capitulis ipsius ordinis editis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque, seu si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica est indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent per litteras apostolica non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ne autem pro eo, quod super dictis voluntate et concessione dicti predecessoris, eius superveniente obitu, littere apostolice confecte non fuerunt, prefatus Rex voluntatis et concessionis huiusmodi frustretur effectu, volentes et apostolica auctoritate decernentes, quod huiusmodi voluntas et concessio ab eadem data, videlicet xiv.

Kal. Martii, perinde suum sortiantur effectum, ac si eiusdem predecessoris littere sub ipsius diei data confecte fuissent, prout superius enarratur, quodque presentes littere ad probandum plene voluntatem et concessionem easdem ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur: circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad executionem dictarum voluntatis et concessionis in omnibus perinde procedas, ac si eiusdem predecessoris littere super illis confecte et tibi presentate fuissent. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus premissis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadrigentesimo tricesimo primo. v. Idus Martii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XII. fol. 12.

CCCLXIX.

Eidem revocandi privilegia cleri Transilvani de non contribuendis subsidiis contra Turcas licentia datur.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Iuliano sancti Angeli diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Rationi congruit et convenit honestati, ut ea, que de Romani pontificis providentia processerunt, licet eius superveniente obitu littere apostolice super illis confecte non fuerint, suum consequantur effectum. Sane dudum felicis recordationis Martino pape quinto, predecessori nostro, pro parte Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Romanorum Regis Illustris exposito, quod licet ex laudabili regni Ungarie et antiqua consuetudine observatum fuisset, quod prelati et clerus dicti regni pro sustentatione et manutentione exercitus contra Turcos et alios infideles, quem prefatus Rex, suorum predecessorum Regum Ungarie vestigiis inherendo, pluribus preteritis annis non sine gravibus expensarum oneribus ac personali labore pro fide catholica in prefato regno tuenda tenuerat ac sustinuerat, prout tenebat et sustinebat, tunc tertiam partem de fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis in usum prefatum per eundem Regem conversam, et in futurum, si necessitas id exposceret, convertendam contribuere consuevissent; tamen nonnulle persone ecclesiastice in diocesi Transilvanensi commorantes, asserentes se ab huiusmodi contributione per litteras dicti predecessoris exemptas, partem fructuum, reddituum et proventuum eis ratione beneficiorum suorum ecclesiasticorum in dicta diocesi consistentium contingentem contribuere et persolvere recusabant; ac pro parte dicti Regis asserentis civitatem et diocesim Transilvanensem pluribus aliis civitatibus et diocesibus prefati regni terris Turcorum predictorum propter situm esse viciniores, et propterea protectione etiam frequentiori quam alie ipsius regni civitates et terre indigere noscerentur, prefato predecessori supplicato, ut litteras apostolicas revocare, nec non personas predictas ad contributionem huiusmodi compellere et alias in premissis salubriter providere de benignitate apostolica dignaretur: idem predecessor voluit, et concessit videlicet Idibus Februarii pontificatus sui anno quartodecimo tibi dari in mandatis, ut vocatis, qui forent evocandi, litteras predictas tibi exhiberi et ostendi faceres, et de ipsarum continentia ac de premissis omnibus et singulis eorumque circumstantiis universis auctoritate sua te diligenter informares, et si per informationem huiusmodi expediens et utile esse reperires, quod littere prefate cassari deberent et annullari, litteras ipsas eadem auctoritate revocares, cassares, irritares et annullares; et nichilominus, si revocationem, cassationem, irritationem et annullationem huiusmodi per te fieri contingeret, prefatas personas, cuiuscunque status, conditionis ac dignitatis existerent, ad contributionem huiusmodi prestandam, si alias ad hoc tenentur, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia compelleres, non obstantibus litteris predictis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan forent, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Ne autem pro eo, quod super dictis voluntate et concessione dicti predecessoris nostri eius superveniente obitu littere apostolice confecte non fuerunt, prefatus Rex voluntatis et concessionis huiusmodi frustretur effectu, volentes et apostolica auctoritate decernentes, quod huiusmodi voluntas et concessio eiusdem predecessoris ab eadem data, videlicet Idibus Februarii, perinde suum sortiantur effectum, ac si eiusdem predecessoris littere sub ipsius diei data confecte fuissent, prout superius enarratur; quodque presentes littere ad probandum plene voluntatem et concessionem easdem ubique sufficiant, nec ad id probationis alicuius adminiculum requiratur: circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad executionem dictarum voluntatis et concessionis in omnibus perinde

procedas, ac si eiusdem predecessoris littere super illis confecte et tibi presentate fuissent, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus premissis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XII. fol. 12.

CCCLXX.

Pontifex quasdam litteras ecclesiae Albaeregalis iurisdictioni obnoxias revocat.

Eugenius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Ad ea ex iniuncto nobis desuper pastoralis servitutis officio libenter intendimus, per que gratie, privilegia, honores et indulta per Romanos pontifices predecessores nostros insignibus ecclesiis et personis in eis altissimo famulantibus, presertim que nobis et Romane ecclesie immediate subiecte existunt, concessa, firma et illibata persistant, et ecclesie ac persone ipse in pacis amenitate viventes in suis libertatibus, honoribus et gratiis conserventur. Sane dudum Martino pape quinto predecessori nostro exposito, quod olim Clemens tertius predecessor noster etiam ad pie memorie Alexandri eiusdem Clementis nostri predecessoris exemplar ecclesiam Alberegalis Vesprimiensis diocesis, in qua prepositus et nonnulli canonici pro tempore divino extiterant, prout existunt, obsequio mancipati, sub beati Petri et eius protectionem susceperat et sui scripti privilegio communierat, statuens, ut quecunque possessiones et bona, que eadem ecclesia concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, prestante domino, posset adipisci, ipsis preposito et canonicis eorumque successoribus firma et illibata permanerent; libertates quoque seu immunitates, iura et dignitates predicte ecclesie a sancto Stephano Rege, qui ecclesiam ipsam fundavit, concessas, que in vita sua leguntur, et ab aliis regibus indultas ac usque ad tempus recolende memorie Geyse regis conservatas, ratas atque firmas easque perpetuis temporibus illibatas manere sancivit, salvis libertatibus et institutionibus, que de auctoritate Romane ecclesie per bone memorie Petrum quondam tituli sancti Laurentii in Damaso et Gaufredum tituli sancte Cecilie presbiteros tunc Cardinales, olim in partibus illis apostolice sedis legatos, facte fuerant; et etiam decimas, quas a quadraginta tunc retro lapsis annis ipsa ecclesia inconcusse possedisse dinoscebatur, eisdem preposito et canonicis et ecclesie confirmaverat; quodque etiam de auctoritate apostolica statuerat, ut nemini liceret prepositum et canonicos eiusdem ecclesie suspendere, interdicere vel excommunicare nisi Romano pontifici vel legato ab eius latere destinato, nec fas esset alicui Archiepiscopo vel Episcopo in predicta ecclesia solemnes missas celebrare, nisi a Rege vel a preposito eiusdem ecclesie propter hoc invitatus foret, aut etiam ipsum prepositum et canonicos ad speciales synodos convocare; quodque ipsi prepositus et canonici ut chrisma et oleum sanctum, consecrationes altarium et basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines forent promovendi, a quovis reciperent episcopo gratiam et communionem apostolice sedis habente, qui hec auctoritate apostolica requisitus indulgeret; quodque ut cum generale interdictum terre foret, liceret eisdem preposito et canonicis, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, subpressa voce divina officia celebrare specialiter indulserat: et deinde pro parte dictorum prepositi et canonicorum quondam Bonifacio nono in sua obedientia, de qua partes ille tunc erant, nuncupato exposito, quod nonnulli ordinarii huiusmodi privilegium minime advertentes, et eorum insolentia iurisdictionem in prepositum et canonicos et ecclesiam predictos sibi presumptione propria usurpantes, illos diversimode contra tenorem huiusmodi privilegii molestare et perturbare presumebant, idem Bonifacius huiusmodi privilegium et quecunque inde secuta, ac omnia et singula in eo contenta auctoritate apostolica ex certa scientia confirmaverat, dictam ecclesiam cum eius personis huiusmodi, que tunc erant et essent pro tempore, ac possessiones, villas, castra, iura, iurisdictiones et alia bona quecunque ad ipsam ecclesiam pertinentia, et que ipsi prepositus et canonici ac ecclesia tunc legitime possidebant, et in futurum iustis modis, prestante domino, possent adipisci, ab omni iurisdictione, dominio et potestate Archiepiscopi Strigoniensis et Episcopi Vesprimiensis pro tempore existentium, ac quorumcunque aliorum archiepiscoporum, iudicum ordinariorum seu delegatorum aut subdelegatorum auctoritate predicta de novo exemerat et perpetuo liberaverat; ipsosque prepositum et canonicos ac ecclesiam ac personas, nec non possessiones, villas, castra, iura, iurisdictiones et bona cum pertinentiis supradictis in ius et proprietatem beati Petri et dicte sedis, ac sub eorum protectione susceperat atque sua, illaque decreverat prefate sedi vel eius legato a latere Romani pontificis destinato duntaxat immediate subiacere; ita quod

dicti Archiepissopi, Episcopi, Iudices ordinarii, vel quevis alia persona ecclesiastica vel mundana, quacunque prefulgeret dignitate, etiam si nate legationis fungeretur officio, in predictos prepositum et canonicos, ecclesiam et personas, nec non possessiones et villas, castra et bona predicta utpote prorsus exempta non possent excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias promulgare, nec iudicatum seu iurisdictionem aliquam exercere, omnes et singulos processus ac excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, quos et quas contra huiusmodi exemptionis tenorem haberi contingeret, seu etiam promulgari, irritos decernendo penitus et inanes: idem Martinus ad supplicationem prepositi et capituli predictorum prepositum, canonicos ac personas et ecclesiam predictos, ne in iuribus ipsorum cuiusvis molestiis perturbarentur, confovere volens, privilegium huiusmodi, nec non super eo confectas prefati Bonifacii litteras cum omnibus et singulis indultis, concessionibus et contentis clausulis in eisdem rata et grata habens, ea auctoritate apostolica ex certa scientia per suas certi tenoris litteras confirmavit. Et deinde cum idem Martinus predecessor percepisset, quod bone memorie Baldassari Episcopo Tusculanensi, tunc Iohanni vicesimo tertio in sua obedientia, de qua partes ille fuerant, nuncupato, pro parte dilecti filii magistri Benedicti Michaelis prepositi ecclesie predicte, eiusdem Episcopi notarii, exposito, quod licet olim dicta ecclesia cum eius personis tunc existentibus et futuris, ac possessiones, ville, castra, iura, iurisdictiones et alia bona quecumque ad ipsam ecclesiam pertinentia, que prepositus et canonici predicti, qui tunc erant, canonice possidebant et imposterum iustis modis, prestante domino, possent adipisci, ab omni iurisdictione Archiepiscopi Strigoniensis et Episcopi Vesprimiensis pro tempore existentium, et quorumcunque aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Iudicum ordinariorum per speciale privilegium sedis predicte exempta prorsus et libera fuissent, ac ex tunc remansissent et remanerent sedi predicte immediate subiecta; tamen in eodem privilegio, quis ecclesiasticam iurisdictionem in canonicos, capitulum, presbiteros, clericos, rectores et personas huiusmodi exercere deberet, non extiterat provisum, et propterea plures committerentur excessus, qui impuniti transiebant, unde errores et animarum pericula nec non scandala formidabantur posse evenire plurima: prefatus Baldassar tunc Io. XXIII. eidem Benedicto et successoribus suis prepositis ipsius ecclesie beate Marie, qui pro tempore forent, quod ipsi ecclesiasticam iurisdictionem in quibuscunque causis et negotiis, etiam civilibus et criminalibus, beneficialibus aut mixtis, que si predicta exemptio non obstaret, Episcopus Vesprimiensis et alii iudices ordinarii prefati in eosdem canonicos, capitulum, presbiteros, clericos, rectores et personas exercerent, possent de consuetudine vel de iure exercere, nec non contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris oportuna remedia compescere, ac omnia alia et singula in premissis, et circa ea quomodolibet oportuna ratione previa facere atque disponere; ipseque etiam Benedictus et eius successores prepositi in sacerdotio constituti per se, vel per alios idoneos sacerdotes, quos ad id duxerint deputandos, eisdem canonicis et personis, qui tunc erant et forent pro tempore, eorum confessionibus diligenter auditis, penitentiam salutarem in casibus Episcopalibus, seu in quibus Episcopi subditos eorum possent absolvere, in iure duntaxat expressis impendere, nec non etiam cum ipsis in illis casibus, in quibus predicti Episcopi cum eorum subditis huiusmodi dispensare possent, etiam dispensare valerent, duxerat per suas litteras indulgendum: prefatus Martinus predecessor, intellecto ex parte dilecti filii decani ecclesie, nec non canonicorum et capituli predictorum, quod iurisdictio ecclesiastica huiusmodi in prepositum et canonicos, capitulum, presbiteros, clericos et rectores ac personas dicte ecclesie per illius prepositum, canonicos et capitulum huiusmodi vel aliquem per eos ad hoc deputatum a tanto tempore, de cuius contrario memoria hominum non existit, nec non de usu, more, observantia et consuetudine legitime prescriptis et inconcusse observatis exerceri consueverat, prefateque littere per supradictum Baldassarem Episcopum tunc Iohannem XXIII. eidem Benedicto preposito concesse contra privilegia, libertates, exemptiones et indulgentias per fel. rec. Alexandrum III. Clementem III. ac Innocentium III. predecessores nostros Romanos pontifices, nec non per quondam Bonifacium IX. in predicta obedientia nuncupatum capitulo et canonicis predictis, obedientia durante predicta, concessa emanarunt, ac idem Benedictus obtentu predictarum litterarum sibi, ut premittitur, concessarum canonicos, capitulum, presbiteros, clericos, rectores et personas predictos multipliciter molestaret, plures in eas excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias promulgando, ac nonnullas decimas, possessiones et bona, que sibi usurparet, ac beneficia ecclesiastica etiam curam animarum habentia, quorum collatio ad ipsos prepositum et capitulum de simili consuetudine pertinere dinoscitur, tenebat, aliaque plurima attemptaret in dedecus ec-

clesie, violationem privilegiorum et consuetudinum, nec non canonicorum, capituli, presbiterorum, clericorum, rectorum et personarum predictorum preiudicium et gravamen, ipsique decanus et capitulum dubitarent pretextu quarundam aliarum litterarum ipsius Martini predecessoris per eos super revocatione litterarum predictarum, et ex huiusmodi causis pro parte decani et capituli predictorum eidem Martino, ut prefertur, exposito, ad Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Strigoniensem, eius nomine proprio non expresso, obtentarum, quarum vigore idem Archiepiscopus ad partis citationem et nonnullos alios actus, quorum tenores et status suis litteris habere voluit pro sufficienter expressis, dicebatur processisse, diutius involvi litigiis et laboribus ac expensis, ac pro parte decani et canonicorum et capituli predictorum ipsi Martino humiliter supplicato, ut litteras predictas eidem Benedicto preposito concessas revocare, cassare, irritare et annullare, ac alias eis super hiis oportune providere dignaretur: predictus Martinus predecessor cupiens, ut tam ecclesia beate Marie, nec non decanus, canonici, capitulum, presbiteri, clerici, rectores et alie persone et bona huiusmodi in suis iuribus ac honoribus conservarentur, quam etiam a quorumvis inquietudinibus preservarentur, et valerent quietius et devotius altissimo famulari, voluit et apostolica auctoritate decrevit, atque censuit, quod prefate per eundem Baldassarem Episcopum tunc Iohannem XXIII. eidem Benedicto preposito concesse littere cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis post annum, a data suarum litterarum computandum, omnino huiusmodi lapso anno viribus carerent et effectu nullumque robur obtinerent, nulliusque essent efficacie seu roboris vel momenti; quodque ipsi decanus, canonici, capitulum, presbiteri, clerici, rectores et persone ac bona huiusmodi privilegiis, exemptionibus, libertatibus et indulgentiis, nec non iurisdictione predictis etiam ex tunc uti possent ac deberent, quemadmodum decanus, canonici, capitulum, presbiteri, clerici, rectores et persone sepedicti, antequam prefate ipsius Baldassaris Episcopi tunc Io. XXIII. littere eidem B. concesse, ut premittitur, emanassent, uti poterant et debebant, et perinde ac si eidem per prefatum Baldassarem Episcopum tunc Iohannem XXIII. prefato B. preposito concesse littere minime emanassent. Postmodum vero per eundem Martinum predecessorem intellecto, quod tam prime quam secunde ipsius littere dictis capitulo et canonicis concesse per falsi suggestionem et veri taciturnitatem ab eo obtente fuissent, et nisi ipse littere revocarentur, derogatio dignitatis prepositalis ac multa mala, seditiones et scandala tunc expressa verisimiliter sequerentur, idem predecessor, cum de premissis certam notitiam non haberet, Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo prefato et Episcopo Iauriensi, eorum propriis nominibus non expressis, per suas litteras commisit et mandavit, ut vocatis prefatis decano, canonicis et capitulo et aliis, qui forent evocandi, de premissis omnibus et singulis se diligenter informarent, et si per informationem ipsam reperirent ea, que contra litteras suas proposita erant, aut aliquod eorum, quod rationabiliter ad id sufficeret veritate fulciri, dictas suas litteras ex minus veris causis extortas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis cassarent, revocarent, annullarent, ac nullius existere decernerent roboris vel momenti declararent, et nichilominus litteras ipsi Benedicto concessas in suum statum, robur et vigorem pristinum reponerent et restituerent, prout in diversis ipsius Martini litteris desuper confectis, quarum tenores hic de verbo ad verbum haberi volumus pro sufficienter expressis, specificatis et declaratis, plenius continetur. Et deinde prefato Archiepiscopo in huiusmodi causa procedente, ac ea indecisa pendente, dilectus filius noster Ardesinus tituli sanctorum Cosme et Damiani diaconus Cardinalis ex speciali commissione nostra, ad supplicationem dilectorum filiorum lectoris, cantoris, custodis et seniorum canonicorum ipsius ecclesie sibi factam, inter alia iurisdictionem dicte ecclesie prefato preposito concessam suspendens, illamque Venerabili fratri nostro Episcopo Vesprimiensi exercendam committens, litteras, per quas inhibebat Archiepiscopo et Episcopo Iauriensi predictis, ne vigore commissionis prefati Martini ad ulteriora procederent, decrevit, ante quarum receptionem ipse Archiepiscopus contra lectorem, cantorem, custodem et seniores canonicos in favorem ipsius prepositi sententiam tulit, a qua pro parte lectoris, cantoris, custodis, et canonicorum primo, et deinde ex parte prepositi predictorum a prefatis ipsius Ardesini Cardinalis suspensionis, commissionis et inhibitionis litteris extitit ad sedem apostolicam diversis temporibus appellatum, causisque huiusmodi appellationum dilecto filio nostro Iohanni tituli sancti Laurentii in Lucina presbitero Cardinali commissis, idem Cardinalis in secunda appellationis causa, alia indiscussa pendente, procedens prefatum B. in pristinum statum reposuit, revocans prefati Ardesini Cardinalis litteras super dicta suspensione concessas: a qua quidem repositione et revocatione pro parte ipsorum lectoris, cantoris, custodis et seniorum canonicorum extitit appellatum, et causa appellationis

huiusmodi dilecto filio nostro Iohanni tituli sancti Petri ad vincula presbitero Cardinali commissa, idem Cardinalis ad nullos actus adhuc inter partes dicitur processisse. Cum autem tam ex Iohannis et ultimis Martini predecessoris ipsorum litteris ipsi preposito concessis, quam ex litibus et causis huiusmodi inde emergentibus diversa scandala, seditiones et detrimenta expensarumque profluvia, nec non ipsius ecclesie ac personarum in ipsa altissimo famulantium iurium, libertatum et immunitatum enervatio et diminutio subsequantur: Nos attendentes, quod ecclesia ipsa Alberegalis nostre et ecclesie Romane cure immediate subiecta est, ac propterea, ut lites huiusmodi tollantur, prepositus, decanus et capitulum pacifice, sublatis dissensionum occasionibus, vivant et tam Romana quam prefata Alberegalis ecclesia in suis primevis iuribus conserventur, debite providere cupientes, ac statum causarum coram quocunque pendentium presentibus pro expressis habentes, illasque ad nos advocantes et penitus extinguentes, illisque, coram quibus pendent, perpetuum silentium super eis imponentes, ac sententias latas huiusmodi omnesque et singulas litteras per ipsum prepositum contra Alexandri, Clementis, Innocentii ac Bonifacii prefatorum litterarum tenorem et formam seu continentiam, et per que dicte ecclesie seu personarum prefatarum iuribus seu libertatibus in aliquo derogaretur, hactenus quomodocunque, qualitercunque et a quibuscunque impetratas, ac omnia et singula exinde secuta ex certa scientia ac de consilio Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium revocantes, cassantes, irritantes et annullantes, nulliusque decernentes esse roboris vel momenti, volumus et auctoritate apostolica eisdem scientia et consilio statuimus et etiam decernimus, quod ecclesia ipsa Alberegalis de cetero suis primevis iuribus, libertatibus et immunitatibus plene gaudeat, quodque prepositus, decanus, capitulum et persone ipse, cuiuscunque status fuerint, omnibus et singulis exemptionibus, iurisdictionibus, preeminentiis, libertatibus, immunitatibus, privilegiis, gratiis et indultis per ipsos Alexandrum, Clementem, Innocentium et Bonifacium concessis omnimode potiantur, gaudeant et utantur perinde, ac si littere per ipsum prepositum impetrate minime emanassent, reponentes et restituentes ecclesiam, prepositum, decanum, capitulum et personas prefatas in pristinum et in eum statum, in quo essent, si prefatorum Iohannis et Martini littere impetrate minime extitissent, prefatis litteris ac constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo etc. Datum Rome III. Non. Septembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. VI. fol. 48.

CCCLXXI.

Ioannes eps Signensis, ut Hungaros ad bellum contra Turcas excitet, nuntius apostolicus in regno Hungariae constituitur.

Eugenius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Signensi apostolice sedis nuncio et oratori, salutem etc. Animarum salutem et defensionem catholice fidei et eius professorum intensis desideriis affectantes, ad ea libenter intendimus, per que hostium eiusdem fidei, qui ad ovile dominicum venire non curant, exterminium procuretur, et christifideles spiritualibus premiis ad hoc salubriter inducantur. Cum igitur te nuncium et oratorem nostrum ad Regni Ungarie, et nonullarum aliarum regionum partes pro pace et bono statu ipsarum ac personarum in eisdem degentium in presentiarum personaliter destinemus, ac dudum illustris memorie Sigismundus Romanorum Imperator, dum ageret in humanis, sepius nobis instanter supplicavit, quod cum Turcos aliosque infideles christiani nominis immanissimos hostes, utpote ipsi Regno conterminos et confines, regnum ipsum sepe hostiliter invadere, personasque Regni ipsius captivare, bona predicta et clades varias Regno ipsi et personis inferre contingat in periculum Regni et personarum prefatorum, in scandalum fidei orthodoxe, propterea vellemus sibi, qui in oppressione dictorum infidelium exercitum congregare intendebat, favoribus nostris assistere, ac tantis malis et incommodis, quantum cum deo possemus, de oportuno remedio providere: fraternitati tue in dictis partibus, quociens, te in partibus illis commissionis huiusmodi officio fungente, Regem, qui pro tempore fuerit, seu Barones, Nobiles et Magnates dicti Regni exercitum seu expeditionem pro exterminio et expugnacione infidelium predictorum parare contigerit, predicationis verbi ac vivifice crucis officium presentium auctoritate committimus, tibi iniungentes, quatenus officium huiusmodi iuxta datam tibi a deo prudenciam et virtutem per te vel alios, quos ad id ydoneos putaveris eligendos, solerter exerceas fideliter et prudenter, omnes et singulos fideles, quos ad eam rem utiles et ydoneos iudicaveris, inducendo, ut suscipientes cum reverencia signum vivifice crucis, ipsamque suis cordibus et humeris affigentes, ad reprimendum prefatorum Turcorum et infidelium impetus viriliter se

accingant. Ac ut huiusmodi Christifideles eo efficacius ac fervencius tam sancta et salubria opera exequantur, Nos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, et illa, quam nobis licet insufficientibus meritis deus ligandi atque solvendi contulit, potestate, omnibus vere penitentibus et confessis, qui huiusmodi laborem, salutifere crucis signo assumpto, in personis propriis subierint et expensis, huiusmodi expugnatione seu negocii executione ab hac luce migrantibus plenam peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum; eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed suis dumtaxat expensis iuxta facultates et qualitates suas viros ydoneos destinabunt illic, iuxta providencie tue arbitrium moraturos, et illis similiter, qui licet alienis expensis in personis tamen propriis assumpte expeditionis huiusmodi laborem impleverint, plenam in casu supradicto suorum concedimus veniam peccatorum: huiusmodi quoque remissionis volumus se participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius negocii de bonis suis congrue ministrabunt, personas eorum, familias et bona eorum, eo quod huiusmodi crucem susceperunt, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes, ut sub diocesanorum suorum defensione consistant, quod si quis contra presumpserit, per diocesanum loci, ubi fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatur. Si qui vero illuc proficiscentium ad prestandas usuras iuramento tenerentur astricti, creditores eorum, ne molestiam inferant per se vel alium, sublato appellacionis obstaculo, simili districtione compellas, ac iuramenta huiusmodi penitus relaxando, ut ab usuraria ulterius exactione desistant. Si quispiam creditor eos ad solucionem coegerit, usurarium ipsum ad restitutionem eorum eadem districtione compellas, Iudeos quoque ad remittendas ipsas usuras per secularem compelli precipimus potestatem, et donec eas remiserint, cum omnibus christifidelibus tam in mercimoniis, quam aliis commerciis sub excommunicationis pena iubemus illis omnimodo denegare. Ut autem predicti crucesignati eo exequantur libencius et fervencius huiusmodi pium opus, quo maioribus privilegiis eaque immunitate gaudeant, que in generali crucesignorum ultramarini transitus indulgencia continentur, volumus, quod per sedis apostolice litteras vel legatorum ipsius extra suas dioceses, nisi ille, que ab eadem sede obtente fuerint, plenam de indulto huiusmodi mentionem fecerint, non valeant conveniri, dummodo parati existant coram suis ordinariis de se querelantibus respondere, quos per te tuosque commissarios ab hiis ecclesiastica defendi censura, cessante appellationis obstaculo, volumus, qui eosdem contra indultum huiusmodi presumpserint molestare. Idcirco ad huiusmodi ardui et salubris negocii efficaciam pleniorem, ut tu et iidem commissarii convocare possitis clericos et populos ad quecunque volueritis locum ydoneum, ibidem verbum crucis proponere, ac fidelibus vero penitentibus et confessis ad predicationem huiusmodi venientibus ipsamque auditoribus reverenter tu tre annos et totidem quadragenas, ipsi vero commissarii unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxare, quodque tu ipsique commissarii tibi et tuis famulis in ecclesiis ecclesiastico interdicto suppositis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et ianuis clausis, voce submissa divina celebrare officia et facere celebrari, ac populis proponere verbum crucis, atque crucis caractere insignitos ab excommunicationis sententia, quam pro eo, quod sepulchrum dominicum contra prohibitionem legatorum sedis apostolice visitarunt, et illos eciam, qui pro eo, quod Sarracenis merces portaverint, et arma seu alia prohibita, vel eisdem contra christianos impenderint auxilium, consilium vel favorem, necnon tam clericos quam laicos crucesignandos, qui violenta proiectione manuum in clericos seculares virosque religiosos, vel pro incendio vel sacrilegio inciderunt in canonem sententie promulgate, absolvere iuxta formam ecclesie vice nostra, illis exceptis, quorum excessus fuerit difficilis et enormis, et cum clericis crucesignatis, qui excommunicationis sententiam latam a canone vel ab homine incurrissent, se divinis immiscuerint officiis, et receperint ordines sic ligati, dummodo passis damna vel iniurias satisfaciant competenter, et negotium huiusmodi in propriis prosequantur personis, vel ad hoc expensis suis ydoneos bellatores transmittant, vel de bonis propriis iuxta tuum vel dictorum commissariorum arbitrium aliquod impendant subsidium, valeas dispensare, auctoritate apostolica tibi ducimus concedendum. Preterea cum nonnulli clerici et laici non ratione ecclesiarum pacifice et sine controversia quasdam dicuntur decimas possidere, quod tibi sit liberum de fructibus earundem perceptis hactenus quartam percipere pro ipsius negocii subsidio portionem, dictisque clericis et laicis residuum fructuum eorundem in predictum convertere subsidium per se ipsos tibi, si maluerint, exhibere in idem negotium convertendum; ita quod ipsi ad restitutionem aliam minime teneantur, sed inde remaneant penitus

absoluti, dummodo decimas ipsas ecclesiis dimittant imposterum, ad quas spectant, auctoritate concedimus supradicta. Concedimus insuper, ut si aliqui crucesignatorum infra tempus a te ad opus exequendum huiusmodi assignandum decesserint, illarum indulgenciarum et gratiarum sint plene participes, que obeuntibus in Terre sancte servicio per sedem ipsam sunt concesse. Commutandi quoque a quibuslibet in locis tue commissionis emissum ieiuniorum atque cuiuslibet peregrinationis votum in negotii supradicti subsidium, ac etiam per censuram ecclesiasticam crucesignatorum quoslibet, cuiuscunque dignitatis vel conditionis fuerint, compellendi, ut infra certum terminum a te seu eisdem commissariis prefigendum illud executuri, ad executionem negotii predicti accedant, vel ipsum redimant, si legitimo fuerint impedimento detenti, prout et tu vel iidem commissarii, pensatis personarum et aliis circumstantiis, illud videritis redimendum, deputandi quoque priores, predicatores, et guardianos in civitatibus suis et locis regni predicti ad pecunias et oblationes huiusmodi negotii occasione factas fideliter colligendas, ac in tuto, quo usque per nos dispositum fuerit, quantum in huiusmodi negotii subsidium convertatur, reponendas, tibi et eisdem commissariis plenam tribuimus facultatem, non obstante aliqua indulgencia fratribus eorundem ordinum ab eadem sede sub quacumque verborum forma concessa, quod apostolica mandata suscipere vel exequi per litteras apostolicas, in quibus de huiusmodi indulto mentio non habetur, minime teneantur, vel si aliquibus, quod excommunicari, suspendi vel interdici non valeant, forsitan sit indultum, et quibuslibet aliis privilegiis seu litteris ab eadem sede obtentis, per que predicta impediri vel differri possint, et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem. Presentibus post unum annum a data presentium computandum minime valituris. Datum Bononie Anno Incarnationis dominice millesimo quadrigentesimo tricesimo septimo, Id. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia lib. XV. fol. 219.

CCCLXXII.

Eidem nuntio certae facultates conceduntur.

Eugenius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Signensi in Ungarie et Bohemie Regnis ac Marchionatu Moravie apostolice sedis legato misso, salutem etc. Cum te dudum ad Ungarie et Bohemie ac Marchionatus Moravie partes pro nonnullis arduis negotiis peragendis, honorem dei, Romane ecclesie et apostolice sedis ac ipsorum regnorum bonum statum concernentibus, duxerimus destinandum: Nos cupientes, ut mandata nostra eo possis efficacius adimplere, quo digniori titulo et ampliori fueris a nobis facultate munitus, fraternitatem tuam in regnis ac marchionatu predictis auctoritate apostolica tenore presentium legatum missum facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi omnia et singula hactenus tue circumspectioni per nos commissa sub dicto titulo faciendi, nec non generalem et omnimodam ordinariam iurisdictionem huiusmodi legatis missis competentem exercendi, omnia etiam alia et singula gloriam et honorem dei ac ecclesie et sedis predictorum fideique catholice augmentum et exaltationem, nec non pacem, quietem ac bonum et tranquillum statum regnorum et marchionatus predictorum concernentia nostro et dicte ecclesie nomine et auctoritate tractandi, faciendi, disponendi, ordinandi et agendi in regnis et marchionatu prefatis, que in premissis et circa premissa, durante dicta legatione, necessaria fuerint seu etiam oportuna, facultatem et potestatem plenariam auctoritate apostolica tenore presentium concedentes. Datum Ferrarie anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo tricesimo octavo, tercio Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Eidem etc. Cum te dudum ad partes Ungarie et Bohemie, regnorum nec non marchionatus Moravie nuntium nostrum et apostolice sedis duxerimus destinandum: Nos volentes tuam honorare personam, ut per honorem tibi exhibitum te valeas regnis et marchionatui predictis, ac personis in illis degentibus eo magis reddere fructuosum, quo maiore fueris a nobis auctoritate munitus, fraternitati tue ordinandi, statuendi et disponendi, exercendi et exequendi inter quascunque personas, cuiuscunque status, gradus, ordinis, sexus vel dignitatis existant, in omnibus et singulis casibus, in quibus locorum ordinarii secundum sacrorum canonum instituta ordinare, statuere, disponere atque exercere, ac exequi possunt, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium damus et concedimus facultatem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VIII. secr. lib. VIII. fol. 29.

CCCLXXIII.

Alberto Romanorum et Hungariae regi Iacobus de Marchia ord. Minorum inquisitor in Hungaria commendatur.

Eugenius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Alberto Romanorum ac Ungarie Regi Illustri, salutem etc. Dudum dilectum filium Iacobum de Marchia ordinis minorum, latorem presentium, Inquisitorem ad prefatum regnum Hungarie destinavimus, qui, disponente deo, iniunctum sibi huiusmodi officium pro exaltatione fidei catholice ad dei gloriam et animarum salutem diligenti studio et puritate executus est; ita ut multa mala semina et venenosas radices substulerit et extinxerit, multasque novas plantas et divini verbi semina in domo domini succrescere fecerit, sicut et serenitati tue etiam innotescit. Hic ob nonnullas molestias ab aliquibus impiis hominibus, qui se etiam catholicos profitentur, sibi illatas plene constringi videtur ab hoc opere sancto dudum incepto desistere. Nos autem considerantes, quid spei ex predictis huiusmodi servi dei operibus in futurum concipere debeamus, compatientesque illi regno, quod antiquam illam fidei sancte puritatem inibi maculari videamus, decrevimus ipsum ad prefatum regnum omnino remittere, ad illud opus dei, prout oportune inceperat, prosequendum, ea precipue spe ducti, quod sub protectione tua in hac Christi militia libere se valeat exercere. Cum enim regnum illud in veritate et iustitia a te regendum ab omnipotenti Deo tibi creditum sit, nichilque tam iustum sit, quam catholicam fidem defendere, ad sublimitatem tuam primum pertinet, ut in huiusmodi fidei negotio militantibus, qualis vir iste est, opem feras: quare serenitatem tuam hortamur in domino, ut ipsum Iacobum ad prefatum regnum revertentem solita humanitate suscipias, et ab aliis, prout opus fuerit, suscipi iubeas, illique auxiliis et favoribus opportunis assistas. Quod si facies, ut de te plene confidimus, speramus profectum magnum fidei et religionis christiane augmentum illi patrie futurum, multa etiam tibi felicia successura, quod per doctrinam istam, exstirpatis heresibus, subditi tui in rectitudine fidei, et timore domini eruditiores effecti, ad debitam tibi obedientiam et reverentiam exhibendam promptiores reddantur: neque sublimitati tue difficile erit, huic veritatis precatori oportune succurrere. Nam si paucos ex hiis, qui illi molestias ingerunt, tua virtute represseris, timentibus ceteris, nichil obstabit, quo ad evangelizandam Christi doctrinam latissimus sibi se campus aperiat, ex quo pro dicta gloria eciam illi patrie fructus uberes afferantur, qui etiam nomen et meritum tuum apud deum et homines maiorem in modum efferant et commendent. Hec, fili carissime, pro tua religione et fide animo ista complectere, et quantum consideranti Christus illuxerit, illa prosequi studeas, sicuti de tua serenitate, ut supra diximus, plene speramus. Nos etiam, si quid pro implendis huiusmodi rebus ex parte nostra faciendum fuerit, id libenter animo prompto impendemus. **Datum Ferrarie xvii. Kal. Decembris. Anno Octavo.**

Ex Reg. orig. An. VIII. secr. lib. VIII. fol. 59.

CCCLXXIV.

Alberto regi circa ecclesiam Zagrabiensem primo cuidam Abel, deinde Benedicto praeposito Albaeregalis conferendam, et de unione cum Graecis facienda scribitur.

Eugenius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Alberto Romanorum ac Hungarie et Boemie Regi Illustri, salutem etc. Litteras tue serenitatis hiis diebus accepimus: que etsi nobis grate fuerint, dum affectionem tuam ad salutem animarum subditorum tuorum videntur exprimere, tamen ex alio nos et Venerabiles fratres nostros sancte Romane ecclesie Cardinales animo valde suspensos reddiderunt. Dudum siquidem per clare memorie Sigismundum Romanorum Imperatorem plurimum rogati fuimus, ut dilectum filium nostrum Abel notarium nostrum ad ecclesiam Zagrabiensem promovere dignaremur, preficiendo illum ecclesie predicte veluti valde idoneum in episcopum et pastorem: postmodum prefato Sigismundo vita functo, tu etiam post tuam coronationem in Regem Hungarie pro re illa iterum intercessisti et cum multa instantia supplicasti. Cumque tandem animadverteres petitiones huiusmodi non exaudiri, eo quod dictus Abel minor annis existeret, maiorem in modum post duos menses multiplicasti preces, ut pro apostolica auctoritate cum ipso Abel super etatis defectu, cui Abel sepedicti merita preponderare dicebantur, dispensare dignaremur, ad quod Serenitas tua pluribus nominibus nos inducere conabatur; ad ultimum conclusisti, quod si ad bonum ipsius ecclesie, si ad gratificationem eorum, qui prefato Sigismundo patri tuo tibique fideliter et utiliter servierunt, si denique ad statum tuum affecti eramus, vellemus annuere postulationibus tuis, presertim in primordiis regni tui, pro quo

et unum ex tuis familiaribus specialem nuntium ad nos destinasti. Nos vero desiderantes sublimitati tue, quam ex corde diligimus, quantum nobis possibile erat, complacere, tandem Venerabili fratri nostro Ludovico Episcopo Tervisino, viro in dei opere probatissimo, Padue tunc agenti iniunximus, ut prefatum Abel in eo loco studentem ad se vocatum examinaret diligenter: quod cum ipse Episcopus fuisset executus, ac que in ipso Abel invenerat, retulisset, Nos de fratrum nostrorum predictorum consilio ipsum in administratorem dicte ecclesie usque ad etatem legitimam, et deinde usque ad sedis apostolice beneplacitum constituimus, non dubitantes tibi, prout asserebas, facere complacentiam singularem. Nunc autem querulas a te accepimus litteras, per quas instanter precaris, ut dictum Abel ab ea administratione velimus absolvere causas in medium profers, clamorem videlicet cleri et populi Zagrabiensis, malum regimen illius ecclesie in preteritum ac eius Abel inhabilitatem, de quibus non eras antea informatus. Addis insuper, ut ecclesie illi de dilecto filio Benedicto preposito ecclesie Albe-regalis, etiam notario nostro, providere velimus, et preposituram per eum dimittendam dilecto filio Stephane archidiacono de Rikelew et canonico Albensi conferre, quippe qui sint talibus benemeriti et a tua Serenitate plurimum commendati. Has cum legissemus, et quid sibi vellet tam velox et inopinata mutatio, admiraremur, cum ipsarum litterarum verba attentius relegimus, earumque speciales instantias, motiva, causas et reliqua huiusmodi invicem comparantes, cum multa revolverimus animo, magna nobis est aborta perplexitas ac multa dubitatio, si honori et rebus tuis, si etiam rebus ecclesie, si honori apostolice sedis hec novitas consulat, presertim in hac predicta informatione contraria quequam veritati deessent, sicut in prima factum fuisse commemoras. Neque admirandum foret, cum tibi in remotis agenti et multis rebus maximis occupato aliquid de his minus plene innotesceret, quod in eodem domicilio nonnunquam contingit. Qua de re nobis et prefatis venerabilibus fratribus nostris consultius visum est, super hac re, cuius mutatio nobis et tibi notam non parvam posset inferre, plene et mature deliberare et inquirere ac prospicere omnia, que in hoc negotio pro honore dei et salute animarum, et eius ecclesie utilitate ac nostro tuoque honore necessaria seu accommoda videbuntur. Hortamur itaque Serenitatem tuam, ut ista, que diximus, veluti ex sincera mente et fideli corde nostro profecta suscipias, nec quicquam in adversum suspicionis, qui teste deo nichil aliud respicimus nisi publicum bonum, ut prediximus, prout etiam a Venerabile fratre nostro Episcopo Signensi ex parte nostra etiam intelligere poteris. Ceterum ad consolationem tuam significamus, nos disputationes solemnes habere cum Grecis in materia processionis spiritus sancti, et rem ipsam amodo ex parte nostra ita perstrinxisse, ut iam de latine ecclesie veritate luce clarius pateat. Speramus igitur, res ad effectum optimum pervenire et diu nobis optatum, ne innumera zizania superseminata impedimento sint; quo quid magis impium et sacrilegum, ecclesie latine ignominiosum occurrere posset, non videmus. Tu ergo, princeps inclite, etiam ista considera, et intra cordis archana revolve: niehil teste deo existimamus tibi magis incumbere, quam hiis periculis et necessitatibus providere; poteris facile, cum nobiscum animum assumpseris ad iniquitates malignantium propellendas. Datum Ferrarie Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, secundo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. secr. lib. VIII. fol. 61.

CCCLXXV.

Alberto Romanorum, Hungariae et Bohemiae regi circa quietem Hungariae, et pacem inter ipsum et regem Poloniae reconciliandam respondetur.

Eugenius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Alberto Romanorum, Hungarie et Boemie Regi Illustri, salutem etc. Revertente ad nos dilecto filio magistro Iohanne de Fabriano, decretorum doctore, intelleximus primum serenitatem tuam prefatum magistrum Iohannem grate suscepisse, deinde audivisse, que Venerabilis frater noster Iohannes episcopus Signensis, legatus et orator noster, ac dilectus filius nobilis vir Gaspar dominus Novicastri ac Cancellarius tuus vice Venerabilis fratris nostri Iohannis episcopi Pataviensis ex parte nostra tue serenitati retulerunt: postmodum responsum tuum ad illa in scriptis datum plene percepimus, per quod satis deprehendimus, te illa omnia etiam grato animo recepisse, quamvis, ut inquis, pro imminenti turbatione in dei ecclesiam non videas pro nunc ad ea posse operam dare, ne forsitan pro huiusmodi turbatione, ut optas, sedanda interponendi partes tuas tibi tollatur occasio, si videreris in aliquam partium quovismodo pendere. In qua re primum scire te volumus, non fuisse intentionis nostre de re huiusmodi promovenda: sed ex parte tua per ipsum Patavien-

sem episcopum unum ex tuis oratoribus requisiti pura et recta mente consensimus, et propterea ipsum magistrum Iohannem ad te destinavimus. Satis enim, quantum ad nos pertinebat, videbatur pro iniuncto nobis desuper pastorali officio ad pacem populi christiani in te veluti regum primum dirigere vota nostra, teque omni possibili favore complecti, signanter pro arcendis infidelibus a regno illo Hungarie, ad ipsius regni quietem pacemque perpetuam. Neque dubitabamus id sequi posse, modo diligentius studium ad id impenderes; sed indubie sperabamus, existimari etiam sublimitatem tuam pro favore sancte apostolice sedis contra nonnullorum machinationes iniquas iam tibi notas daturam operam efficacem: sine quo ad que supradiximus consequenda perveniri non posse, dubium non est, quia stante intestina seditione sanctam sedem, matrem omnium fidelium et magistram, adversus exteros de victoria sperare non licebat. Et quamvis arbitremur, serenitatem tuam bona mente in id tendere, ut se ostenderet neutralem, non ob hoc te minus imminenti periculo subvenire, quando potius venenosam doctrinam contra ipsam sanctam apostolicam sedem, et contra purissimam veritatem ab omnibus Christifidelibus semper observatam continuo serpere, et sub umbra reformationis ecclesie, quam satores huiusmodi in se semper horruerunt, venena diffundere: quorum conatus, nisi fidelium opera et virtute reprimantur, iam ad divisionem unitatis ecclesie, seditionem populorum, confusionemque totius politice discipline viam plane aperire conspicimus: quod autem ad te veluti sancte sedis et totius ecclesie advocatum primum pertineat, non ignoras. Qua de re serenitatem tuam hortamur in domino, ut cum hiis, quos in domini timore positos et soli Christi servitio dedicatos noveris, communicato consilio, que a te requirimus, plene metiri velis et his imminentibus malis providere, cum potes, sciens et ipsam sanctam apostolicam sedem non amplius sub dissimulatione transituram, sed daturam omnem operam ad huiusmodi pestem eliminandam, quantum fuerit oportunum, cum potius corporaliter moriendum sit, potius omne scisma tollerandum, quam suscipiendi errores, quibus eiusdem sancte sedis auctoritas a Christo data, et ab omnium unitate et salute reverenter suscepta, ulla labe maculetur: quod si quispiam obtenderit ab ea sede etiam pariter gravari, parata erit ad omnia rationabilia atque honesta, cum devote et reverenter, ut decet, fuerint requisita. Ceterum ut ad materiam pacis regni Boemie verba nostra vertamus, magno corde desideramus semper, ut inter sublimitatem tuam et carissimum in Christo filium Wladislaum Polonie regem bonam et stabilem pacem videamus, pro qua, ut tua serenitas novit, ad ipsum regem ab initio efficaciter scripsimus; deinde dilecto filio nostro N. tituli sancte Crucis in Ierusalem (sic), si in dieta Nurimbergensi, ad quam legatus mittebatur, serenitatem tuam et oratorem prefati regis venire contingeret, ut cum eis de pace conveniret, mandatum dedimus; quod si forte fieri non contingeret, Venerabili fratri nostro Iohanni archiepiscopo Tarentino precipimus, ut finita dieta pro pace huiusmodi ad te et memoratum regem se indilate conferret. Consideramus hoc modo hunc inter alios pro sua sapientia et affectione ad pacem illam plurimum valiturum. Contigit autem pro gestis in dieta predicta absque ullo fructu ipsum archiepiscopum ita implicari, ut desiderium nostrum implere hucusque non potuerit; proponit tamen iuxta mandatum nostrum, cum dieta Maguntie recte absolvi contingat, ad id oportuno loco et tempore se conferre. De Venerabili fratre nostro Iohanne Signensi Episcopo dudum libenter statuissemus pro re illa, dedissemusque illi plenum mandatum, cum apud te diutius legatus noster et orator fuisset, essetque consiliarius tuus carissimus: ob quam rem dubitavimus, ipsum parte altera gratum futurum, et consequenter negotio illi utilem, sicut optabamus. Nunc autem, cum pro sua bonitate, prudentia et integritate se talem exhibuerit, ut in concludenda treuga cum utriusque partis gratitudine oportunus extiterit, et ob hoc de successu bono ad pacem per eius interpositionem spes certa reddatur, prefatos archiepiscopum et episcopum legatos nostros ad id constituimus, illis et eorum utrique de presenti dantes in mandatis, ut ad eam pacem conficiendam per omnem possibilem honestam viam omni studio et industria cum effectu laborent, firmentque illam auctoritate nostra, quanto melius et efficacius noverint expedire, prout prefati archiepiscopus et episcopus seu alter eorum serenitati tue latius referent: quibus et alia iniunximus, per que affectionem nostram ad statum et honorem tuum plane poteris intelligere, et nos vicissim diligere te constanter, quo et apud deum eterne vite premium et apud ipsam sanctam apostolicam sedem benivolentiam et favores maiorem in modum promerearis. Datum Florentie Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo nono, nono Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. secr. lib. VIII. fol. 71.

CCCLXXVI.

Iudicibus mandatur, ut fratribus ord. Minor. S. Francisci decem monasteria in Hungaria erigere permittant.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Dionisio tituli sancti Ciriaci in Termis presbitero Cardinali, et Venerabilibus fratribus ... Varadiensi et ... Vachiensi Episcopis, salutem etc. Inter cetera cordis nostri desiderabilia illud intensis desideramus affectibus, ut ubique maiestas altissimi etiam cum sacre religionis augmento in graciarum benedictionibus collaudetur, suique cultus gloriosi nominis amplietur. Sane pro parte dilectorum filiorum Francisci de Albaregali, ac Victoris de Bosna nec non Stephani de Ungaria ordinis fratrum Minorum professorum vicariatus Bosne nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ab aliquibus annis citra plura ac diversa domus atque loca dicte vicarie tam infra regnum Ungarie, quam nonnullas vicinas partes tunc consistentia, videlicet partim per Turchos et infideles combusta et diruta, partim vero causantibus eorundem insultibus derelicta remanserunt atque remanent, quodque ipsi exponentes, qui sub regulari dicte vicarie observantia laudabiliter vivunt, pro augmento divini cultus et religionis huiusmodi, etiam ad fidelium animarum consolationem atque salutem loco combustorum et derelictorum domorum ac locorum prefatorum decem alia loca intra regnum Ungarie et partes huiusmodi domus atque loca construi et edificari, ac per religiosos de observantia vicariatus huiusmodi sub obedientia et devotione vicarii vicariatus Bosne pro tempore existentis iuxta morem dicte vicarie dumtaxat recipi et habitari desiderant, si ad hoc apostolice sedis expressus accedat assensus: quare pro parte dictorum exponentium nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum desiderio huiusmodi annuere, et alias super hoc oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur desiderium huiusmodi condignis in domino laudibus considerantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si est ita, vicario pro tempore predicto intra prefatum regnum Ungarie ac partes huiusmodi, locis tamen in illis ad id congruis et honestis decem domus sive loca pro usu et habitatione perpetuis quorundam prefate vicarie religiosorum sub observantia, ac obedientia et subiectione vicarii pro tempore huiusmodi, et illius vicariatus officii pro tempore permanentium cum ecclesia humili, campanili atque campana, necnon claustro, refectorio, dormitorio, ortis, ortaliciis et aliis necessariis officinis in singulis eorundem ad instar aliarum prefate vicarie domorum ex fidelium suffragiis simul vel successive, forma tunc per constitutiones apostolicas super hoc servata, construi et erigi faciendi, illaque tunc constructa et erecta, diocesani loci et cuiuscumque alterius licentia de se minime requisita, recipiendi, necnon religiosis de observantia vicariatus huiusmodi presentibus et futuris in eis et eorum singulis perpetuo morandi, ita quod illa tunc vicario pro tempore et illius vicariatui predicto perpetuo subiecta existant, iure tamen parochialium ecclesiarum et aliarum quarumcumque alias in omnibus semper salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica licentiam largimini, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, illa presertim, qua prohibetur, ut fratres de ordine mendicantium in aliqua civitate, castro, villa, aut alio quocunque loco domum de novo contrui facere presumant absque sedis apostolice licentia speciali, non faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de prohibitione huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis constitutionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nos enim, si licentiam predictam per vos concedi contingat domibus ac locis constituendis, eorumque pro tempore custodibus, gardianis et fratribus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, indultis et graciis ordinis et vicariatus huiusmodi domibus, locis, custodibus, gardianis et religiosis per sedem apostolicam vel alias generaliter concessis uti valeant pariter et gaudere, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Datum Florentie anno incarnationis dominice MCCCCXL. septimo Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. I. fol. 3.

CCCLXXVII.

Epo Vesprimiensi, ut cuidam Andreae praeposituram B. Mariae Albaregalis conferendam curent.

Eugenius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Vesprimiensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propter virtutum merita laudabiliter suffragatur. Dudum siquidem omnes dignitates in collegiatis ecclesiis principales tunc vacantes et in antea vacaturas collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irri-

tum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Cum itaque postmodum prepositura ecclesie beate Marie oppidi Alberegalis tue diocesis, que dignitas principalis et forsan electiva in eadem existit, cuique cura imminet animarum, et quam quondam Stephanus de Bylz ipsius ecclesie prepositus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Stephani obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nullusque de illa preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: Nos volentes dilectum filium Andream prepositum ecclesie sancti Iohannis in Castro Quinqueecclesiensi, qui presbyter et Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Ungarie et Polonie illustris vicecancellarius existit, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, nec non omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus seu ad que ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos, nec non quasvis annuas sibi super quorumcunque beneficiorum sive locorum ecclesiasticorum fructibus, redditibus et proventibus concessas et assignatas pensiones, ac ipsarum dispensationum tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si post diligentem examinationem eundem Andream ad hoc idoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, dictam preposituram, cuius fructus, redditus et proventus quinquaginta marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Andreas asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovismodo, aut ex alterius cuiuscunque persona seu per liberam alicuius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignationem, seu constitutionem felicis recordationis Iohannis Pape XXII. Predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis; vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, dictaque prepositura dispositioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum etiam presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Andree auctoritate nostra conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Andream, recepto prius ab eo nostro et Romane ecclesie nomine solito fidelitatis debite iuramento iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem preposituro iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens ipsum Andream vel dictum procuratorem pro eo ad dictam preposituram, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape octavi predecessoris nostri et aliis constitutionibus apostolicis, nec non ipsius ecclesie beate Marie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus ipsius ecclesie beate Marie speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus prefatum Andream in assecutione dicte preposituro volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem dignitatum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si Episcopo Vesprimiensi pro tempore existenti et dilectis filiis Capitulo ipsius ecclesie beate Marie, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de dignitatibus ipsius ecclesie beate Marie, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; aut si dictus Andreas presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie beate Marie solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter

illud prestet: seu quod dictus Andreas preposituram ecclesie sancti Iohannis predicte noscitur obtinere. Nos enim cum eodem Andrea, ut preposituram beate Marie, si sibi vigore presentium conferatur, recipere et una cum sancti Iohannis ecclesiarum prepositura, que etiam dignitas principalis in eadem existit, cuique cura imminet animarum, et ad quam consuevit quis per electionem assumi, quoad vixerit, retinere libere et licite valeat, generalis concilii et aliis constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus supradictis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, de speciali gratia dispensamus et insuper, prout est, irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno etc. MCCCCXLIII. quarto Nonas Novembris. Pont. nostri Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. secr. lib. III. fol. 265.

CCCLXXVIII.

Vicarii ord. Minorum in Bosnia constituuntur inquisitores haereticae pravitatis, et alii conventus eisdem subiiciuntur.

Eugenius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Super gregem dominicum nostre cure providentia divina commissum sedulo vigilantes, illis potissimum iuxta pastoralis officii debitum occurrere volumus, per que grex ipse scandalizatur a fide, sine qua nemo proficit ad salutem, eaque de medio tollere et illorum fluxum pestiferum restringere, ne virus insanabile ac perpetuum inferant nocumentum. Cum itaque sicut ad nostrum non sine displicentia grandi pervenit auditum, quod ad presens in regno Moldavie heretice pravitatis, et presertim cuiusdam secte abominabilis Hussitarum nuncupate, satore malorum operum id procurante, numerosa personarum multitudo consistat, que non modo regnicolarum, verum etiam ab ipso regno distantium, et precipue non paucorum regni Ungarie incolarum animas sui perversi dogmatis veneno pestifero infecerunt, ac in dies per amplius inficere omni studio satagant, et convenientius timeatur, quod nisi quantocius eorum perniciosis ausibus oportune non providebitur, etiam ad ceteras fidelium partes transeuntes, et mortiferum venenum sue erronee doctrine effundentes, quamplurimos inficiant in suorum et plurimorum aliorum evidens animarum periculum, dispendium quoque perniciosissimum pariter et exemplum. Nos igitur super hiis, quantum nobis ex alto permittitur, totis providere viribus intenti, et firmam super eo, quod hactenus dilecti filii ordinis minorum professores de observantia nuncupati, et precipue vicarie Bosne, qui, ut celebris famaque publica insinuat, se murum facientes pro domo domini et orthodoxe propagatione fidei, ad confundendas eliminandasque huiusmodi heresum superstitiones opem et operam efficaces solertius adhibere, quantum in eis fuit, studuerunt et student, prout tante rei necessitas exigit, in convincendis eliminandisque dictis erroribus suas impertiri partes debeant, fiduciam in domino, ut congruit, acceptantes, motu proprio, non ad dilectorum filiorum Fabiani de Bachia Vicarii et fratrum dicti Vicariatus vel alterius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et ex certa scientia auctoritate apostolica tenore presentium prefatum Fabianum, quem, sicut fide dignorum testimonio accepimus, religionis et fidei sinceritate ac maturitate morum, nec non litterarum scientia aliarumque virtutum donis raris largitor dominus insignivit, et illius successores, qui pro tempore erunt, prefate Vicarie Vicarios in Ungarie et Bosne predictis ac Moldavie, Valachie, Bulgarie, Rascie, nec non Sclavonie ac omnibus et singulis aliis regnis seu partibus, ad que seu quas Vicaria huiusmodi se extendere dinoscitur, Inquisitorem et Inquisitores heretice pravitatis perpetuo facimus, constituimus et etiam deputamus, eis per apostolica scripta mandantes, et in remissionem peccaminum suorum iniungentes, quatenus huiusmodi inquisitionis officium per nos ipsorum impositum humeris, omnibus odio, timore, favore pariter et amore postpositis, sic fideliter et feliciter eorum quisque exequatur, ut per ipsorum sollicitudinis operam zizaniis perniciosi germinis e medio tritici extirpatis, heretice scilicet pravitatis venenosis dogmatibus propulsatis, in regnis seu partibus predictis fidei sinceritas vigeat, divinus cultus augeatur, et populus christianus in dei cognitione ac sue salutis acquisitione non decrescat, ipsique Fabianus et Vicarii domino virtutum placidi, nobisque ac dicte sedi nec non successoribus nostris Romanis pontificibus reddantur gratiosi, processuri in huiusmodi inquisitionis negotio tam secundum indulgentias et privilegia Inquisitoribus pravitatis eiusdem a prefata sede deputatis, seu officia inquisitionis huiusmodi ab eadem sede habentibus concessa, quam etiam secundum canonicas sanctiones. Verum ne ex inquisitionis officio huiusmodi, pacis emulo procurante, inter diocesanos ordinariosque locorum ex una, et Fabianum ac Vicarios predictos ex altera partibus dissensiones et scandala susci-

tentur, volumus et motu, deliberatione, scientia et auctoritate predictis decernimus, quod in prefato inquisitionis officio iuris ordo de huiusmodi inquisitione conditus per Fabianum et Vicarios predictos perpetuo conservetur; ita tamen, quod si diocesani et ordinarii, vel vacantibus sedibus capitula seu collegia aliqua se de ipso officio intromittere nollent, vel negligenter quomodolibet se haberent, seu ubi catholicorum Episcoporum copia pro tempore non erit aut haberi non poterit ad huiusmodi officium exequendum, dicti Fabianus et Vicarii pro tempore officium predictum per se ipsos libere valeant exercere. Et insuper Fabiano et Vicariis pro tempore predictis etiam contra notorios incantatores et notorias incantatrices, et in regno Moldavie Episcopis aliisque ordinariis locorum irrequisitis, auctoritate nostra officium inquisitionis huiusmodi exercendi, nec non in omnibus et singulis regnis ac partibus, ad que seu quas Vicaria huiusmodi se extendet, antedictis, quotienscunque sibi oportunum videbitur, perpetuo eorum nomine unum vel duos aut tres, seu tot quot pro huiusmodi officii necessitate oportuni videbuntur, idoneos fratres, de consilio tamen aliquorum discretorum fratrum ordinis et Vicarie predictorum, qui eisdem et prorsus similibus auctoritate et potestate fungantur, substituendi, sicque substitutos ad ipsorum nutum revocandi plenam et liberam tenore presentium licentiam concedimus pariter et facultatem; ita tamen quod tam Fabianus et Vicarii, quam substituti pro tempore predicti de hiis, que in huiusmodi inquisitionis officio secularia concernunt iudicia, se intromittere aut eis quoquomodo immiscere nullatenus presumant. Preterea universos et singulos Carissimos in Christo filios nostros Reges, ac Venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, et dilectos filios Principes, Duces, Comites, Palatinos, Voyvodas, Barones, Milites, Nobiles, Communitates et ceteros quoscunque Christi fideles ecclesiasticos et seculares in prefatis Regnis seu partibus et alias ubilibet commorantes, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, obsecramus in domino et per aspersionem sanguinis domini nostri Iesu Christi exhortamur, eisque in remissionem peccatorum suorum iniungimus, quatenus dum pro parte Fabiani, Vicariorum et substituendorum predictorum, vel alicuius eorum parte fuerint requisiti, ipsis in exercendo inquisitionis officio huiusmodi assistentes, eis auxilium et favorem prestent oportuna, nec per se vel alium seu alios sub excommunicationis pena, quam secus facientes ipso facto incurrere volumus, et a qua nonnisi in mortis articulo constituti per alium quam Romanum pontificem, aut Fabianum vel Vicarios seu substitutos prefatos vel eorum aliquem absolvi queant, dictos Fabianum, Vicarios et substitutos prefatos vel eorum aliquem seu aliquos, quominus officium huiusmodi libere exercere possint et exerceant, per se vel alium seu alios directe vel indirecte quovis quesito colore molestare, perturbare aut quomodolibet impedire presumant. Nos enim, qui dudum voluimus, quod littere non expedirentur super indulgentiis ad instar nisi specificarentur, ut Reges, Archiepiscopi, Episcopi, Principes, Duces, Comites, Palatini, Voyvode, Barones, Milites, Nobiles, Communitates ac ceteri Christi fideles, qui Fabiano, Vicariis et substitutis predictis in exercendo inquisitionis officio huiusmodi eo promptius auxilium, consilium et favorem prestent, quo se ex hoc dono celestis gratie refectos fore conspexerint, omnibus vere penitentibus et confessis, qui auxilium, consilium vel favorem ipsis Fabiano, Vicariis et substituendis pro tempore in huiusmodi exercendo officio prestiterint, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus, quod illas et prorsus similes peccatorum suorum remissionum ac relaxationum indulgentias consequantur, que alias in subsidium seu defensionem terre sancte auxilium, consilium et favorem prestantibus hactenus per sedem apostolicam concesse fuerunt. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non voluntate predicta ac statutis et consuetudinibus dicti ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et exemptionibus, indulgentiis, litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quibusvis personis ecclesiasticis vel secularibus etiam ordinum quorumcunque per sedem apostolicam, vel alias sub quibuslibet verborum formis concessis, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus presentium impediri valeat quomodolibet vel differri, que eisdem personis quo ad premissa volumus suffragari. Ceterum quia difficile foret huiusmodi nostras litteras ad singula loca deferre, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica vel signo alicuius Episcopalis aut superioris ecclesiastice curie munito tanquam prefatis nostris, si originales exhiberentur, litteris plena fides in iudicio et extra adhibeatur, et perinde stetur ac si dicte originales littere forent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, decimo Kal. Februarii. Anno quarto decimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia lib. XVII. fol. 281.

CCCLXXIX.

Divisio inter fratres Hungaros, Bosnenses et caeteros Sclavos ord. Minorum facta revocatur.

Eugenius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Etsi ex debito sollicitudinis pastoralis quibuslibet religiosis personis esse nos deceat in suis oportunitatibus favorabiles et benignos, tamen fratres ordinis minorum presertim sub ipsius regulari observantia degentes, ferventioris spiritus ardore succensos, qui non timentes, sed amantes barbaras nationes, ad illarum conversionem pergunt intrepidi, ut valeant ad aream dominicam multos afferre manipulos et de talentis eis creditis bonam domino reddere rationem, affectuosiori studio confovere tenemur, ut in eorum sanctis operibus, per que fides catholica pullulat et sonus eorum in omnem terram dulciter intonat, nil eos impediat, nil perturbet, sed nostre sollicitudinis studio, ab eis quorumvis commotionum, scandalarum, divisionumque submotis turbinibus, placita quietis dulcitudine gratulentur. Cum itaque iam per centum annos et ultra eiusdem ordinis fratres de observantia nuncupati adeo omnipotenti deo in partibus Bozne, Ungarie, Crohacie, Dalmatie, Bulgarie et Rascie ceterisque finibus orientalibus et aquilonariis seu australibus gratum suum exhibuerint famulatum ad lucrificandas animas Christi sanguine redemptas, quinimo odor bonorum operum eorumdem per orbem diffusus multas fidelium mentes celica suavitate repleverit devotione pariter et affectione sanctimonie spiritualis, sed heu prohdolor! a paucis admodum temporibus, satore zizanie procurante, quedam exorta gravis et iam nobis ad audientiam relata est discordia inter fratres Ungaros ex una, et Boznenses ceterosque Sclavos citra flumen Zave residentes ex altera partibus, quod ad divisionem venerint vicariorum ordinis prelibati in tantum, quod Ungari elegerunt sibi vicarium pro se ipsis, et Boznenses ac Sclavi alium sibi elegerunt econverso. Nos igitur attendentes, quod unio incrementum, divisio, ut plurimum, detrimentum solet afferre, compendii salutaris motu proprio, non ad ipsorum fratrum vel alicuius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, ex certa scientia auctoritate apostolica tenore presentium predictas divisionem, scissuram et separationem per quoscunque quavis auctoritate preditos et quomodocunque in dicta vicaria factas, procuratas vel intemptatas, nec non quecumque inde secuta revocamus, cassamus, irritamus et etiam annullamus, nulliusque roboris vel momenti fore decernimus, volumus et mandamus, ac vicariam ipsam Bozne predictam illiusque fratres predictos quoad domos et loca citra et ultra flumen Zave ubicunque trans mare Adriaticum consistentes, nec non omnia et singula privilegia, exemptiones, gratias, indulta, immunitates et iura in eodem statu, in quo, antequam divisiones ac separationes fierent, erant, quomodolibet emanata restituimus, reponimus et reintegramus: propterea motu, scientia, auctoritate et tenore predictis volumus, statuimus et ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus omnia et singula domus atque loca tam in Bozne quam aliis provinciis sive regnis consistentia predicta, que omnia vicarie Bozne vocari et nominari precipimus, per unum vicarium regi decernimus; cuius electio ad fratres huius vicarie, ipsius vero electionis confirmatio ad gereralem ministrum prefati ordinis pro tempore existentem spectent et pertineant, quique vicarius sic electus etiam ante confirmationem vicariatus huiusmodi officium libere exercere valeat, ac vicario cismontano pro tempore existenti subsit, pareat et intendat, cuius auctoritate predicti fratres vicarie eiusdem regantur et gubernentur; quodque si minister generalis predictus prefatam huiusmodi electionem, postquam illa sibi fuerit presentata, infra triduum forsan recusaverit aut distulerit confirmare, dicta electio eo ipso auctoritate apostolica confirmata sit et esse censeatur, ac sic in Vicarium electus absque alia confirmatione officium vicariatus huiusmodi libere et licite valeat exercere: confirmantes preterea harum serie electionem celebratam per dilectos filios eiusdem ordinis professores regni Ungarie in persona dilecti filii Fabiani de Bachia, dicti ordinis professoris, in tota et integra vicaria prelibata usque ad proximum futurum capitulum in eadem vicaria equanimiter celebrandum, districtius inhibentes eidem generali ministro et prefatis ac aliis fratribus dicti ordinis, nec non universis et singulis Christifidelibus utriusque sexus, ecclesiasticis etiam regularibus ordinum quorumcunque exemptis et non exemptis, ac laicalibus cuiuscunque etiam dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminentie, etiam regalis, reginalis, pontificalis, ducalis, aut cuiuslibet alterius ecclesiastice vel mundane fuerint, ne contra restitutionem, repositionem, reintegrationem, voluntatem, statutum, et ordinationem ac omnia alia et singula in presentibus nostris litteris contenta, per se vel alium seu alios directe vel indirecte quovis quesito colore venire seu aliquid attemptare presumant, ac decernentes illos ex ipsis generali ministro, fratribus et fidelibus, qui sepa-

rationem fecerint, ut prefertur, excommunicationis sententie, a qua nisi a Romano pontifice, preterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium obtinere nequeant, subiacere eo ipso, ac ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus dicti ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque tenoribus specialis et expressa ac de verbo ad verbum mentio habenda sit, ceterisque gratiis quibuscumque, quibus omnibus et singulis, illis alias in suo robore permansuris, quo ad presentes et in eis contenta derogari intendimus et expresso derogamus. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas dicto generali ministro seu aliis sub quibusvis verborum formis quomodolibet concessas, vel imposterum concedendas presentes littere et in eis contenta huiusmodi nullatenus intelligantur revocata. Nulli ergo etc. nostre revocationis, cassationis, irritationis, annullationis, constitutionis, mandati, restitutionis, repositionis, reintegrationis, statuti, ordinationis, precepti, decreti, confirmationis, inhibitionis, intentionis, derogationis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, nono Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia lib. XVII. fol. 273.

CCCLXXX.

Universis fidelibus ecclesiae B. Mariae in Somlio Transilv. dioec. manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.

Eugenius episcopus etc. Dilectis filiis Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia, quibus regina celorum virgo dei genitrix gloriosa sedibus prelata sidereis quasi stella matutina prerutilat, devote considerationis indagine perscrutamur; dum etiam intra mentis archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie et veritatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula exoratrix et pervigil ad regem, quem genuit, intercedit: dignum, quin potius debitum arbitramur, ut Christi fideles ad eiusdem virginis assiduam venerationem iugemque memoriam quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus invitemus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum itaque, sicut accepimus, ad ecclesiam beate Marie semper virginis domus ordinis fratrum minorum de observantia, que in territorio ville Somlyo Transilvanensis diocesis in confinibus Valachie prope Tartariam seu non longe ab eadem de novo construi cepta, et adhuc in suis structuris et edificiis perfecta non existit, ingens fidelium multitudo devotionis causa confluere consueverit, ac dietim non cesset confluere: Nos cupientes, ut dicta ecclesia, que pro profectione huiusmodi constructionis magnis expensis, nec non libris, calicibus et aliis paramentis ecclesiasticis, ceterisque pro divinis celebrandis officiis necessariis plurimum indigere noscatur, in constructione huiusmodi perficiatur, et congruis honoribus frequentetur, ut fideles ipsi eo libentius devotionis causa ad eandem ecclesiam confluant, et ad perfectionem constructionis huiusmodi eiusque conservationem; nec non alia premissa manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi; omnibus vere penitentibus et confessis, qui in visitationis beate Marie virginis genitricis domini nostri Iesu Christi festo, a primis vesperis usque ad secundas vesperas, ecclesiam predictam devote visitaverint annuatim, et ad perfectionem et conservationem, nec non alia predicta manus porrexerint adiutrices, septem annos de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, sexto Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia lib. XVII. fol. 292.

CCCLXXXI.

Fratribus ord. Minor. in Bosnia conceditur, ut fratres tertiarios etc. in Hungaria possint recipere, loca accipere, ordinare etc.

Eugenius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Exposcit dilectorum filiorum Vicarii et fratrum Vicarie Bozne iuxta morem ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum sacre reli-

gionis sinceritas, sub cuius observantia, mundanis abiectis illecebris, in extrema paupertate constituti, per piorum ac virtuosorum operum exercitium ceteros ad divine maiestatis trahentes obsequium, sedulum et gratum impendunt altissimo famulatum, ut ea, que ad dei laudem et religionis augmentum, nec non animarum profectum cedere valeant, eis favorabiliter concedamus. Hinc est, quod nos pro religionis augmento necnon animarum Christi fidelium salutis profectu, non ad illorum Vicarii et fratrum vel alterius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed ex nostra certa scientia moderno et qui pro tempore erunt Vicarii dicte Vicarie, quod ipsi Vicarii per se vel alium seu alios, quem seu quos ipsi ad hoc pro tempore duxerint deputandum vel deputandos, quibuscunque utriusque sexus Christi fidelibus in quibuscunque partibus seu locis, ad quas vel ad que dicta Vicaria extenditur, pro tempore commorantibus, professionem per fratres et sorores tertii ordinis sancti Francisci de penitentia nuncupati, per felicis recordationis Nicolaum papam quartum predecessorem nostrum approbati, emitti solitam emittere volentibus recipere et admittere, eisque regularem habitum per fratres et sorores predictos gestari solitum exhibere, et illas ex personis dicti tertii ordinis feminei sexus, que nulla sufficienti desuper licentia suffulte in Ungarie partibus insimul habitantes, aliqua loca pro eorum usu et habitatione de novo construxerunt, seu iam constructa receperunt, ab excommunicationis aliisque sententiis, censuris et penis, si quas propterea incurrerunt, absolvere in forma ecclesie consueta, iniunctis eis pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, eisque quod iam recepta retinere, et aliis similiter prefati sexus personis, quod duo, tres et plura, ac tot alia domos atque loca, quot ipsis Vicariis expediens videbitur, cum oratoriis, dormitoriis et aliis pro earum usu et habitatione necessariis officinis ubilibet in dicta Vicaria de novo construere, seu iam constructa vel sibi concessa recipere, confraternitates etiam seu societates pietati idoneas, iuxta morem presertim Italicum, vulgariter verberatorum seu flagellatorum nuncupatas, cum opportunis constitutionibus ordinare, ac ordinatas, absque quorumvis prelatorum ecclesiasticorum vel alterius dignitatis contradictione, quos etiam, ne talibus desistere debeant, apostolica auctoritate harum serie prohibemus et interdicimus, in suis devotionibus ac piis operibus fovere, nutrire, augmentare et manutenere, nec non quod confessor seu confessores dicti ordinis minorum de observantia, quem seu quos utriusque sexus persone, que professionem tertii ordinis huiusmodi pro tempore emiserint, seu illarum quelibet dictarumque confraternitatum singuli et singule pro tempore duxerit vel duxerint eligendum seu eligendos, eorum confessionibus diligenter auditis, omnibus ex eisdem predictis in reservatis semel tantum, in non reservatis vero sedi apostolice casibus, quotiens fuerit opportunum, debitam absolutionem impendere et iniungere penitentiam salutarem, ipsisque omnibus, diocesani loci et proprii sacerdotis, cuius licentiam super hoc paschali tempore duntaxat persone predicte petere teneantur, licet eam non obtineant, super hiis licentia nullatenus requisita, Eucharistie sacramentum ministrare, ac dictis personis tertii ordinis et confraternitatum huiusmodi illarumque singulis in sinceritate fidei, virtute, sancte Romane ecclesie ac devotione nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus plenam remissionem in mortis articulo valeat seu valeant concedere; ita tamen, quod confessor seu confessores huiusmodi de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, iamdictis personis per eas, si supervixerint, vel heredes seu successores suos, si tunc forte transierint, faciendam iniungant, quam dicte persone aut heredes vel successores facere teneantur: et ne, quod absit, dicte persone utriusque sexus ordinis prelibati et confraternitatum iam dictarum, per huiusmodi remissionis gratiam procliviores reddantur ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si persone tertii ordinis et confraternitatum predictorum ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forsan committerent, quo ad illa predicta remissio nullius sit roboris vel momenti; quodque persone prefate per unum annum a tempore, quo concessionis huiusmodi notitiam habuerint, singulis sextis feriis, impedimento cessante legitimo, ieiunent, et si predictis diebus ex precepto ecclesie, iniuncta penitentia, voto aut alias ieiunare teneantur, una die singularum septimarum eiusdem anni, qua ad ieiunium, ut premittitur, non sint astricte, ieiunent, et si in dicto anno vel aliqua eius parte alique ipsarum personarum fuerint impedite, anno sequenti vel alias quamprimum poterunt, huiusmodi ieiunium modo simili supplere teneantur; porro si forsan alias prelibatum ieiunium in toto vel in parte adimplere commode nequiverint, eo casu confessor idoneus ieiunium ipsum in alia pietatis opera commutare valeat, que pari modo adimplere debeant: alioquin presentes littere, quo ad concessionem plenarie remissionis, quo ad non implentes premissa duntaxat nullius sint roboris vel momenti. Et insuper, quod Vicarii et ab eis pro tempore deputati predicti ad

personarum predictarum tertii ordinis huiusmodi regimen ac gubernationem presidentes, visitatores et alios officiales quoscunque, prout ipsis Vicariis ac deputatis pro dictarum personarum animarum salute opportunum fore videbitur, instituere et deputare, ac eciam illos nullo iuris ordine servato ad ipsorum nutum destituere et removere libere et licite valeant, auctoritate predicta tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Volumus autem, quod per quascunque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis minorum pro tempore existenti seu aliis quoquomodo concessas, vel imposterum concedendas presentes littere nullatenus intelligantur revocate. Non obstantibus felicis recordationis Clementis pape quinti predecessoris nostri, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus ordinum predictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et indulgentiis ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta affectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quibus omnibus et singulis, illis alias in suo robore permansuris, quo ad premissa derogare intendimus et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Ceterum quia difficile foret huiusmodi nostras litteras ad singula loca deferre, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica aut sigillo alicuius episcopalis vel superioris ecclesiastice Curie munito tanquam prefatis nostris, si originales exhiberentur, litteris plena fides in iudicio et extra exhibeatur, et perinde stetur ac si dicte originales littere forent exhibite vel hostense. Nulli ergo etc. nostre prohibitionis, interdicti, concessionis, derogationis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, **pridie Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.**

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia lib. XVII. fol. 284.

CCCLXXXII.

Reges principesque ac praelatos etc. Moldaviae, Valachiae etc. pontifex exhortatur, ut vicario Bosnensi et fratribus ord. Minor. inquisitoribus auxilium favoremque praebeant.

Eugenius episcopus etc. Carissimis in Christo filiis Regibus et carissimis in Christo filiabus Reginis, ac Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, nec non dilectis filiis Abbatibus et aliis ecclesiasticis prelatis ac personis, et Vayvodis, principibus, baronibus, nobilibus, militibus, civitatum communitatibus ac terrarum, castrorum, oppidorum, villarum aliorunque locorum universitatibus eorumque civibus, incolis et habitatoribus universis Moldavie, Valachie, Bulgarie et Rascie aliorumque regnorum et partium ubilibet consistentium, ad quos presentes littere seu eorum transcripta pervenerint, salutem etc. Inter desiderabilia cordis nostri illud intensis desideriis affectantes, ut vinea domini Sabaoth, ad cuius curam et custodiam sumus licet immeriti constituti, debitum reddat suis temporibus fructum, libenter eius culture intendimus, et ad eam vigiles ac fideles operarios transmittimus, per quorum sollicitudinem diligentem et diligentiam sollicitam vinea ipsa ab omni mundana sorde purgata in conspectu regis eterni se gaudeat de victis hostibus triumphasse. Ineffabilis siquidem divine maiestatis clementia efficere dignata est, ut nostris temporibus Greci, Armeni et Iacobite a ritu Romane ecclesie dissidentes iteratis disputationibus per gravissimos in theologia magistros, et tam divini quam humani iuris doctores hinc inde editis, nobis in Ferrariensi et Florentino ecumenico concilio presidentibus, nobiscum et cum ipsa ecclesia in eadem divine veritatis sententia unirentur, ac doctrinam sanctorum patrum, nec non evangelicam veritatem, quam semper predicta ecclesia tenuit, docuit et predicavit, ac tenet, docet et predicat, debita cum reverentia acceptarent: quorum exemplo provocati nonnulli alii orientales populi, postquam ad almam urbem redivimus, spiritus sancti lumine illustrati, huiusmodi salutarem et veram prefate ecclesie doctrinam eiusque sancta dogmata precipuis devotione et reverentia complexi fuere. Est quippe ineffabilis hec dei omnipotentis misericordia, nullo modo explicari potest: hac nimirum misericordia, qua mensura penitus carente, effectum est, ut Grecorum natio, que sub atrocissimo Turcorum iugo et immani eorum tirannide languebat, et iam prope extincta fuerat, per terrestrem, cui Venerabilis frater noster Iulianus Episcopus Tusculanus, et maritimum fidelium exercitus, cui dilectus filius noster Franciscus tituli sancti Clementis presbyter Cardinalis, sancte Romane ecclesie Vicecancellarius, apostolice sedis legati, presunt, fere liberata esse dinoscitur, inducti pariter et confisi ac sperantes, quod illa uberiorem sue dextere clementiam porrigente, quelibet errantes oves

ad unum ovile reducantur; attendentes quoque, quod dilecti filii Fabianus de Bachia vicarius et fratres vicarie Bozne nuncupati ordinis fratrum minorum regularis observantie, qui in partibus presertim septentrionalibus honorem dei et propagationem christiani nominis diligenter ac fideliter prosequentes, pro orthodoxe fidei, nec non divini cultus et religionis augmento plurimum laborem et studia fructuosa impendere poterunt, ac libenti animo impendent, ipsos Fabianum ac illius successores, qui pro tempore erunt, prefate vicarie vicarios in Ungarie, Bozne, Moldavie, Valachie, Bulgarie, Rascie nec non Sclavonie, ac omnibus et singulis regnis seu partibus, ad que seu quas vicaria Bozne huiusmodi se extendere dinoscitur, inquisitorem et inquisitores heretice pravitatis perpetuo facimus et etiam deputamus: et ut facilius populos illarum partium ad veram divini nominis cognitionem ac prefate ecclesie unitatem reducere, et errantes ab erroribus revocare possent, quam plurimas et diversas eis gratias, concessiones, facultates et indulta, presertim divinum cultum et animarum salutem concernentes, concessimus per diversas nostras litteras, prout in illis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cupientes igitur, ut Fabianus et alii vicarii ac fratres predicti pro tempore existentes, quibus etiam tenore presentium iniungimus, ut sanctissimam Grecorum, Armenorum, Iacobitarum et aliorum populorum cum Romana ecclesia unionem huiusmodi in regnis seu partibus predictis publice nuntient et predicent, ac quoscunque de fide non recte sentientes, seu alios diversis erroribus inquinatos ad huiusmodi unionis susceptionem verbo et exemplo, prout illis spiritus sanctus suggesserit, exhortentur in domino et requirant, ut abiectis penitus erroribus, prefate ecclesie doctrinam et sanctorum patrum dogmata precipua devotione et reverentia suscipiant, ac per mandatorum domini nostri Iesu Christi semitam incedant, ut tandem eternam beatitudinem dei misericordia consequantur, inquisitionis officium et alia per nos eis iniuncta huiusmodi facilius exequantur: Vos universos et singulos predictos obsecramus in domino, et per aspersionem sanguinis domini nostri Iesu Christi exhortamur, vobisque in remissionem vestrorum peccaminum iniungimus, ut Fabiano, vicariis et fratribus predictis pro tempore in premissorum executione, quotiens pro illorum parte fueritis requisiti, efficaciter assistentes, opportuna eis auxilia, consilia et favorem impendatis, nec permittatis ipsos vel eorum aliquos per quoscunque seculares vel ecclesiasticos, fideles aut infideles, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, directe vel indirecte quovis quesito colore super executione huiusmodi impediri, molestari seu perturbari, impeditores, molestatores seu perturbatores quoslibet vos, carissimi in Christro filii Reges, et carissime in Christo filie Regine, Vayvode, principes, barones, milites, nobiles et alie seculares persone, per privationes bonorum temporalium et incarcerationes personarum, nec non vos, Venerabiles fratres nostri Archiepiscopi, Episcopi, et dilecti filii ecclesiastice persone predicte, quotiens opus fuerit, aggravando et reaggravando per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Nos enim pro efficaciori et faciliori premissorum executione Fabiano, vicariis et fratribus prefatis vos et quemlibet vestrum, si per eos requisiti, ipsis, ut premittitur, assistere recusaveritis, vel neglexeritis, seu aliquis vestrum recusaverit vel neglexerit, ad id per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, etiam cum invocatione brachii secularis, appellatione remota, compescendi, nec non in premissis et circa ea quecunque necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede predicta deputati contra quoscunque procedere seu alii vel aliis vices suas committere presumant, et de duabus dietis in concilio generali ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non indulgentia, qua dicto ordini a sede predicta asseritur fore concessum, quod ipsius ordinis fratres non teneantur se intromittere de quibuscunque negotiis, que ipsis per dicte sedis litteras committuntur, nisi in eis de concessione huiusmodi plena et expressa mentio habeatur, ceterisque contrariis quibuscunque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existent, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus presentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris

litteris mentio specialis. Et insuper, ut vos aliique Christifideles predicti ipsis Fabiano, vicariis et fratribus prefatis in executione premissorum eo promptius assistatis et assistant, eis auxilium, consilium vel favorem pro viribus subministrando, ut prefertur, quo ex hoc dono celestis gratie vos conspexeritis et se conspexerint esse refectos, vobis omnibus et singulis aliisque personis utriusque sexus vere contritis et confessis, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, trecentos dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus per presentes, ipsis presentibus perpetue valituris. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, quartodecimo Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia lib. XVIII. fol. 4.

CCCLXXXIII.

Thomae epo Farensi, ut Petrum Voyslaulich a sententia contra eum lata ob decimas in regno Bosniae absolvat.

Eugenius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Farensi, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus eaque favoribus prosequimur oportunis. Sane pro parte nobilis viri Petri Voyslaulich domini Castelli Vyssuchi in regno Bosne sive eius confiniis consistentis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet domini, qui hactenus fuerunt dicti castelli, omnes et singulas decimas ex fructibus ac animalibus et aliis bonis infra castellum predictum eiusque territorium pro tempore consistens provenientes pro ipsius castelli, quod in finibus nonnullarum partium infidelium situm est, munimento et defensione a tanto tempore, citra cuius contrarium memoria hominum non existit, percipere consueverunt, ac successive dictus Petrus in possessione pacifica seu quasi iuris percipiendi decimas huiusmodi, salvis hoc et aliis inde secutis infrascriptis, fuerit et hodie existat; nichilominus dilecti filii capitulum Tiniense falso asserentes, decimas predictas ad se spectare, nostras ad Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Sebinicensem, eius proprio nomine non expresso, in forma solita litteras desuper impetrarunt, ac illarum vigore dictum Petrum coram Venerabili fratre nostro Georgio Episcopo Sebinicensi fecerunt ad iudicium evocari. Idemque Georgius Episcopus in causa huiusmodi minus rite procedens diffinitivam, per quam inter cetera decimas predictas ac ius eas percipiendi capitulo adiudicavit, et super illis Petro prefato perpetuum silentium imposuit, sententiam promulgavit cum condemnatione expensarum per eosdem capitulum in causa ipsa itinere factarum: que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, ac super ea nostras in forma solita executoriales litteras, ut dicitur, reportavit, nec non executorialium litterarum predictarum ac per illas habitorum processuum pretextu dictum Petrum pro eo, quia nonnullis monitis et mandatis sibi factis in eisdem processibus contentis non paruit, neque obedivit, excommunicationis sententia innodari ac excommunicatum publice nuntiari fecit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ab aliquibus asseratur, quod olim domini supradicti ratione perceptionis decimarum huiusmodi unum equum ad quindecim ducatos auri in eius valore ascendentem, seu summam quindecim ducatorum huiusmodi prefatis capitulo interdum tradiderunt et assignarunt, et alias dictus Petrus solus in illis partibus princeps catholicus habeatur, ac iuris ignarus existat; si constare poterit, quod olim domini prefati ratione premissa equum aut summam huiusmodi vel aliquid aliud dictis capitulo assignare consueverint, ipse Petrus id tamen iuxta consuetudinem predictam solvere et assignare paratus existat, et ad id se ex nunc specialiter offerat: pro parte ipsius Petri, qui etiam partium inferioris Bosne Voyvoda existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi et statui suo ac successorum suorum oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis rectam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus prefatum Petrum, videlicet postquam ipse proprio iuramento promiserit et se obligaverit, quod ratione decimarum ac perceptionis earundem prefatis capitulo satisfactionem iuxta obligationem per eum factam huiusmodi infra terminum, seu terminos ei per te desuper prefigendum seu prefigendos realiter et effectualiter impenderet, a predicta et aliis omnibus et singulis excommunicationum, suspensionum et interdicti ceterisque sententiis, censuris et penis contra eum premissorum occasione latis, inflictis seu promulgatis, et quibus irretitus existit, auctoritate nostra hac vice duntaxat per te vel alium absolvas in forma ecclesie consueta, iniuncta inde sibi pro modo culpe penitentia salutari. Et nichilominus si vocatis capitulo predictis et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de consuetudine aliqua percipiendi decimas huiusmodi legitime constiterit, senten-

tiam per Episcopum latam ac priores et executoriales litteras nostras, et super illis habitos processus predictos, quorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum inserti forent presentibus, haberi volumus pro expressis, auctoritate nostra predicta casses, revoces et annulles, nec non eundem Petrum ac eius filios, heredes et successores dictum castellum pro tempore detinentes, ut ipsi omnes et singuli et ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus omnes et singulas decimas de castello ac eius territorio predictis ex quibuscunque provenientes integre percipere et habere, ac in munitionem et defensionem castelli huius et alios in eorum usus et utilitatem convertere libere et licite perpetuo valeant, quodque nullus eorum ratione perceptionis decimarum huiusmodi, ullo unquam tempore aliquid nisi prout et secundum per te vigore presentium olim dominos predictos assignare seu persolvere consuevisse declaratum fuerit, capitulo prefatis seu Episcopo Tiniensi pro tempore existenti vel alicui alteri persolvere seu assignare teneantur, et ad id a quoquam quavis auctoritate cogi seu compelli possint, etiamsi constaret castellum ipsum in Tiniensi diocesi existere, eadem auctoritate statuas, decernas atque concedas; ita quod omnes et singuli processus, quascunque excommunicationum, suspensionum et interdicti aliasque sententias, censuras et penas in se continentes, ac omnia et singula, que contra statutum, decretum et concessionem per te vigore presentium tunc facta huiusmodi haberi, fieri seu fulminari contigerit, nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti existant et esse debeant, non obstantibus premissis omnibus ac fel. rec. Bonifacii pape octavi etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, decimo Kal. Novembris. Pont. nostri Anno Sextodecimo.

Ex Reg. orig. An. XVI. de Curia lib. XX. fol. 12.

CCCLXXXIV.

Petro Woyslau voivodae partium inferioris Bosniae domus Bosnensis fratrum Minorum a superioritate vicarii eiusdem provinciae exempta esse notificatur.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Petro Woyslau Voivode partium inferioris Bosne, salutem etc. Eximie devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut petitiones tuas, illas presertim, que ad tuam et tuorum quietem et tranquillitatem cedere noscuntur, quantum cum deo possumus, favorabiliter admittamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod licet nonnulli predecessores tui infra terras et loca eorum tunc et tuo nunc temporali dominio subiectas de bonis a deo collatis quasdam domos cum ecclesiis, et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetua plurium Religiosorum ordinis fratrum Minorum construxerint, edificaverint pariter et dotaverint, tuque etiam illas in earum structuris et officinis postmodum reparaveris et conservaveris, nec non fratribus in eis tunc degentibus tam de necessariis ad cultum divinum, quam alias de decimis et aliis bonis tuis abundanter ministraveris; tamen fratres ipsi pro tantorum beneficiorum impensione tibi contumeliam reddiderunt ac dampna intulerunt, et indies inferre non cessant, nec non etiam Vicarius provincie Bosne iuxta morem dicti ordinis fratres tibi suspectos, nec non statui tuo insidiantes ad habitandum in dictis domibus in non modicum ipsius tui status periculum ponere non veretur: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc tibi et eidem tuo statui oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, domos predictas a superioritate et subiectione Vicarii provincie predicte auctoritate apostolica harum serie eximimus, nec non Venerabili fratri nostro Episcopo Farensi domos predictas eosque pro tempore fratres regendi et gubernandi, et super ipsis omnimodam gubernationem exercendi, nec non quotiens opus fuerit, visitandi ac dictorum fratrum excessus et delicta corrigendi, ipsosque fratres, prout oportunum extiterit, ad alia dicti ordinis loca transferendi et alios inibi denuo ponendi, contradictores quoque et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, aliaque desuper necessaria et oportuna faciendi et exequendi alias iuxta canonicas sanctiones ac regularia prefati ordinis instituta plenam et liberam facultatem auctoritate predicta per presentes concedimus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non prefati ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre exemptionis et concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, Idibus Octobris. Pont. nostri Anno Sextodecimo.

Ex Reg. orig. An. XVI. de Curia lib. XX. fol. 28.

EPISTOLAE NICOLAI PP. V.

CCCLXXXV.

Pontifex extinctionem praepositurae S. Ladislai Cibiniensis confirmat.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Dudum a felicis recordationis Martino papa quinto predecessore nostro littere emanarunt huiusmodi tenoris. Martinus episcopus servus servorum dei, dilecto filio preposito ecclesie Transilvane, salutem et apostolicam benedictionem. Regimini universalis ecclesie quamquam immeriti, disponente domino, presidentes, curis angimur assiduis et continua meditatione pensamus, ut que semel dedicata deo fuere, desolationum sublatis incommodis, salubrius iugiter proficiant incrementis, et que pro divini cultus augmento et animarum salute provide processisse comperimus, ut illibata persistant, apostolico consuevimus munimine roborare. Sane petitio Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Romanorum, Hungarie et Boemie Regis illustris nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipse provide considerans, quod prepositura ecclesie sancti Ladislai Regis de Cibinio Strigoniensis diocesis, que dudum vacaverat et vacabat, tunc in emolumentis ecclesiasticis plurimum foret destituta, eiusque possessiones, terre et alia bona immobilia hinc inde per clericos et laicos essent diversimode distracta, cupiens possessiones, terras et alia bona huiusmodi a manibus occupantium retrahere et recuperare, illaque ad laudem dei omnipotentis et beate Marie Virginis, ac ad honorem omnium sanctorum, nec non eiusdem sancti Ladislai Regis deputare, matura desuper deliberatione prehabita, universos fructus, redditus et proventus ac integras decimas provenientes ex fructibus existentibus in terris et possessionibus infra districtum oppidi Cibiniensis dicte diocesis consistentibus, census et collectas a dilectis filiis rectoribus parochialium ecclesiarum circumiacentium prepositis dicte ecclesie sancti Ladislai ab antiquo debitos, nec non in Kyz Nagekemezow et Kyz Kemezow nuncupatas possessiones ab olim ad eandem preposituram pertinentes, ac portiones possessionarias olim quondam Nicolai de Salgo in districtu locorum de Bolkach et Sichira in comitatu de Kewkeno consistentes ad ipsum Regem pertinentes, cum omnibus utilitatibus, iuribus et pertinentiis suis ad providendum quindecim presbiteris idoneis necessariis in perpetuum, qui missas et alia divina officia in dicto oppido in modum, qui sequitur, perpetuis futuris temporibus celebrarent, libere donavit, dedit et largitus est; ita videlicet, quod in dicta ecclesia sancti Ladislai singulis diebus legeretur missa per unum ex dictis presbiteris, et una alia cantaretur pro fidelibus defunctis in hospitali pauperum dicti oppidi, et in ecclesia beate Marie Virginis eiusdem oppidi die dominica post missam beate Marie Virginis de sancta Trinitate, feria secunda eadem hora pro fidelibus defunctis, feria tertia de dicto sancto Ladislao Rege, feria autem quarta de sancto Nicolao confessore et feria quinta de corpore Christi, feria vero sexta de sancta cruce vel passione domini, sabbato de sancta Caterina vel sanctis angelis cum commemo-

ratione omnium sanctorum devote et solemniter misse cantarentur, et ibidem in ecclesia beate Marie predicta undecim et in capella sancti Iacobi apostoli sita in cimiterio dicte ecclesie beate Marie una alia de eodem apostolo misse singulis diebus in perpetuum dicerentur, quodque dilecti filii Iudex, iurati et oppidani dicti oppidi de predictis bonis et redditibus colligendi, exigendi liberam habeant dispositionem, et de illis dilecto filio rectori dicte ecclesie beate Marie, plebano nuncupato, qui ulterius, si vellet, dictis presbiteris de necessariis haberet providere, tenerentur annis singulis reddere rationem: alioquin ipsi Iudex, iurati et oppidani onus huiusmodi diligenter exercerent per se ipsos, nichilominus ordinando, prout in patentibus ipsius Regis Sigismundi litteris dicitur plenius contineri: quare pro parte dicti Sigismundi Regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut ordinationi, donationi et largitioni ac litteris predictis et omnibus inde secutis robur apostolice confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, ipsius Sigismundi Regis in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis ac circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si ita esse et premissa in augmentum divini cultus evidenter cedere inveneris, super quo tuam conscientiam oneramus, ordinationem, devotionem, largitionem et litteras prefatas, ac omnia inde secuta eadem auctoritate nostra approbes, ratifices et confirmes; et nichilominus pro premissorum corroboratione et tutela potiori eandem preposituram et eius titulum extinguere penitus et dissolvere, nec non possessiones, terras, decimas et emolumenta quecunque supradicta iuxta prefatam ordinationem pro divini cultus augmento huiusmodi perpetuo deputare et applicare procures, constitutionibus apostolicis nec non statutis et consuetudinibus dicte ecclesie sancti Ladislai ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Rome apud Sanctos Apostolos Idibus Ianuarii. Pontificatus nostri anno nono. Que omnia, prout sunt, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti munimine roboramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confimationis et roborationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, Idibus Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 78.

CCCLXXXVI.

Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Thomae Bosnensis dioec. visitantibus indulgentiae conceduntur.

Nicolaus episcopus etc. Dil. filiis Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia sue pietatis, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem, et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia, quam in honorem sancti Thome apostoli pro sua devotione edificare cepit Carissimus in Christo filius noster Stephanus Thomas Rex Bosne sub Vranduch nullius diocesis in regno Bosne, congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis sancti Thome apostoli festis, a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive computando, ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias dictam ecclesiam visitantibus, et ad reparationem seu ipsius fabricam manus adiutrices porrigentibus, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus seu alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quarto decimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 64.

CCCLXXXVII.

Eisdem ecclesiam SS. Trinitatis in Verlau Bosnensis dioec. visitantibus indulgentiae conceduntur.

Nicolaus episcopus etc. ut supra. Licet is, de cuius etc. Cupientes igitur, ut ecclesia, quam in honorem sanctissime et individue Trinitatis pro sua devotione edificare cepit Carissima in Christo filia Caterina Regina Bosne in loco Verlau nullius diocesis in regno Bosne, congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis sancte Trinitatis festis, a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive conputando, ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias dictam ecclesiam visitantibus et ad reparationem seu ipsius fabricam manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus seu alias aliqua alia indulgentia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quarto decimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 64.

CCCLXXXVIII.

Eisdem ecclesiam S. Georgii de Iesero Bosnensis dioec. visitantibus indulgentiae conceduntur.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere etc. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Georgii de Iesero nullius diocesis in regno Bosne sita congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis ipsius sancti Georgii festis, a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive computando, ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias etc. ut supra usque momenti. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 64.

CCCLXXXIX.

Eisdem ecclesiam S. Mariae de Virben Bosnensis dioec. visitantibus conceduntur indulgentiae.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia, quibus Regina celorum virgo dei genitrix gloriosa sedibus prelata sidereis quasi stella matutina prerutilat, devote considerationis indagine perscrutamur, dum etiam inter pectoris nostri archana revolvimus, quod ipsa, utpote mater misericordie, gratie et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula oratrix et pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias in nomine sui dedicatas gratiosis remissionum prosequamur impendiis, et indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut ecclesia sancte dei genitricis Marie de Virben nullius diocesis in regno Bosne sita congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis assumptionis diete virginis festis, a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive computando, ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias etc. ut supra usque momenti. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 65.

CCCXC.

Petro voivodae partium inferiorum Bosniae, ut duos fratres Minores sibi in capellanos eligere possit.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Petro Voivode partium inferiorum Bosne, salutem etc. Devotionis tue sinceritas, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, prout semper opere demonstrasti, dum inter hereticos constitutus tu solus catholicus inter principes regni Bosne sanctam fidem catholicam illibatam servasti, promeretur, ut petitionibus tuis, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, devotioni tue, ut duos fratres ordinis Minorum de Observantia regulari ubicunque te illos in vicaria Bosne reperire contigerit, quos ad hoc duxeris eligendos, in tuos Capellanos, quotiens opus fuerit, recipere, illosque apud te tanquam tales in servitiis tuis ad celebrandum missas et alia divina officia tenere, nec non eos ad civitates, villas et loca quecunque, superiorum suorum dicti ordinis licentia non requisita, pro tuis necessitatibus libere et licite ducere ac transmittere possis, dictisque fratribus, ut servitiis tuis insistere aliaque singula premissa facere possint et valeant, tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quartodecimo Kal. Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 65.

CCCXCI.

Stephano Thomae regi Bosniae conceditur, ut duos fratres Minores de observ. in suos capellanos recipere et apud se tenere possit.

Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Thome Regi Bosne Illustri, salutem etc. Devotionis tue sinceritas, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, prout semper etiam opere demonstrasti, dum te ad orthodoxe fidei unitatem sponte cum Christi fidelibus tui regni reduxisti, promeretur, ut petitionibus tuis, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, devotioni tue, ut duos fratres ordinis minorum de observantia regulari ubicunque te illos in vicaria Bosne reperire contigerit, quos ad hoc duxeris eligendos, in tuos Capellanos, quotiens opus fuerit, recipere illosque apud te tanquam tales in servitiis tuis ad celebrandum missas et alia divina officia tenere, nec non ad civitates, villas et loca quecunque, etiam Romanam Curiam, superiorum suorum dicti ordinis licentia non requisita, pro tuis et regni tui necessitatibus libere et licite ducere et transmittere possis, dictisque fratribus, ut servitiis tuis insistere aliaque singula premissa facere possint et valeant, tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quartodecimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Idem conceditur Caterine Regine Bosne.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 66.

CCCXCII.

Petrus Voyslaulich voivoda Bosniae inferioris sub Apost. Sedis protectione suscipitur.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Benignitas sedis apostolice gratiosa personas bene meritas et devotas, ac generis nobilitate prestantes ex assueto caritatis affectu benivolo favore prosequitur, ac statui et tranquillitati ipsarum consulens, ne molestiis et guerrarum turbinibus agitentur, consuevit sue protectionis munimine confovere. Hinc est, quod cum, ut accepimus, Carissimus in Christo filius noster Stephanus Thomas Rex Bosne tradiderit ad manus Venerabilis fratris nostri Thome Episcopi Farensis atque apostolice sedis legati dilectum filium Nobilem virum Petrum Voislaulich, Voivodam partium inferiorum Bosne, eundem ponens sub nostra et apostolice sedis protectione, ipsumque prefatus legatus acceptaverit: nos eundem Petrum et eius heredes, ipsiusque terras, castra, loca, villas cum eorum incolis et habitatoribus, et bona quelibet ubique tam in regno Bosne, quam alibi consistentia, que idem Petrus tenet et possidet, et dante domino in futurum possidebit, motu proprio et ex nostra spontanea voluntate sub nostra et beati Petri, ac sedis predicte protectione et tutela pro eiusdem status defensione ac conservatione ex certa scientia tenore presentium suscipimus, ac decernimus ipsum Petrum nobis et dicte sedi, ac sub nostro et illius patrocinio et protectione im-

mediate subesse, inhibentes districtius dilectis filiis nobilibus viris ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, militibus et gentium armorum capitaneis ac officialibus civitatum, terrarum et castrorum ac locorum quorumlibet in dicto regno Bosne consistentibus; ceteros vero dominos quovis titulo seu dignitate fulgentes, ubicunque consistant, in domino exhortantes, ne contra nostram protectionem et tutelam venire, aut aliquid innovare, facere vel attemptare, sive ipsum Petrum inquietare, molestare vel offendere quoquomodo presumant ob nostram et apostolice sedis reverentiam; districte nichilominus precipiendo mandantes Vicario Bosne pro tempore, Custodibus et Guardianis, quatenus ipsum Petrum a volentibus ipsum molestare, inquietare seu offendere per censuram ecclesiasticam tueantur pro viribus et defendant. Nulli ergo etc. nostre susceptionis, constitutionis, inhibitionis et mandati infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quarto decimo Kal. Iulii. Pont. nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 66.

CCCXCIII.

Sladoe voivoda dominus de Requi una cum suis germanis sub Apost. Sedis protectione suscipitur.

Nicolaus episcopus etc. ut in precedenti usque Carissimus in Christo filius noster Rex Bosne tradiderit ad manus dilecti filii Vicarii Bosne ordinis fratrum minorum dilectum filium nobilem virum Sladoe Voivodam, dominum de Requi, ponens eundem sub Romane ecclesie protectione, ipsumque prefatus Vicarius acceptaverit: nos eundem Sladoe ac eius germanos Gregorium et Wulrich, et eorum heredes, ipsorumque terras, castra, loca, villas cum eorum incolis et habitatoribus, et bona quelibet ubique tam in regno Bosne quam alibi consistentia, que idem Sladoe tenet et possidet, et dante domino in futurum possidebit, motu proprio et ex nostra spontanea voluntate sub nostra et beati Petri, ac sedis apostolice protectione et tutela pro eiusdem status defensione et conservatione ex certa scientia presentium tenore suscipimus, ac decernimus ipsos nobis et dicte sedi, ac sub nostro et illius patrocinio et protectione immediate subesse, inhibentes districtius dilectis filiis nobilibus viris ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, militibus et gentium armorum capitaneis et officialibus civitatum, terrarum et castrorum et locorum quorumlibet in dicto regno consistentibus; ceteros vero dominos quovis titulo seu dignitate fulgentes, ubicunque consistant, in domino exhortantes, ne contra huiusmodi nostram protectionem et tutelam venire, aut aliquid innovare, facere vel attemptare, seu ipsos inquietare, molestare vel offendere quoquomodo presumant ob nostram et sedis apostolice reverentiam; districte nichilominus precipiendo mandantes Vicario Bosne pro tempore, Custodibus et Guardianis, quatenus ipsos et eorum quemlibet a volentibus molestare, inquietare seu offendere per censuras ecclesiasticas tueantur pro viribus et defendant. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre susceptionis, constitutionis, inhibitionis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quarto decimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 67.

CCCXCIV.

Salvus conductus pro Thoma epo Farensi legato apost. ad regem Bosniae etc. misso.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Universis et singulis, ad quos presentes nostre littere pervenerint, salutem etc. Cum Venerabilem fratrem nostrum Thomam Episcopum Pharensem apostolice sedis legatum, missum ad regem Bosne ac Dalmatie et Croatie partes pro nonnullis nostris et Romane ecclesie arduis negotiis per nos sibi commissis, ad regnum et partes huiusmodi, ac nonnullas alias mundi partes presentialiter destinemus: nos cupientes eundem Episcopum cum omni comitiva, et familiaribus tam equestribus quam pedestribus usque ad numerum viginti quatuor personarum in personis, equis, valisiis, armis, arnesiis, libris, scripturis, rebus et bonis suis quibuscunque in eundo, stando, redeundo plena ubique securitate et immunitate ac favorabili tractatione gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in domino, subditis vero et officialibus nostris, et prefate ecclesie ubilibet constitutis, ac gentium armorum capitaneis et peditum conductoribus ad nostra et dicte ecclesie stipendia ubicunque militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus prefatum Episcopum cum comitiva et familiaribus, salmis, valisiis, armis, arnesiis, scripturis, libris, rebus et

bonis omnibus per nostra et vestra territoria passus, portus, pontes, fluvia et loca quelibet tam per mare quam per terram transire, ire, stare et redire pro nostra et apostolice sedis reverentia absque solutione alicuius angarii, perangarii, telonii, fundinavis, datii, passagii, gabelle vel alterius cuiuscumque oneris indicti vel indicendi exactione libere permittatis, nec eidem vel sociis molestiam aliquam vel noxiam aut novitatem inferatis, quinimo eundem Episcopum cum omni benivolentia benigne recipientes et humaniter tractantes, ei pro se et comitiva huiusmodi de securo transitu, scorta et receptu sic liberaliter providere curetis, quod exinde vestra possit devotio apud nos et sedem predictam non immerito commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quartodecimo Kal. Iulii. Pont. nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 73.

CCCXCV.

Stephanus Thomas rex Bosniae una cum suis haeredibus et bonis sub Apost. Sedis protectione suscipitur.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Benignitas sedis apostolice gratiosa personas benemeritas et devotas, ac generis nobilitate prestantes ex assueto caritatis affectu benivolo favore prosequitur, ac statui et tranquillitati ipsarum consulens, ne molestiis et guerrarum turbinibus agitentur, consuevit sue protectionis munimine confovere. Hinc est, quod cum Carissimus in Christo filius noster Stephanus Thomas Rex Bosne Illustris, spretis atque abiectis Manicheorum erroribus, quibus irretitus fuerat, primus inter Reges Bosne sanctam fidem catholicam acceptaverit, ipsamque publice confessus fuerit, ipsum et regnum ac heredes eius, nec non ipsius terras, castra, loca, villas cum eorum incolis et habitatoribus, et bona quelibet ubicuque consistentia, que idem Rex tenet et possidet, et dante domino in futurum possidebit, motu proprio et ex nostra spontanea voluntate sub nostra et beati Petri protectione et tutela pro eiusdem status defensione et conservatione ex certa scientia presentium tenore suscipimus, ac decernimus ipsum nobis et dicte sedi, ac sub nostro et illius patrocinio et protectione immediate subesse, universos et singulos Carissimos in Christo filios nostros Reges ac Venerabiles fratres nostros Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, nec non dilectos filios aliarum ecclesiarum prelatos et nobiles viros Despotas, Duces, Vaivodas, Principes, Comites, Barones, Milites, gentium armorum Capitaneos, ac Officiales civitatum, terrarum et castrorum, ac locorum quorumlibet ubicunque consistentium, in domino exhortantes, quibus nichilominus sub pena excommunicationis districte precipiendo mandamus, ne contra huiusmodi nostram protectionem et tutelam venire aut aliquid innovare, facere vel attemptare sive ipsum Regem iniuste inquietare, molestare vel offendere quoquomodo presumant; sed eum potius a volentibus molestare et inquietare seu offendere tueantur pro iuribus ac defendant, ita se erga ipsum habentes ob nostram et apostolice sedis reverentiam, quod de ipsorum obsequio et prompto officio debeant a nobis merito commendari. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, tredecimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 72.

CCCXCVI.

Thomae epo Farensi legato apostolico in Bosnia et Croatia munus et facultates confirmantur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Pharensi, ad Regem Bosne ac Croatie partes apostolice sedis legato misso, salutem etc. Cum, sicut accepimus, felicis recordationis Eugenius papa quartus, predecessor noster, ad regnum Bosne ac Croatie partes pro extirpandis heresibus, que in partibus illis vigebant, et que nondum tamen extincte sunt, plantandaque fidei catholice veritate sedis apostolice legatum te duxerit destinandum, nonnullasque tibi, ut legationis huiusmodi officium commodius explicare valeres, facultates concesserit, prout in litteris ipsius Eugenii desuper confectis dicitur plenius contineri: nos attendentes, quod tu propter tue circumspectionis industriam et prudentiam, ac plurimas alias virtutes tuas, quibus personam tuam earum largitor dominus insignivit, in eisdem regno et partibus adhuc plurimum fructuosus esse poteris, ac sperantes, quod ea, que tue prudentie duxerimus committenda, prompta diligentia exequeris, fraternitati tue legationem et facultates predictas, quecunque et qualescunque fuerint, et quarum formas et tenores presentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, illis modis conformes, quibus per dictum Eugenium concesse fuerant, exercendi et

illis utendi auctoritate apostolica facultatem et potestatem liberam concedimus per presentes, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, XII. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 73.

CCCXCVII.

Archiepo et capitulo Spalaten., ut Thomae epo Farensi legato apost. de habitatione in civitate Spalatensi provideant.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo et dilectis filiis Capitulo Spalatensi salutem etc. Cum pro nonnullis arduis et necessariis negotiis, catholicam fidem precipue concernentibus, Venerabilem fratrem nostrum Thomam Episcopum Farensem in regno Bosne et Croatie partibus nostrum et apostolice sedis legatum duxerimus deputandum, innitentes videlicet vestigiis felicis recordationis Eugenii pape quarti predecessoris nostri, qui sanctum ac plurimum necessarium opus istud instituit, et quod nondum plene extitit absolutum; cumque ad civitatem Spalatensem idem legatus ob hanc causam habeat pluries se transferre, et propterea valde necessarium sit, ut de loco habitationis cuiuspiam eidem provideatur: eapropter fraternitati et devotioni vestre apostolica auctoritate tenore presentium iniungimus, et mandamus, quatenus de domo ecclesie sancti Iacobi in civitate Spalatensi, seu aliqua altera, quam idem legatus in dicta civitate Spalatensi sibi magis idoneam et commodam duxerit eligendam, pro eius habitatione, cum ad ipsam civitatem Spalatensem declinare contigerit, providere, eandemque domum sumptibus et expensis vestris et totius Cleri civitatis et diocesis Spalatensis tam secularis quam regularis, monasterio monialium sancte Marie in Spalato duntaxat excepto, reparare et reformare curetis, ut in eadem commode habitare possit: quam quidem domum pro usu et habitatione prefati Episcopi durante eius legationis officio volumus deputari, non obstantibus, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod ad reparationem vel reformationem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ac quibuslibet privilegiis, immunitatibus et exemptionibus Capitulo et Clero predictis, ac quibusvis aliis personis quovismodo concessis, ceterisque contrariis. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, undecimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 74.

CCCXCVIII.

Decano ecclesiae Cibiniensis, ut fratres Praedicatores in capiendo aliquem locum in oppido Cibiniensi adiuvet.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio decano ecclesie Cibiniensis, salutem etc. Exponi nobis fecerunt dilecti filii prior et conventus sancte crucis de Cibinio Strigoniensis diocesis, ordinis Predicatorum de observantia regulari, quod cum pro oppidi Cibiniensis tuitione locus eorum extra muros situs per eiusdem oppidi cives fuerit pro maiori parte dirutus, et ipsi fratres alium locum intra muros oppidi ex datis sibi elemosinis erigere cupiant, plebanus dicti oppidi id fieri prohibet cum maximo non minus ipsorum fratrum, quam oppidanorum incommodo. Quare devotioni tue committimus et mandamus, ut si constiterit tibi vel oppidanos publice vel eorum aliquem privatim velle dictum locum fratribus erigere et construere in loco decenti, id apostolica auctoritate fieri permittas et adiuves. Nam si dictum locum, ut prefertur, capi et erigi continget, nos fratribus supradictis regularis observantie, ut in eodem commorari, divinis insistere et omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus et gratiis, quibus in primo loco utebantur, uti et gaudere possint, concedimus per presentes, iuribus tamen parochialis ecclesie et aliorum quorumcunque in omnibus semper salvis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, decimo Kal. Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 75.

CCCXCIX.

Archiepo Strigoniensi et epo Albensi, ut partes suarum dioecesium in Transylvania visitent et disciplinam ecclesiasticam reforment.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Episcopo Albensi, salutem etc. Ad ecclesiarum ecclesiasticorumque locorum omnium statum salubriter dirigendum

pastorali solertia intendentes, circa eorum visitationem et reformationem, cum illa deformata sentimus, partes apostolice sollicitudinis adhibemus, et hec nimirum circa barbaris et infidelibus vicinas contiguasque provincias debemus eo vigilantius agere, quo ad id specialius obligamur. Sane ad nostrum nuper auditum non absque multa animi displicentia fide digna relatione pervenit, quod nonnulla, et fere omnia partium Transilvanarum vestrarum diocesium ecclesiastica loca secularium clericorum in spiritualibus et temporalibus deformata sunt multipliciter et collapsa, et multi eorum prelati et persone tam de negligentiis executionis officiorum, quam de aliis excessibus sunt notati ac merito corrigendi, que absque debiti appositione remedii non debemus sub dissimulatione transire. Nos igitur de premissis digne dolentes, et ad ipsorum ecclesiasticorum locorum reformationem, ac eorundem prelatorum et personarum correctionem paternis et sollicitis studiis intendere cupientes, ac de vestra utriusque prudentia ac zelo religionis plenarie in domino confidentes, fraternitatibus vestris per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad omnia vestrarum diocesium Transilvana ecclesiastica loca secularium, clericorum, presbiterorum eorumque membra personaliter, si commode potueritis, accedentes, aut Vicarios vestros mittentes, et ad solum deum ac salutem animarum commodaque huiusmodi ecclesiasticorum locorum habendo respectum, auctoritate nostra visitetis, et inquiratis ibidem super premissis et aliis, que visitationis et inquisitionis officio videbitis indigere, et ea, que per visitationem et inquisitionem huiusmodi reformanda, corrigenda et emendanda inveneritis, auctoritate predicta reformetis, corrigatis et emendetis tam in capite quam in membris, et puniatis quoscunque inveneritis puniendos, adeoque in premissis vestram operam diligentiamque impendatis, ut prefatorum vestrorum suppositorum incorrectio vobis merito notam infamie non adscribat, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, Contradictores etiam auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, pridie Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 75.

CCCC.

Universis praelatis ordinum in Transylvania, ut in suis monasteriis disciplinam restaurent.

Nicolaus episcopus etc. Dil. fil. Universis et singulis partium Transilvanarum ordinum quorumcunque et utriusque sexus monasteriorum, locorumque tam mendicantium quam non mendicantium et tam exemptorum quam non exemptorum abbatibus, abbatissis, prioribus, subprioribus, prepositis, gardianis, et ceteris prelatis ubicunque existentibus, mediatis vel immediatis, officialibusque presentes inspecturis, salutem etc. Ad ecclesiarum ecclesiasticorumque locorum omnium statum salubriter dirigendum etc. ut in ep. precedenti fol. 75. usque intendere cupientes, vobis omnibus et singulis per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus solum deum pre oculis habentes omnia vobis et vestre cure ac regimini commissa monasteria, et alia loca eorumque membra, et in eis degentes personas reformetis, corrigatis et emendetis, et puniatis quoscunque inveneritis puniendos, taliter quod dei et religionis ac ordinis vestrorum honoris et animarum salutis sola ratio habeatur, et populi vestro vite exemplo edificentur. Alioquin si, quod absit, ad predicta negligentes inobedientesque eritis, cum privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, constringemur, neque in gratiam sunt concessa, maleficiendi videantur licentia impertiri, vestra privilegia revocare, ac ordinariorum iurisdictioni correctionique subiicere. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, pridie Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. XXII. fol. 76.

CCCCI.

Ioannes card S. Angeli legatus a latere ad Fridericum imp. et regnum Hungariae ad pacem vel treugas inter ipsos procurandas mittitur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Sancti Angeli diacono Cardinali apostolice sedis legato, salutem etb. Redemptoris et domini nostri Iesu Christi, in cuius ortu chorus angelorum gloriam in altissimis deo et in terra pacem bone voluntatis hominibus nuntiarunt, et qui de mundo transiturus ad patrem discipulis suis tanquam bonum hereditarium unitatem reliquit et pacem, vicem in terris quamvis immerito gerentes, licet pro debito pastoralis officii pacem et unitatem in universo populo christiano affectemus, tamen ad pacem et tranquillitatem earum partium eo diligentius intendere

cogimur, ex quarum discordiis et dissensionibus maiora et graviora possent bellorum discrimina provenire. Sane cum dudum, quod dolenter referimus, inter Carissimum in Christo filium nostrum Fredericum Romanorum Regem illustrem, et dilectos filios Regnum Ungarie ex certis causis dissensiones et bella essent, procurante emulo pacis, exorta, nos per nostras litteras ipsos ad indicendas et observandas inter eos Treugas, donec nostrum ad partes illas Legatum pro tractanda pace mitteremus, in domino exhortati sumus: qui quidem rex et regnum tanquam pacis et obedientie filii nostris litteris obtemperantes huiusmodi Treugas fecerunt ad certum tempus, de qua re sunt a nobis et apostolica sede maxime commendandi, cum tam prompte fuerint ad parendum exhortationibus nostris. Nos igitur considerantes, quod si rex prefatus, qui solet et debet esse defensor et protector ecclesie, et illi in suis necessitatibus subvenire, et etiam advertentes, quod si regnum predictum, quod semper devotum Romane ecclesie et apostolice sedi, et tanquam fidei scutum immobile se prebuit contra infideles, et pro Christianorum defensione pugnavit, multa damna et detrimenta in defensione huiusmodi sustinendo mutuis bellis et dissensionibus debilitarentur, multa et gravia scandala possent verisimiliter provenire, et etiam ex eorum intestinis bellis et calamitatibus Teucri confisi facilius suas vires extenderent in detrimentum et oppressionem populi christiani, ac etiam summis desideriis affectantes inter Regem et regnum prefatos, ad quos gerimus singularem caritatis affectum, sublatis discordiarum et bellorum causis et fomentis, pacem et mutuam concordiam stabilem vigere, nec non de tuis sapientie prudentieque magnitudine, industrie claritate, rerum agendarum experientia viteque integritate, ac aliis multiplicibus virtutum donis, quibus personam tuam altissimus insignivit, gerentes in domino fiduciam specialem, ac sperantes, quod per tui consilii magnitudinem dissensiones et discordie huiusmodi ad pacis dulcedinem deducentur, te tanquam pacis angelum ad Regem et Regnum prefatos de fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio legatum nostrum de latere presentialiter destinamus, tibi eosdem Regem et Regnum nostro et dictorum fratrum nomine ad pacem et mutuam concordiam hortandi, monendi et requirendi, ac huiusmodi discordias et dissensiones penitus tollendi et removendi, ac super ipsis amicabiliter iudicandi, terminandi, decidendi, paciscendi ac componendi; pacem quoque ipsam et concordiam seu treugas, si pax fieri non posset, perpetuo vel ad tempus, de quo tibi videbitur, tractandi, firmandi et concludendi, ac pro ipsarum pacis seu treugarum conclusione, firma observatione inviolabiliter observanda, que tibi visa fuerint, nostro et ecclesie Romane nomine promittendi, ac insuper nos et ecclesiam ipsam, prout tue prudentie videbitur necessarium, obligandi, nec non pro observanda huiusmodi pace seu treugis securitates quascunque oportunas et necessarias utrinque prestandas per viam compromissi, vel alias tractandi, firmandi, prestandi et concludendi; pacta insuper et capitula huiusmodi pacis et treugarum, firmitatem et securitatem continentia, ordinandi, faciendi, concludendi et decidendi, ac pacem et treugas, deo propitio, concludendas, postquam firmate fuerint, et capitula huiusmodi sub censuris et penis, de quibus tibi visum fuerit, per ipsos regem et regnum, et eorum singulares personas observari mandandi et statuendi, ac omnia alia et singula faciendi, gerendi et exercendi, que pro huiusmodi pace vel treugis componendis, ac earum stabilimento et securitate necessaria videris seu etiam oportuna, concedentes auctoritate apostolica harum serie plenariam facultatem et etiam potestatem. Nos enim obligationes, pacta et federa quecunque, que pro pace et treugis huiusmodi consequendis, earumque securitate et firmitate facienda duxerimus ordinanda, firmanda seu etiam statuenda, rata et grata habebimus, eaque faciemus, auctore domino, inviolabiliter observari. Tu igitur iniunctum tibi huiusmodi legationis officium pro divina ac nostra et dicte sedis reverentia iuxta datam tibi a deo prudentiam sic sollicite et prudenter studeas adimplere, quod divina favente clementia pacis optate fructus proveniant, quos speramus, tuque illam glorie palmam, que pacem procurantibus celesti retributione impenditur, digne consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, pridie Non. Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. II. fol. 7.

CCCII.

[illegible] regnum Bohemie et auditor.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni S. Angeli diacono Cardinali, Apostolice Sedis Legato, salutem etc. Cum te ad nationem Germanie pro nonnullis arduis ecclesie universalis ac nostris

negotiis Legatum de latere presentialiter destinemus, nos attendentes, quod dilecti filii prelati, barones, milites et comites regni Boemie per suos oratores, qui ad felicis recordationis Eugenium papam quartum destinabantur, nobis, qui, ipso sublato de medio, fuimus divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, obedientiam et reverentiam debitam prestiterunt, nonnulla super provisione Pragensis ecclesie postulantes, nos ad pacem, quietem et tranquillitatem dicti regni, animarum quoque salutem personarum in eo degentium paternis affectibus intendentes, tuam legationem ad prefatum regnum extendimus per presentes, tibique ad prefati regni partes, si opus fuerit, accedendi, ac inibi cum prelatis, baronibus, proceribus, militibus, nobilibus et communitatibus dicti regni quecunque, que ad eorum bonum statum, quietem et tranquillitatem, fidei incrementum, religionis exaltationem, et erga nos et sedem apostolicam sinceram et bonam obedientiam spectare videbuntur, et que ad provisionem ecclesie Pragensis per nos faciendam pertinebunt, tractandi, practicandi et concludendi, parlamenta indicendi, prelatos, barones, milites, nobiles et communitates prefatos ad generalem convocationem congregandi, ac ibidem agendi, faciendi et disponendi super premissis, prout secundum deum et utilitatem dicti regni ac nostrum et apostolice sedis statum et honorem videris expedire, plenam et liberam auctoritate apostolica concedimus facultatem et etiam potestatem. Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, pridie Nonas Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. II. fol. 8.

CCCCIII.

Eidem, ut Benedictum episcopum ad ecclesiam Zagrabiensem restituat.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, in Germanie et quibusdam aliis partibus apostolice sedis legato, salutem etc. Ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus, per que ecclesiarum presertim cathedralium, illisque presidentium statui valeat et indemnitatibus opportune provideri. Dudum siquidem felicis recordationis Eugenius papa quartus, predecessor noster, Venerabiles fratres nostros Benedictum Zagrabiensem ab eo, quo Zagrabiensi, et Demetrium Tiniensem Episcopos ab illo, quo Tiniensi ecclesiis, quibus tunc preerant, tenebantur vinculis ex nostrorum consilio fratrum et apostolice plenitudine potestatis absolvens, Benedictum ad Tiniensem et Demetrium Episcopos predictos ad Zagrabiensem ecclesias prefatas auctoritate apostolica transtulit, preficiendo Benedictum Tiniensi et Demetrium Episcopos eosdem Zagrabiensi ecclesiis predictis in Episcopos et pastores, prout in ipsius predecessoris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Benedicti Episcopi predicti, nec non dilectorum filiorum Capituli Zagrabiensis petitio continebat, idem Benedictus Episcopus translationi de se facte huiusmodi nullatenus consenserit, et illius, si remaneret, occasione gravia possent in partibus illis inconvenientia necnon scandala provenire. Nos igitur illis, quantum in nobis fuerit, salubriter obviare cupientes, circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Demetrio Episcopo, ut de possessione vel regimine et administratione dicte Zagrabiensis ecclesie, donec per te super expositis huiusmodi discussio facta fuerit, se quomodolibet intromittat, sub ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, de quibus tibi videbitur, auctoritate nostra protinus interdicens, si vocatis postea, qui fuerint evocandi, ipsa exposita fore vera repereris, translationem de prefato Benedicto Episcopo factam, nec non litteras huiusmodi auctoritate nostra predicta revoces, casses et annulles, ac ipsum B. Episcopum eiusdem ecclesie Zagrabiensis verum presulem reputari, nec non illi preesse posse atque debere, perinde in omnibus et per omnia, ac si translationes et littere prefate nullatenus emanassent, eadem auctoritate nostra decernas, faciens rursus et exequens omnia et singula, que desuper necessaria fuerint quomodolibet vel opportuna, non obstantibus premissis ac bone memorie Bonifacii pape octavi etiam predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati, extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere presumant, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque; aut si Demetrio Episcopo predicto, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo

ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice M. CCCC. XLVII. pridie Non. Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. fol. 95.

CCCCIV.

Friderico Ciliae comiti, bano Sclavoniae, conceditur, ut sibi confessorem eligere possit.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio nobili viro Friderico Cilie, Ortenburge et Zagorie Comiti. salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut petitiones tuas, illas presertim, que conscientie tue pacem et anime salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut confessor idoneus secularis vel regularis, quem duxeris eligendum, confessionibus tuis diligenter auditis, pro commissis per te criminibus, excessibus et peccatis, videlicet si talia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, semel tantum, pro aliis vero, quotiens fuerit opportunum, debitam tibi, qui etiam regni Sclavonie Banus existis, absolutionem impendere, et salutarem penitentiam iniungere, nec non omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus fueris, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia et devotione nostra et successorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistenti auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tue tenore presentium indulgemus; sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per heredes tuos, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur; et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres, quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur, quodque per unum annum a tempore, quo presens nostra concessio ad tuam noticiam pervenerit, computandum, singulis sextis feriis, impedimento legitimo cessante, ieiunes, et si predictis feriis ex precepto ecclesie, regulari observantia iniuncta penitentia, voto vel alias ieiunare tenearis, una alia die singularum septimarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum, ut premittitur, non sis astrictus, ieiunes; et si in dicto anno vel aliqua eius parte esses legitime impeditus, anno sequenti, alias quam primum poteris, modo simili supplere huiusmodi ieiunium tenearis; porro si forsan alias prelibatum ieiunium in toto vel in parte quomodocunque adimplere commode nequiveris, ea de causa confessor predictus ieiunium ipsum in alia pietatis opera commutare valeat, prout anime tue saluti viderit expedire, que tu pari modo debeas adimplere, alioquin presens nostra concessio quoad remissionem in mortis articulo huiusmodi duntaxat nullius sit roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum etc. nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis dominice millesimo CCCCXLVII. IIII. Idus. Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. I. fol. 181.

CCCCV.

Eidem et suis confessorem sibi eligendi conceditur facultas.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili Friderico Cilie, Ortenburge et Zagorie Comiti, salutem etc. Exigit sincere devotionis integritas, qua erga nos et Romanam ecclesiam splendere dignosceris, ut votis tuis, illis presertim, que fidelium animarum salutem respiciunt, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, omnibus et singulis militibus, nobilibus et proceribus te et Curiam tuam pro tempore sequentibus et tibi assistentibus, nec non tuis, qui tibi ac dilecto filio nobili viro Ulrico, nato tuo, hactenus serviverunt, et impresentiarum obsequiis vestris insistunt, nec non militum, nobilium et procerum eorundem familiaribus, ut Confessor idoneus secularis vel regularis, quem quilibet eorum duxerit eligendum, ipsorum confessionibus diligenter auditis, ipsis et eorum cuilibet pro commissis per eos criminibus, excessibus et delictis, etiam si talia fuerint, propter que sit sedes apostolica merito consulenda, semel duntaxat absolutionis beneficium impendere et salutarem penitentiam iniungere valeat, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I secr. lib. I fol. 182.

CCCCVI.

Monasterio in Vallisau Aquileiensis dioecesis, a bano Sclavoniae erecto indulgentiae conceduntur.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia, quibus Regina celorum virgo, Dei genitrix, sedibus prelata sidereis quasi stella matutina prerutilat, devote considerationis indagine perscrutamur; dum etiam infra pectoris nostri arcana revolvimus, quod ipsa, utpote mater misericordie, mater gratie et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula exoratrix ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias, monasteria et alia pia loca ad laudem sui nominis dedicata, gratiosis remissionum prosequamur impendiis, et indulgentiarum muneribus decoremus. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Fredericus Cilie, Ortenburge et Zagorie Comes ac Regni Sclavonie banus zelo devotionis accensus, cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, quoddam insigne monasterium ordinis sancti Benedicti cum ecclesia et aliis necessariis officinis ad laudem et gloriam omnipotentis dei, ac in honorem et sub vocabulo gloriosissime virginis eius genitricis Marie in loco Vallisau nuncupato, Aquilegiensis diocesis, eius temporali dominio subiecto, de bonis sibi a deo collatis solemniter construi et edificari fecerit, illudque pro priore et pluribus monachis inibi altissimo perpetuo famulaturis sufficienter dotaverit: nos cupientes, ut dictum monasterium congruis honoribus frequentetur, illudque cum ecclesia ac officinis huiusmodi in eorum structuris et edificiis debite conservetur et augmentetur, et ut Christi fideles eo libentius devotionis causa ecclesiam confluant ad eandem, nec non ad conservationem et augmentum huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, prefati comitis in hac parte supplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui prefatam ecclesiam cum suis capellis in visitationis et assumptionis eiusdem beate Marie festivitatibus devote visitaverint annuatim, et ad constructionem et augmentum huiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum earumdem diebus septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si ecclesiam ipsam visitantibus, vel ad reparationem et augmentum huiusmodi manus adiutrices porrigentibus, vel inibi pias elemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo ccccxlvii. quarto Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. I. fol. 184.

CCCCVII.

Michael de Castellacio prioratuum hospitalis S. Ioannis Ierosol. in Alamannia, Hungaria et Bohemia visitator constituitur.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Apostolice nobis licet immeritis desuper iniuncte servitutis officium curis nos perurget et inducit assiduis, ut circa ea, que pro locorum religioni deditorum necnon personarum earundem statu et indemnitatibus oportuna fore conspicimus, quantum nobis ex alto permittitur, studiis operosis iugiter intendamus. Sane pro parte dilectorum filiorum Iohannis de Lascisco magistri hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani ac conventus, et Michaelis de Castellacio militis prioratus Lombardie dicti hospitalis nobis nuper exhibita peticio continebat, quod olim magister et conventus predicti, considerantes attente religionem ipsorum variis bellorum calamitatibus et aliis casibus afflictam et attenuatam existere, quodque illius membra quam plurima ad ultimam fere desolationem devenerant, ac cupientes desuper oportune providere, necnon de dicti Michaelis etiam tunc utriusque iuris doctoris industria, prudencia et legalitate plenissimam fiduciam obtinentes, ipsum presentem et onus inde suscipientem fecerunt, crearunt et solemniter ordinarunt visitatorem, correctorem, reformatorem, suorumque negociorum gestorem in Alamanie, Ungarie et Bohemie prioratibus hospitalis eiusdem, dantes et concedentes sibi super agendis plerisque hinc expressis potestatem, ac etiam arbitrantes necessarium ac expediens fore suis ipsiusque religionis rebus particulariter in Alamania bassa et Frisia provideri, predicto Michaeli commiserunt, et licentiam facultatemque dederunt, ut eorum

auctoritate in Alemania bassa unum, duos, tres vel plures, si necessarii forent, priores, et in Frisia huiusmodi baiulivum unum per capitulum sive priorem, prout ibi fieri consueverat, creare, necnon in illis partibus quatuor vel quinque nobilium virorum filios, si ydonei forent, secundum formam stabilimentorum hospitalis milites illius facere possit, etiam adiectis aliis, prout in diversis inde confectis litteris ipsorum magistri et conventus bulla munitis, et quarum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius perspicitur contineri: quare pro parte magistri, conventus et Michaelis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut constitutioni et ordinationi prefatis, dacionibus et concessionibus huiusmodi, necnon aliis eas contingentibus in dictis litteris contentis pro illorum subsistencia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, et alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque dictis supplicationibus inclinati constitutionem, ordinacionem, daciones, concessiones et contenta huiusmodi, necnon quecunque inde secuta, rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et approbamus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, presentisque scripti patrocinio communimus, mandantes quoque universis et singulis Archiepiscopis, Episcopis aliisque ecclesiarum prelatis, ut eorum singuli, qui pro parte dicti Michaelis desuper requisiti fuerint, ei circa potestatis et contentorum huiusmodi faciendas executiones oportunis discretionis et deffensionis presidiis assistentes, non permittant ipsum, quominus executiones huiusmodi rite fiant, a quoquam impediri vel quomodolibet molestari, contradictores ac rebelles per censuras ecclesiasticas et alia oportuna iuris remedia, appellacione postposita, compescendo; non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam, a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere presumant, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim a sede predicta sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Tenores vero litterarum huiusmodi, tales sunt. Noverint universi et singuli presentes pariter et futuri has nostras patentes litteras visuri, audituri et lecturi, quod nos frater Iohannes de Lascisco dei gratia sacre domus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, humilis pauperumque Iesu Christi custos, de et cum voluntate, consilio et assensu venerabilium et religiosorum in Christo nobis precarissimorum fratrum baiulivorum, procerum, preceptorum et aliorum fratrum nostri conventus Rhodi, et nos supranominati baiulivi, proceres, preceptores et alii fratres dicti conventus, et ipse conventus de licencia, consilio et assensu dicti nostri magistri, nostri superioris, pro scriptis causis ordinandis convenientes in unum more solito, animadvertentes valde esse necessarium et oportunum hoc tempore, quo religio nostra variis bellorum infidelium calamitatibus, et aliis casibus afflicta multum et attenuata est, adeo ut se ipsam vix sustineat membris eius nobilibus, que causantibus populorum preliis, dissensionibus et aliis infortuniis, que enumerare longum esset, pene ad internecionem et ultimam desolationem devenerunt, de salubri et oportuno ydoneoque remedio providere, quo eadem membra adiuta et refocillata et recreata nos corpus suum adiuvent, sustentent, et ubi opus est, suffragia et vires conferant invicem, deliberato consilio ac matura inter eos deliberatione habita, ex nostra certa scientia, pura et spontanea voluntate de religiosi in Christo nobis precarissimi militis fratris Michaelis de Castellacio prioratus nostri Lombardie, et utriusque iuris doctoris, circumspectionis industria, providentia, fide ac probitate legali, et in omnibus rebus agendis cura et diligencia plenissimam in domino fiduciam obtinentes, eundem fratrem Michaelem presentem, et onus nostrarum commissionum et mandatorum in se tanquam verum et obedientem religiosum humiliter suscipientem facimus, creamus, constituimus et solenniter ordinamus visitatorem, correctorem, reformatorem, negociorumque nostrorum gestorem generalem in prioratibus nostris Alamanie, Ungarie et Bohemie, dantes et concedentes harum serie dicto nostro visitatori, correctori, reformatori, negociorumque nostrorum gestori generalem licenciam auctoritatemque plenissimam per se, vel alium seu alios loco sui dicte domus nostre fratres ad talia probos sufficientesque et ydoneos deputandi et ordinandi, deputatum seu deputatos ac deputandum seu deputandos per eum revocandi, et alium vel alios subrogandi tociens, quociens sibi oportunum videbitur faciendum, omnesque et singulos domus nostre fratres, superiores, priores, receptores, baiulivos per capitulum, castellanos, vicecastellanos, pre-

ceptores, firmarios, rendarios eorumque locatenentes, ac ipsis et cuilibet eorum baiulias, prioratus, castellaniam, preceptorias et domos, administrationes et regimina, ac loca, castra et villas, homines et vassallos nostre dicte domus prioratuum nostrorum Alamanie, Ungarie et Bohemie supranominatorum visitandi, corrigendi, reformandi et meliorandi in spiritualibus et temporalibus, tam in capite, quam in membris tociens, quociens opus fuerit, et dicto visitatori et reformatori nostro videbitur expediens, necnon predictos priores, baiulivos per capitulum, castellanos, vicecastellanos, preceptores, vicepreceptores, rendarios, firmarios et eorum locatenentes, et quemlibet ipsorum compellendi efficaciter per omnem cohertionis modum racionabilem et visum ad solvendum censiones, sive loco responsionum quintum vel decimum in capitulo generali Rhodi celebrato alias impositum, et arrentagia censionum sive quinti vel decimi similiter ad solvendum annatam integre nuperrime impositam in nostro capitulo generali Rome celebrato, et arreragia ipsius annate et pensiones et arreragia pensionum camerarum magistralium procacia et mortuaria, et quevis alia bona domus nostre defunctorum et decedendorum inantea, quorum bona, res et iura in toto vel in parte ad nos nostrumque communem thesaurum communiter vel divisim pertineant, ad recipiendum predicta per nos deputatum seu deputatos, deputandumque sive deputandos, etiam removendum et destituendum ab administrationibus eorum, si oporteat et eorum contumacia exigerit, et destitutos sive destituendos huiusmodi ad sua restituendi regimina, si eorum satisfactio et debita petitio meruerint; rebelles quoque et inobedientes ac solvere per eos debita et debenda recusantes ad ipsius presentiam evocandum, et eum et eos secundum stabilimenta, statuta et consuetudines domus nostre, prout demeruerint, puniendum et privandum preceptoria vel preceptoriis, quam et quas possidebunt, et ad illam et illas alteri dicte domus nostre utili et ydoneo illius et illam responsiones, et alia onera imposita et imponenda bene solventi conferendum, dandum et concedendum usque ad nostrum beneplacitum, sive donec de eadem vel eisdem aliter duxerimus providendum, et ducendum per viam iusticie nostre dicte domus, seu eum et eos ad nostram citra mare presentiam repellendum et transmittendum nostros fratres, sorores, donatos homines, et vasallos nostros et dicte domus prioratuum predictorum, quociens oporteat, iusticiam ministrandi, et faciendum super demanda (sic), causis, litibus et aliis causis quibuscumque culpabiles puniendum et ducendum per iusticiam domus nostre, plantam et plantas faciendum et funesguardia (sic) petendum et tenendum, et mandari et teneri faciendum, rationes et computa petendum et audiendum, et audiri per alios faciendum ac etiam ea ac eas in toto vel in parte approbandum, reprobandum, et que compererint, nobis communiter vel divisim deberi tam eam revisionum sive quinti vel decimi vel pensionum camerarum magistralium aut annate nuper imposite, arreragiorumque quorumcumque dari, solvi, restitui ac consignari faciendum receptori aut procuratoribus nostris, prout ad eorum quemlibet pertinebit iuxta procurationes et commissiones nostras eis factas et faciendas, capitulum et capitula, et assembleam ac assembleas et congregationes fratrum in dictis nostris prioratibus mandandum et tenendum, quociens dicto nostro visitatori et reformatori super quibuscumque dicte domus nostre negotiis emergentibus et occurrentibus visum fuerit expedire, et in illis disponendum et ordinandum cum consilio fratrum et procerum domus nostre ibidem tunc assistentium, omnia et singula continentia honorem, commodum et utilitatem dicte nostre domus baiulivas, preceptorias, castra, loca et territoria, bona domus nostre et quasvis alias res eiusdem nostre domus alienata et alienatas, et maxime per quondam felicis recordationis christianissimum imperatorem Sigismundum, et per personas ecclesiasticas vel seculares iniuste occupata et occupatas, et detenta ac detentas petendum, recipiendum et recuperandum, et ad ius et proprietatem dicte nostre domus revocandum pro nobis communiter vel divisim, et pro premissis bonis alienatis, occupatis et detentis quovismodo habendis et recuperandis, proque faciliori expeditione omnium et singulorum per nos nostrum visitatorem in prenominatis prioratibus agendorum et fine debito terminandorum a serenissimo et christianissimo moderno Romanorum imperatore, serenissimoque rege domino Ungarie, et ab omnibus aliis illustribus principibus ac magnificis dominis, reverendissimisque ac reverendis patribus, religiosis, ecclesiasticis et secularibus auxilia et suffragia et favores oportunos et necessarios, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis, litterasque salvos conductus, gratias et quascunque alias provisiones pro nobis nostraque religione faciendas et commodas implorandum, petendum et obtinendum, ipsis omnibus et singulis narrandum et explicandum insultus cotidianos hominum infidelium, inimicorum nostrorum capitalissimorum, qui nos et insulam Rhodi undique circumdant, obsidionem urbi nostre Rhodi hiis annis proxime passam, incendia et damna gravissima et alias incommoditates, necessitates pauper-

tatemque nostram nostri communis thesauri et nostri conventus, et alia verba ad propositum facienda, ipsos principes et dominos christianos ad pietatem et misericordiam nostri et nostrarum rerum commoventia. Insuper si que forte provisiones, littere aut alique scripture impetrate essent ab aliquibus, aut impetrarentur imposterum contra nos nostramque religionem communiter vel divisim, et contra dictam domum et bona ac homines illius, illis obiciendum, et apponendum et contradicendum, ac eas provisiones et scripturas impetratas et impetrandas sic revocare faciendum et annullandum, homagia et sacramentum fidelitatis petendum et recipiendum, ac omnia et singula insuper et dependencia et emergencia ex eis et eorum quolibet, ac ipsis et eorum alteri quoquomodo annexa, sicut dicto nostro visitatori et reformatori pro utiliori commodo visum fuerit, faciendum, assequendum, disponendum et ordinandum cum consilio fratrum et procerum domus nostre in prioratibus memoratis, que nos ipsi visitare, reformare, punire, indulgere et exercere possemus, si in illis personaliter interessemus; et quia precipue prefatus prioratus noster Ungarie magis ordinacione et reformacione indiget, cum ad presens legitime priore, qui illic residenciam faciat, careat, considerantesque fere omnes domos et preceptorias nostri dicti prioratus Ungarie a secularibus personis et ecclesiasticis quibusdam detineri et occupari, nos prefato nostro visitatori et reformatori tenore presentium auctoritatem et potestatem plenissimas concedimus et donamus, et quales nos haberemus, si personaliter interessemus, in dicto nostro prioratu Ungarie eligendi aliquem nobilem et ydoneum virum christianissimo regi Romanorum et serenissimo regi Ungarie, et principibus ac baronibus regni prefati benevolum, placentem et gratum, illique milicie gradum et habitum nostre religionis conferendum, et illum in priorem huiusmodi dicti prioratus Ungarie ordinandum et statuendum, capiendo ab eo sacramentum fidelitatis et obedientie, perpetuo nobis et nostre religioni prestande, solvendique annuas responsiones et alia onera imposita et imponenda, sicut alii priores nostre dicte domus faciunt et tenentur, insuper capiendo ab ipso priore Ungarie sic ordinato promissionem et iuramentum, quod saltem semel veniet ad conventum nostrum Rhodi, facturus nobis et religioni nostre veram et sinceram obedientiam. Item si casus evenerit, quod ille, qui nunc se pro priore Ungarie gerit, moriatur, aut ex nunc mortuus fuerit, et fratres dicti prioratus aliquem alium secularem aut religiosum, prout solebant, elegerint, licet contra ordinationes nostre religionis, fuit in sua contentione unum vel plures, prout dictum est, eligerent, volumus, quod predictam electionem seu electiones ipse noster visitator et procurator possit cassare, irritare et annullare, prout de iure sunt casse, quas etiam nos cassamus, irritamus et annullamus, nulliusque esse roboris vel momenti decernimus atque nunciamus, et quod ipse noster visitator, non obstantibus premissis, possit et valeat de prioratu ipso nostro Ungarie providere alicui persone seculari vel religiose grate serenissimo Regi et principibus, et sit obediens, ut hic paulo ante late exprimitur. Insuper ordinandam Cameram nostram magistralem in dicto prioratu, et pensionem, quam annuatim solvere debeat nobis magistro et successoribus nostris. Item de aliis preceptoriis et domibus dicti prioratus per seculares personas vel ecclesiasticas et religiosas occupatis et detentis providendum et ordinandum, et si nobiles fuerint illi, qui illas occupant, ad conferendum ipsas preceptorias ipsis vel filiis eorum vel affinibus, dummodo habitum nostre religionis assumant, prestent obedientiam, et solvant responsiones et alia onera nostre religionis imposita et imponenda, sicut alii preceptores aliorum nostrorum prioratuum faciunt et tenentur. Et si vero ipse preceptorie essent occupate per personas non ydoneas ad habitum nostre religionis assumendum, et ydoneas sed nolentes assumere, sed volentes in propria occupare, ad conferendum eas nobilibus et potentibus viris habitum prefatum sumentibus, qui eas recipere et recuperare valeant ex manibus, et posse eorum occupantium et detentorum, dum tamen postea ipsi nobiles habitis ipsis domibus tanquam boni religiosi nostri solvant responsiones nostras, et alia onera, ut supra. Insuper de dicto prioratu et preceptoriis suis sic provisis bene et diligenter ad ordinandum in dicto prioratu nostro Ungarie unum fratrem ydoneum, fidum et sufficientem, qui omnes responsiones et pensionem Camere magistralis colligat de anno in annum tempore per nos ordinando, et mortuaria, vacantes et arreragia, et alia nobis et nostro communi thesauro communiter vel divisim debita et debenda petat et recipiat, et quicquid receperit et recipiet ipse receptor per vos ordinandus, quod ille omne traiiciat ad nos et nostrum conventum, et ad illum vel illos, quem vel quos ordinabitis, secundum quod vobis melius videbitur. Preterea quod aliqui ex prefato Ungarie Regno iuvenculi adiscant mores et consuetudines nostri conventus, et illum conversatione assidua diligant, ad dandum quatuor vel quinque filiis nobilium virorum dicti Regni Ungarie cingulum militie et habitum nostre religionis, cum hoc, quod ipsi tales

sumpto habitu nobiscum, vel cum primo passagio eis ydoneo per viam Venetiarum, vel alias vestras eis commodas cum passagio nuper ordinato et armis sufficientibus veniant Rhodum ad conventum, et hic morentur, et tanquam nostri milites et boni religiosi ad serviendum sue religioni, sicut faciunt alii nobiles diversarum linguarum, capiant loco et tempore premia et fructus laborum suorum. Et postquam sic ordinaveritis ipsum Ungarie prioratum ad instruendum ipsum priorem illic per vos eligendum et faciendum, ut premittitur, et alios novicios, preceptores et fratres, stabilimenta, consuetudines et regulam, et modum vivendi dicte nostre religionis, et exhortari eosdem, ut futuris temporibus veri filii obedientie existant.

Simili modo postquam negocia, statum et formam dicti prioratus nostri Ungarie ordinaveritis ad providendum de preceptoriis nostris, rebus et bonis occupatis et detentis per religiosas ecclesiasticas vel seculares personas indebite et iniuste in prefatis prioratibus nostris Alemanie et Bohemie modo et forma, quibus in prioratu Ungarie superius hic fieri mandavimus, et eodem modo in dictis prioratibus nostris Alamanie et Bohemie ad conferendum cingulum militie et habitum nostre religionis quatuor vel sex iuvenculis filiis nobilium virorum, ydoneis secundum formam stabilimentorum nostrorum, et eos vobiscum ducendum Rhodi ad nostram ultramarinam presentiam cum passagio nuper ordinato et armis sufficientibus, ita et ut ipsi adiscant et assuescant ad serviendum religiose, et secundum quod bonos milites (?) sue religioni similiter in dicto prioratu Bohemie, si non est ordinatio, receptorem, qui recipit debita et debenda communiter et divisim nobis et nostro communi thesauro secundum modum et ordinem nostre religionis; insuper ad exigendum iuramentum ab uno quoque priorum, preceptorum et fratrum, et aliorum dictorum prioratuum, qui prefatos prioratus et preceptorias rexerunt, appaltaverunt et gubernaverunt, de vero valore dictorum prioratuum et preceptoriarum, ad quod iuramentum prestandum teneantur in virtute sancte obedientie sub penis, que nostro visitatori condigne vise fuerint, ac imponende; dantes insuper huic nostro visitatori potestatem recipiendi in confratres et sorores nostre religionis unum et plures, et quod ipsi videbitur, dum tamen tales persone honeste sint vite, bone conditionis et fame, secundum tenorem nostrorum stabilimentorum, ac etiam, quia per nobiles cives Civitatis Vratislavie nobis fuit instantissime supplicatum, ut ibidem in nostra preceptoria sub vocabulo corporis Christi coustructa regularem observanciam nostri ordinis instruere vellemus ad solatium et consolationem ipsorum, qui, prout asserunt, erga nostram religionem zelum et devotionem maximam portant, ideirco nos eorum votis et supplicationibus inclinati, ipsi nostro visitatori committimus, ut in nostra preceptoria, servatis nostro communi thesauro responsionibus et vacantibus congruis, si rem bene dispositam et locum aptum viderit, ipsam observantiam instituat, et ordinet liberam ab obediencia priorali, quemadmodum in Argentina. Verum quia fratri Cugardo Schienk vigore quorumdam pactorum inter venerabilem priorem Bohemie et ipsum initorum ipsa preceptoria spectat et pertinet, volumus, quod tempore vite sue ex ipsa preceptoria competentes redditus habeat, nisi per nostrum visitatorem de aliis equivalentibus fructibus provideatur. Insuper nostre religionis qualiacunque sint negocia ad honorem, utilitatem commodumque ipsius tendencia et pertinencia, tam in Romana Imperiali, quam regali et ceteris quibuscumque curiis, religiosis, ecclesiasticis et secularibus, et coram ipsis et quibuscumque dominis et personis, cuiusvis status, gradus, dignitatis et conditionis existant, ecclesiasticis, secularibus proponendum, promovendum et assequendum, proponi, promoveri et assequi per alium seu alios faciendi tociens, quociens fuerit oportunum; preterea pro quibuscumque causis et litibus motis atque movendis coram prefatis in iudicio, et extra comparendum et se presentandum, supplicandum, instandum, petendum, agendum et defendendum, et omnes actus iuridicos faciendum necessarios et oportunos, qui hic non essent expressi, sed pro expressis habeantur, ac si de ipsis hic facta esset mentio specialis, quo iuris ordo et merita causarum tam in ordinario quam appellationum iudiciis ab initio litis usque ad finem inclusive postulant, et requirunt ad sustinendum unum et plures procuratores ad lites et causas, et eum ac eos revocandum, et alios substituendum, quociens dicto nostro visitatori et procuratori generali videbitur faciendum, et generaliter omnia alia in premissis et quolibet premissorum dependentibus, emergentibus et connexis eisdem et cuilibet eorum necessaria faciendum et exercendum, que nosmet ipsi constituentes dicere, facere et exercere possemus, si personaliter interessemus, etiam si talia essent, que mandatum exigant magis speciale, mandantes et precipientes universis et singulis fratribus domus nostre, cuiusvis status, gradus, ordinis, preheminencie aut auctoritatis existant, sub virtute sancte obedientie firmiter et districte ab hominibus et vasallis nostris et dicte

domus subditis tam presentibus quam futuris in dictis prioratibus constitutis, sub sacramento fidelitatis et omagii, quo nobis et dicte nostre domui sunt astricti, precipimus, ut in premissis et quolibet premissorum prenominato nostro visitatori, reformatori et cui vel quibus fratri seu fratribus domus nostre pro premissis, et eorum altero subrogato et subrogatis, misso vel missis loco ipsius per eum reverenter pareant, obediant et intendant, tanquam nobis impertienda eidem, et ab eodem surrogato vel surrogatis auxilium, consilium et favorem, veritatis testimonium perhibendo in omnibus, super quibus eos aut eorum alterum duxerit requirendos. Non obstante, si aliqui ex dictis fratribus ad manus nostri magistri sint retenti, quibus in hiis casibus retentionem aut exemptionem aliquam nolumus de certa nostra scientia suffragari, nec non ut ad dicti nostri visitatoris et reformatoris seu deputatorum vel deputandorum evocationem et mandatum ad locum et loca, ad quem et que ipsos vel aliquem aut aliquos ex eis semel et pluries evocaverit aut evocaverint, veniant, excusatione et contradictione remotis.

Et si propter aliquam suspitionis causam vel ingruentem necessitatem, et aliquam causam sibi visam pro sua expeditione societatem de loco ad locum requisierit, possit et valeat ipse noster visitator in virtute sancte obedientie dictis nostris fratribus precipere, ut eum associent et associari faciant, qui teneantur, si possint, super quibus omnibus et singulis predicto nostro visitatori et reformatori committimus plenarie vices nostras, inhibentes dicto nostro visitatori et reformatori, et surrogato vel surrogandis ab eo in virtute obedientie supradicte, ne pretextu visitationis et reformationis predictarum, nec alias aliqua de rebus, bonis aut iuribus dicte nostre domus vendant, donent, alienent, permutent, impignorent, distrahant seu in emphiteosim perpetuam concedant, aut quocunque alio colore quesito extra nostram religionem transferant, et si, quod absit, contra inhibitionem nostram huiusmodi aliquod vel aliqua per eum sive per ipsum surrogatos vel surrogandos operari facereque contingeret, illud et illa ex tunc prout ex nunc, et ex nunc prout ex tunc cassamus, annullamus, et decernimus irritum et inane, nulliusque penitus existere efficacie vel valoris. Rursus damus dicto nostro visitatori et reformatori, et deputando et deputandis ab eo super arreragiis responsionum sive quinti vel decimi et annuate imposite mortuariorum, subsidiorum et quorumvis bonorum nobis et nostre domui debitorum a tempore preterito, ipsa arreragia, mortuaria, subsidia, quevis alia bona debentibus in dictis nostris prioratibus et ipsorum quolibet auctoritatem potestatemque liberam paciscendi, componendi et transigendi, prout eidem seu deputatis et deputandis ab eo videbitur pro dicte nostre domus bono et utilitate expedire, ac de concordatis, receptis et transactis, et de quibuscumque summis pecuniarum nobis debitis et debendis per dictum nostrum visitatorem et reformatorem, aut deputandum seu deputandos ab eo, a quibuscumque personis levandis, recipiendis et habendis, dandi et fieri faciendi litteras quietancie penis, renunciationibus, iuramento et aliis clausulis consuetis roboratas perpetuo valituris, semel et pluries, et quotiens opus fuerit, per notarium et notarios publicos et alias scripturas autenticas, sicut melius videbitur expedire, promittentes nos bona fide habere ratum, gratum, et firmiter perpetuo habere et tenere quicquid per dictum nostrum visitatorem, correctorem et reformatorem, aut surrogandum et surrogandos, seu deputandum et deputandos ab eo in premissis circa premissa, et quolibet premissorum visitatum, correctum, reformatum, actum, gestumve fuerit, ut in presenti mandato latissime continetur, sub ypoteca et obligatione omnium bonorum nostrorum, et dicte domus nostre ubique existentium mobilium et immobilium, presentium et futurorum, non derogantes propter hoc mandatum sive commissionem in aliquo potestati, mandato et commissionibus nostri locumtenentis generalis in omnibus partibus ultramontanis et occidentalibus, in cuius rei testimonium bulla nostra communis plumbea presentibus est appensa. Datum Rhodi in nostro conventu die vicesima tertia mensis Ianuarii, anno ab incarnatione domini millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, magisterii vero nostri undecimo. Alterius vero tenor talis est: Frater Iohannes de Lascisco dei gratia sacre domus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani magister humilis pauperumque Iesu Christi custos, et nos conventus Rhodi domus eiusdem religioso in Christo nobis precarissimo fratri Michaeli de Castellacio utriusque iuris doctori, visitatori prioratuum nostrorum Alamanie, Ungarie et Bohemie nuper ordinato, salutem in domino et diligenciam in commissis. Non discedentes in quoquam a mandato generali de dicta visitatione prioratuum prefatorum nobis dato, nichilominus considerantes esse valde necessarium et expediens particulariter in Alamania bassa et Frisia rebus nostris nostreque religioni providere, ex certa nostra scientia, ac matura prius deliberatione habita, consentientibus ad hoc religiosis in Christo nobis carissimis fratribus venerabilis lingue Alamanie in

nostro conventu residentibus, tenore presentium vobis committimus, licenciamque atque facultatem damus, ut auctoritate nostra in dicta Alamania bassa possitis creare unum, vel duos, vel tres, vel plures, si necessarii erunt, Priores, et in Frisia unum Baiulivum per capitulum sive priorem, sicut illic in Frisia fuit consuetum. Item in illis partibus facere quatuor vel quinque filios nobilium virorum, si erunt ydonei, secundum formam stabilimentorum nostrorum bonorumque morum nostre religionis fratres milites nostri ordinis: dum tamen dicti priores et baiulivi per capitulum, ac fratres milites per vos eligendi et faciendi permittant et iurent solemniter, quod erunt obedientes nobis et nostre religioni prefate, et solvent annuatim infallibiliter responsiones consuetas et alia onera imposita et imponenda rationabiliter nostro communi thesauro, sicut faciunt alii priores, preceptores et fratres nostre dicte religionis, in cuius rei testimonium bulla nostra communis plumbea presentibus est appensa. Datum Rhodi in nostro conventu die vicesima octava mensis Marcii, anno ab incarnacione domini millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, magisterii vero nostri anno undecimo. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis, ratihabitionis, communitionis, suppletionis et mandati infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, sexto Nonas Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. XXIII. fol. 169.

CCCCVIII.

Eidem mandatur, ut intrusum in prioratu Hungariae amoveat, et Iacobum de Soris substituat.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Michaeli de Castellacio militi prioratus Lombardie ordinis sancti Iohannis Ierosolimitani, salutem etc. Ex clementi provisione sedis apostolice necnon religiosarum presertim contra Saracenos Christi nomen defendentium personarum pietate et meritis dinoscitur provenire, ut Romanus Pontifex quandoque a predecessoribus suis Romanis Pontificibus in personarum earundem et aliorum piorum locorum favorem, commodum et utilitatem concessa, cum illa ex iustis et rationabilibus causis processisse comperit, apostolico munimine roboret, confirmet, et quandoque, ne in dictarum personarum detrimentum et iacturam deveniant, ex apostolatus officio solet aliter providere. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum magistri et conventus sancti Iohannis Ierosolimitani petitio continebat, quod dilecti filii Capitulum dicti ordinis proxime in alma urbe Rome celebratum inter alia de prioratu Ungarie, tunc certo modo vacante et ad dictum ordinem pertinente, ne longe vacationis exponeretur incommodis, aut manibus laicorum diutius teneretur, dilecto filio Iacobo de Soris militi eiusdem ordinis providerunt, prout in ipsius Capituli litteris dicitur plenius contineri, et ut ipsa de dicto prioratu provisio ad celerem et optatum perducatur effectum, litteras capituli de provisione huiusmodi a felicis recordationis Eugenio papa IV. predecessore nostro confirmari fecerint, prout etiam in ipsius predecessoris litteris desuper confectis plenius continetur. Cum itaque postmodum ipse Iacobus dicti prioratus possessionem nullo pacto habere potuerit, neque ad presens possit, et ut accepimus, in dicto prioratu quidam laicus potens et nobilis se intruserit, ne dictus prioratus, qui honorabile dicte religionis membrum existit, propter potenciam intrusi a dicta religione alienetur, seu quomodolibet in suis bonis et rebus mobilibus ac immobilibus diminuatur aut extenuetur, et ne bona quecunque ecclesiarum, monasteriorum et ordinum quorumvis alienentur, sed potius augeantur, ac ad quos spectant, illesa perveniant, ex pastoralis officii debito providere volentes, tibi, qui ad illas partes pro parte magistri et conventus predictorum pro reformatione dicti prioratus et aliorum in Ungaria, Alamania et Bohemia cum potestate corrigendi, privandi et providendi et alia faciendi, prout in dictorum magistri et conventus litteris, quas in nostris confirmatoriis inseri fecimus, plenius continetur, committimus et mandamus, quatenus studio, labore, opera et solicitudine adhibitis cum carissimo in Christo filio nostro Rege Ungarie vel eius locumtenente, principibus, ducibus et baronibus Regni etiam ex parte nostra procures, ut dictus Iacobus possessionem ipsius prioratus secundum tenorem predecessoris et Capituli litterarum huiusmodi habere et pacifica possessione gaudere possit, super quibus tuam conscientiam oneramus: quod si forsan propter intrusi nobilitatem et potenciam id minime consequi potueris, in hoc casu de dicto prioratu alicui persone idonee et Regi, principibus, et baronibus prefatis grate secundum formam et continenciam mandatorum et concessionum tibi per magistrum tanquam reformatori concessorum, prout in dictis nostris litteris confirmatoriis latius continetur, providendi plenam et liberam tenore presentium tibi concedimus facultatem, non obstantibus prefati Capituli de

dicto prioratu Ungarie ipsi Iacobo provisione ac nostri predecessoris dicte provisionis confirmacione, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et stabilimentis dicti ordinis iuramento, confirmacione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, undecimo Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. XXIII. fol. 142.

CCCCIX.

Thomae epo Farensi conceditur, ut fratres Minores in Bosnia sibi eligere proprium possint vicarium.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Pharensi in Regno Bosne apostolice sedis legato, salutem etc. Ad Romani pontificis providenciam pertinere dinoscitur sic apostolice sedis gratias, privilegia et indulta moderari, ut persone, que sub religionis habitu studio pie vite vacare noscuntur, a bono obediencie et perseverancia divini servicii nullatenus retrahantur, sed eorum quieti et commodo salubriter consulatur. Sane pro parte dilectorum filiorum custodum et guardianorum, aliorumque fratrum Vicarie Bosne secundum morem ordinis fratrum minorum nobis nuper exhibita peticio continebat, quod licet a pluribus annis, et a tanto tempore citra, quod in contrarium memoria hominum non existit, custodes et fratres predicti, eorumque predecessores per proprium Vicarium, qui nullo medio et immediate generali ministro dicti ordinis pro tempore existenti subiciebatur, et suppositus erat, regi et gubernari consuevissent: nichilominus sperantes se a dilectis filiis fratribus dicti ordinis in Italia sub regulari observancia constitutis oportunos contra hereticos et infideles in illis partibus consistentes favorem et auxilium habituros, postquam felicis recordationis Eugenius PP. IV. predecessor noster eisdem fratribus Italie per suas certi tenoris litteras concesserat, ut unum generalem Vicarium sibi eligere possent, se ipsos eidem Vicario sponte submiserunt, idemque Vicarius propter diversas et varias Italie provincias, quas regere habet, et aliis curis multiplicibus occupatus, nullam erga fratres dicte Vicarie Bosne diligenciam adhibuit, quinimo nonnullas domos dicte vicarie ab eorum presidio et adiumento subtraxit, et regimini fratrum Italie aggregavit, ac in detrimentum eiusdem vicarie aliam in Dalmatia, ex qua multa eis pro sustentatione fratrum et domorum in partibus infidelium existentium commoda proveniebant, novam constituit vicariam; fratres quoque nonnullos doctrina verbi pariter et exemplo pollentes, quibus maxime indigebant, ad alias partes pro voto transmisit, ac nonnulla alia contra statum dicte vicarie et fratrum, propter que eis, et qui apud infideles consistunt, fratribus dicti ordinis dampnum et periculum imminet, ac defectus, quarum curam gerunt in eisdem partibus, salutis et dispendium animarum fecit et ordinavit. Nos ad instanciam fratrum Bosne huiusmodi, ut Vicarium proprium sibi eligere possint, qui generali ministro immediate subesset, prout alias consueverant, eis benigne concessimus, ac deinde ex certis aliis per huiusmodi Vicarium Italie dicti ordinis nobis expositis causis memoratam Vicariam Bosne eidem Vicario, prout idem predecessor noster statuerat, iterum subesse volumus atque mandavimus, prout in diversis inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, propter hereticorum et infidelium sectas in illis partibus vigentes, nisi de proprio vicario, qui omni solercia super gregem dominicum invigilet, secundum quod per vetustissima tempora retroacta consuevit, Vicarie Bosne celeriter consulatur, eorundem hereticorum et infidelium rabie et furore invalescentibus, de casu aut diminuitione fratrum et domorum eorundem ac christiane fidei inibi verisimiliter dubitetur: pro parte custodum et fratrum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro salubri statu et conservatione fidelium, domorum fratrumque dictorum eis, prout hactenus ante submissionem eandem consuetum fuerat, de speciali Vicario, qui prefato generali ministro subsit, ac alias eis eorumque statui oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum, et presertim ipsorum fratrum ac aliorum fidelium inter predictos hereticos et infideles consistentium pacem et salutem querimus, aliorum quoque animas ad fidem et verum lumen, quod Christus est, reducere intensis desideriis affectamus, de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de predictis omnibus et singulis simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea sic ac Vicarie Bosne predicte et fratribus in ea degentibus, necnon ad compescendas hereticorum et infidelium perfidias et superstitiosas hereses Vicarii proprii ac specialis generalis ministri,

secundum quod, ut premissum est, per vetustissima tempora habere consueverunt, ministerio opus existere reperias, idque tue discretioni, super quo tuam conscienciam oneramus, videatur proficuum et utile, seu Religioni christiane et fratribus antedictis alias expedire, circa id eadem auctoritate facias, decernas, statuas et disponas, prout tibi in domino videbitur faciendum, non obstantibus quibuscunque concessionibus, indultis et litteris apostolicis etc. apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctam Potencianam Anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, nono Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. XXIII. fol. 258.

CCCCX.

Valentinus de Catha praepositus Vesprimiensis, et Andreas eps Signensis constituuntur in Hungaria, Dalmatia et Croatia collectores.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Valentino de Catha preposito ecclesie Vesprimiensis, nostro et apostolice sedis nuncio, nec non fructuum, reddituum et proventuum in regno Ungarie eiusque civitatibus et diocesibus Camere apostolice debitorum collectori, salutem etc. Constituitur collector in Ungarie regno. Datum Rome apud S. Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, xv. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Nicolaus episcopus etc. Ven. fratri Andree Episcopo Signensi, salutem etc. Constituitur collector in Dalmatie et Croatie provinciis. Datum Rome S. Potentianam Anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, vii. Kal. Novemb. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. offic. lib. I. fol. 160 et 203.

CCCCXI.

Restor protovestarius regni Bosniae una cum suis terris etc. sub Apostolicae Sedis protectione suscipitur.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Benignitas sedis apostolice gratiosa personas benemeritas et devotas, ac generis nobilitate clarentes ex assueto caritatis affectu benivolo favore prosequitur, ac statui et tranquillitati ipsorum consulens, ne molestiis et guerrarum turbinibus agitentur, consuevit sue protectionis munimine confovere. Hinc est, quod nos dilectum filium nobilem virum Restorem, protovestarium Regni Bosne, qui ab ineunte etate inter hereticos catholicus perseverans, pro augmento et conservatione fidei catholice plurimum, ut a fidedignis accepimus, laboravit, ipsiusque terras, castra, loca, villas cum eorum incolis et habitatoribus, et bona quelibet ubicunque consistentia, que idem Restor tenet ac possidet, et dante domino in futurum possidebit, motu proprio et ex nostra spontanea voluntate sub nostra et beati Petri, ac sedis predicte protectione et tutela pro eiusdem status defensione ac conservatione ex certa scientia presentium tenore immediate suscipimus, ac decernimus ipsum Restorem nobis ac dicte sedi, ac sub nostri et illius patrocinio et protectione subesse, inhibentes districtius dilectis filiis nobilibus viris Ducibus, Waivodis, Principibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, et gentium armorum Capitaneis ac Officialibus presentibus et futuris; Reges vero ac ceteros dominos quovis titulo seu dignitate fulgentes, ubicunque consistant, in domino exhortantes, ne contra huiusmodi nostram protectionem et tutelam venire, aut aliquid innovare, facere vel attemptare, sive ipsum Restorem inquietare, molestare vel offendere quoquomodo presumant ob nostram et sedis apostolice reverenciam, sed eum potius a volentibus molestare et inquietare seu offendere tueantur pro iuribus ac defendant, ita erga ipsum se habentes, ut de ipsorum obsequio et prompto officio debeant a nobis merito commendari. Nulli ergo etc. nostre susceptionis, constitutionis, inhibitionis et exhortationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, quarto Nonas Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. XXIV. fol. 96.

CCCCXII.

Valentino Laurentii de Capus prioratus S. Margaretae de Dimisio Vesprimiensis dioec. conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis universis Prelatis et Baronibus ac proceribus Regni Ungarie, salutem etc. Cum felicis recordationis Eugenius papa IV. predecessor noster olim preposituram sancte Margarite de Dimisio Vesprimiensis diocesis, instante bone memorie Sigismundo Romanorum Imperatore ac Ungarie Rege, ob religionis zelum et dicti Sigismundi votum in Abbatiam converterit.

ibidemque Abbatialem erexerit, ac dilectis filiis Abbati et fratribus Montis Oliveti per eos regendam et gubernandam contulerit, tandemque prefati Abbas et fratres de ordine Montis Oliveti ob earum congregationis et societatis incommodum in manibus eiusdem nostri predecessoris et demum nostris dictam Abbatiam dimiserint: nos considerantes, quod locus ipse, et si perantea secularis fuerit, tamen iuxta vota predecessoris et Imperatoris predictorum in religiosum sit conversus; cupientesque ipsum in eodem statu preservari, volentes insuper dilecto filio fratri Valentino Laurencii de Capus ordinis fratrum beati Pauli primi heremite sub Regula sancti Augustini degenti, minori penitenciario et Capellano nostro, gratiam facere specialem, prefato Valentino in prioratum contulimus, ipsumque prioratum et locum ac eius priorem sub nostra et beati Petri protectione suscepimus, et sedi apostolice immediate decrevimus subiacere, et quia nostre intentionis est dictum fratrem Valentinum in Prioratu huiusmodi contra quoscumque impetitores conservari, universitati vestre, de quorum fide et devotione plenam in domino fiduciam gerimus, in virtute sancte obedientie precipimus, et omni exhortatione, qua possumus, requirimus, ut amoto omni alio, qui se dicto loco et prioratui intruserit, liberam et expeditam possessionem ecclesie et bonorum, iuriumque et pertinentiarum ipsius eidem fratri Valentino nostra vice assignari faciatis, omnique favore, quo poteritis, ob nostram et sedis apostolice reverenciam eidem assistere curetis. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, duodecimo Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XXV. fol. 31.

CCCCXIII.

Nicolao de Wylack, voivodae Transilvano, eiusque uxori conceditur altare portatile.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Nicolao de Wylak Waywode Transilvanensi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri eius uxori impresentiarum existenti, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam, non immerito promeretur, ut petitionibus vestris, illis presertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ut liceat vobis habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, etiamsi ad loca ecclesiastico interdicto supposita vos seu aliquem vestrum declinare contigerit, in illis clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et submissa voce, dummodo vos vel illi, qui vobiscum fuerint, causam non dederitis interdicto, nec id vobis nec illis contigerit specialiter interdici, ac etiam antequam illucescat dies; circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium exegerit, in vestra et filiorum et familiarium vestrorum domesticorum presentia per proprium vel alium sacerdotem idoneum secularem vel regularem celebrari facere missas et alia divina officia licite valeatis, devotioni vestre auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus: proviso, quod quo ad celebrationem, antequam dies illucescat, utamini parce indulto eodem, quia cum in altaris officio immoletur dominus noster dei filius, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non noctis tempore fieri, sed in luce. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, octavo Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XXV. fol. 28.

CCCCXIV.

Eidem Nicolao salvus conceditur conductus

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Universis et singulis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum dilectus filius Nobilis vir Nicolaus de Wylak, Waywoda Transilvanus, pro nonnullis suis negotiis et causa devotionis ac peregrinationis disponat visitare limina beatorum Petri et Pauli apostolorum, ceterasque ecclesias de Urbe ac sedem apostolicam, et alia certa loca Italie: Nos cupientes ipsum Nicolaum plena ubique securitate ac immunitate gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos in domino plurimum exhortamur, nostris et ecclesie Romane Capitaneis et gentibus armigeris, civitatum, castrorum et locorum nostrorum quorumcunque Capitaneis, rectoribus seu eorum locatenentibus et subditis quibuscunque dantes districtius in mandatis, quatenus predictum Nicolaum cum omni sua familia, societate ac comitiva militari vel scorta, quas pro tutela persone sue et bono-

rum, sociorum ac familie secum duxerit assumendam, veniendo et redeundo et tam per terram, quam per aquam, die ac nocte, permittentes per omnia vestra ac nostra civitates, terras, passus, pontes, et loca alia libere et expedite absque aliqua datii, passagii, angarii, perangarii vel gabelle, fundinavis, aut alterius oneris vel gravaminis cuiuscunque exactione cum omnibus suis ac familie sue comitive, et scorte pannis, armis, capsis, valisiis, argenti et auri summis cusi et non cusi, salmis, argenti et auri vessellis ac aliis rebus, et bonis predictis quibuscunque tute transire, stare et redire, quotiens ei opus fuerit, libere permittatis, ac etiam suscipiatis favorabiliter commendatum, taliterque ipsum Nicolaum tractetis, providendo sibi de guidis, scorta et salvo conductu, prout fuerit et duxerit requirendum, quod vestra omnium devotio veniat apud nos et sedem apostolicam merito commendanda, presentibus per totum iubilei annum plenarie valituris. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, octavo Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XXV. fol. 29.

CCCCXV.

Episcopo Vaciensi eiusque collegis, ut clericos Strigon. provinciae ad duo millia ducatorum pro ecclesia cathedrali Strigoniensi reficienda compellant contribuenda.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Vacziensi, ac dilectis filiis Petrowaradiensis Quinqueecclesiensis, et de Clus Transilvanensis diocesium monasteriorum Abbatibus, salutem etc. Cum ad reparationem ecclesiarum maxime Cathedralium, et que principaliores in provinciis sunt, summo desiderio fidelium quisque intendere debeat, nobis, cuius sollicitudini omnium precipua cura est commissa, vigilantius convenit omnem diligentiam adhibere, qua loca divino cultui dedicata in suo decore et honore non tantum conserventur, sed etiam augeantur. Exposito nobis pro parte dilecti filii nostri Dionysii tituli sancti Ciriaci in Thermis sancte Romane ecclesie presbyteri Cardinalis, qui etiam Archiepiscopus Strigoniensis existit, quod ecclesia sua Cathedrali et Metropolitica Strigoniensi ruinam minante oportuit, ne per se rueret, demoliri facere, et quod eius reparationi summa cura et diligentia intendere studet; sed quia expensa est sumptuosa, et temporum causante malitia, guerrarumque turbinibus prefata ecclesia non modicum gravata, non posset sumptibus premissis commode satisfacere, petiit, ut de aliquo subventionis modo dignaremur necessitati huiusmodi, prout melius fieri posset, providere. Nos igitur attendentes, quod sicut ad pontium et viarum refectiones ecclesie ecclesiasticeque persone pro modo facultatum obnoxie sunt, ad matricis ecclesie conservationem, que omnibus auctoritatem et decorem exhibet, longe magis se debent recognoscere obligatos; cupientes itaque dictam ecclesiam, ne in opprobrium christiane religionis et omnium illorum dicte provincie sicut collapsa maneat, quam citius fieri posset, reparari, vobis, de quorum sinceritate ac legalitate confidimus, harum serie committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos clericos, cuiuscunque status, gradus aut conditionis fuerint, Abbates, prepositos, plebanos, ecclesiarumque tam regulares quam seculares, exemptos et non exemptos, infra limites dicte provincie Strigoniensis existentes, aliosque per totum regnum Ungarie et partes illi adherentes, dicte Strigoniensi ecclesie immediate subiectos, pro eorum rata per vos distribuenda ad contributionem duorum millium ducatorum pro dicta reparatione tantum, et non alias erogandorum monitionibus inducatis, aliosque per censuras et penas, prout melius vobis videbitur, compellatis, depositario super hoc per vos deputando solvendorum, illisque ex actis in dictam reparationem una cum prefato Cardinali converti et erogari faciatis, quodque ab huiusmodi solutione nullus quorumvis privilegiorum auctoritate, etiamsi de eis eorumque tenoribus habenda esset presentibus mentio specialis, ac de verbo ad verbum inserenda hic forent, quorum omnium tenores presentibus haberi volumus pro expressis, excusari possit, decernentes personas et loca ecclesiastica provincie et iurisdictionis huiusmodi nulla exemptione et nullo indulto, nullave causa ab hoc opere tam necessario eorum statui et honori, sub cuius limitibus et subiectione suppositi sunt, permaxime opportuno, quominus huic impense subveniant, exonerari et excusari posse. Quod si non omnes poteritis interesse, duo aut unus vestrum premissa omnia facere et exequi possint, quibusvis exemptionibus, privilegiis et indultis quorumlibet ordinum, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, septimo Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XXV. fol. 9.

CCCCXVI.

Ioannes eps Constantiensis constituitur nuntius apost. in Bosnia, qui errantes ad viam veritatis reducat.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Epo Constantiensi, in regno Bosne eiusque civitatibus et diocesibus apostolice sedis nuntio ac oratori nostro, salutem etc. Christus filius dei vivi ex alto celorum throno descendens exemplum nobis reliquit, ut quemadmodum ipse discipulos, quos elegerat, in universas mundi partes destinavit, ut omnibus creaturis evangelium predicarent, et sacris christiane fidei institutis humanum genus edocerent, ita nos, qui licet immeriti eius vices in terris gerimus, christiano generi presidemus, quantum ab ipso nobis conceditur, per suas semitas incedentes, ad fideles absentes oculos nostre considerationis intendamus, et ad ipsos, cum tempus postulare videtur, personas idoneas dirigamus, que executionem voluntatis et sollicitudinis nostre per suas operationes, deo propitio, administrare valeant. Cum itaque nichil in animo nostro insit ardentius, nichilque cum maiori affectione desideremus, quam videre universalem ecclesiam in sui status amplitudine stabilitam, et sedem apostolicam in sua auctoritate et fastigio conservatam, illaque preterea insideat cordi nostro meditatio, ut pax et tranquillitas inter omnes vigeat Christi fideles, te, cuius personam dei benignitate preclaris virtutibus illustratam esse cognovimus, quam etiam vite integritate, magnitudine consilii, rerum agendarum experientia, ac plurimarum rerum doctrina pollere percepimus, in regno Bosne eiusque provinciis, civitatibus et diocesibus, ac terris et locis pro pace et quiete partium predictarum, nec non finitimorum locorum apostolice sedis nuntium et oratorem nostrum de fratrum nostrorum consilio cum potestate legati de latere facimus, constituimus, et etiam deputamus, teque per universum regnum Bosne, provincias, civitates, dioceses, terras et loca predicta tanquam pacis angelum, ut in ipsis evellas et destruas, edifices atque plantes, deformata reformes et corrigenda corrigas, deviantes ad viam veritatis reducas, atque statuas quidquid ad concordiam mutuamque caritatem prefatorum populorum profutura cognoveris, prout celestis gratie infusio tuaque tibi providentia ministrabunt, de eorumdem fratrum consilio duximus destinandum, firma sperantes fiducia, quod actus tuos eo dirigente, qui novit plana in directa reducere et aspera in vias planas, per tue circumspectionis industriam in dicto regno, provinciis, civitatibus, diocesibus, ac aliis conviciniis predictis omnia fient, que ad honorem dei et statum Romane ecclesie et apostolice sedis, ac pacem tranquillitatemque illarum regionum, augmentum etiam et conservationem christiane religionis videbuntur quomodolibet pertinere. Tue igitur fraternitati quecunque effectum predictarum rerum, reformationem huiusmodi religionis, honestatis cultum, relevationem ecclesiarum, statum prosperum et tranquillum regni Bosne quomodolibet concernentia agendi, faciendi, statuendi, precipiendi, mandandi et corrigendi, nec non omnes et singulas personas, cuiuscunque status vel conditionis fuerint, aberrantes a vera fide catholica et obedientia et devotione nostra, ad gremium ecclesie reducendi, illasque ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, processibus, censuris et penis in ipsas quomodolibet latis absolvendi et liberandi, interdicta relaxandi et suspendendi, ac omnem infamie maculam sive notam per ipsas contractam abolendi, ac super irregularitate per eas contracta dispensandi, ac etiam contra omnes et singulos nobis et sedi apostolice rebelles, et ab unitate ecclesie devios auctoritate nostra procedendi, illosque suis officiis et beneficiis ecclesiasticis, quecumque et quorumcunque fuerint, privandi et amovendi, processus de novo contra eos formandi et reaggravandi, prout fuerit opportunum, ac etiam auxilium brachii secularis, quotiens opus fuerit, invocandi, et omnia et singula agendi, que circa hec profutura perspexeris; pacem quoque inter dictum regnum Bosne eiusque principes, barones et communitates ac nationes circunvicinas tractandi, practicandi cum capitulis, pactis, modis et conventionibus, de quibus videris expedire, ligas quoque et confederationes inter ipsas nationes ineundi, firmandi, paciscendi, illasque sub penis, de quibus tibi videbitur, servari mandandi, capitula insuper, promissiones et pacta, etiamsi mandatum requirerent magis speciale, cum personis, de quibus tibi visum fuerit expedire, nostro et apostolice sedis nomine faciendi, firmandi, concludendi et statuendi; insuper pro votiva et celebri expeditione negociorum per nos tibi commissorum, quotiens tibi videbitur, generalem seu particularem Synodum prelatorum, principum, ducum, baronum et dominorum temporalium quorumcunque infra tue legationis terminos consistentium, ubi et quando fuerit expediens, convocandi et congregandi, ibique proponendi et deliberandi, prout agendarum rerum pondus pro tempore exiget, et quod inibi per te decretum et deliberatum fuerit, exequi mandandi et fa-

ciendi per te vel alium seu alios opportune, ac etiam omnibus et singulis aliis prelatis ecclesiarum, et monasteriorum ac ordinum quorumlibet magistris, prioribus et preceptoribus, cuiuscunque dignitatis aut conditionis existant, capitulis quoque et conventibus ecclesiarum et monasteriorum predictorum secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, et Clero per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia mandandi et iniungendi, ut omnia quecunque ordinaveris seu disposueris, exequantur efficaciter, ac tibi plene pareant et intendant; et nichilominus contradictores quoslibet et rebelles, quacumque ecclesiastica vel mundana, etiamsi regali, reginali vel pontificali, seu alia quavis prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, quibuscunque privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, litteris apostolicis generalibus vel specialibus sub quacunque forma vel expressione verborum concessis, per que nullum, cuiuscunque status, conditionis vel ordinis, etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, Humiliatorum, sanctorum Benedicti et Augustini, Hospitalium sancti Iohannis Ierosolimitani et sancte Marie Theotonicorum et Calatravensis, et quorumvis aliorum ordinum existerent, in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus, plenam et liberam tenore presentium auctoritate apostolica concedimus facultatem. Nos enim sententias, quas rite tuleris, et penas, quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus iniunctum tibi ministerium laborum huiusmodi pro divina ac dicte sedis et nostra reverentia devote suscipiens, sic illud utiliter sicque sollicite et laudabiliter iuxta tibi a deo datam prudentiam exequaris, quod de tuis laboribus, celesti favente clementia, desiderati fructus proveniant, quos speramus, tuque illam, que pias causas agentibus eterna retributione impenditur, eterne palme gloriam consequaris. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo, tertio Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XXVIII. fol. 38.

CCCCXVII.

Regi Bosniae eiusque sociis euntibus ad bellum contra Turcas et infideles conceduntur indulgentiae.

Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Stephano Thome Regi Bosne Illustri, salutem etc. Eximie devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, non indigne meretur, ut ea tibi favore benivolo concedamus, que ad tue et personarum tibi assistentium animarum salutem proficere dinoscuntur. Hinc est, quod nos debita ex caritate recensentes, quod tu in bello, quod contra Turcos et hereticos Manicheos pro tua defensione geris, ad reprimendum illorum sevitiam, et aliorum Christi nominis hostium in partibus illis labores plurimos ac sumptus subire dinosceris, et propterea personam tuam de thesauro sacrosancte Romane et universalis ecclesie, et pretiosi sanguinis domini nostri Iesu Christi et apostolorum ac martyrum ditare, et spiritualium gratiarum muneribus confovere cupientes, ut omnibus proficiat ad salutem, et defensionem huiusmodi eo ferventius prosequaris, quo exinde maioris retributionis merita te et ipsas personas speraveris adepturos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tibi ac eisdem personis tam clericis quam laicis vere penitentibus et confessis, qui in tuo exercitu fuerint pro huiusmodi defensione et hostium illius debellatione, plenam omnium peccatorum remissionem concedimus per presentes pariter et indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XXVIII. fol. 59.

CCCCXVIII.

Ioanni ep̄o Constantiensi nuntio apostolico in Bosnia conceditur salvus conductus.

Nicolaus episcopus etc. Universis et singulis ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Constantiensem ad regnum Bosne et diversas mundi partes nuntium et oratorem nostrum in presentiarum destinemus: nos cupientes eundem cum sociis, familiaribus ac rebus et bonis in eundo, stando et redeundo plena ubique securitate et immunitate gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in domino,

subditis vero nostris et gentium armigerarum capitaneis ubicunque ad nostra et Romane ecclesie stipendia militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus eundem Episcopum cum eius comitiva ac familiaribus equestribus et pedestribus usque ad numerum triginta personarum, nec non salmis, valisiis, arnesis, rebus et bonis suis omnibus per nostra et vestra territoria, passus, pontes, portus et loca quelibet, ac tam per aquam quam per terram, quotiens sibi placuerit, transire, stare, ire ac redire sine solutione alicuius datii, fundinavis, passagii vel gabelle aut cuiusvis alterius oneris indicti vel indicendi exactione pro nostra et apostolice sedis reverentia libere permittatis, ipsique, sociis et familiaribus huiusmodi in personis, rebus et bonis eorum ullam molestiam, iniuriam, offensam aut novitatem inferatis, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, quin potius ipsum Episcopum, oratorem nostrum, socios ac familiares suos benigne recipientes et honorifice pertractantes, sibi de securo transitu, scorta, receptu et salvo conductu, quotiens pro parte nostra fueritis requisiti, sic liberaliter et fideliter providere curetis, ut vestra exinde devotio apud nos et sedem apostolicam possit merito commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XXVIII. fol. 60.

CCCCXIX.

Vincentius electus Vaciensis praeficitur in episcopum.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Vincentio Electo Waciensi, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem bone memorie Petro Episcopo Waciensi ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et idoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari; postmodum vero ecclesia predicta per obitum ipsius Petri Episcopi, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem dicte ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum Waradiensem in sacerdotio constitutum, cui de vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum dictorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dirigente domino actus tuos, prefata ecclesia per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic salubriter geras et sollicite prosequaris, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram ac dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Fabriani Camerinensis diocesis anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo, xvi. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XXVIII. fol. 43.

CCCCXX.

Capitulo ecclesiae et clero populoque civitatis et dioecesis Vaciensis, ut eidem humiliter obediant.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Waciensis, salutem etc. Hodie de persona dilecti filii Vincentii Electi Waciensis ecclesie vestre, tunc per obitum bone memorie Petri Episcopi Waciensis, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destitute, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providimus, eumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius vestre ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Electo tanquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis; alioquin sententiam, quam idem Episcopus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Fabriani Camerinensis diocesis anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo, xvi. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Simili modo dilectis filiis Clero civitatis et diocesis Waciensis, dilectis filiis populo civitatis et diocesis Waciensis, et dilectis filiis universis vassallis ecclesie Waciensis.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XXVIII. fol. 44.

CCCCXXI.

Archiep̄o Strigoniensi idem Vincentius commendatur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame, si personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, divine propitiationis intuitu opportuni favoris presidio prosequaris. Hodie siquidem de persona dilecti filii Vincentii Electi Waciensis ecclesie Waciensi, tunc per obitum etc. usque continetur. Cum igitur, ut idem Electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat, tuus favor ei fore noscitur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus eundem Electum et commissam sibi ecclesiam predictam, tuam suffraganeam, habens pro nostra et dicte sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris, quod ipse Electus tuo fultus auxilio in commisso sibi dicte ecclesie regimine se possit utilius exercere, tuque divinam misericordiam valeas proinde uberius promereri. Datum ut supra. Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XXVIII. fol. 44.

CCCCXXII.

Eidem Vincentio indulgetur, ut a quocumque antistite catholico consecrationis munus accipere possit.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Vincentio Electo Waciensi, salutem etc. Cum nos nuper ecclesie Waciensi pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinari procures. Volumus autem, quod per hoc Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Strigoniensi, cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XXVIII. fol. 44.

CCCCXXIII.

Monitorium super translatione eṗi Tiniensis ad Zagrabiensem ecclesiam ad instantiam Demetrii eṗi cum advocatione causae et litis extinctione.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Apostolatus officium nostris humeris ex alto commissum ad ea merito convertimus, ut cathedralium ecclesiarum quarumlibet provisiones, quas provida predecessorum nostrorum ordinatione salubriter processisse comperimus, efficaciter exequantur et inviolabiliter observentur: illa quoque solertius exquirimus adminicula, per que ipsarum ecclesiarum propriorum pastorum sollicitudine carentium dispendiis quantocius occurratur. Dudum siquidem felicis recordationis Eugenius papa quartus, predecessor noster, Venerabiles fratres nostros Benedictum Zagabriensem ab eo, quo Zagabriensi, et Demetrium Tiniensem Episcopos ab illo, quo Tiniensi ecclesiis, quibus tunc preerant, tenebantur, vinculis de suorum consilio fratrum et apostolice plenitudine potestatis absolvens, Benedictum ad Tiniensem et Demetrium Episcopos predictos ad Zagabriensem ecclesias prefatas auctoritate apostolica transtulit, preficiendo Benedictum Tiniensi et Demetrium Zagabriensi ecclesiis in Eṗos et pastores. Ac deinde prefato Eugenio, sicuti altissimo placuit, rebus humanis exempto, cum ad summi apostolatus apicem, divina favente clementia, fuissemus assumpti, pro parte Eṗi Benedicti predicti nec non dilectorum filiorum Capituli Zagabriensis nobis exposito, quod idem Benedictus Episcopus translationi de se facte huiusmodi nullatenus consenserat, quodque occasione translationis eiusdem, si remaneret, gravia possent in partibus illis inconvenientia nec non scandala provenire, nos per alias nostras litteras dilecto filio nostro Iohanni tituli sancti Angeli diacono Cardinali, in Germania et quibusdam aliis partibus nostro et apostolice sedis legato, inter cetera mandavimus, ut eidem Demetrio Episcopo, ne de possessione vel regimine et administratione dicte Zagabriensis ecclesie, donec per eum super expositis huiusmodi discussio facta foret, se quomodolibet intromitteret, sub ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, de quibus sibi videretur, auctoritate nostra protinus interdiceret, et nichilominus, si vocatis postea, qui forent evocandi, ipsa exposita fore vera reperiret, translationem de prefato Benedicto Episcopo factam, nec non litteras huiusmodi eadem auctoritate revocaret, cassaret et annullaret, ac ipsum Benedictum Episcopum eiusdem ecclesie Zagabriensis verum presulem censeri et reputari, nec non illi preesse posse atque debere perinde in omnibus et per omnia, ac si translationes et littere prefate nullatenus emanassent, decerneret, aliaque circa hoc necessaria et oportuna faceret et exequeretur, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur, et successive, prout ex dicti Cardinalis legati relatione percepimus, idem Cardinalis ad ipsarum litterarum nostrarum executionem procedere intendens, translationes ipsas ac ipsius predecessoris litterarum executionem suspendi, nihilque interim inter eosdem Episcopos innovari et immutari voluit, atque iussit pariter et decrevit, translationesque et littere ac negotium huiusmodi ex tunc a quatuor annis citra vel circa in suspenso remanserunt, prout remanent de presenti. Et licet ipsis durantibus annis per varias litteras Venerabilium fratrum nostrorum Episcoporum et Prelatorum, ac dilectorum filiorum Iohannis Wayvode gubernatoris, ac etiam procerum, militum et nobilium regni Ungarie asserentium ipsius ecclesie Zagabriensis castra et possessiones per Comites Cilie detineri et occupari, ac ecclesiam in spiritualibus et temporalibus deteriorari, ac offerentium et promittentium se ipsorum castrorum et possessionum recuperationi et dicte ecclesie restitutioni et reintegrationi insistere et se exponere velle, pulsati et requisiti fuerimus, ut translationem ipsam observari facere ac eandem suspensionem tollere, nec non alias eidem ecclesie ac eius statui providere vellemus: nos tamen, qui interim prefatos Comites Cilie tum viva voce tum etiam litteris monuimus et exhortati fuimus, ut sua sponte a detentione predicta desistere vellent, in negotio huiusmodi hucusque duximus supersedendum, sperantes, quod interim Comites ipsi monitionibus et exhortationibus nostris huiusmodi inclinati ab occupatione et detentione huiusmodi sponte et libere desisterent, quodque ecclesia Zagabriensis predicta per ipsius Benedicti providentiam, emendationem et diligentiam in spiritualibus et temporalibus restauraretur et reformaretur, ac magna in spiritualibus et temporalibus susciperet incrementa. Cum itaque nos tandem nedum ex eorumdem prelatorum, baronum et procerum, sed ex dilecti filii nostri Dyonisii tituli sancti Ciriaci presbyteri Cardinalis et Archiepiscopi Strigoniensis, ac Venerabilium fratrum nostrorum Waeziensis et Iustinopolitani Episcoporum, quibus, ut se super premissis informarent et referrent, duxeramus scribendum, et qui videlicet Iustinopolitanus propterea ad eandem ecclesiam Zagabriensem personaliter accedens, se inibi de pre-

missis informavit, fidedigna relatione percepimus, quod Comites ipsi nedum castra et possessiones huiusmodi adhuc detinent occupata, quin imo multa alia dicte ecclesie, etiam spiritualia bona sibi usurparunt, quodque ecclesia ipsa etiam nedum propter eorum occupationem et usurpationem huiusmodi, sed propter eiusdem Benedicti incuriam, negligentiam et detestabilem vitam tante desolationis, depauperationis et deformationis opprobrio subiacet, et tantam tendit ad ruinam, ut nisi sibi de oportuno remedio celeriter succurratur, de illius reformationis et restaurationis modo spes nullatenus habeatur. Nos igitur de premissis legitime informati, attendentes, quod ipse Benedictus translationi de eo ad ecclesiam Tiniensem facte huiusmodi consensit, prout in instrumento publico desuper confecto manu, signo et subscriptione notarii publici signato et subscripto et coram nobis producto plenius continetur, ac specialem in domino fiduciam obtinentes, quod translatio de persona dicti Demetrii est et erit eidem ecclesie Zagabriensi plurimum necessaria et oportuna, ut translationes ipse et ipsius predecessoris super ea confecte littere, succisis quibusvis litium dispendiis et impedimentorum obstaculis, suum plenarium quantocius consequantur effectum, providere cupientes, eorundemque prelatorum, gubernatoris, procerum et temporalium dominorum Regni Ungarie, in quo ecclesia ipsa Zagabriensis consistit, votis in hac parte favorabiliter annuentes, matura super hoc cum Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus deliberatione prehabita, ex certa nostra scientia et de dictorum fratrum consilio pariter et assensu suspensionem et omnia per ipsum Cardinalem legatum in premissis facta atque gesta ceteraque, quominus translationes et littere prefati predecessoris suum plenarium effectum sortiantur, facientia cassamus, revocamus et irritamus, causasque quaslibet super premissis ubicunque et inter quoscunque indecisas pendentes ad nos harum serie advocamus, et lites ipsas super hiis prorsus extinguimus, ac ad translationum et predecessoris litterarum huiusmodi plenariam executionem procedendum fuisse ac esse decernimus et declaramus, mandantes ac scientia, auctoritate et consilio premissis harum serie districte committentes ac precipientes Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Collocensi et Quinqueecclesiensi ac Waeziensi Episcopis, quatenus ipsi aut duo vel unus eorum per se vel alium seu alios prefatas dicti predecessoris litteras, quominus pro parte dicti Demetrii fuerint legitime requisiti, auctoritate nostra solempniter publicantes et debite exequentes, ipsique Demetrio Zagabriensi Episcopo efficacis defensionis presidio assistentes, ipsum in realem et corporalem possessionem regiminis et administrationis ecclesie Zagabriensis iuriumque et pertinentiarum eiusdem iuxta formam earumdem predecessoris litterarum, amotis exinde prefato Benedicto et quibuslibet aliis detentoribus, inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, facientes ipsum Demetrium ad regimen et administrationem dicte Zagabriensis ecclesie, ut est moris, admitti, sibique de ecclesie Zagabriensis predicte fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis eodem nostro nomine integre responderi, nec non a dilectis filiis Capitulo ipsius ecclesie Zagabriensis ac a Clero et populo civitatis et diocesis Zagabriensis obedientiam et reverentiam, ac a vasallis et aliis subditis ecclesie Zagabriensis predicte debita et consueta servitia exhiberi. Et insuper legitimis super hiis per vos habendis servatisque processibus, eos quotiens fuerit oportunum aggravare procuretis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Ut autem quorumlibet, si qua, quod absit, in premissis fiet oppositio, digne, ut congruit, plectatur rebellio, volumus, quod omnes et singuli, cuiuscunque status, gradus, ordinis aut conditionis extiterint, qui commissioni, constitutioni, deputationi et ordinationi antedictis contumaciter parere recusaverint, canonica monitione premissa, si capitula fuerint, suspensionis et interdicti, si vero alie singulares persone existant, excommunicationis sententias incurrant, a qua nisi, postquam resipuerint, ab alio quam Romano pontifice aut de eius licentia speciali, preterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium obtinere nequeant: eisdem executoribus nichilominus et eorum singulis omnes et singulos contradictores, cuiuscunque etiam status, gradus aut conditionis existant, nisi infra competentem terminum, quem eis ad hoc prefixerint, a sua contradictione recedentes, suis paruerint mandatis, ecclesiasticos videlicet a quibusvis eorum beneficiis ecclesiasticis, quotcunque, quecunque et qualiacunque fuerint, seculares vero a feudis, terris, dominiis, locis, possessionibus et bonis suis, ac que ab ipsa Zagabriensi ecclesia tunc forsan obtinebant, eadem auctoritate privandi ac privatos ab illis amovendi, nec non illa personis idoneis, de quibus sibi videbitur, etiam quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, ipsa auctoritate conferendi et de illis ipsis providendi, ceteraque circa hoc oportuna faciendi et exequendi facultatem et auctoritatem concedimus per presentes, volentes, quod per unum executorum eorundem inceptum fuerit, per alium prosequi et

terminari valeat et finiri. Ceterum si per informationem primariam per eosdem presentium executores super hiis recipiendam eis constiterit, quod alicuius seu aliquorum, in quem seu quos processus per vos super hiis habendi intervenerint, presentia pro monitionibus et citationibus eis faciendis commode haberi nequeat: nos processus, monitiones et citationes huiusmodi per edicta publica locis affigenda publicis partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad notitiam monendorum et citandorum pervenire valeant, faciendi licentiam concedimus per presentes, volentes, quod processus, citationes ac monitiones huiusmodi eosdem monitos et citatos perinde arctent, ac si eis intimati et insinuati personaliter extitissent. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii pape octavi etiam predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis et exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere sive alii vel aliis vices suas committere presumant, et de duabus dietis in concilio generali, ac aliis constitutionibus apostolicis, nec non ecclesie Zagabriensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque; seu si Capitulo, Clero, vasallis, personis aliis et subditis huiusmodi, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari, aut suis beneficiis seu terris et dominiis privari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Preterea quia forsan dilecti filii Capitulum dicte ecclesie Zagabriensis et aliqui alii de prestando obedientiam, reverentiam et assistentiam eidem Benedicto solempne prestiterunt iuramentum, seque ad id sub penis, promissionibus et pactis obligarunt, nos prefatis iudicibus et eorum cuilibet quodcumque super hoc per eosdem Capitulum ac alias personas prestitum iuramentum et obligationes quaslibet relaxandi ac revocandi, illosque omnes, cuiuscunque etiam status, gradus et ordinis existant, ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, ceterisque sententiis, censuris et penis, quibus occasione premissorum quomodolibet ligati vel irretiti fuerint, absolvendi, ceteraque circa hoc oportuna faciendi plenam et liberam concedimus tenore presentium etiam facultatem. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, pridie Kal. Maii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. lib. XI. fol. 46.

CCCCXXIV.

Epo Gurcensi super sua translatione ad ecclesiam Tiniensem.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Gurcensi et dilecto filio Abbati monasterii Fontis sancte Marie prope Landstras ordinis Cisterciensis Aquilegensis diocesis, salutem etc. Ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus, per que ecclesiarum presertim Cathedralium valeat indemnitatibus provideri. Dudum siquidem felicis recordationis Eugenius papa IV. predecessor noster Venerabiles fratres Benedictum Zagrabiensem ab eo, quo Zagrabiensi, et Demetrium Tiniensem ab illo, quo Tiniensi ecclesiis, quibus tunc preerant, tenebantur, vinculis de suorum consilio fratrum et apostolice plenitudine potestatis absolvens, Benedictum ad Tiniensem et Demetrium Episcopos predictos ad Zagrabiensem ecclesias prefatas auctoritate apostolica transtulit, preficiendo Benedictum Tiniensi et Demetrium Episcopos eosdem Zagrabiensi ecclesiis predictis in Episcopos et pastores. Et deinde pro parte Benedicti Episcopi predicti ac dilectorum filiorum Capituli Zagrabiensis nobis, qui prefato Eugenio predecessore, sicut domino placuit, rebus humanis exempto, fuimus divina disponente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti, exposito, quod idem Benedictus Episcopus translationi de se facte huiusmodi nullatenus consensum prestiterat, et illius, si remansisset, occasione gravia possent in partibus illis inconvenientia et scandala provenire, nos tunc scandalis huiusmodi salubriter obviare cupientes, nonnulla scripta nostra dilecto filio nostro Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, in Germanie et quibusdam aliis partibus tunc apostolice sedis legato, sub certa forma direximus, quarum vigore prefatas translationes auctoritate nostra suspendit; postmodum vero per Prelatos et Barones Regni Ungarie informati, quod predicte translationes possent et deberent certis de causis effectum suum sortiri, suspensionem predictam removimus, et percepto tunc, quod dilecti filii nobiles viri Fredericus et Ulricus Comites Cilie ac prefatus Benedictus Episcopus, Prepositus, Archidiaconi et Capituli dicte ecclesie Zagrabiensis et plures alii impedirent, quominus idem Demetrius possessionem regiminis et admini-

strationis bonorum dicte ecclesie Zagrabiensis assequi posset, contra eosdem et quoscunque alios ipsum Demetrium Episcopum, quominus possessionem huiusmodi haberet, impedientes litteras monitorias sub excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis formidabilibus penis in ampla forma decrevimus atque concessimus, ad quorum, ut accepimus, excommunicationem ad nonnullos actus dicitur fuisse processum, prout in singulis litteris predictis ac processibus desuper habitis, quorum nunc tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem nuper relatibus prelatorum et baronum Regni Ungarie prefati, necnon etiam comitum Cilie predictorum intellexerimus, propter nonnullas emergentes causas translationes huiusmodi absque gravi iactura, et forsan sanguinis humani effusione ad debitum finem et effectum deduci non posse, nos, ad quos ex officio nobis commisso pertinet, cupientes premissis obviare, et ut pax et tranquillitas in illis partibus vigeat, de fratrum nostrorum consilio deliberavimus translationes predictas suspendere, prout per presentes suspendimus, volentesque, quod Benedictus Zagrabiensi et Demetrius Episcopi prefati Tiniensi presint ecclesiis sepedictis, ac eis obedientia et reverencia ac iura solita exhibeantur, et exhiberi debeant in omnibus et per omnia, ac si translationes et alia premissa non emanassent, donec et quousque per nos vel sedem apostolicam super hiis fuerit aliter ordinatum, districtius inhibendo Benedicto, ne de Tiniensi, ac Demetrio, ne de Zagrabiensi ecclesiis predictis sub penis in dictis monitoriis litteris contentis, quas contrafaciendo incurrant, se nullatenus intromittant, irritum etiam et inane decernendo quidquam secus contigerit attemptari. Et nichilominus ut saluti animarum christifidelium illius partis salubriter consulatur, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum tam prefatum Benedictum Episcopum, quam etiam comites predictos eorumque filios utriusque sexus, necnon dilectos filios Prepositum, Archidiaconos, Canonicos et Capitulum dicte ecclesie Zagrabiensis, ac omnes alios et singulos tam ecclesiasticos quam seculares, religiososque et laicos, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis, etiam si maioris dignitatis fuerint, qui sententias, censuras et penas in dictis monitoriis litteris contentas incurrerunt et illis innodati sunt, si humiliter id petierint, ab illis, necnon aliis sentenciis, censuris et penis tam a iure quam ab homine latis auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvatis in forma ecclesie consueta, iniuncta inde sibi pro modo culpe penitencia salutari, ipsosque et quemlibet ipsorum in pristinum statum, in quo erant, antequam dictas sententias, censuras et penas seu earum aliquam incurrerunt, eadem auctoritate restituatis et reponatis, omnemque aboleatis inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eos premissorum occasione contractam. Et insuper cum predictis Benedicto Episcopo ac ecclesiasticis et religiosis personis super irregularitate, si quam huiusmodi sententia vel earum aliqua ligati missas vel alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando seu se illis immiscendo contraxerunt, quodque in susceptis et suscipiendis etiam sacris ordinibus ministrare et obtenta retinere, necnon quecunque alia ecclesiastica beneficia cum cura vel sine cura se invicem, et cum obtentis compatientia, si sibi alias canonice conferantur, recipere et etiam retinere libere et licite valeant, eadem auctoritate dispensetis, ac in ecclesiis, civitatibus, terris, villis et omnibus aliis locis, que eadem occasione ecclesiastico sunt interdicto supposita, huiusmodi interdictum auctoritate prefata penitus et omnimodo tollatis atque relaxetis, dictosque comites ac alios prenominatos ad dignitates, honores, preeminentias, feuda et beneficia, necnon alias in pristinum et in eum statum, in quo erant, antequam sententias huiusmodi incurrissent, restituatis et reponatis, ac decernatis et declaretis omnes impetrationes et litteras etiam apostolicas, ac acceptationes et provisiones contra predictos, qui beneficiati sunt, factas et processus habitos per easdem, et quecumque inde secuta, nullius existere firmitatis, super quibus omnibus et singulis vobis plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, non obstantibus singulis litteris predictis et processibus huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, tertio Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia lib. XX. fol. 206.

CCCCXXV.

Ioanni de Capestrano ord. Minor. in partibus cismontanis generali vicario certae conceduntur facultates.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Capestrano ordinis fratrum minorum de observancia professori, et in partibus Cismontanis generali Vicario, salutem etc. Ad ea ex apostolice

servitutis officio libenter intendimus, per que saluti animarum fidelium consulatur. Hinc est, quod nos sperantes, quod tu, qui in Boemie, Moravie et Austrie partibus circa extirpationem heresum non absque tue persone discrimine labores subiisti, et continuo disputationibus et predicationibus insistendo subire paratus es, ut Christifideles ac alios a fide catholica deviantes ad veritatis lumen redire volentes eo ferventius ad id inducere et animare cures, et ipsis salutifera remedia ministrare possis, discrecioni tue auctoritate nostra cum quibuscunque tam ecclesiasticis secularibus et regularibus, quam etiam laicalibus utriusque sexus personis dictarum partium, que tam peregrinationis, quam abstinencie et quevis alia vota emiserint, et legitimo impedimento detente illa commode adimplere nequiverint, vota ipsa in alia pietatis opera, prout secundum Deum et animarum suarum saluti expedire cognoveris, Religionis et visitationis dominici sepulcri ac liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Iacobi de Compostella votis dumtaxat exceptis, commutandi semel tantum plenam et liberam harum serie concedimus facultatem, non obstantibus constitutionibus apostolicis et aliis quibuscunque, presentibus post biennium minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, octavo Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia lib. XXXV. fol. 282.

CCCCXXVI.

Eidem et aliis fratribus ord. Minor. in Austria, Istria etc. existentibus certa conceduntur privilegia.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Dum preclara dilectorum filiorum Iohannis de Capestrano et nonnullorum aliorum fratrum ordinis minorum de observancia nuncupatorum in Boemie, Austrie, Istrie et Moravie partibus commorantium religionis, sub qua mundanis abdicatis illecebris cum additione voluntarie paupertatis virtutum Domino in humilitatis spiritu exhibent famulatum, merita, dumque etiam salubria laborum studia, que pro augmento fidei orthodoxe impendunt incessanter, etiam in ipsius fidei hostium partibus non absque suarum periculo personarum verbum domini predicando, debita meditatione pensamus, ea sibi libenter concedimus, per que illorum religio propagari valeat, et ipsi, sublatis quibusvis dispendiis, cum divini cultus augmento nec non animarum salute in Dei ecclesiam fructus afferre possint ampliores. Cum itaque, sicut nonnullorum fidedigna relatione non absque ingenti mentis gaudio percepimus, in Boemie partibus, in qua proh dolor abominabilis et pessima Ussitarum nuncupata heresis, etiam in sacro Constanciensi concilio damnata et reprobata, que a longe citra temporibus veluti venenosissimus cancer mortiferum virus diffundens, suis contagiosis erroribus multorum corda fidelium infecit, per ipsorum Iohannis et fratrum laudabilem ac religiosam vitam, nec non fructuosas, quas eis continuo faciunt, predicationes quamplurimi etiam nobiles et potentes laici et ecclesiastici, divina illustrati gratia, errores huiusmodi de ipsorum cordibus penitus deponentes, quod sancta Romana tenet et profitetur ecclesia, profiteantur et teneant, ac quidam ex eis maiori orthodoxe fidei et etiam religionis zelo accensi habitum susceperint, ac professionem dicti ordinis regularem emiserint; prefatus quoque Iohannes nostra desuper auctoritate suffultus iam in predictis Austrie, Istrie et Moravie partibus nonnulla fratrum loca, conventus ac domos receperit, speretурque verisimiliter, quod per ipsorum fratrum vite sanctimoniam, fidei fervorem et assiduas predicationes non modo errantes huiusmodi ab ipsorum erroribus ad veritatis lumen reduci, sed etiam quamplures ex eis ad bonorum imitationem poterint incitari: Nos premissa omnia, quodque etiam fratres predicti in eisdem partibus ad honorem Dei et propagationem christiani nominis diligenter ac fideliter pro fide huiusmodi, nec non divini cultus et religionis augmento, ac predicte et quarumcumque aliarum heresum in eisdem partibus extirpatione plurima labores et studia fructuosa impendere poterunt, et libenti animo impendent, considerantes, ut Iohannes et fratres predicti eo ferventius ipsis laboribus et studiis insistere valeant, quo se apostolicis favoribus et gratiis amplioribus per nos et sedem apostolicam noverint circumfultos, ipsorum Iohannis et fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presencium omnes et singulas receptiones domorum, locorum seu conventuum per dictos Iohannem et fratres seu aliquos in eisdem partibus, et de illis sibi per quoscunque factas concessiones, donationes et assignationes, quarum tenores ac domos, conventus et loca huiusmodi per eorum nomina, cognomina, designationes et loca presentibus haberi volumus pro expressis, approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus si qui forsitan intervenerint in eisdem, ac volumus, quod predicta et tria alia, que per infra-

scriptum pro tempore eligendum Vicarium in Austrie, Boemie, Istrie et Moravie partibus et canonice concessa ad illius regularem observanciam reduci et reformari, vel fundari vel construi in eisdem partibus contigerit, conventus, domus et loca, illorumque persone quecunque sub una et eadem Vicaria, quam in dictis partibus harum serie instituimus, subiecta sint et esse censeantur, ac in spiritualibus et temporalibus regantur et gubernentur per unum Vicarium, quem dictarum partium fratres in eorum Capitulis Vicarialibus suis temporibus celebrandis eligere et deputare possent ac deberent in omnibus et per omnia, prout provinciales Vicarii dictorum ordinum et observancie eliguntur et deputantur, quique sic electus et deputatus per Vicarium citramontanum generalem ordinis et observancie predictorum, cui tam ipse Vicarius eligendus, conventus, domus ac loca partium huiusmodi, illorumque fratres et persone subiecta sint et esse censeantur, mandantes districtius in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis pena omnibus et singulis ministris seu Vicariis et fratribus locorum, domorum et conventuum partium huiusmodi, ac ipsi eligendo Vicario, ut infra quindecim dierum spacium, postquam presencium noticiam habuerint, generali Vicario citramontano pro tempore existenti efficaciter et humiliter pareant et intendant. Et insuper ut fratres predicti tam in reductione hereticorum ac extinctione heresis huiusmodi, quam alias in Dei ecclesia maiores fructus eo diligentius afferre studeant, quo se per nos specialibus favoribus et graciis prosequi conspexerint, volumus, statuimus pariter et decernimus, quod iam recepti, recepte seu recepta, aut quos, quas seu que imposterum in dictis partibus recipi contigerit conventus, domos seu loca, et fratres in eis pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus et graciis, indultis, concessionibus et litteris, aliis conventibus, domibus seu locis ordinis et observancie predictorum per nos vel sedem predictam, seu alias quomodocunque in genere concessis, in omnibus et per omnia uti et gaudere libere ac licite possint, necnon in eligendo Vicario predicto tria alia domos, conventus et loca in Austrie, Boemie, Istrie et Moravie partibus prefatis, seu aliqua vel aliquibus earum, si sibi alias canonice concedantur, ad regularem observanciam reducendi et reformandi, seu de novo cum ecclesiis, campanilibus, campanis, cimiteriis, dormitoriis, claustris, ortis, ortaliciis et aliis pro perpetuis usu et habitatione aliquorum fratrum dicti ordinis fundandi et construendi, iure tamen parochialium ecclesiarum ac cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, plenam et liberam licenciam concedimus pariter et facultatem. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii PP. VIII. predecessoris nostri prohibente, ne fratres ordinum mendicancium loca de novo recipere, aut recepta mutare presumant absque dicte sedis licencia speciali faciente plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus dicti ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et indulgenciis ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quibus omnibus et singulis illis alias in suo robore permansuris, quo ad premissa expresse derogamus, et que pro insertis haberi volumus per presentes, ceterisque contrariis quibuscunque, presentibus, quoad dicti fratres sub observancia huiusmodi vixerint, duntaxat valituris. Nulli ergo etc. nostrorum confirmationis, communitionis, suppletionis, restitutionis, mandati, concessionis, derogationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, pridie Nonas Martii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia lib. XXXV. fol. 281.

CCCCXXVII.

Thomas eps Farensis cum solitis facultatibus legatus apostolicus in Bosnia et Croatia constituitur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Epo Farensi in Bosne et Croacie Regnis, ac in provincia Ragusina illorumque civitatibus et diocesibus nostro et apostolice sedis legato misso, salutem etc. Dum eximie fidelitatis, devotionis et prudentie ceterasque a domino tibi traditas virtutes, ac fructuosa et laudabilia necnon deo plurimum grata et accepta opera, que alias in Bosne et Croacie regnis noster et dicte sedis legatus missus existens, etiam cum ipsorum regnorum fidelium animarum salute hactenus impendisti, ex quibus in prefatis regnis laudabiles fructus hactenus provenerunt, ac, ut

speramus, provenient in futurum, attendimus et debita meditatione pensamus, ex hiis profecto certa experientia nobis nota non immerito confidimus et pro certo tenemus, quod in fidelitatis, devotionis, prudentie et virtuosorum operum huiusmodi laudabili continuatione persistens, ea, que etiam tibi de novo duxerimus committenda, curabis solerter, solicite et prudenter adimplere. Dudum siquidem felicis recordationis Eugenius papa IIII. predecessor noster te in prefatis regnis legatum missum suum et dicte sedis fecit, constituit et deputavit, et deinde prefato predecessore, sicut domino placuit, sublato de medio, nos divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, constitutionem et deputationem predictas approbavimus et confirmavimus, ac nonnulla alia tunc expressa fecimus, prout in diversis predicti predecessoris ac nostris inde confectis litteris, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus haberi volumus pro insertis, plenius continetur. Cum autem nuper nobilis vir Stephanus Dux Sancti Sabbe et Comes Duinensis, postquam per nos accepto, quod ipse cum copioso peditum et equitum exercitu, nullo per eum indicto bello, civitatem Ragusinam seu illius territorium invaserat, et innumeras clades et maxima detrimenta illi intulerat, nonnulla quoque gravia et contra fidem catholicam molienda, et inante dicta scelera tunc expressa etiam in maximam christiani nominis ignominiam et fidei catholice opprobrium commiserat, per venerabilem fratrem nostrum Pagaminum Episcopum Dulcinensem, ut ab invasionibus huiusmodi penitus desisteret, moneri feceramus, quosdam ad nos destinaverit oratores seu nuntios, ex quorum relationibus non solum inter prefatum ducem et dilectos filios rectorem et consilium dicte civitatis concordiam et pacem subsequi, sed etiam eiusdem ducis, mortifere heresis huiusmodi per eum depositis erroribus, ad viam veritatis fidei reductionem, sicque totalem dicte heresis de prefato Regno eliminationem ac extirpationem subsequi posse speremus, si te, cuius olim dum in dictis Regnis legatus missus, ut prefertur, existeres, opera et industria mediantibus, sicut experientie probatione didicimus, Carissimus in Christo filius noster Thomas Stephanus Rex Bosne Illustris, ac eius uxor, et etiam quamplures barones, nobiles, milites et alie utriusque sexus persone divina illustrate gratia, quoscumque Paterenorum heresis deponentes errores, ac veritatis lumen recognoscentes, quod mater omnium et magistra sancta Romana ecclesia tenet et profitetur, professi fuerint, profitentur et tenent, quique in prefato regno Bosne quamplura alia ad dei laudem nostrumque et prefate sedis honorem, necnon animarum salutem concernentia operatus fuisti, Nos constitutionem, deputationem, concessionem et confirmationem, ac omnia alia et singula tam in nostris, quam in predecessoris litteris predictis contenta harum serie approbantes, et iuribus subsistere decernentes, illasque ad provinciam Ragusinam ac civitatem et diocesim predictas, et ipsarum quamlibet extendentes, te legatum missum in illis cum potestate legati de latere usque ad nostrum et dicte sedis beneplacitum auctoritate apostolica facimus, constituimus et etiam deputamus, (ut) inibi omnia et singula geras, ordines et disponas, que ad illarum partium, necnon ducis, rectoris et consilii predictorum pacem et concordiam expedire cognoveris, et sicut ibi dominus ministrabit. Et insuper cum summopere desideremus ducem, rectorem et concilium predictos, si fieri poterit, ad pacem et concordiam reduci absque iudiciorum strepitu, alioquin in premissis iusticiam habenti ministrari fraternitati tue partes ipsas ad pacem et concordiam reducendi, seu auditis hinc inde per utramque partium predictarum propositis, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernendi, et que decreveris, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, prout oportunum fuerit, observari faciendi, necnon super huiusmodi ac universis et singulis aliis negotiis heresis extirpationem, et alias fidei negotia, pacem quoque et concordiam, ac tranquillitatem tam dicti ducis et aliorum incolarum prefati regni, quam rectoris et consilii, civitatis et diocesis predictorum, illorumque statum concernentibus, prout tibi expediens indebitur, agendi, disponendi, statuendi, ordinandi et precipiendi, Contradictores quoque et rebelles quoslibet, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, per censuram eandem, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus ac privilegiis, et indulgentiis apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum, et quibusvis personis, locis et ordinibus concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta huiusmodi tue legationis et potestatis officium posset quomodolibet impediri, aut etiam retardari, seu si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de

indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia lib. XXXVII. fol. 138.

CCCCXXVIII.

Vladislao Elestich voivodae Bosniae pax inter ipsum et regem Bosniae et promissiones factae confirmantur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Vladislavo Elestich Voivode regni Bosne, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam geris, non indigne promeretur, ut peticiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter admittamus. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita peticio continebat, quod cum olim, satore malorum id serente, te Carissimus in Christo filius noster Stephanus Thomas Rex Bosne Illustris pro eo, quod ad eius servitium vocatus, ad ipsum non veneras, pro suo et regni sui inimico haberet et teneret, tandem comperta rei veritate dictus Rex, quicquid tu illi in premissis commiseras, pepercit et remisit, tibique promisit, quod te nunquam invinculatum seu incarceratum pro aliqua re haberet, ac te inter cetera in tutelam et protectionem nostram dedit et assignavit, prout in litteris prefati Regis eius sigillo munitis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus habere volumus pro insertis, plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, tu promissionem ac omnia et singula in dictis litteris contenta pro eorum subsistencia firmiori apostolice sedis munimine roborari desideres, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut desiderio tuo huiusmodi favorabiliter annuere, et super aliis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes te commissorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, remissionem, donationem et assignationem predictas, ac prout illas contingunt et rationabiliter processerunt omnia et singula in predictis litteris contenta, et quecunque inde secuta auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore presencium approbamus et confirmamus, necnon presentis scripti patrocinio communiimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac legibus imperialibus, statutisque et consuetudinibus, iuribus municipalibus dicti regni, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre approbationis, confirmationis ac communitionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Kal. Iulii. Pont. nostri Anno VI.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia lib. XXXVII. fol. 140.

CCCCXXIX.

Pacem inter regem et voivodam Bosniae factam pontifex confirmat.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Illius licet immeriti vicem gerentes in terris, qui pacem et concordiam nutrit in sublimibus, ac pacem ipsam iure hereditario suis reliquit discipulis in discessu, digne cura reddimur indefessa soliciti, ut christifideles, presertim Reges et alii seculares principes, in quorum utique tranquillitate quiescimus, iurgiorum dissensionumque, ac odiorum resecatis dispendiis, in concordie ac pacis dulcedine undique illius famulentur auctori, et ut ea, que propterea rite processisse comperimus, cum nostre approbationis adminiculo debitum sortiantur effectum, opem et operam nostras adhibemus efficaces. Sane, sicut accepimus, suscitatis olim gravissimis, satore malorum id faciente, dissensionibus, odiis et rumoribus inter Carissimum in Christo filium nostrum Stephanum Thomam Regem Bosne Illustrem, et dilectum filium nobilem virum Petrum Georgii Voysalich Voivodam parcium inferiorum Bosne, subsecutisque inter ipsos et eorum subditos pluribus depopulationibus, agrorum devastationibus, homicidiis, periculis atque damnis innumeris, tandem Venerabili fratre nostro Thoma Episcopo Farensi in ipso Bosne Regno nostro et apostolice sedis legato misso, et dilectis Nicolao de Apulia ac Marino de Canali ordinis minorum professoribus, custodibus Vicarie Bosne iuxta morem dicti ordinis, id procurantibus, pacem et concordiam inter se inierunt et fecerunt, per quas inter cetera prefatus Rex dictum Petrum per eosdem Episcopum et professores, qui illum manibus nostris, ut ipsorum verbis loquamur, levantes, eum ad ipsum Regem ac dilectum filium nobilem virum comitem Stephanum eiusdem Regis filium duxerunt, coram quampluribus ex dilectis filiis nobilibus viris voivodis, baronibus, comitibus, nobilibus et militibus dicti Regni tunc inibi existentibus, ipsi Regi presentatum ad osculum pacis graciose recepit, promittens per animam suam et sanctam sedem Romanam, quod

ipse, ut dictus eius filius, quacunque ratione vel causa per se vel alium cum suo vel alieno exercitu eidem Petro aut suis nobilibus, servitoribus, aut terris et bonis suis quibuscunque non noceret; et versa vice dictus Petrus coram prefatis Episcopo et professoribus, quos suos desuper fideiussores constituit, quod ipsi Regi tamquam suo naturali domino, ac comiti Stephano semper et ubique recte et fideliter serviet, illique assistet, et cuicunque sibi rebelli seu inimico personaliter, et cum eius exercitu ac tota potencia sua, quoad viveret, resistet, prout in diversis tam Regis quam Petri predictorum litteris eorum sigillo munitis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus esse volumus pro insertis, plenius continetur. Nos igitur laudabile pacis et concordie huiusmodi opus dignis in Domino laudibus commendantes, et illud, ut per Regem, comitem Stephanum et Petrum predictos perpetuo inviolabiliter observetur, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsorum Regis ac Petri in hac parte supplicationibus inclinati, pacem et concordiam, ac omnia et singula in dictis litteris contenta, et quecunque inde secuta, rata habentes et grata, eadem auctoritate apostolica et ex certa sciencia approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac decernentes pacem, concordiam et contenta predicta per Regem, comitem Stephanum et Petrum predictos, ac quoscunque alios, ad quos spectat, perpetuo inviolabiliter observari debere. Mandamus insuper Episcopo, Vicario Bosne ac custodibus predictis, eorumque successoribus, quatenus ipsi vel aliqui seu aliquis eorum per se vel alium seu alios, quotiens pro parte dictorum Regis, comitis Stephani et Petri, vel alicuius eorum desuper fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, pacem, concordiam et contenta per censuram ecclesiasticam, et alia iuris remedia auctoritate apostolica inviolabiliter observari faciant, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac legibus imperialibus, statutis quoque municipalibus dicti Regni, iuramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque; aut si Regi, comiti Stephano et Petro prefatis, seu quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostre approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Kalendis Iulii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia lib. XXXVII. fol. 164.

CCCCXXX.

Thomae epo Farensi, ut domos fratrum Minorum Ragusii et in insula Daxae vicariae Bosnensi uniat et subiiciat.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Farensi, in Regno Bosne et Croatie provinciaque Ragusina sedis apostolice legato, salutem etc. Apostolice nobis licet immeritis desuper iniuncte servitutis officium mentem nostram excitat et inducit, ut ea, que religiosarum presertim cum additione voluntarie paupertatis sub regulari observantia studio pie vite vacantium personarum, in quarum utique prosperitatem respicimus, illarumque monasteriorum et aliorum piorum locorum statui salubriter dirigendo profutura conspicimus, et per que ab eis omnis dispendii materia auferatur, operosis studiis iugiter intendamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum dominii Ragusini petitio continebat, quod cum alias auctoritate apostolica domus seu conventus ordinis minorum regularis observantie Ragusii et in insula Daxe diocesis Ragusine existentes, una cum certis aliis domibus et conventibus Vicarie Bosne eorumdem ordinis et observantie uniri et incorporari concesse fuerint, nichilominus ex aliquorum relatione uniones et incorporationes huiusmodi quacumque auctoritate factas, et quascumque litteras apostolicas sub quibuscunque verborum formis et clausulis etiam derogatoriis ex motu proprio et ex certa scientia concessas, motu simili et ex certa scientia cassavimus et annullavimus, nulliusque roboris vel momenti esse decrevimus, inhibendo Vicario et fratribus dicte Vicarie Bosne pro tempore existentibus, ne quarumvis litterarum eis seu quibusvis aliis apostolica seu alia quacunque auctoritate sub quibuscunque verborum formis concessarum, vel imposterum forsan concedendarum, nisi in illis de presenti inhibitione specialis et expressa mentio fieret, quas quoad hoc revocatas, cassas et nullas, nulliusque roboris vel momenti esse decrevimus, obtentu seu vigore aliqua domus, conventus et loca dicti ordinis in partibus Dalmatie de novo recipere, aut

construere seu fundare presumerent. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, quod ex huiusmodi unionum et incorporationum cassatione et annullatione grave scandalum et periculum oriri posset, cum hii, qui Bosne sunt, et hereticis et Manicheis fidem veram predicant, vite necessariis indigeant maxime, ab hiis domibus et conventibus Ragusii et Daxe existentibus, qui inter infideles sunt, et elemosinis abundant, debitum subsidium non recipiant. Quare pro parte dictorum filiorum dominii Ragusini, cum eorum nonnulli in partibus Bosne conversentur, et a fratribus dicti ordinis, qui ibidem degunt, subsidia alia et ecclesiastica sacramenta percipiant, nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, ac scandalo et periculo huiusmodi obviare volentes, nec non uniones et incorporationes predictas, earumque cassationes et annullationes ac inhibitionem predictas, earumque litteras cum quibuscunque clausulis etiam derogatoriis, ex motu proprio et ex certa scientia quavis auctoritate factas et concessas hic pro expressis habentes, ac si de earum tenoribus de verbo ad verbum specialis et expressa mentio facta foret; huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te ipsum super premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea vera fore repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tibi predicta domus, conventus et loca Ragusii et Daxe existentia Vicarie predicte perpetuo uniendi, incorporandi, eiusque iurisdictioni secundum conventiones et ordinationes in Capitulo generali mediante fratre Iacobo de Primariis de Bononia, tunc Vicario generali in partibus citramontanis eorumdem ordinis et observantie, auctoritate apostolica initas et decretas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, subiiciendi, ipsaque domus, conventus et loca, prout tibi visum fuerit, alias reformandi, et constitutiones alias adiiciendi, nec non loca predicta Ragusii et Daxe existentia, postquam predicte Vicarie unita et incorporata atque subiecta fuerint, indultis et privilegiis, quibus Vicaria ipsa gaudet, eisdem gaudere et potiri pronuntiandi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, non obstantibus constitutionibus apostolicis, litteris revocatoriis et inhibitoriis predictis, aliisque in contrarium facientibus quibuscunque. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, quartodecimo Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia lib. XLII. fol. 180.

CCCCXXXI.

Quaedam litterae Gregorio epo Milkoviensi super Brassovia concessae revocantur in favorem cardinalis Strigoniensis.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Dionisio tituli sancti Ciriaci in Termis presbitero Cardinali, salutem etc. Ex salubri sedis apostolice debet provenire subsidio, ut Romanus Pontifex concessa seu gesta per eum, cum illa in alterius preiudicium comperit processisse, revocet, annullet et irritet, ac in pristinum statum providendo reducat, prout rerum circumstantiis ponderatis id conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem pro parte Venerabilis fratris nostri Georgii Episcopi Milchoviensis nobis exposito, quod licet olim ecclesia Milchoviensis, que in partibus Transilvanis sita est, et inter alias Regni Ungarie Cathedrales ecclesias sufficienter dotata, et civitas Milchoviensis a catholicis hominibus inhabitata fuisset, tamen propter insultus et pericula perfidissimorum Turchorum ibidem circumstantium ipsa ecclesia penitus desolata eiusque bona occupata extiterant, et civitas predicta ab infidelibus, qui Christifideles ibidem cum eis cohabitare non patiuntur, tantum inhabitabatur. Itaque Episcopi Milchovienses, qui dudum antea fuerant, propter desolationem huiusmodi ac pericula Turchorum apud dictam ecclesiam a tanto tempore citra, cuius contrarii hominum memoria non habebatur, personalem residentiam non fecerant, nec ullo modo facere potuerant, prefatusque Gregorius Episcopus per varia et diversa loca sibi necessaria vite querere cogebatur, et si sedes Cathedralis Milchoviensis ad locum Brassoviensem in diocesi Milchoviensi situm, ut idem Episcopus asserebat, qui insignis, muratus et contra infideles munitus, ac ad hoc aptus et multitudine catholicorum hominum habitatus existit, transferretur, tam predictus Gregorius, quam pro tempore existens Milchoviensis Episcopus iuxta Episcopalis dignitatis decenciam honestius ac commodius se substentare, et ad regimen ac informationem catholici gregis sibi commissi, prout suo incumbit officio, melius intendere posset, nos eiusdem

Gregorii Episcopi asserentis etiam tunc, quod locus, in quo tu, qui etiam ecclesie Strigoniensi ex commissione apostolica presides, tuam faciebas residentiam, ab eodem loco Brassoviensi per viginti duas dietas distabat, in ea parte supplicationibus inclinati, Venerabili fratri nostro Episcopo Colocensi, eius proprio nomine non expresso, aliis nostris litteris dedimus in mandatis, ut vocatis Christifidelibus et populo civitatis et diocesis predictarum, et aliis, qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis per se ipsum auctoritate nostra se diligenter informaret, et si per eamdem informationem sibi de assertis eisdem, ac quod locus Brassoviensis ad id aptus et ydoneus esset, legitime constaret, dignitatem episcopalem ac sedem Cathedralem Milchoviensem cum omnibus et singulis privilegiis, preeminentiis, libertatibus, immunitatibus, indultis, iuribus, et aliis pertinentiis supradictis ad locum ipsum Brassoviensem auctoritate nostra transferret, et ibidem Cathedralem ecclesiam Milchoviensem erigeret, statuendo ac decernendo prefatum Gregorium et pro tempore existentem Milchoviensem Epum, non Milchoviensem, sed Brassoviensem Epum inantea nominari debere, prout in dictis litteris, quarum tenorem presentibus litteris volumus pro expresso, plenius continetur. Cum autem, sicut pro parte tua nobis nuper fuit expositum, tu, qui etiam LEGATUS NATUS ET PRIMAS IN REGNO UNGARIE EXISTIS, ratione dicte ecclesie Strigoniensis aliqua loca, non pauca etiam remota, sub iurisdictione tua habere noscaris, inter que ipse locus Brassoviensis cum aliis in Transilvanis partibus consistentibus, in quibus tuos officiales hactenus deputasti, eosque illis etiam prefecisti, ac ea tenuisti, prout etiam tui predecessores antea tenuerunt, existit, pro quo nec non erectione dicte nove sedis in illo ab eodem Episcopo fuisti sepius requisitus, tuque ex certis rationabilibus causis tuum ad id nolueris prestare assensum: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro eiusdem ecclesie Strigoniensis iurium ac tue iurisdictionis tuitione et conservatione super hoc oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui nostra et apostolice sedis privilegia, indulta et litteras ea modificatione intelligi volumus, ut in unius favorem concessa in alterius preiudicium non redundent, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras predictas et omnia et singula in illis contenta et inde secuta auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia revocamus, cassamus, et irritamus, ac pro nullis et infectis habere, et de regestis nostris, in quibus registrata sunt, cassari et cancellari volumus et mandamus; et nichilominus prefato Archiepiscopo harum serie iniungimus, quatenus ad executionem priorum litterarum predictarum et contentorum in eis nullatenus procedere, sive, illis obtentis, aliquid innovare presumat, quin ymo quicquid illarum pretextu per ipsum factum fuerit, sive quomodolibet attemptatum, in irritum revocet et anullet, ac in pristinum statum reducat, non obstantibus prioribus litteris antedictis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, decimo Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia lib. XLIII. fol. 70.

CCCCXXXII.

Epo Quinqueecclesiensi eiusque collegis mandatur, ut contra Raphaelem archiepum Colocensem procedant.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Episcopo Quinqueecclesiensi, et dilectis filiis Abbati monasterii Petro-Waradiensis Quinqueecclesiensis diocesis, ac maioris Quinqueecclesiensis nec non Titulensis ecclesiarum prepositis, salutem etc. Licet grave feramus, cum aliquando sinistra nobis de aliquibus personis ecclesiasticis referantur; de illis tamen, quos divina dispositio statuit per altitudinem dignitatis in speculam, ut quasi lucerna super candelabrum positi aliis doctrine lumine viam veritatis ostendant, ipsoque eorum exemplo ad salutem laudabilium operum deducant, si eos prolabi contingat in devium, tanto gravius arbitramur, quanto periculosior esse dinoscitur lapsus eorum, et in subditorum vergerit perniciem per exemplum. Ad nostrum siquidem, clamore valido et fama, quinimo infamia non solum semel, sed etiam sepe referentibus, non sine mentis amaritudine pervenit auditum, quod Raphael Archiepiscopus Colocensis, suorum salutis, status et honoris immemor, et Archiepiscopalis dignitatis gravitate seposita, thesaurum ecclesie Colocensis sibi usurpare, ac illum, nec non quamplura possessiones, predia, iurisdictiones, iura ac mobilia et immobilia bona ad archiepiscopalem mensam ecclesie Colocensis, quam iuxta pastoralis officii debitum in eius bonis et iuribus conservare, et quantum in eo est, adaugere tenetur, pertinentia distrahere et alienare, pudicitie quoque laxatis habenis, et totus in servitute luxurie provolutus, ac velut crudelis negligens famam suam cum histrio-

nibus, lenonibus, et non una, sed pluribus, inhonestis etiam coniugatisque mulieribus, etiam cum illis in predicte dignitatis notam detestabilem fornicando et adulterando publice conversari, nec non in subditos suos, presertim ecclesiasticos, non pii patris vel pastoris peragens officium, sed tanquam improbus crudelisque tirannus et persecutor inhumane se gerens, eos violentiis, iniuriis ac dampnis quampluribus, variis et exquisitis afficere, multa quoque alia gravia crimina, excesssus atque delicta committere non formidavit, et dietim non formidat; missas insuper raro aut nunquam celebrat, et divinum penitus negligit officium in divine maiestatis offensam, anime sue periculum, Archiepiscopalis dignitatis vilipendium, ecclesie et mense huiusmodi preiudicium, perniciosum quoque exemplum et scandalum plurimorum. Nos igitur nolentes, sicut nec velle debemus, premissa sub dissimulatione transire, ne incorrecta prebeant aliis audaciam similia committendi, et licet, sicut plurimorum fidedignorum testimoniis accepimus, ea, que de usurpatione, distractione et alienatione, ac aliis criminibus et excessibus predictis referuntur, adeo vera et notoria sint, quod potuissemus non immerito prefatum Raphaelem a regimine et administratione dicte ecclesie in spiritualibus et temporalibus suspendere; volentes tamen ob Archiepiscopalis dignitatis honorem maturius et humanius agere cum eodem, usurpatione, pignoratione et qualibet alienatione quorumcunque bonorum immobilium et mobilium pretiosorum ipsius ecclesie sibi penitus interdicta, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, quam primum presentes receperitis, per vos vel alium seu alios, deputata prius per vos ex officio persona sufficienti et idonea, que huiusmodi inquisitionis negotium coram vobis debite instituat et diligenter prosequatur, ac vocatis Raphaele Archiepiscopo predicto et aliis, qui fuerint evocandi, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, super premissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis, nec non alias de ipsius Raphaelis Archiepiscopi vita et moribus, maxime super articulis in aliis nostris litteris introclusis, convocato, si vobis videbitur, desuper provinciali aut synodali concilio, vos diligenter informetis, et quicquid tam per dicti Raphaelis Archiepiscopi confessionem ac testium depositiones, quam alias legitimas probationes repereritis, ipsiusque inquisitionis per vos habendum processum nobis infra tres menses, diem presentationis harum nostrarum litterarum immediate sequentes, sub vestris sigillis una cum litteris vestris significantibus, quanta sit illis fides adhibenda, per fidelem nuntium transmittere non postponatis; assignantes etiam dicto Archiepiscopo terminum competentem, infra quem apostolico conspectui personaliter, si vobis videbitur, alioquin per se vel procuratorem se presentet, facturus et recepturus super premissis, quod iustitia suadebit; a totali interim administratione etiam ipsum suspendentes, si ex qualitate receptarum probationum sic fiendum censueritis. Nos enim, ut inquisitionis officium huiusmodi, prout confidimus et speramus, diligenter et plenarie valeatis exequi, vobis et cuilibet vestrum dictum Raphaelem Archiepiscopum ad respondendum personaliter, et etiam singulariter singulis positionibus et articulis predictis, et aliis per vos seu instituendam personam desuper formandis, nec non testes, qui se gratia, odio vel timore subtraxerint, ad perhibendum testimonium veritati per censuram ecclesiasticam, et etiam, si ad id sufficientia indicia exegerint, per questiones seu torturas et alias formidabiliores, de quibus vobis videbitur, penas, ac contra quoscunque laicos vel ecclesiasticos, seculares seu regulares, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, eiusdem Raphaelis Archiepiscopi premissis adherentes, fautores et sequaces similiter inquirendi et procedendi, ac si id eorum demerita exegerint, et si ecclesiastice fuerint persone, dignitatibus ac beneficiis ecclesiasticis, si vero laice, feudalibus et emphiteuticis aliisque iuribus ac bonis, qui a prefata seu aliis quibusvis ecclesiis, monasteriis, piis locis seu aliis beneficiis ecclesiasticis quibuscunque tenent et possident, aliisque gravioribus penis puniendi et plectendi; contradictores quoque per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, ac illos nec non prefatum Archiepiscopum legitimis per vos desuper habendis servatis processibus aggravandi et reaggravandi, invocandique ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, nec non omnia alia et singula in premissis, et circa ea necessaria seu quomodolibet oportuna faciendi, statuendi, ordinandi et exequendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii octavi predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede predicta deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere seu alii vel aliis vices suas committere presumant, et de duabus dictis in concilio generali, et aliis constitutionibus

et ordinationibus apostolicis, nec non dicte ecclesie Colocensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis generalibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta iurisdictionis vestre explicatio in hac parte impendiri valeat quomodolibet vel differri, de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Aut si predicto Archiepiscopo seu quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari, seu inquiri aut privari vel puniri non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, quartodecimo Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia lib. XLVI. fol. 162.

EPISTOLAE CALISTI PP. III.

CCCCXXXIII.

Pontifex prohibet, ne domus ord. Minor. in Dalmatia ab vicariatu Bosnensi separentur.

Calistus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Dum fructus uberes, quos sedula et pervigil operatio dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum in vicaria Bosne consistentium in agro militantis ecclesie produxit hactenus et producit diligenter, attendimus, inducimur non immerito, ut ipsos et eorum loca in suis manutenere iuribus procuraremus, et ad ea libenter adhibeamus diligentie nostre partes, que ipsorum statum et tutelam respiciunt salutarem. Sane nuper ex eorundem fratrum in dicta vicaria consistentium conquestione percepimus, quod licet Gorzule et Priglium apud Spalatensem et insule Grapan apud Sibenicensem, et Pasman ac Veglani nec non Novi apud Iadrensem civitates domus, sive loca dicti ordinis partium Dalmatie ab eorum fundatione primeva, ac iuxta ritum et morem antiquum dicti ordinis sub prefato vicariatu Bosne, nec non fratres inibi pro tempore degentes sub cura, gubernatione et correctione vicarii dicte vicarie pro tempore existentis fore dinoscantur, tamen nonnulli prelati et alii predecessores dicti ordinis easdem domos a dicto vicariatu segregare et alibi applicare, seu in eisdem Dalmatie partibus alium vicarium erigere moliuntur in eorumdem fratrum dicte vicarie, que in insultibus sevissimorum Teucrorum prefati regni regiones nonnunquam invadere audentium, ac aliis plerisque necessitatibus suis ad alias domos partium Dalmatie huiusmodi refugium habere consueverunt, maximum preiudicium et iacturam: quare pro parte fratrum vicarie huiusmodi fuit nobis humiliter supplicatum, ut ipsorum statui et quieti super his opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem fratrum dicte vicarie statum prosperum et tranquillum paterno zelantes affectu ex premissis causis, ac etiam intuitu carissimi in Christo filii nostri Stephani Thome Regis Bosne Illustris, nos super hoc humiliter deprecantis per suum oratorem nobilem virum Nicolaum Iacobi Testa ad nos nuper destinatum, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis prelatis et aliis fratribus ordinis antedicti auctoritate apostolica tenore presentium in virtute sancte obedientie districtius inhibemus, ne domos et alia loca ipsius ordinis in prefatis Dalmatie partibus consistentia a vicariatu, sub quo illorum fratres constituti sunt, seiungere, segregare aut quomodolibet separare, aut de segregando vel disiungendo tractatus facere quoquomodo presumant, decernentes irritum et inane quicquid in contrarium contigerit per quoscunque et quavis auctoritate scienter vel ignoranter quomolibet attemptari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis domibus sive locis aut ordini, nec non prelatis vel fratribus predictis seu eorum alicui in genere vel in specie concessis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum aut alia quevis specificatio facienda foret, eorum tenores presentibus pro expressis habentes,

ac dicti ordinis statutis et consuetudinibus iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, pridie Kal. Maii. Pont. nostri Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. I. fol. 23.

CCCCXXXIV.

Stephanus Thomas rex Bosniae et comes Stephanus filius etc. sub Apostolicae Sedis protectione suscipiuntur.

Calistus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Stephano Thome Bosne Regi Illustri, salutem etc. Dudum tua catholica gesta in apostolicam sedem et christianam fidem etiam ante assumptionem nostram ad apostolatus apicem in animo nostro recensentes, ac tuum zelum tue devotionis et fidei considerantes equumque et decens existimantes, ut apostolica sedes tuis exigentibus meritis ac virtutibus citra corroborationem status tui regni se gratiosam prebeat et benignam, motu proprio et non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petionis instantiam, sed de nostra mera voluntate personam tuam ac Comitem Stephanum natum tuum et heredes, ac omnem familiam presentem et posteram cum civitatibus, castris et locis quibuscunque, que impresentiarum legitime possides, et in futurum, domino concedente, tam tu quam tui successores poteritis adipisci, sub nostra et beati Petri protectione suscipimus, nobisque et successoribus nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus ac eidem sedi volumus immediate subesse, decernentes, quantum cum deo et iustitia poterimus, te adversus quoscunque opprimere volentes defendere et manutenere. Tua igitur sublimitas ita continuo in honorem dei ac fidei christiane, sicut hactenus fecit, elaborare studeat, ut apud omnipotentem deum gratiam, et gloriam apud homines uberius consequaris. Nulli ergo etc. nostre susceptionis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, pridie Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. I. fol. 23.

CCCCXXXV.

Paulo presbytero Agriensis dioec. absolutio ab excommunicatione et dispensatio irregularitatis conceditur.

Calistus episcopus etc. Paulo Francisci de Opido Varario presbitero Agriensis diocesis, salutem etc. Solet sedis apostolice clementia recurrentibus ad eam cum humilitate personarum saluti libenter consulere, et per que suarum peramplius prodire speratur salus animarum, vota favorabiliter exaudire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod cum tu, ut accepimus, ob diversarum linguarum et ydiomatum periciam, quam habere dinosceris, ad audiendum confessiones bellatorum, et aliorum Christi fidelium, qui cum clare memorie Wladislao Ungarie et Polonie Rege, ac nonnullis aliis baronibus, qui contra perfidos Teucros perdicionis et iniquitatis filios ac christiani nominis detractores accedebant, una cum duobus aliis presbiteris per bone memorie Iulianum tituli sancte Sabine presbiterum Cardinalem in partibus illis apostolice sedis legatum deputatus fuisses pro catholice et orthodoxe fidei et christianorum defensione, interdum personaliter in bello contra Teucros et infideles ipsos manu armata hostiliter preliando, ac ex quodam fortalicio, Thabor nuncupato, cum machinis et pixidibus sive fistulis et balistis sagitas aliaque offendibilia per te et alios in dicto fortalicio existentes voce exclamando, mittendo et sagitando nonnullos ex eisdem Teucris interemisti, molestiasque, incendia, rapinas et dampna plurima spoliando, invadendo et diripiendo infidelibus ipsis et christiani nominis inimicis intulisti, a partibus Bulgarie usque ad mare Teucrorum terram intrando ac eisdem viriliter resistendo; demum post conflictum huiusmodi ab hostibus captus, et in Turchie partibus pluribus annis detentus captivus fuisti. Et sicut eadem peticio subiungebat, tu captivus apud Teucros existens, carnes quadragesimalibus et aliis vigiliarum prohibitisque diebus cum eis conversando comedisti, ac vota plurima etiam solemnia tempore tue captivitatis emisisti, que te libertati pristine restituto adimplere curasti, dubitasque propterea, te premissorum occasione homicidii reatum, ac excommunicacionis et alias sententias, censuras et penas in tales generaliter promulgatas dampnabiliter incurrisse. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut te, qui, ut asseris, iuxta virium tuarum possibilitatem christianis ipsis in bello contra Teucros huiusmodi cum benedictione nostra novissime accessurus assistere, ac coram principibus et baronibus, ac cuiuscunque conditionis hominibus Missas et alia divina officia

celebrare, necnon eorum confessiones audire desideras, a reatu homicidii et excommunicationis sententia aliisque censuris et penis ecclesiasticis, quas propterea quomodolibet incurristi, absolvere, tecumque super irregularitate dispensare, ac alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur illius vices gerentes in terris, cuius proprium est misereri semper et parcere, et qui salutem tota mente Christi fidelium appetimus animarum, volentes te, alias apud nos de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, te a reatu homicidii huiusmodi, necnon excommunicationum, suspensionum et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine generaliter vel specialiter latis, inflictis, seu eciam promulgatis, quas propter premissa quomodolibet incurristi, auctoritate apostolica hac vice dumtaxat absolvimus, tecumque super irregularitate, si quam eisdem sententiis vel earum aliqua ligatus, Missas et alia divina officia celebrando, aut illis te immiscendo contraxisti, quamquam tu in susceptis per te ordinibus eciam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeas, eadem auctoritate apostolica dispensamus, omnemque inabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione quomodolibet contractam penitus abolemus, tibique nichilominus confessiones Christi fidelium quorumcunque contra Teucros infideles et iniquitatis filios huiusmodi accedentium, aut manus adiutrices contra eosdem porrigentium, cuiuscunque gradus, status, ordinis vel conditionis existant, audire, ipsosque a quibuscunque ipsorum peccatis, delictis et excessibus per eos commissis et perpetratis, eciam si talia fuerint, propter que sedes apostolica merito sit consulenda, absolvere, ipsisque in sinceritate fidei, unitate sancte matris ecclesie ac obedientia et devocione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, prout tibi conscientia dictaverit, et animarum suarum saluti videris expedire, remissionem plenariam impendere possis et valeas, necnon tibi versa vice in sinceritate fidei, unitate sancte matris ecclesie et devocione ac obediencia nostra persistenti, ut confessor idoneus, quem duxeris eligendum, quociens necessarium fuerit, ab omnibus peccatis tuis qualitercumque enormibus te absolvere, ac similem remissionem impendere possit et valeat, prefata auctoritate tenore presentium indulgemus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, dispensacionis, abolicionis et concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, quartodecimo Kal. Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 28.

CCCCXXXVI.

Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae in Zassovice Transilv. dioec. visitantibus conceduntur indulgentiae.

Calistus episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia etc. Cum itaque, sicut accepimus, parochialis ecclesia beate Marie loci in Zassovice Transilvanensis diocesis ab aliquibus annis citra per Teucros, fidei christiane atrocissimos hostes, bina vice cum libris, calicibus et aliis ecclesiasticis ornamentis proh dolor! combusta fuerit, ac de illius reedificatione, restauratione et conservatione dicte ecclesie non suppetant facultates, sed Christi fidelium suffragia sint quam plurimum oportuna: nos cupientes, ut ipsa ecclesia congruis honoribus frequentetur, et celeriter reedificetur, restauretur et conservetur, cultus quoque divinus inibi perpetuo vigeat et augeatur, ac ipsi fideles ad illam eo libentius devotionis causa confluant, nec non ad reedificationem, restaurationem, conservationem ac divini cultus augmentum huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in annunciationis, visitationis, nativitatis, purificationis et assumptionis prelibate virginis Marie, ac in sancti Bartholomei et sancti Georgii festivitatibus, nec non in die dedicationis prefate ecclesie, ac per ipsarum festivitatum octavas devote visitaverint et ad huiusmodi reedificationem, restaurationem, conservationem et divini cultus augmentum manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet festivitatum et dedicationis septem annos et totidem quadragenas, octavarum vero huiusmodi diebus centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post viginti annos minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, Kal. Iunii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. XIX. fol. 136.

CCCCXXXVII.

Iudicibus mandatur, ut Nicolao Baruis Agriensis dioecesis quaedam beneficia conferant.

Calistus episcopus etc. Dilectis filiis preposito sancti Thome in Castro Strigoniensis diocesis et Archidiacono de Pacha Agriensis ecclesiarum, salutem etc. Nobilitas generis, litterarum scientia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Nicolaus Baruis presbiter Agriensis diocesis, decretorum doctor, fide digno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai petitio continebat, quod olim prepositura ecclesie Agriensis, que inibi dignitas post pontificalem maior ac de iure patronatus laicorum ex speciali sedis apostolice privilegio, cui non censetur hactenus fore derogatum, existit, tunc per promotionem Venerabilis fratris nostri Philippi Episcopi, tunc Electi Agriensis, ad ipsam Agriensem ecclesiam tunc vacantem, certis modo et forma factam ac munus consecrationis impensum eidem, vacante, dilecti filii universi patroni dicte prepositure existentes in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi personam idoneam ad illam, dum vacaret pro tempore, prefatum Nicolaum ad ipsam preposituram sic vacantem prefato Episcopo infra tempus debitum presentarunt, ipseque Episcopus ad presentationem huiusmodi prefatum Nicolaum in prepositum dicte ecclesie ordinaria auctoritate instituit, nec non cum ipso Nicolao tunc parochialem ecclesiam beate Marie obtinente, ut easdem preposituram et parrochialem ecclesiam insimul, quoad viveret, obtinere posset, quamvis de facto dispensavit; quare presentationis, institutionis et dispensationis pretextu idem Nicolaus preposituram ipsam assecutus, illam ex tunc ac parrochialem ecclesiam huiusmodi insimul per plures annos detinuit, prout detinet, indebite occupatas, fructus percipiens ex eisdem similiter de facto. Cum autem secundum premissa prepositura per assecutionem dicte parrochialis ecclesie, nec non eadem parrochialis ecclesia huiusmodi per constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacaverint et vacent ad presens, nullusque de predicta parrochiali ecclesia preter nos pro eo, quod idem Iohannes predecessor noster in dicta constitutione omnes parrochiales ecclesias ac alia curata beneficia, que per eandem constitutionem vacare contingeret, sue et predicte sedis collationi et dispositioni reservans, decrevit ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: Nos dicto Nicolao, qui, ut asserit, de nobili genere procreatus, ac Carissimi in Christo filii nostri Ladislai Ungarie et Boemie Regis Illustris in predictis Regnis vice cancellarius existit, premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per ipsum Nicolaum premissorum occasione contractam penitus et omnino abolentes, necnon fructus per eum indebite perceptos huiusmodi sibi totaliter remittentes, ipsumque Nicolaum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine promulgatis, quibus forsan apostolica vel alia quavis auctoritate quomodolibet innodatus existit, quoad hoc, ut presentium dumtaxat consequatur effectum, dicta auctoritate apostolica harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dictus Nicolaus etiam ex quibusvis aliis apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quorumcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, redditnum et proventuum veros valores annuos ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios preposituram, cuius triginta, ac ecclesiam predictas, cuius viginti marcharum argenti fructus, redditus et proventus secundum communem computum valoris annui, ut ipse etiam Nicolaus asserit, non excedunt, sive premissis sive aliis quibusvis modis, aut ex aliorum quorumcunque personis seu per liberam resignationem aliquorum de illis in Romana Curia vel extra eam, coram notario publico et testibus sponte factam, vel assecutione alterius ecclesiastici beneficii quavis auctoritate collati vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipseque prepositura et ecclesia parrochialis dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservate existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum etiam presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes

eum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prepositure et parrochialis ecclesie vacantium, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, ac facientes ipsum Nicolaum vel dictum procuratorem pro eo ad huiusmodi preposituram, ut est moris, admitti, sibique de illius ac dicte parrochialis ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri ac aliis apostolicis constitutionibus, nec non dicte ecclesie Agriensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus faciendis de dignitatibus ipsius ecclesie Agriensis ac huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales predicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus prefatum Nicolaum in assecutione prepositure et ecclesie parrochialis huiusmodi volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem dignitatum seu beneficiorum aliorum huiusmodi preiudicium generari; seu si Episcopo Agriensi pro tempore existenti et dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie, seu quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de dignitatibus ipsius ecclesie Agriensis ac huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Seu si dictus Nicolaus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus prefate ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestet. Nos enim cum prefato Nicolao, ut preposituram et parrochialem ecclesiam huiusmodi, si sibi vigore presentium conferantur, recipere et illas insimul vel absque eis quecunque duo alia ecclesiastica curata vel alias sine cura incompatibilia beneficia, etiam si dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, et dignitates ipse in cathedralibus et metropolitanis post pontificales maiores seu in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, vel duo parrochiales ecclesie aut earum perpetue vicarie seu tales mixtim fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si sibi alias canonice conferantur, aut ipse eligatur vel assumatur ad illa, etiam recipere et insimul, quoad vixerit, retinere, eaque omnia et quevis alia per ipsum Nicolaum imposterum canonice assequenda incompatibilia beneficia simul vel successive, simpliciter vel ex causa privationis, quotiens sibi placuerit, dimittere et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum seu ecclesiastica, duo duntaxat in invicem incompatibilia similia recipere et insimul, quoad vixerit, retinere libere et licite valeat, generalis concilii atque aliis apostolicis constitutionibus, nec non predictis et aliarum ecclesiarum, in quibus huiusmodi incompatibilia forsan fuerint, iuramento simili roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia dispensamus; proviso, quod prepositura et parrochialis ecclesia seu alia incompatibilia beneficia huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur: et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, Non. Iunii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. II. fol. 238.

CCCCXXXVIII.

Stephano de Warada archidiacono de Pacha indulgetur, ut praeposituram ecclesiae Agriensis obtinere possit.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Stephano de Warada Archidiacono de Pacha in ecclesia Agriensi, decretorum doctori. salutem etc. Nobilitas generis, litterarum scientia, vite ac morum ho-

nestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est, quod nos volentes te, qui, ut asseris, ex utroque parente de nobili genere procreatus existis, ac nuper ad canonicatum et prebendam, nec non preposituram ecclesie Transilvanensis, tunc per obitum quondam Andree olim dicte ecclesie canonici et prepositi extra Curiam Romanam defuncti vacantem, per Carissimum in Christo filium nostrum Ladislaum Regem Ungarie Illustrem, cum ad Regem Ungarie pro tempore existentem de antiqua et approbata, ac hactenus pacifice observata consuetudine ius presentandi personam idoneam ad dictos canonicatum et prebendam ac preposituram, dum pro tempore vacant, pertineat, confisus, quod tu diligentem te redderes sollicitatorem ipsius ecclesie Transilvanensis, que per Turcos bis combusta et spoliata fuit, ut bona, que multipliciter usurpata et illicite detenta erant, ad ius, proprietatem et usum eiusdem ecclesie restituerentur, Venerabili fratri Episcopo Transilvanensi infra tempus debitum presentatus fuisti, premissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, ac omnia et singula ecclesiastica cum cura et sine cura beneficia, que etiam obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos presentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut preposituram prefate ecclesie Transilvanensis, que inibi dignitas principalis, curata et electiva existit, cuiusque triginta, si in illa instituaris, aut illa tibi in vim dicte presentationis seu alias canonice conferatur, recipere et una cum illa archidiaconatum de Pacha in ecclesia Agriensi, que inibi dignitas, non tamen maior post pontificalem existit, et ad quem non consuevit quis per electionem assumi, ac cui cura imminet animarum, cuiusque etiam triginta marcharum argenti fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, insimul, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas, generalis concilii et aliis apostolicis constitutionibus, nec non predictarum ecclesiarum statutis et consuetudinibus, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus; proviso, quod prepositura et archidiaconatus predicti debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre dispositionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, Non. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. XIX. fol. 136.

CCCCXXXIX.

Universis fidelibus ecclesiam S. Nicolai in Vethes Transilv. dioec. devote visitantibus indulgentiae conceduntur.

Calistus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ante tronum divine maiestatis fideles Christi sanctorum piis adiuti suffragiis, ad eorum colenda festiva solemnia eo debent ferventius excitari, quo talium patronorum fulciti presidiis potiora glorie retributionis premia promerentur. Et preterea nos more pastoris vigilis oves gregis dominici cure nostre commissas, quas cupimus in caula domini congregari, ad eorundem sanctorum trahimus libenter obsequia, ut illos in conspectu domini devota veneratione collaudent. Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancti Nicolai in Vethes Transilvanensis diocesis congruis honoribus frequentetur, ac Christifidelium devotio nec non divinus cultus in ea per amplius augeatur, et in structuris et edificiis suis debite reparetur, restauretur et conservetur, ipsique Christifideles eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, ac ad huiusmodi reparationem, restaurationem et conservationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui prefatam ecclesiam in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis ac sanctorum Nicolai Episcopi et Alberti festivitatum diebus, ac dedicationis ipsius ecclesie devote visitaverint annuatim, et ad reparationem, restaurationem et conservationem ac cultus augmentum huiusmodi manus porrexerint adiutrices, diebus eisdem septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam seu ad illius reparationem, restaurationem et conservationem manus adiutrices porrigentibus, seu alias inibi pias elemosinas erogan-

tibus, aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud sanctum Petrum anno Incarnationis dominice MCCCCLV. IV. Kal. Augusti. Pont. nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. XX. fol. 107.

CCCCXL.

Dionysius S. Cyriaci cardinalis constituitur legatus a latere in regno Hungariae.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Dionisio tituli sancti Cyriaci in Thermis presbitero Cardinali, in Regno Hungarie nostro et apostolice sedis legato de latere, salutem etc. Licet omnium Christifidelium unio sit summe optanda, hoc presertim calamitoso tempore, in quo perdicionis filius Mahomet Bey Turcorum, caput et dux, tamquam procella vehemens nomen christianum perdere de terra cupit: illlorum tamen in primis est non solum necessaria, sed summo studio querenda, qui superbos eius spiritus quasi celesti quodam dono reprimere consueverunt. Intelligentes itaque non sine amaritudine cordis nostri inclitum Hungarie Regnum, cui nos pro meritis suis summe afficimur, et quod hactenus scutum christianitatis esse consuevit, in capite et membris sibi invicem dissentire, ac inter Carissimum in Christo filium nostrum Ladislaum Regem Illustrem et Prelatos ac Barones et populos Regni prefati, rursumque inter hos ipsos certas dissensiones subortas esse, que impedimento manifesto sunt, quominus oportunum aliquid per eos parari aut effici possit, videmus maximo presidio carendum esse fidei nostre, nisi reconciliatis animis ad veram caritatem et pacem reducantur. Et propterea cupientes votum omnipotenti Deo reddere, quod a principio nostri pontificatus solemniter vovimus, videlicet ecclesie thesauros et vitam propriam, si ita necesse erit, ad eversionem huiusmodi impiissimi Mahometi impendere, ac considerantes omnem dilacionem, que interponitur, dampnabilem esse, et hosti vires, nobis calamitatem adiungere: ideoque intendentes, quantum divina clementia largiri dignabitur, proxime venturo vere erecto vexillo Crucis, arma salutis contra prefatos Turcos terra marique movere, ut in tanto Christianorum apparatu robur Regni Hungarie per intestinas discordias non desit, in quo certe precipua fundamenta victorie ponimus, ad has tollendas, si ita Deus annuerit, inducendamque pacem, vel saltem treugas, de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium consilio et assensu, te, qui de illorum numero existis, et de cuius fide, integritate maximaque rerum experientia plenam in Domino fiduciam gerimus, tamquam pacis Angelum in prefato Regno Hungarie nostrum et apostolice sedis Legatum de latere duximus deputandum, et presentium serie facimus, constituimus et deputamus, tibi eumdem Regem, prelatos, barones ac populos Regni prefati et alias quoscunque regnicolas inter se quomodolibet dissidentes nostro et dictorum fratrum nomine ad pacem et mutuam concordiam hortandi, monendi et requirendi, ac eorum discordias et dissensiones penitus tollendi et extirpandi, ac super ipsis amicabiliter iudicandi, terminandi, decidendi, pasciscendi et componendi, pacemque ipsam et concordiam, vel saltem treugas, si pax sequi non potest, perpetuo vel ad tempus, de quo tibi videbitur, tractandi, firmandi et concludendi, ac pro eius firma conclusione et observacione, que tibi visa fuerint, nostro et ecclesie Romane nomine promittendi, ac insuper nos et ecclesiam ipsam, prout tue prudentie videbitur necessarium, obligandi, nec non pro observanda huiusmodi pace vel treugis securitates quascunque necessarias et oportunas utrinque prestandas, ut per viam compromissi, vel alias tractandi, firmandi, prestandi et concludendi, Pacta insuper et capitula pacis vel treugarum huiusmodi firmitatem et securitatem continencia ordinandi, faciendi, concludendi et decidendi, ad pacem, Deo propicio, vel treugas predictas, postquam firmata fuerit, per supradictos observandam mandandi, Contradictores et consentire nolentes per censuras ecclesiasticas, de quibus in aliis litteris felicis recordationis Nicolai PP. V. predecessoris nostri et nostris, quas ad te mittimus, plenius continetur, compellendi, omniaque alia et singula faciendi, gerendi et exercendi, que pro huiusmodi inducenda pace vel treugis, ac earum stabilimento et securitati necessaria videris, seu eciam oportuna; insuper eciam prefatos omnes et singulos Regem, prelatos, barones et populos regni predicti, et alias quoscunque regnicolas nominibus supra monendi, rogandi et obtestandi, ut pro honore Dei et populi Christiani salute, cuius causa nunc agitur, proxime venturo vere, depositis discordiis prefatis, parati sint et attenti ad salutarem hanc Christianorum expedicionem, et interim nullam quovis modo intelligenciam, nullum fedus cum eodem Mahometo ineant seu recipiant, sed ad ipsius extremam confusionem, ut semper gloriose consueverunt, se animent, concedentes super his auctoritate apostolica harum serie plenariam facultatem, et

eciam potestatem: nos enim obligacionis pacta et federa quecunque pro huiusmodi pace vel treugis inducendis, earumque securitate et firmitate prestanda, ac ceteris supradictis exequendis duxeris ordinanda, firmanda, seu eciam facienda, rata et grata habebimus, eaque faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Tu igitur iniunctum tibi huius laboris onus et cure ob Dei et apostolice sedis ac nostram reverenciam devote suscipiens, ita studiose, sapienter et integre iuxta concessam tibi a Domino gratiam exequaris, ut celesti tibi favente clementia tuis laboribus et vigiliis sperati pacis et concordie fructus proveniant, tuque in hac causa, que Christi est et nostra, eterne glorie palmam consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 129.

CCCCXLI.

Ioannes S. Angeli cardinalis in Germaniam, Hungariam et alias terras legatus a latere mittitur.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio nostro Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, per Germaniam, Hungariam, regna et terras Turchis subiectas et illis finitimas nostro et apostolice sedis legato de latere, salutem etc. Excelsus Dominus, qui humilia respicit et alta a longe cognoscit, ad superborum reprimendum conterendumque colla nonnunquam Angelorum, nonnunquam hominum est usus ministerio, ut sacrarum litterarum exempla admonent, opera sancti Michaelis Arcangeli, quem animalibus iustis preposuit, draconem ex celo deiecit, ad fundendas perdendasque peccatrices Amorreorum gentes Moysen Iosueque delegavit, Angelo denique excelso suo habitaculo emisso, elatam Senacherib suberbiam humiliavit, humiliatasque Iudeorum gentes erexit. Cum itaque Machomet, Turcorum pestiferum caput, divinarum humanarum naturaliumque legum oblitus atque transgressor, illis non contentus preesse, quos ut se antiqui Mahometi dogma tenet deceptos, cultrices nominis Christi civitates ferro igneque vastaverit, aut sue superbie servire coegerit, ac postremo nobīīam illam Constantinopolitanam urbem cum magna Christianorum cede sue ditioni subiecerit, et in tantam elationem ascenderit, ut imperium orbis usurpare, Machometi sectam propagare, et nomen Ihesu, in quo salus est, delere contendat, ad quod certe omnis ipsius Machomet cogitatio, studium apparatusque exercituum sedulo incumbit: predecessor noster fel. rec. Nicolaus PP. V. paterna meditatione ad obviandum intentus, ne hic filius perditionis christianum sanguinem sitiens suas perversas cupiditates expleret, cunctos christianos populos requisivit et admonuit, ut ad defensionem christiane religionis et fidei cum bonis et personis assurgerent, et tamquam ad incendium commune extinguendum occurrerent, ut in suis desuper datis litteris plenissime continetur. Ipso vero predecessore nostro, ut Deo placuit, vita functo, et nobis ad summi apostolatus apicem assumptis, qui ferventioribus desideriis ad ipsum Machometum perdendum vota nostra convertimus, ad exequendum, que contra eumdem eiusque impiam gentem tota mente optamus, volentes exemplo altissimi tuo uti ministerio, de venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium, de quorum numero existis, consilio et assensu per Germaniam, Hungariam, regna et terras Turchis subiectas et illis finitimas te nostrum et apostolice sedis legatum de latere cum pleno legationis officio creamus et facimus, dantes tibi, cuius humero signum mirifice crucis manibus nostris imprimimus in memoriam eius, qui nos admonens ad sui sectanda vestigia, ait: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me; auctoritate apostolica plenam potestatem non solum predicandi et predicari faciendi ipsam prefatam crucem contra Turcum predictum, aliosque infideles damnate secte perfidi Mahometi sectatores, sed cunctis quoque fidelibus huic sancte operi se devoventibus illius signum imprimendi, et imprimi faciendi, in primis per viscera misericordie Dei nostri, in quibus visitare nos ex alto dignatus est, rogandi, monendi et requirendi Carissimos in Christo filios nostros Fridericum Romanorum Imperatorem semper Augustum, ac Ladislaum Hungarie Regem Illustrem, et alios quoscunque reges, principes, prelatos, duces, comites et barones, ac cunctos populos christianos, ut contra ipsum immanissimum Turchum aliosque infideles damnate secte perfidi Mahometi, ut predicitur, sectatores cum omnibus potentiis suis assurgant, eisque bellum inferant et gerant; preterea quoque auctoritate nostra districtius inhibendi sub censuris et penis, de quibus circumspectioni tue videbitur, ne cum eo amicitiam, fedus seu treugas perpetuo vel ad tempus quomodolibet faciant; postquam vero divino auxilio exercitum catholicum congregaveris sufficientem ad supradictam feritatem illius predicti hostis christiani nominis, erecto ad eius terrorem et nostrorum spem crucis vexillo, ipsi ex-

ercitui pia ac paterna cura adherebis, illum primo admonebis, ut quandoquidem timentibus Deum omnia prospera eveniunt, spernentibus autem adversa, ipsum in penitentia cordis eorum placent, ipsum venerentur, ipsi tamquam turri fortitudinis adhereant, hortans et precans, ut iugum hoc divina dispositione impositum animose suscipiant ad sui nominis exaltationem, ac ne multitudinem de se gloriantium expaveant, ad memoriam reducens, quam magnus sit dominus exercituum, et quam magna eius potentia, qui in paucis vernaculis Abrahe fidenti de potentibus regibus victoriam dedit, et impiorum gladios in illosmetipsos convertit, memor enim testamenti sui, piissimus Deus non relinquet virgam peccatorum super sortem iustorum, demum quoque ostendens quemadmodum, qui in hac publica fidei et totius christianitatis causa legitime certaverint, vite coronam accipient, ac in premium perpessi laboris celestem illam patriam consequentur, in qua cum sanctis Dei evo sempiterno fruentur, dantes insuper tibi auctoritate apostolica plenam et liberam facultatem omnia et singula faciendi, gerendi, statuendi, percipiendi, que ad consumationem tibi commissorum vel quorumlibet eorum necessaria iudicaveris seu etiam oportuna, mandantes omnibus et singulis quacumque dignitate, privilegio et exemptione prefulgeant, ut tibi vices nostras gerenti tamquam nobis ipsis pareant et obediant. Nos enim quecunque circa premissa, aut quodlibet premissorum mandaveris, et sententias quascunque, censuras et penas, quas in rebelles iuste tuleris, statuerisque, auctore Domino, faciemus inviolabiliter observari. Tu ergo hoc idem ministerium et onus tibi impositum prompta devotione suscipiens pro honore Dei, et nostra ac apostolice sedis reverentia, necnon pro salute populi christiani, sic te ipsum in tam salutari opere ad optatum finem deducendo magnanime, prudenter et laboriose studeas exercere, ut sperati et diu concupiti ceptorum operum nostrorum fructus fide, diligentia ac vigilantia circumspectionis tue, quibus confidimus, feliciter proveniant, tuque cum omnibus huic sancte rei auxilium prestantibus summam apud nos commendationem, et veram apud omnes christianos laudem, apud omnipotentem vero Deum sempiternam gloriam consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, xv. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 213.

CCCCXLII.

Epo Milopotamensi, ut Bernardo Grimani laico Agriensis dioec. de certis bonis satisfieri curet.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Milopotamensi, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Bernardi Grimani laici Agriensis diocesis petitio continebat, quod postquam dudum ecclesie Agriensi tunc pastore carenti de persona bone memorie Luce Episcopi Agriensis auctoritate apostolica provisum, ipseque illi in Episcopum et pastorem prefectus extitit, ac in accessu suo ad eandem ecclesiam secum quamplurima bona, et presertim libros non modici valoris apportavit, illosque in presentia fidedignorum testium donatione inter vivos facta dicto Bernardo tunc absenti, etiam in morte affirmando, donavit, ac deinde eidem ecclesie tunc pastoris solatio per obitum dicti Luce destitute de persona Venerabilis fratris nostri Michaelis Episcopi Agriensis per sedem apostolicam proviso, idem Michael Episcopus omnia per dictum Lucam donata et in ultima voluntate relicta, exceptis libris prefatis, promisit adimpleri, quodque idem Michael Episcopus sepius a dicto Bernardo requisitus, ut ipsos libros sibi traderet: idem tamen, nescitur quo spiritu ductus, id facere recusavit in non modicum ipsius Bernardi preiudicium, damnum et iacturam. Quare pro parte dicti Bernardi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus causam et causas, quam et quas prefatus Bernardus prefato Michaeli Episcopo super premissis et certi affictus (sic) dicti Episcopatus Agriensis libris movet seu movere vult et intendit, alicui probo viro seu prelato in partibus illis committere, et sibi in hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis partibus hinc inde causam huiusmodi per te ipsum auctoritate nostra audias, et debito fine decidas, faciens quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes etiam, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur; seu ne iudices a sede

deputati predicta extra civitatem vel diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem extra vel ultra certa loca ad iudicium trahere presumant, et de duabus dietis in concilio generali et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque; aut si dicto Michaeli Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, tertio Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. XXIII. fol. 19.

CCCCXLIII.

Pontifex archiepum Atrebatensem, narrata gloriosa Hungarorum victoria ab Turcis relata, hortatur, ut ducem Burgundiae ad Hungaros contra eosdem Turcas adiuvandos excitet.

Venerabili fratri Archiepiscopo Atrebatensi.

Calistus PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Accepimus nuper litteras tuas, que nobis grate fuerunt, qui bonam nobis dant spem eorum, que a nobis habes in commissis. Sed quoniam ea et presertim factum ecclesie Traiectensis nobis est valde cordi, fraternitatem tuam hortamur, ut omni cura et studio cum tuo principe enitaris, ut ea res cum omni quiete, pace et concordia quietetur et pacificetur, quemadmodum promissum nobis fuit; ita ut ea pro re molestiis, quas quotidie pene sustinemus, liberemur: non dubitamus, quin consilio et auctoritate apud tuum principem valeas plurimum, et pro tua erga nos et sedem apostolicam reverencia et devocione te grata nobis velle facere. Iterum igitur te hortamur, ut in premissis opereris, quod de te confidimus et speramus. Circa commissionem vero monachorum ceterorumque religiosorum per nos tibi factam, quid egeris, scire optamus, et quid auxilii ex ea re sperare possumus in hoc sancto negocio cruciate, cuius quotidiana cura animum nostrum vehementer angit, nunc presertim, quando omnipotens deus celesti potencia ita pessimorum Turcorum vires attrivit, ut aperta sit via non solum ad eos extirpandos, sed ad universum infidelium genus a stirpe eradicandum. O admirabile imperium Salvatoris nostri! Venerat insanus Turchus furiis accensus, et cum validissimo exercitu, qui plana et montes occupabat, Castrum Monteralbense (?), clavem Regni Hungarie, dura expugnatione premens, disiectis iam muris et defensaculis, castro potiri se credebat: in cuius amissione suprema fortuna universe republice christiane versabatur; eo namque amisso, Turco aditus patebat sine obstaculo in Hungariam: unde mox oportunitatem vexande tocius christianitatis nactus videbatur. Sed non est passus dominus summus tantis tenebris implicari suam religionem, nec tantam ignominiam fidei orthodoxe irrogari, fecit potenciam in brachio suo, et vires sensumque eripuit barbaris, qui ab unico Christi fortissimo athleta Iohanne Vayvoda, et a parva manu plebeiorum et inermium militum crucesignatorum profligati navali terrestrique pugna, et in fugam cum maxima eorum strage, amissis etiam admirabilibus eorum machinis et instrumentis bellicis, conversi sunt. Turchus autem ipse furoris princeps vix nostrorum manus effugiens saucius, ut plerique aiunt, equo salutem quesivit. Hac autem memoriali victoria nos, ut par est, in tanto cordis gaudio, omisso veteri languore, quem ex Christianorum potentatuum tarditate conceperamus, mirabiliter exultavimus, et immortali deo gratias et honores dignos reddidimus, et ubique, ut redderentur, ordinavimus. Fraternitatem igitur tuam hortamur, ut des operam, quod itidem in partibus illis fiat: mittimus enim ad te bullam orationum, quam dudum de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio ordinavimus, et per universum orbem christianum fecimus publicari: quibus orationibus non dubitamus omnipotentem deum inclinatum hanc inopinatam victoriam concessisse. Tu igitur bullas ipsas cum omni devocione et reverencia publicari per universam illam provinciam et execucioni mandari procurabis, autenticas earum copias, quocunque opus fuerit, mittendo. Nec minus invigiles omni cura et principem tuum excites, ut nobiscum personaliter conveniat ad hoc dignum opus extirpandorum infidelium: certa enim spes nobis iniecta est ex inviolata fide, quam tenemus, quod non solum Constantinopolim recuperabimus, sed Europam, Asiam ac Terram sanctam liberabimus. Sequantur modo nos catholici principes, et se aliquando excitent pro fide Christi, ut tenentur. Et quoniam interim ad fortificandam augendamque classem nostram, que iam diu in orientem navigavit, et pro

aliis oportunis rebus ad tantum opus aggrediendum insupportabilibus gravamur expensis, ut iam nichil nobis reliquum sit etiam auri, argenti, iocalium et domesticarum suppellectilium, que omnia in monetas excudi et fabricari iussimus, easque iam omnes insumpsimus: hortamur fraternitatem tuam, ut apud principem tuum et apud quoscunque opus fuerit, adnitaris, ut pecunie tam vigore tue commissionis, quam ex cruciata et oblationibus Christifidelium collecte, ad nos quamprimum transferantur: non possumus enim tanto operi sufficere, nisi Christifideles nobis subveniant. Ceterum mittimus ad partes illas dilectum filium Petrum Clerici, ad quas iam etiam miseramus, quem bene fecisti iuvare. Itaque iuva hec negotia, que dei sunt: et omnino sine scandalo transeat factum ecclesie Traiectensis, ut omnibus quies detur, cultuque divino et bono regimine minime defraudetur. Datum Rome apud S. Petrum sub anulo piscatoris die XXIV. Augusti MCCCCLVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. VII. fol. 29.

CCCCXLIV.

Ioanni card. S. Angeli legato, ut causas ep̄i Quinqueecclesiensis de quibusdam decimis decidat.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Certiores redditi ex litteris Carissimi in Christo filii nostri Ladislai Hungarie et Boemie Regis Illustris ac tuis, quantum expediat prelatis et principibus dicti Regni vacare ad regni predicti defensionem et infidelium repressionem, quodque Venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Episcopum Quinqueecclesiensem arduis serenitatis sue negotiis inherentem non expediat in Romana Curia litigare, hoc presertim tempore, in quo scilicet causa dei et fidei catholice studiose agitur, nos, qui omni desiderio cupimus dictos infideles opprimi, et omnem occasionem tam publicam quam privatam, que hiis impedimentum aliquod afferre posset, removere, motu proprio ac ex certa scientia causas decimarum quascunque contra bone memorie Andream Ep̄um Quinqueecclesiensem per dil. filios Ladislaum Abbatem et Conventum de Bathia de et super decimis dicte possessionis Bathia ac Apati et alterius Apathi nec non Hay motas, coram quocunque seu quibuscunque sacri palatii apostolici causarum auditoribus, aut aliis quibusvis iudicibus pendentes, in terminis, in quibus sunt, etiamsi ad omnem terminorum observationem et certarum pretensarum remissoriarum reportationem sit processum, litium status habentes, presentibus pro sufficienter expressis, nec non causam executionis certarum super summa quatuor millium Florenorum per dictum quondam Andream Episcopum contra dictos Abbatem et conventum in Romana curia motam, et per dictum Nicolaum Episcopum tam in agendo, quam in defendendo prosecutam harum serie ad nos advocantes, circumspectioni tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, auctoritate apostolica per presentes committimus et mandamus, quatenus summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, vocatis qui fuerint evocandi, te de meritis dictarum causarum diligenter informes, ac appellatione cessante, remotis etiam quibuscunque exemptionibus, quibus tua iurisdictio super hiis ex presentis rescripti surreptione aut obreptione forsitan elidi vel impediri quomodolibet pretenderetur et posset, partibus, ut premittitur, iustitiam administres, faciens, quod decreveris, per opportuna iuris remedia, appellatione cessante, firmiter observari; tibi causam et causas predictas alii seu aliis, de quibus eidem circumspectioni tue videbitur, delegandi facultatem dantes atque potestatem, quibuscunque exemptionibus datis et dandis, commissionibus quibusvis in hac causa obtentis, ceterisque contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MCCCCLVI. octavo Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. XXIII. fol. 189.

CCCCXLV.

Legatis Sedis Apostolicae, ut principes christianos ad prosequendum contra Turcas bellum et adiuvandos Hungaros exhortentur.

Legatis Sedis Apostolice.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Cum gravibus curis afficeretur animus noster, et incredibili dolore sensus nostri augerentur propter gravissimum discrimen, in quod universam christianitatem adductam cernebamus, illuxit omnibus inopinantibus felicissimus dies, quo crudelissimum Christiani nominis hostem Turcum, divino suffragante auxilio, Hungarorum faustis armis ab absidione castri Nandaralbensis depulsum, amissis omnibus machinis et bellicis instrumentis, et navali terrestrique pugna superatum fugatumque audiremus. Quo nuncio nihil in vita nostra iocundius, nihil christiano

populo optabilius contingere potuisset. Quod si quis pericula, que orbi christiano iminebant, considerare velit, si innumerabilem exercitum hostium animo contemplari, si denique ipsius Turci feritatem obstinatumque propositum subiugande christianitatis animadvertat, fatebitur profecto, immortalem dominum precibus nostris et aliorum Christifidelium inclinatum tantam hanc victoriam populo suo concessisse: nos enim rati, humanas vires non posse sine divino auxilio molem tanti furoris sustinere, bullas nostras orationum die festivitatis beatorum apostolorum Petri et Pauli in basilica principis apostolorum Petri publicari fecimus, et cum devotione processiones et orationes diebus et horis statutis, et cetera omnia in eis contenta tam hic in urbe, quam in terris nostris et sedis apostolice fieri fecimus, bullasque ipsas inter missarum solempnia licet immeriti celebravimus, et per universum orbem Christianum, et tibi, ut scis, exequendas et publicandas misimus, hortantes Christifideles, ut in tanto periculo divinum subsidium implorarent. Quibus devotisissimis orationibus et aliis per Christifideles factis credendum est, deum pacatum esse, quem alias propter gravia peccata populi sui iratum sensimus, ut quandoquidem mortalia consilia et vires deficiebant, sua divina potencia crudelissimos hostes debellaret, prout nostri miseratus gloriose debellavit: nam feria sexta ante festum beati Iacobi felicissima pugna ab Hungaris contra Turcos commissa et victoria a domino deo exercituum optenta est. Quapropter merito laudes et honores tanto creatori reddendi sunt, qui tantum periculum a populo suo avertit, et tenebras, quibus fides ortodoxa obscuranda videbatur, subita serenitate discussit. Itaque circumspetcionem tuam hortamur, ut Carissimum in Christo filium nostrum Francorum Regem Illustrem, aliosque principes tue legationis tu quoque nostro nomine horteris, ut divine maiestati gratias agant, prout nos ubique fieri fecimus, et ut continuetur, mandavimus, seque nichilominus et potenciam suam excitent et nobiscum conveniant, qui ad totalem Machometice gentis eradicationem anhelamus: nuncque maxime tempus est prosequi victoriam celitus nobis promissam, ut Christifideles collectis viribus Turcorum regna aggrediantur, que, quoniam dux eorum debellatus confususque est, et incertus quid agat, turpem in fugam se convertit, facillime optinebuntur: classis vero nostra in orientem iam navigavit, ad quam fortificandam et augendam toto posse intendimus, et quicquid habemus, exponimus. Ut autem ordinem rerum gestarum circumspectio tua intelligat, aliisque hanc letitiam intimare possit, mittimus hic inclusas copias litterarum, quas ex Hungaria habuimus, quosque omnibus notificare procurabis. Et quia in tanta victoria prosequenda ad finale exterminium non solum Turcorum, sed totius secte damnate perfidi Machometi, ne tanta gratia nobis celitus data in neglectum quoquomodo trahatur, abinde magis et magis in ista sancta amprisia die noctuque indefesse intendimus, in cuius prosecutione non modice pecunie sunt necessarie: idcirco oportune et importune instabis non solum ad colligendam decimam impositam, sed ad oblationes et alia subsidia ex cruciata, que omnino in regno ipso, ut pluries scripsimus, publicanda est: volumus et ita fieri precipimus et mandamus, ut nobis intimare continue cures, et maxime pro mense Novembris, quid ex ipso Regno et provinciis in legationem tibi decretis de pecuniis habere poterimus, gentibus atque fustis, ut in mense Marcii potentissime occurramus simul cum aliis Christifidelibus ad totalem extirpationem infidelium, et recuperationem Constantinopolis et liberationem totius Europe, non minus ad recuperationem terre sancte, totius Asie et alias partes infidelium ad fidem catholicam convertendo, vel ab ipsis penitus exulando, prout firmiter credimus et tenemus ex sincera fide catholica, uti nosti et notum est cunctis a nobis audientibus, quod perfidus ille Turchus perderet, et Hungari vincerent, et populus Christianus et nos cum ipsis: nec unquam dubitamus, quin fieret, sicut nunc accidit, et maiora fient; ait enim Christus Salvator noster: Si quis fidem habet ut granum sinapis, et dixerit monti se transferre ad alium montem et reliqua; et quis tam durus in tam firmo proposito et securitate victorie nostro tempore celitus concesse non sequatur? ve ve aliter sentientibus, et caveant ab ipsa Dei ira: nam qui in hoc turbabit nos, portabit iuditium, quicunque sit ille. Et presentem recipiat ut propriam dilectus filius Ludovicus Cescases, quia tempus non patitur omnia et singula scribere. Datum Rome etc. die II. Novembris MCCCCLVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. VII. fol. 15.

CCCCXLVI.

Cardinali S. Angeli legato de suo egregio opere in expugnandis Turcis in Hungaria gratulatur.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Misit ad nos nuper dilectus filius noster Dionisius sancti Ciriaci in Termis pres-

biter Cardinalis Strigoniensis, apostolice sedis legatus, litteras ad se missas dilecti filii nobilis viri Iohannis de Hunyad, comitis Bistricensis, ex quibus intelleximus gloriosam victoriam partam de impiis fidei hostibus, qualem maxime presentia tempora postulabant. Quo nuncio quantum exultaverat cor nostrum, novit omnipotens deus, cui in hoc opus etiam sanguinem nostrum, si ita sit opus, pridem devovimus: nil certe optacius aut magis a nobis expectatum poterat nunciari. Agimus itaque redemptori nostro gratias infinitas, qui peccatorum nostrorum oblitus, memor misericordie sue sancte ab impendenti peste liberavit populum suum, frangens superbos spiritus hostis formidolosi, in omne nephas parati. Deinde laboribus tuis paterne congratulamur, qui fructus hos salutares plebi dei haud dubie pepererunt: scimus enim opera circumspectionis tue, potissimum omnia, que hanc victoriam precesserunt, mediata consiliis et parata studio fuisse, ut certe tanta populorum commotio et crucis susceptio, conventusque Regis, prelatorum, baronum et nobilium in Hungaria habiti zelo et fervori tuo sint ascribenda. Letare igitur successu operis tibi iniuncti, gratiasque deo debitas redde, quod te legationem gerente tanta victoria tam necessario tempore sit reportata. Simul enitere, dilecte fili, ut ex quo deus omnia oportuna ad complementum operis prestat, hostisque ex recenti clade perturbatus est atque confusus, non detur ei locus ad se colligendum parandosque novos exercitus. Nos autem iam ab ultima die Maii proxime elapsi, ut ante obtulimus, classem instructam cum legato nostro ad partes orientales misimus, que navigationem prosequitur, brevique hostes lacessere incipiet, daturus terrestri exercitui summam bene gerendarum rerum occasionem. Expendimus autem in ea paranda atque mittenda usque in praesentem diem, deo teste, supra centum et quinquaginta millia ducatorum: nec grave nobis erit, cum opus exposcet, sanguinem insuper nostrum adicere. Et nunc quoque hac nuntiata victoria per litteras nostras, quanto vehementius potuimus, hortati sumus, et hortari non cessabimus Carissimos in Christo filios nostros Imperatorem Regesque christianos, ac dilectos filios nobiles viros duces potentatusque fideles, qui ubique aliquid posse videntur, ut ex quo inicium victorie iam prestitit deus, ipsi ad conterendum penitus infidele genus et prosequendum presentem successum velint tandem exurgere. Ad quod eciam tu, ut hucusque indefessa fecisti, toto studio incumbe, et nos cura de successibus continuis omnium rerum quam sepe et diligenter facere certiores. Necessitatibus autem tuis, ut alias tibi scripsimus, providimus, et providere non cessabimus oportune: sis igitur boni animi, nam quicquid habere possumus, die noctuque in prosequutione huius sancte amprisie expendimus, et expendere intendimus non solum ad expulsionem damnate secte Machometice Europe, sed terre sancte et Asie, quod celitus a Christo hoc tempore nostro datum esse firmiter credimus et tenemus. Et qui experti iam sumus, omnipotentem deum orationibus Christifidelium inclinatum populo suo contra innumerabilem exercitum infidelium concessisse, ratique sumus, ipsum omnipotentem totaliter barbarorum conatus ad nichilum redacturum, si populus idem suus devocione, qua cepit, orationes et alios divinos honores illi eterne maiestati obtulerit, licet bullas nostras orationum per Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Papiensem ad partes illas miserimus, easque iam publicatas etiam arbitremur; tamen ipsas bullas ad tuam circumspectionem mittimus, quas cum omni devocione publicari et execucioni mandari curabitis. Datum Rome etc. die VIII. Novembris MCCCCLVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. VII. fol. 40.

CCCCXLVII.

Epo Varadiensi super dispensatione Stephano de Czasar canonico Varadiensi concessa.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Waradiensi, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Stephani de Czasar canonici Waradiensis petitio continebat, quod ipse dudum tunc laicus existens in expugnatione cuiusdam castri, in qua quamplures homines vulnerati, mutilati et interfecti extiterunt, una cum quibusdam aliis, non tamen animo neque intentione aliquem vulnerandi seu interficiendi, prout nec vulneravit neque interfecit, interfuit, et deinde officialatus fungens officio, cum in illis partibus multi fures et latrones, ac alii publici et occulti malefactores latitarent, postquam suis familiaribus tunc exeuntibus eo animo eaque intentione, ut eisdem furibus, latronibus et malefactoribus terrorem incuteret, publice preceperat et mandaverat, ut quoscunque ex illis apprehenderent, eos iustitie pro demeritis puniendos tradere deberent, alias illorum penis plecterentur familiares ipsi, qui ab eodem Stephano secrete habebant in mandatis, ut ipso inscio vel absente dictis furibus et la-

tronibus nichil aliud facere, quam eos fugare, illisque terrorem incutere presumerent, quemdam ex huiusmodi furibus, quem captum tenebant, certis iudicibus secularibus, Stephano prefato penitus ignorante, civiliter patibulo damnandum tradiderunt. Postmodum vero ipse Stephanus tanquam simplex et iuris ignarus, credens id sibi licere, nulla per eum super premissis dispensatione obtenta, se fecit, alias tamen rite ad omnes etiam presbiteratus ordines promoveri, et in illis per plures annos, non tamen in contemptum clavium ministravit. Et successive idem Stephanus dilecto filio Io. Garazda castellano Waradiensi asserenti, se unum furem notorium, illum tunc proprio nomine appellando, qui postea ultimo fuit supplicio deputatus, captivasse, importune dixit, furem ipsum non ita leviter ab eo evadere, sicut de manibus dilecti filii nobilis viri Demetrii Garazda militis alias evaserat, propterea idem Stephanus volens compati dilecto filio magistro curie ecclesie tue Waradiensis etiam asserenti, quod quidam cliens ipsum vulnerare voluerat, ignorans tamen, quod idem cliens antea per dictum magistrum fuisset percussus, et semivivus derelictus, indeliberate dixit, ut illum, ne alias similia presumeret, virgis percuteret, ipseque magister postea eundem clientem in tantum verberari fecit, quod post octo dies tunc proxime sequentes idem cliens extitit vita functus. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Stephanus in premissis, de quibus dolet ab intimis, alias quam, ut premittitur, culpabilis non fuerit, seque postmodum abstinuerit a divinis, ac in suis susceptis ordinibus cupiat altissimo perpetuo famulari, pro parte eiusdem Stephani asserentis, quod sibi dudum de canonicatu et prebenda ecclesie Waradiensis extitit canonice provisum, ipseque in subsidium religionis christiane contra perfidos Turcos illius inimicos duas personas propriis expensis destinavit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut secum super irregularitate, si quam premissorum occasione contraxerit, quodque in susceptis ordinibus etiam altaris ministerio celebrare, ac canonicatum et prebendam predictos retinere, nec non quecumque alia beneficia ecclesiastica, si sibi alias canonice conferantur, recipere ac etiam retinere libere et licite valeat, dispensare, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum eadem occasione contractam, et alias sibi et statui suo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quamus, si est ita, per te ipsum super premissis cum dicto Stephano agas, prout de iure fuerit faciendum. Datum Rome apud sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, decimo Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. XXV. fol. 200.

CCCCXLVIII.

Cardinali S. Angeli legato, ut ecclesiam parochialem B. Mariae Budensis, supplicante rege, in collegiatam erigendam, et monasterio de Zeek ord. S. Benedicti uniendam curet.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Iniunctum nobis desuper licet immeritis apostolice servitutis officium, quo universis orbis ecclesiis astringimur, sedula nos perurget instantia, ut ipsarum ecclesiarum et personarum earumdem profectibus iugiter intendamus, et ut ipsarum honor amplietur et decus, prout congruere cernimus, salubriter providere eis, etiam votis gratum prebentes auditum, per que domini cultus cum animarum propagatione salutis continuum, auctore domino, suscipere valeat ubilibet incrementum. Sane pro parte Carissimi in Christo filii nostri Ladislai Ungarie Regis Illustris nobis exhibita petitio continebat, quod licet in parochiali ecclesia beate Marie Virginis oppidi Budensis, Wesprimiensis diocesis, iurisdictionis vero Strigoniensis, que in eminentiori loco eiusdem oppidi sita est, et ad quam ipse Ladislaus Rex magnam gerit devotionem, dietim laudabiliter collaudetur et veneretur altissimus, riteque inibi deserviatur in divinis; tamen quia oppidum ipsum in celebri et illustri loco totius regni Ungarie situm est, in quo diversarum nationum diversorumque generum homines conveniunt, idem Ladislaus Rex pro venustate et decore eiusdem oppidi, pro animarum solatio incolarum et habitatorum inibi habitantium, ac etiam ad laudem, gloriam et honorem dei genitricis beate Marie Virginis, in cuius honorem et sub illius vocabulo prefata ecclesia fundata existit, ipsam parochialem rectorie in eadem in collegiatam ecclesiam, et in illa unum collegium canonicorum, unamque prepositura, que inibi dignitas pro uno preposito, qui in dicta ecclesia principalis et caput existat, ac lectore, cantore et custode cum certo numero canonicorum et totidem prebendarum pro tot canonicis, ac certo numero officiorum aliorum pro aliis eiusdem ecclesie ministris inibi instituendis erigi summopere cupit et affe-

ctat; et sicut eadem petitio subiungebat, pro huiusmodi erectione ac preposituro, lectorie, cantorie et custodie canonicatuum et prebendarum, nec non officiorum aliorum inibi instituendorum fundatione et dotatione faciendis fructus, redditus et proventus dicte parochialis ecclesie minime suppetunt, et si monasterium de Zeck ordinis sancti Benedicti Quinqueecclesiensis diocesis, monasterii nominibus ac abbatiali dignitate et ordine huiusmodi in eo penitus et omnino suppressis et extinctis, ipsi erigende Collegiate ecclesie perpetuo uniretur et incorporaretur, erectio ac fundatio et dotatio predicte ex hoc facilius et commodius fierent, ipsaque ecclesia Christi ministrorum venustate polleret, et variis honorum titulis insignita in oculis omnium pulcra et decora resultaret, cum divini cultus et fidelium dictarum partium devotionis augmento. Quare pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut eius proposito et affectui in hac parte favorabiliter annuere, ac alias super premissis oportune providere, nec non ad omnipotentis Dei et totius triumphalis curie laudem super huiusmodi erectione ac unione, aliisque illas contingentibus faciendis apostolice facultatis opportunique favoris presidium impertiri, et adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui divinum cultum ac Christi fidelium devotionem huiusmodi nostris potissime temporibus adaugere studiis affectamus indefessis, laudabile propositum ipsius Regis dignis in domino laudibus attollentes, ac plurimum commendantes, et ut erga Deum et Romanam ecclesiam eius devotio peramplius et ferventius augeatur, illiusque petitiones apostolicis gratia et favore prosequi, dictamque erigendam ecclesiam etiam apostolicis privilegiis et gratiis decorare iuxta voluntatem Regis, coadiuvante domino, cupientes, de premissis tamen nobis expositis et subiunctis certam notitiam non habentes, circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus et committimus, quatenus de premissis nobis expositis et subiunctis, eorumque circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per huiusmodi informationem ea veritate subniti repereris, idque tibi iustum et rationabile videbitur, ecclesiam parochialem predictam nomine rectorie in illa cum iuribus, iurisdictionibus, privilegiis, honoribus et aliis collegialibus insigniis in collegiatam eadem auctoritate erigas, iuribus episcopalibus ac archiepiscopalibus Venerabilium fratrum nostrorum episcopi Wesprimiensis et archiepiscopi Strigoniensis pro tempore existentium in omnibus semper salvis, ac in ea unam preposituram, que inibi dignitas principalis ac curata censeatur, cum dictis lectoratu, cantoratu, canonicatu et custodie, necnon certo numero canonicatuum et totidem prebendarum pro tot canonicis, qui simul capitulum faciant et representent, quorum unus prepositus et caput existat, aliorumque officiorum pro ipsius ecclesie parte instituendis ministris, qui prout tibi videbitur, horis diurnis pariter et nocturnis ibidem decantandis interesse, ceterasque missas diebus singulis alta seu submissa vocibus in turnis et vicibus per eos ordinandis celebrare teneantur, instituere et deputare, ceteraque omnia et singula in premissis, et circa ea quomodolibet necessaria et oportuna facere, exequi et ordinare, secundum que ipsi prepositus, lector, custos, canonici et ministri predicti honorifice vivere possint, nec non tam ecclesie, quam monasterii huiusmodi, postquam unitum, ut prefertur, ipsaque unio suum effectum sortita extiterit, fructus, redditus et proventus inter prepositum, lectorem, cantorem, custodem, canonicos et ministros eosdem, prout tibi visum fuerit, convertendos, et quotiens ab horis et missis huiusmodi absentes fuerint, quemadmodum in aliis illarum partium collegiatis ecclesiis fieri consuevit, prout etiam tibi videbitur expedire, punctuandos fore decernere, prefatisque capitulo, ut archa, sigillo communi, campana, aliisque omnibus et singulis solemnitatibus et insigniis ad instar aliarum ecclesiarum collegiatarum partium earumdem utendi, et quotiens eis visum fuerit, quecunque, quotcunque et qualiacunque salubria, rationabilia et alia huiusmodi statum et conservationem bonamque gubernationem prefate tunc erecte ecclesie, necnon servitium missarum et aliorum divinorum celebrationem in eadem concernentia ordinationes et statuta, que inviolabiliter perpetuo observari et observanda fore decernimus, condendi, edendi et faciendi facultatem concedere; et nihilominus, si erectionem, statutum, institutionem, deputationem, decretum et alia premissa per te integre presentium vigore fieri contingat, monasterium predictum, cuius et ecclesie predicte distantiam, fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos presentibus haberi volumus pro expressis, abbatiali dignitate et ordine huiusmodi in eo penitus et omnino extinctis et suppressis, ipsi tunc erecte ecclesie perpetuo unire, annectere et et incorporare eadem auctoritate procures, ita quod si monasterium ipsum tunc vacaverit, ex tunc, alioquin cedente vel decedente moderno illius abbate, seu ipso monasterium alias quomodolibet dimittente, liceat capitulo dicte ecclesie per se vel alium seu alios corporalem ipsius monasterii, necnon illius domorum, iurium et iurisdictionum possessionem actualem, corporalem et realem auctoritate pro-

pria libere apprehendere et perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus et proventus in suos et ecclesie huiusmodi usus et utilitatem convertere, ac perpetuo retinere et habere, diocesani loci seu cuiusvis alterius licentia minime requisita, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus nostris, illa presertim, per quam dudum inter alia voluimus et ordinavimus, quod in unionibus faciendis tam uniendi beneficii, quam illius, cui uniri petitur, fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem exprimerentur, cui quo ad hoc pro hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, et aliis apostolicis constitutionibus, nec non generalibus per nos et dictam sedem de monasteriis et principalibus dignitatibus hactenus factis, ac forsan in posterum faciendis reservationibus, ac monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de monasteriis ac ipsius ecclesie canonicatibus et prebendis, ac dignitatibus speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus pro tempore habitos per easdem quoad preposituram, dignitates, canonicatus et prebendas, necnon unionem huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem monasteriorum, dignitatum, canonicatuum et prebendarum seu beneficiorum aliorum preiudicium generari; et quibusvis aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcunque tenoribus totis de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim dilectis filiis conventui, ne de cetero ad electionem abbatis eiusdem monasterii quoquomodo procedant, et tam ipsis quam quibusvis aliis personis status ecclesiastici vel mundani sub pena excommunicationis, suspensionis et interdicti, quas contrafacientes incurrere volumus ipso facto, et a quibus citra sedem apostolicam nequeant absolvi, ne in preiudicium erectionis et unionis huiusmodi, vel ad impediendum easdem quidquam innovent aut innovari faciant seu procurent, districtius inhibemus, et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo CCCCLVI, decimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. XI. fol. 295.

CCCCXLIX.

Eidem mandatur, ut Thomam in episcopatum Zagrabiensem restituat, et canonice procedat in adversarium.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Grave gerimus et molestum, cum sinistra nobis de quibusvis personis ecclesiasticis perferuntur; sed in illorum excessibus eo gravius provocamur, quo damnabilius eorum culpe remanerent incorrepte, cum trahatur ab aliis, quod ab ipsis ecclesiasticis agitur, faciliter in exemplum. Sane dudum postquam fel. rec. Nicolaus PP. V. predecessor noster ecclesie Zagrabiensi, tunc pastori carenti, de persona Venerabilis fratris nostri Thome Episcopi Zagrabiensis providerat, preficiendo ipsum eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, per nos accepto, quod Balthasar rector, plebanus nuncupatus, parochialis ecclesie plebanatus nuncupate sancti Petri in Radmonsdorff Aquilegiensis diocesis, provisioni et prefectioni huiusmodi contra iustitiam se opponens, regimini et administrationi bonorum eiusdem ecclesie de facto se ingesserat, prout ingerebat ac impediebat, ne dictus Thomas Episcopus possessionem regiminis et administrationis huiusmodi adipisci posset, quibusdam tam ecclesiasticis quam secularibus personis sibi ad hoc prestantibus auxilium, consilium et favorem, nos tunc per quasdam nostras litteras certis iudicibus, eorum propriis nominibus non expressis, dedimus in mandatis, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios eundem Thomam Episcopum in corporalem possessionem regiminis et administrationis huiusmodi auctoritate nostra inducerent, et nonnulla alia facerent; et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsius Thome Episcopi petitio continebat, olim bone memorie Andreas Episcopus Quinqueecclesiensis unus ex dictis iudicibus et executoribus ad ipsarum litterarum executionem debite procedens, illarumque forma servata, ipsum Balthasarem ac nonnullos alios, quominus ipse Thomas Episcopus pacificam possessionem vel quasi regiminis et administrationis huiusmodi adipisci, illaque gerere et exercere, nec non fructus, redditus

et proventus mense episcopalis Zagrabiensis cum integritate percipere valeret, quomodolibet impedientes, illisque in hoc prestantes auxilium et favorem invenit, ceterosque contradictores, canonica monitione precedente, excommunicationis sententia auctoritate apostolica innodavit, nec non habitis per eum servatis processibus aggravavit et reaggravavit, seu aggravari et reaggravari, nec non excommunicatos, aggravatos et reaggravatos publice nunciari, et ut tales ab omnibus arctius evitari mandavit: et sicut eadem petitio subiungebat, tu vigore aliarum quarumdam nostrarum litterarum per Balthasarem predictum, ac quorundam aliorum potentium sibi in hac parte faventium importunitate obtentarum sententias, censuras et penas in prioribus litteris et processibus contra Balthasarem et alios contradictores predictos latas, inflictas et promulgatas usque ad sedis apostolice beneplacitum, ne sanctissime cruciate negotium impediretur, ac aliis nonnullis causis tunc iudicio tuo legitimis existentibus suspendisti, in ipsius Thome Episcopi grave preiudicium atque dammum ac sui iuris quesiti enormem lesionem. Et sicut accepimus, dictus Balthasar animo indurato in eiusdem sedis contemptum et illius auctoritatis obnubilationem ac vilipendium possessionem predictam illicite et indebite adhuc detinet et occupat. Nos attendentes, quod quanto talium presumptione nervus ecclesiastice discipline lentescit, tanto eorum voluntas fit lapsior ad peccandum, ipsius Balthasaris ac aliorum sibi in hac parte adherentium ausus nefandos reprimere cupientes, nec non singularum litterarum predictarum et processuum desuper habitorum formas et tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, circumspectioni tue per apostolica scripta committimus, quatenus, si est ita, et tibi videbitur iuste et rationabiliter, sine turbatione et scandalo fieri posse, nec aliquod canonicum obviare, suspensionem sententiarum et censurarum huiusmodi, nec non illas, et super quibus emanarunt, litteras et desuper habitos processus in eum et pristinum statum, vigorem et robur, etiam adversus Balthasarem et alios predictos, in quo ante suspensionem per te factam huiusmodi quomodolibet erant, restituere, reponere et revalidare, ac ipsum Balthasarem ac alios inobedientes, contradictores et rebelles, ac auxilium, consilium et favorem prestantes perinde ligatos, ac si sententie et censure predicte, ac priorum litterarum et processuum predictorum executio minime suspense forent, nec non sedis eiusdem beneplacitum quo ad hoc ex nunc cessare decernere auctoritate nostra procures, faciens, que decreveris, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, ubilibet publicari, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus omnibus, que in singulis litteris predictis voluimus non obstare, nec non constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et aliis contrariis quibuscunque. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MCCCCLVI. decimo Kal. Aprilis. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. XI. fol. 284.

CCCCL.

Eidem legato, ut ad concordiam Hungaros, qui unitis viribus Turcas expugnent, admoneat

Iohanni Cardinali Sancti Angeli.

Calistus PP. III. Dilecti fili, salutem etc. Cum litteris Carissimi in Christo filii nostri Ladislai Hungarie etc. Regis Illustris et tuis respondere pararemus, quas de suspicione, que de adventu sevissimi Turchi istic habebatur, scripsistis: ecce ad nos venit nuntius cum aliis litteris tuis et copiis, quas una cum illis misisti, ex quibus tum de novitatibus, que in Regno illo facte sunt, tum de certiori adventu Turchi valde turbatum est cor nostrum. Dolemus ad animam de turbulentiis illius Regni, in quo cum maxima spes nostra expugnandi inimicos fidei collocata sit, egerrime ferimus, quod domesticis dissensionibus a tam necessario succursu fidei retrahatur. Tu vero, quantum in te est, omnem adhibeas diligentiam, ut pax et unio stabiliatur in Regno illo: vides enim quam sit necessarium. Nos deum continue precamur, ut christifidelium cordibus gratiam infundat, eosque suscitet ad exterminium infidelium: que res tanto nos desiderio tenet, ut incredibili quadam cura urat animum nostrum. Etsi tamen facultates nostre ad tantum negotium non sufficiant, cum vix necessaria nobis vite remaneant, intelligit tamen mundus ineffabile desiderium nostrum verbis, litteris ac nuntiis in universum declaratum: et cum tantam molem nequeant nostri sufferre humeri, effusa omni potentia nostra, non cessamus sedulis hortationibus christianorum potentatuum auxilia implorare. Classis nostra, cuius augende et corroborande continue rationem habemus, iam maritimas Turcorum terras infestat, multisque non mediocribus terris insulis potita est, et galeatia nostra cum nonnullis aliis navibus et navigiis iam ad ipsam classem cum victualibus, pecuniis, grano et aliis necessariis enavigavit: ceteras vero galeas,

quas hic fabricari facimus, quam celerrime absolutas mittere curamus, et de hic, Sicilia et terris nostris ac sancte Romane ecclesie et etiam de Marchia Anconitana mittere non cessamus, ut valide vexetur perfidus Turchus, et recuperetur Constantinopolis, ad cuius recuperationem viscera nostra quam plurimum vulnerantur. Adveniet insuper cum valida et numerosa classe sua Carissimus in Christo filius noster Rex Portugallie Illustris, qui, ut certiores facti fuimus, prima huius mensis Aprilis omnino classem suam versus nos solvere decreverat; cuius classe cum nostra unita, firmior erit potentia ad divertendum vires hostis, qui cum pluribus locis uno tempore lacessitus erit, necessario cogetur exercitum suum distrahere; et de Francia ad minus xxx. galeas, ut ex concordatis super decima levanda omni anno nobiscum cum Rege Francie plenius est videre; et de Anglia in brevi scies, et Britania, ac Burgundia, et de Rege Aragonum, si singula scriberemus, non sufficeret papirus; etiam ex Castella, et si contra Granatam Carissimus in Christo filius noster Castelle et Legionis Rex Illustris nobiscum certo modo assistit; utinam Veneti, qui tam frigidi sunt, comminationibus nostris obauditis nobiscum essent. Dux Mediolani bene optat, et si vicariatum Lombardie sibi concederet Imperator, ut instamus, anno preterito et presenti armigeros misisset in numero competenti, sed mittere et non honorari per Imperatorem, vel ut a Duce Mediolani consideret quisque: si tu proficere posses, ad hoc obtinendum ad minus tria vel quatuor milia armatorum ab eo nobis instante missi fuissent in subsidium Hungarorum contra Turchum: deo non deficiunt ministri per mare et terram, et videbis gloriam dei, uti in illa gloriosa victoria miraculosum visum extitit toto mundo. Tua igitur circumspectio curet solita diligentia, prudentia et industria, ut Hungari ad terrestre certamen se accingant, et in occursum hostium pergant: nam victoria in illorum manibus est; Deus enim non deseret plebem suam, sed mirabili virtute et potentia insolentiam et crudelitatem hostium sue sancte religionis confringet: et excita Imperatorem et Alamannos ac alios ipsarum partium ad tantum incendium extinguendum. Subventionem, quam tibi deputavimus, statutis terminis eam facere non omittemus, prout hactenus non omisimus, et proximis diebus per banchum de Medicis tibi misimus tria milia ducatorum pro tempore, quo sumus, usque ad mensem Septembris proxime futurum, quam quantitatem ante receptionem harum litterarum firmiter tenemus te haberi, et ita se obligavit Robertus, et ita deinceps semper faciemus. Et utinam sanguinem proprium nostrum simul cum Hungaris et aliis crucesignatis expandere possemus: scimus enim non mereri martirem esse. Et volumus quod corpus illius servi dei fratris Iohannis de Capistrano sepelliatur: forsan in brevi erit apud te ille fidelis servus dei frater Iacobus de Marchia, qui ibi esse sitit abunde. Et quis catholicus ad tam laudabilem pugnam currere et interesse non debet? sis forti animo et dei athleta, quoniam tute, si fas est dicere, in te nomine nostro et sedis apostolice quiescit tota religio christiana. Ad te enim etiam remittimus quotidie istos de Rege Dacie, despota Servie et aliorum, die noctuque indefesse intendimus, et habitis tuis litteris ultimis, qui de prioribus non curamus, ad te ut alterum nos semper tenuimus, et responsione non egent. Ad Regem Portugallie, ut in copia interclusa videre poteris, et sic ubique, et ad Ianuam et alibi nichil de contingentibus omittendo. Et si quadam desperatione perfidus Turchus utatur, visis litteris tuis, quod non curat de Turchia, sed habere Hungariam, quod alienum est a re militari, doleamus multo magis de captura seu detentione illorum, quos Rex Hungarie fecit de suis: tempus non patitur talibus uti, quod omne regnum divisum est. Labora ad unionem, predica crucem, cruce signa, quia deus est nobiscum, si viriliter per Regem et suos, te mediante, crucis inimico viriliter obvietur: quod, ut ita fiat, precipimus et mandamus, et qui aliter sentit, membrum est diaboli, et ira dei super eum. Regi scribimus ac Cardinali Strigoniensi, ut videre poteris in copiis inclusis. Ad tuas enim litteras et per te dicenda eos remittimus paucis verbis utendo, ut non verificetur dictum Salamonis: Ve regno, cui Rex puer est, mulier, aut furiosus; et de hoc satis, et avisa continue, uti nos faciemus. Datum Rome apud S. Petrum sub anulo piscatoris die x. Aprilis MCCCCLVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. VII. fol. 80.

CCCCLI.

Ladislao Hungariae et Bohemiae regi de proelio adgrediendi Turcas consilio gratulatur.

Ladislao Ungarie, Bohemie etc. Regi Illustri.

Calistus PP. III. Carissime in Christo fili, salutem etc. Nunquam fuit apud nos dubium, carissime fili, Celsitudinem tuam in suo laudando proposito oppugnandi inimicos christiani nominis persevera-

turam, idque re et affectu prestaturam, quod a primordio incursus Turcorum in regnum illud Hungarie pollicita fuit. Nuperrime vero ex litteris serenitatis tue id ipsum intelleximus, quod sepissime dilectus filius Io. Cardinalis sancti Angeli legatus noster ad nos scripsit, scilicet eandem Celsitudinem in dies fieri ardentiorem pro fidei defensione, et in excidium Mahometice gentis, et conditiones federum et treugarum omnesque impii hostis oblationes contempsisse: pro quo facto dabit Serenitati tue immortalis deus virtutem, fortitudinem, diuturnitatem, ut eadem felicitate, qua iuvenis exorsus es, gubernacula tam incliti regni etiam senex teneas, et devicto abominabili hoste, coronam sempiterni triumphi consequaris. Quare cum tam bene animate Celsitudini tue supervacaneum existimemus adhortationibus instare, quod potius decet, benedicimus eidem, et de tam prestanti voluntate gratias agimus. Et quia, ut postea recentioribus litteris dicti legati, et ex copiis, quas ad nos misit, certiores facti sumus, impium Turchum cum valido exercitu ad oppugnationem castri Nandoralbensis festinare, hortamur tuam Serenitatem, et per crucem Salvatoris imploramus, ut, adhibita pro rei magnitudine celeritate, monstro huic occurras: qua ratione quibusve modis hosti resistendum est, res ipsa admonet, ut non expectato illius furore oportunis locis eidem occurratur. Ad eius autem vires distrahendas nos classem nostram in dies augemus et corroboramus, expectamusque in brevi Carissimum in Christo filium nostrum Regem Portugallie illustrem, et alios principes potentes, qui cum validissima classe in orientem personaliter navigabit, et ut certiores facti sumus, prima die huius mensis Aprilis classem suam versus nos solvit, nec deerunt etiam terrestria auxilia, nobis obnixe implorantibus principum potentatus et universos Christifideles. Quod si hostis se minime moveret, tamen consilii et voti nostri est eundem etiam in propriis penetralibus persequi, et deum ducem non dimittere, qui non solum in Turcorum, sed universe Mahometice nationis eversionem vires et potentiam nobis ministrabit. Qui enim tam gloriosam victoriam pridem dedit, idem deus exercituum concedet et dabit, si per te cum tuis viriliter propugnatur, ut latius scribimus dilecto filio Io. sancti Angeli Cardinali legato nostro, cui in dicendis dabis plenam fidem. Scimus enim deum esse nobiscum, et nobis assistente, triumphum obtineri de hoste crucis Christi inimico. Et sic firma fides in deo, quia victoria ab ipso concessa est populo christiano, si viriliter decertat, et caveatur de contrario, ne ipse deus irascatur contra eos, qui nobis non credunt. Datum Rome die x. Aprilis MCCCCLVII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. VII. fol. 81.

CCCCLII.

Cardinali archiepõ Strigoniensi, Sedis Apost. legato, ut regem in eodem consilio confirmet.

Cardinali Archiepiscopo Strigoniensi sedis apostolice Legato.

Calistus PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Gratissime fuerunt nobis littere fraternitatis tue, per quas intelleximus Carissimum in Christo filium nostrum Ladislaum Ungarie etc. Regem Illustrem, ac prelatos et barones illius incliti regni non prebuisse aures postulationi induciarum, quam perfidus Turchus fecit, sed illius pollicitationes et oblata omnino reiecta et spreta fuisse, quod ipsum littere prefati Regis uberrime declarant. Et certe optimum fuit consilium: nam cum omnes christiani potentatus in illius regni et nationis Hungarice statu firmum quoddam presidium fidei catholice habeant, si paululum a solita constantia regnum ipsum declinasset, titubassent profecto omnes, et animi Christifidelium, qui assiduis hortationibus nostris caluerunt, et in subsidium christiane religionis accensi sunt, omnino refrixissent. Ad hoc accedit, quod impius hostis non studio pacis petit inducias; sed suam oportunitatem insidiosa federis oblatione captat, ut improvisos et imparatos christianos aggrediatur. Absit igitur, ut tam damnosa treuga fiat, et tua fraternitas omni studio incumbat, ut non induciarum, sed belli ratio habeatur. Et quia novissime per litteras dilecti filii Cardinalis sancti Angeli Legati nostri certiores facti sumus de adventu Turchi ad obsidionem castri Nandoralbensis anhelantis, hortamur circumspectionem tuam, ut apud Regiam maiestatem instet, ut propere hosti occurratur. Non enim deerunt terrestria, pro quo indefesse apud christianos principes instamus, auxilia, et nos classem nostram continue melius instruere, fortificare et augere conamur: aderitque brevi Carm̃us in Christo filius noster Rex Portugallie illustris, cuius et aliorum principum christianorum valida classe cum nostra unita maritime terre hostium firmius expugnabuntur, fietque, ut exercitus hostilis ipsius perfidi Turchi distrahi ac minui cogatur. Quamobrem nitatur fraternitas tua serenitatem regiam et ceteros hortari, ut in hostes insurgant, nec illorum adventum expectent, sed occurrant venientibus, sicque uno tempore terra marique

expugnabitur, deo omnipotenti vires et animum populo fideli subministrante. Et dabis fidem dilecto filio Legato nostro Cardinali sancti Angeli, cui latius scribimus, in dicendis super his tamquam nobis. In te enim et ipso multum quiescit religio christiana, nosque in devotione tua loculentissime etiam quiescimus, quod iuxta gratiam a deo datam tibi in agendis providebis in cunctis, et inde gloria, laus et honor. Datum Rome etc. die x. Aprilis MCCCCLVII. Pont. nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. VII. fol. 82.

CCCCLIII.

Augustino epo Lauriensi exercendi in suos subditos iurisdictionem conceditur facultas.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Augustino Episcopo lauriensi, salutem etc. Iustis et honestis supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Dudum siquidem, sicut accepimus, pro parte carissimi in Christo filii nostri Frederici Romanorum Imperatoris felicis recordationis Nicolao pape V. predecessori nostro exposito, quod subditi eiusdem Imperatoris habitatores castrorum, oppidorum et villarum, que idem Imperator in Regno Hungarie pro tempore obtinebat et obtinet de presenti, ut plurimum propter eorum demerita per locorum diocesanos seu ordinarios iudices, quamvis officiales per prefatum Imperatorem in eisdem castris tunc constituti singulis de eis querelantibus expeditam iustitiam ministrare parati extitissent, excommunicationis sententiis involvebantur, ac loca incolatus subditorum predictorum per eosdem diocesanos seu ordinarios iudices, ut plurimum etiam ecclesiastico subici contingebat interdicto: idem predecessor per suas litteras, sub data videlicet undecimo Kal. Aprilis pontificatus sui anno sexto, huiusmodi suadentibus causis indulsit, ut iidem subditi per diocesanos et ordinarios iudices prefatos excommunicari et loca incolatus, seu ad que declinaverint, interdici absque sedis apostolice expressa licencia minime possent, prout in eisdem litteris dicitur plenius contineri. Cum sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, subditi prefati, ex quibus maior pars inhabitat diocesim Lauriensem, pretextu huiusmodi indulti velut exempti, et quasi contempnentes ordinariam et quamcumque aliam iurisdictionem, cum de facili licentia apostolica non obtenta non possint super suis excessibus et delictis ecclesiastico iudicio subici, decimas et alia iura ecclesiastica tam tibi, quam aliis personis ecclesiasticis solvere recusant; et consequenter tu, iudices et clerus tue diocesis ab huiusmodi subditis in vestris iuribus, nec non ecclesiastice sive ordinarie discipline veluti suppresse fraudari faciliter poteris et contempni in tuam ac cleri predictorum iniuriam ac damnum, facilitas quoque prefatis subditis relinquetur delinquendi: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod non sit verisimile, ut iidem diocesani et iudices ordinarii subditos predictos sine causa legitima excommunicationis sententiis innodarent, et loca incolatus eorundem tociens ecclesiastico subicerent interdicto; cum etiam credamus prefati predecessoris nostri non fuisse intentionem iurisdictionem tuam et successorum tuorum, ac aliorum clericorum tue diocesis sine causa legitima, ut premittitur, impedire, dictisque subditis viam aperire delinquendi, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue, ut huiusmodi indulto non obstante, etiam si per nos quovismodo confirmatum extitisset, iurisdictionem alias tibi in dictos subditos competentem, et omnia alia et singula dictam tuam iurisdictionem concernentia exercere, et iuris remediis exsequi cum omni integritate et absque diminutione quacumque, quotiens tibi videbitur, libere et licite possis et valeas, licentiam concedimus per presentes pariter et facultatem. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, Idibus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. XXIV. fol. 273.

CCCCLIV.

Regi Bosniae, ut Ioannem de Gradis, in Hungariam missum, in itinere per Serviam captum pristinae libertati restitui iubeat.

Regi Bosne Illustri.

Calistus PP. III. Carissime in Christo fili, salutem etc. Graviter et cum animi nostri molestia intelleximus dilectum filium Iohannem de Gradis militem Ragusinum, cui nos iam pridem nonnulla ardua nostra fidei christiane negocia cum Carissimo in Christo filio nostro Rege Hungarie, necnon Celsitudine tua et Despoto Servie tractanda commiseramus, a quodam nobili, subdito tuo, Tuerchone

Stanzith captum esse, et ablatis ab eo omnibus suis rebus necnon bullis et brevibus nostris, in vinculis et carceribus asperrimis detineri. Que res gravi molestia nos afficit, et valde miramur de Serenitate tua, que per suos subditos tantam iniuriam et violentiam in eo, qui nostra et sedis apostolice fideique negotia tractat, nulla presertim legitima causa subsistente, fieri patiatur: nam considerare debet Celsitudo tua maximum impedimentum et disturbium illatum esse rebus et commissionibus nostris ex captura prefati Iohannis. Quare, cum tale facinus intollerabile sit, hortamur et stricte requirimus Serenitatem tuam, ut quemadmodum decet catholicum principem, ob nostram et sedis apostolice reverenciam eundem Iohannem quantocius relaxari et liberari mandes, et ei omnia sua bona, equos, scripturas et quecumque sibi ablata integre restitui facias, nec impunitam relinquas tantam audaciam et tyrannidem dicti Tuerchonis subditi tui. Quod si tua Serenitas, ut confidimus, faciet, erit nobis acceptissimum, et ad honorem et laudem ipsius Serenitatis tue cedet. Datum Rome etc. XXI. Aprilis 1457. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 85.

CCCCLV.

Philippo de Ragusio ord. Minorum in regno Bosniae vicario, et in eius absentia fr. Nicolao de Apulia super eodem.

Fratri Philippo de Ragusio ordinis minorum in Regno Bosniae Vicario, ac in eius absentia fratri Nicolao de Apulia.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Quoniam intelleximus dilectum filium Iohannem de Gradis militem Ragusinum, cui nonnulla negotia nostra, sedis apostolice et fidei christiane tractanda commiseramus, a quodam Tuerchone Stanzith subdito Carissimi in Christo filii Regis Bosne captivatum ac spoliatum esse, et in vinculis cum maxima miseria et crudelitate detineri, tenore presentium devotioni tue, de cuius prudentia et industria plurimum confidimus, in virtute sancte obedientie committimus et mandamus, ut receptis presentibus, si commode poteris facere, te personaliter conferas ad dictum Tuerchonem, et ubicumque fuerit, eidem nomine nostro et auctoritate apostolica sub sententiis, censuris et penis ecclesiasticis, de quibus tibi videbitur, iniungas et mandes, ut dictum Iohannem liberet et relaxet infra terminum per te eidem statuendum, eique bona, equos, scripturas et omnia sibi ablata integre et sine diminutione restituat: ita igitur circa relaxationem prefati Iohannis diligenter et sollicite te habeas, et ita hanc nostram commissionem exequi studeas, ut apud nos merito venias commendandus. Datum Rome apud S. Petrum sub anulo piscatoris die XXI. Aprilis 1457. Anno III.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 86.

CCCCLVI.

Stephanus Thomas rex Bosniae in suo proposito Turcas aggrediendi confirmatur.

Stephano Thome Regi Bosne Illustri.

Calistus PP. III. Carissime in Christo fili, salutem etc. Rediit ad nos dilectus filius frater Nicolaus de Sibinico ordinis minorum, quem superiori anno ad partes illas pro certis negotiis nostris miseramus, et litteras tuas nobis reddidit, per quas, et ipso etiam plenius referente, plane intelleximus sanctum, pium et devotum propositum tuum, quod habere videris pro sancta fide catholica, ad procedendum adversus Turcorum impetus eandem fidem supprimere satagentes. Certe Celsitudini Regie conveniens et dignum principe catholico propositum obtines, et istam tuam laudabilem voluntatem, divinum animum commendabilemque intentionem miris laudibus approbamus, laudamus et commendamus, exhortantes Serenitatem tuam, ut in tam laudabili, pio et sancto proposito perseverare velis, et quemadmodum intendere videris, ad perditionem et persecutionem perditissimorum hostium vivifice crucis regium istum animum tuum totis viribus convertere aduitaris. Ad quam rem etsi satis intelligamus te inclinatum pro tua in deum pietate et bonitate regia, reducimus tamen ad memoriam, quod in nulla re clariorem famam aut magis celebre nomen vendicare tibi poteris, quam pro fide Christi adversus perfidos hostes viriliter pugnare, et pro exaltatione fidei orthodoxe facultates tuas exponere. De cruce autem, auxilio ac vexillo cruciate a nobis tibi dando volumus, quod cum dilecto filio nostro Iohanne sancti Angeli diacono Cardinali apostolice sedis Legato colloquaris; eidem enim scribimus, ut Celsitudini tue ea auctoritate nostra concedat, que et honorem nostrum concernunt, dignitati tue conveniant, et toti patrie istius Regni tui conducant. De omnibus igitur cum circumspectione sua communicabis; eam enim ita providam, prudentem et circumspectam cognoscimus, ut ad ea, que a nobis petis, facile

concessurum tibi minime diffidamus, et honoris ac dignitatis tue condignam rationem habiturum, certe scimus. Scribimus etiam ei nonnulla Celsitudini tue nostri parte referenda, super quibus eidem tanquam persone nostre plenam fidem adhibebit tua Serenitas. Datum Rome etc. die XXIII. Aprilis 1457.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 97.

CCCCLVII.

Cardinali S. Angeli legato, ut regem Bosniae ad bellum in Turcas prosequendum animet.

Cardinali Sancti Angeli Legato.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Misit et scripsit ad nos Carissimus in Christo filius noster Rex Bosne Illustris, quemadmodum pro defensione et exaltatione fidei orthodoxe, et ad exterminium perfidorum Turcorum cuperet auxilium et crucem per nos sibi dari, et vexillum cruciate sibi transmitti. Nos vero ipsius laudabile propositum commendantes, approbantesque suam tam sanctam intentionem et voluntatem, rescribimus ei, prout videbis in copia presentibus introclusa, remittentes eum ad circumspectionem tuam, ut cum ipso colloquatur, et si videris animum suum ardentem esse, et viribus pollere potentiaque valere, et que petit, ad salutem et auxilium gregis domicici vertere, ea omnia auctoritate nostra Celsitudini sue concedas, prout discretioni et prudentie circumspectionis tue plenius videbitur expedire, exhortando et animando eum ad prosequendum et perseverandum in hoc tam sancto suo proposito, in quo si perseveraverit, ut catholicum principem decet, quantam a deo mercedem sibi vendicaturus sit, et quantam ab hominibus gloriam et commendationem, tu ipse eidem explicabis, cum nullum opus magis ipsum deceat, quam contra infideles, quibus conterminus est, pro defensione fidei ortodoxe et exaltatione nominis christiani arma sumere, facultates, vires, potenciam suam exponere et ostendere. Quod si, ut pollicetur, fecerit, non dubitamus ipsum gloriosissimum de hostibus triumphum reportaturum. Datum Rome etc. die XXIII. Aprilis 1457. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 97.

CCCCLVIII.

Christianis in partibus Rasciae existentibus indulgetur, ut in ecclesia S. Nicolai de Novomonte Antibarensis dioec. possint confiteri etc.

Calistus episcopus etc. Dilectis filiis universis Christianis utriusque sexus in partibus Rascie commorantibus, salutem etc. Constantis fidei catholice probata sinceritas, et eximie devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam, promeretur, ut illa vobis favorabiliter concedamus, que ad laudem et gloriam omnipotentis dei et eiusdem fidei exaltationem, nec non animarum vestrarum salutem cedere dinoscuntur. Cum itaque, sicut dolenter accepimus, in patria Rascie, quam Turci occupant, Episcopi vel alii prelati moram trahere non audeant, et preterea vos sub religione christiana viventes presertim in confessionibus audiendis maxima incommoda sustineatis: Nos, quantum cum deo possumus, vobis subvenire volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis in ecclesia sancti Nicolai de Novomonte Antibarensis diocesis, vel sibi annexa sancte Marie de Rodem ecclesia presbiterum, qui vestris confessionibus diligenter auditis, vos utriusque sexus, mares et feminas, quamdiu in dicta patria non fuerit catholicus Episcopus, etiam in casibus episcopalibus absolvere, ac penitentiam salutarem iniungere, nec non pannos et cetera ornamenta ecclesiastica, etiam calices consecrare valeat atque possit, deputare libere et licite valeatis, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia indulgemus, prefatoque presbitero easdem confessiones audiendi, et vos in casibus premissis etiam episcopalibus, quotiens oportunum fuerit, absolvendi, vobisque pro commissis salutarem penitentiam iniungendi, ac ornamenta et calices huiusmodi consecrandi plenam et liberam facultatem concedimus per presentes, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLVII. Sexto Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. lib. XXV. fol. 55.

CCCCLIX.

Thomas verus et legitimus ecclesiae Zagrabiensis episcopus declaratur, et silentium imponitur adversariis.

Calistus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Sedis apostolice providentia laudabilis in omnibus actibus suis causas sibi notas equa lance discutiens ius suum unicuique ministrat, dubia tollit,

et litigiorum succidit anfractus, prout personarum presertim in partem sollicitudinis pastoralis assumptarum, rerumque ac temporum qualitate pensata, indempnitati ecclesiarum, earumque conservationi id conspicit in domino salubriter expedire. Nuper siquidem non absque magna animi nostri displicentia fidedignorum relatione intelleximus, quod dudum, postquam felicis recordationis Eugenius papa quartus predecessor noster tunc de persona bone memorie Benedicti ecclesie Zagrabiensi tunc pastore carenti providerat, Venerabilis frater noster Demetrius Episcopus Tiniensis falso asserens, eundem Benedictum prefatam ecclesiam Zagrabiensem cum ecclesia Tiniensi secum permutare appetere, et in hoc suum assensum intervenire, se ad eandem Zagrabiensem ecclesiam tanquam per resignationem ex causa permutationis huiusmodi tunc, ut dicebat, vacantem transferri, et de persona sua eidem ecclesie Zagrabiensi provideri, ac dicti predecessoris desuper litteras expediri dicitur obtinuisse: quarum quidem translationis, provisionis ac litterarum obtentu cum prefatus Demetrius ipsum Benedictum vexare cepisset, idem Benedictus, dicto Eugenio predecessore, sicut domino placuit, sublato de medio, ad pie memorie Nicolaum papam quintum, similiter predecessorem nostrum, una cum dilectis filiis Capitulo ecclesie Zagrabiensis habuere recursum, asserens tunc idem Benedictus Episcopus, quemadmodum etiam prefati capitulum affirmabant, quod idem Benedictus translationi de se facte huiusmodi nullatenus consensisset, quodque si dicta translatio permaneret, illius occasione gravia possent in partibus illis inconvenientia ac etiam scandala provenire, dictus Nicolaus predecessor futuris scandalis, quantum in eo fuit, salubriter cupiens obviare, dilecto filio nostro Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, etiam tunc in Germanie et quibusdam aliis partibus apostolice sedis legato, per suas litteras commisit atque mandavit, quod eidem Demetrio Episcopo, ne de possessione vel regimine ac administratione dicte ecclesie Zagrabiensis, donec per se super expositis huiusmodi discussio facta foret, se quomodolibet intromitteret, sub ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, de quibus sibi videretur, auctoritate apostolica protinus interdiceret, et si vocatis postea, qui forent evocandi, ipsa exposita fore vera reperiret, translationem de prefato Benedicto factam, nec non litteras huiusmodi inde confectas auctoritate predicta revocaret, cassaret et annullaret, ac ipsum Benedictum Episcopum dicte ecclesie Zagrabiensis verum presulem fore et reputari, nec non illi preesse posse atque debere perinde in omnibus et per omnia, ac si translationes et littere prefate nullatenus emanassent, eadem auctoritate decerneret, ac alia tunc expressa exequeretur et faceret, que in premissis et circa ea necessaria essent sive alias opportuna: ipseque Iohannes legatus ad executionem sibi facte commissionis huiusmodi rite procedens, ac comperto in vero, quod prefatus Benedictus Episcopus, prout ipse asseruerat, et capitulum affirmaverant, translationi de se facte nullatenus consensisset, et illius, si remaneret, occasione gravia possent in partibus illis inconvenientia et scandala provenire, eidem Demetrio Episcopo, ne de possessione, regimine et administratione dicte ecclesie Zagrabiensis se quomodolibet intromitteret, sub censuris et penis protinus interdixit, demumque exposita huiusmodi reperiens veritate fulciri, translationem de prefato Benedicto Episcopo factam ac litteras huiusmodi auctoritate apostolica sibi in ea parte tradita revocavit, cassavit et annullavit, nec non ipsum Benedictum Episcopum eiusdem ecclesie Zagrabiensis verum presulem fore et reputari, ac illi preesse posse atque debere perinde in omnibus et per omnia, ac si translationes et littere prefate nullatenus emanassent, eadem auctoritate decrevit, ac alia omnia et singula, que desuper necessaria quomodolibet et opportuna fuere, peregit et executus fuit, prout in apostolicis eiusdem predecessoris nostri ac ipsius Cardinalis executorialibus desuper confectis litteris dicitur plenius contineri. Postmodum vero, cum idem Nicolaus predecessor prefate ecclesie Zagrabiensi, tunc per obitum eiusdem Benedicti Episcopi, qui post executionem litterarum huiusmodi prefuit, quique extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris regimine destitute, de persona venerabilis fratris nostri Thome Epi Zagrabiensis duxisset auctoritate apostolica providendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie Zagrabiensi in Episcopum et pastorem, dilectus filius Baltasar plebanus plebis sive ecclesie sancti Petri de Radmodorff Aquilegiensis diocesis, nonnullis suis cavillationibus, ac quondam Ulrici Comitis Cilie innitens presidio, et inordinatis illius adiutus favoribus primo, et deinde prefatus Demetrius episcopus pretextu eiusdem pretense provisionis per fraudem et circumventionem olim a predicto Eugenio, ut prefertur, obtente, dictum Thomam Episcopum variis obiectionibus et exquisitis mediis impediverunt, ac fecerunt et faciunt, quominus pacificam possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum dicte ecclesie Zagrabiensis adipisci, ac sue ecclesie preesse potuerit seu possit, eundemque alias multipliciter vexarunt, turbaverunt et fatigarunt, eidem se opponendo, prout opponere non cessant etiam de pre-

senti in ipsius Thome Episcopi nec non ecclesie Zagrabiensis prefate dispendium, iacturam et maximum detrimentum. Nos igitur, ad quos ex officii pastoralis debito pertinet inter quascunque personas, presertim ecclesiasticas et pontificali preditas dignitate, pacem et concordiam procurare et unicuique id, quod suum est, absque litis dispendio ministrare, super premissis, de quibus fidedigna relatione certificati fuimus, prout astringimur, providere volentes, statum cause huiusmodi nec non omnium et singularum litterarum predictarum tenores, ac si presentibus de verbo ad verbum inserti forent, pro expressis habentes, causamque predictam ad nos ex certa scientia harum serie advocantes, causamque et litem seu lites huiusmodi, si que sint, penitus extinguentes, simili scientia auctoritate apostolica tenore presentium decernimus et declaramus, regimen et administrationem ecclesie Zagrabiensis huiusmodi prefato Thome et non Demetrio aut Baltasari predictis sive eorum alteri de iure competere, atque ad dictum Thomam spectare et pertinere, ipsumque Thomam tanquam verum sponsum et presulem eiusdem Zagrabiensis ecclesie illi debere preesse, nec non vexationes, molestationes et impedimenta sibi per Demetrium et Baltasarem et alios quoscunque facta et illata temere et de facto presumpta fuisse et esse declarantes, regimen et administrationem huiusmodi dicto Thome auctoritate apostolica antedicta harum serie scientia simili adiudicamus, et super illis Demetrio Episcopo et Baltasari prefatis ac quibuscunque aliis perpetuum silentium imponimus per presentes, mandantes harum serie scientia et auctoritate similibus Demetrio et Baltasari predictis, et quibuslibet aliis universaliter universis et singulariter singulis, tam ecclesiasticis, quam laicalibus personis, cuiuscunque status, gradus, conditionis et preeminentie existant, sub excommunicationis pena, quam contrafacientes absque alia declaratione incurrere volumus ipso facto, et a qua ab alio, quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo constituti, absolvi non possint, ac personis ecclesiasticis huiusmodi etiam privationis omnium dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, nec non beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, que obtinent et imposterum obtinebunt, penis et inhabilitationis perpetue ad illa, quatenus si et postquam presentes littere ad eorum fuerint deducte notitiam, ut possessionem dictorum bonorum mense Episcopalis Zagrabiensis, nec non regiminis et administrationis prediorum, castrorum, oppidorum, villarum, domorum et omnium et singulorum bonorum ad dictam ecclesiam Zagrabiensem spectantium, eidemque quomodolibet pertinentium vacuam et expeditam prefato Thome Episcopo realiter et cum effectu omnino dimittant; et nichilominus prefato Iohanni Cardinali, ac dilecto filio nostro Dionysio tituli sancti Ciriaci in Thermis presbitero Cardinali, etiam in partibus illis apostolice sedis legato, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios dictum Thomam Episcopum in ecclesie Zagrabiensis regiminis et administrationis bonorum huiusmodi corporalem possessionem realiter et cum effectu auctoritate nostra inducant, et defendant inductum ac faciant dicto Thome tanquam vero Episcopo et pastori a capitulo prefato obedientiam et reverentiam debitam et devotam, nec non a Vasallis et aliis subditis ipsius ecclesie consueta iura et servitia ab eis sibi debita exhiberi, sibique de illius mense episcopalis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicte Zagrabiensis ecclesie etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque; aut si Demetrio Episcopo et Baltasari predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostrorum advocationis, extinctionis, constitutionis, declarationis, adiudicationis, impositionis, mandati, voluntatis et commissionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. M. CCCC. LVII. duodecimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XII. fol. 167.

CCCCLX.

Iacobus de Marchia ord. Minorum in Hungariam ad praedicandum verbum crucis contra Turcas mittitur.

Fratri Iacobo de Marchia ordinis minorum professori.

CALISTUS PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Quia laudabilis vite tue merita, et virtus evangelici sermonis, qua te altissimus decoravit, nos inducunt, ut te impresentiarum ad partes regnorum

Hungarie, Bohemie et alias transmittamus, ad cohortandos et excitandos christifideles ad sanctissimam amprisiam cruciate contra Turcos et infideles. Ut ea commodius et habilius exequi possis, que ad hoc divinum opus exequenda occurrent, omnes et singulas bullas seu facultates olim contra hereticos devotioni tue per fel. rec. Eugenium PP. IV. predecessorem nostrum concessas, quas hic, cuiuscumque tenoris et generis existant, haberi volumus pro sufficienter expressis, ac si de eis de verbo ad verbum mentio facta esset, quatenus honorem dei, augmentum fidei, honorem nostrum et apostolice sedis, animarumque salutem concernunt, ratificamus, approbamus et confirmamus, ac de novo tibi harum serie concedimus, dantes et harum serie concedentes, ut omnes et singulas facultates habeas, et ea exequi possis, que in ipsis bullis et earum qualibet latius expresse sunt, quas etiam nos eadem serie concedimus et elargimur. Perge igitur cum benedictione nostra, et que tibi commisimus, vigilanti studio et virili animo exequaris, nationes illas tua efficaci persuasione, tuis salutiferis adhortationibus incites, animes et inducas, ita ut ex bona opera tua sentiamus fructum aliquem in auxilium fidei pervenisse. Datum Rome etc. die XVII. Maii 1457. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 91.

CCCCLXI.

Praelatis et baronibus regnorum Hungariae et Bohemiae idem Iacobus commendatur.

Episcopis Hungarie et Bohemie.

Calistus PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Mittimus ad partes illas dilectum filium fratrem Iacobum de Marchia ordinis minorum, servum dei, qui in corde sculptam gerit crucem et passionem Redemptoris nostri, et qui cum fervore caritatis et zelo fidei orthodoxe nullum laborem fugere decernit: venit istuc, ut Christifideles animet ad insurgendum contra inimicos Christi, et in virtute divini verbi eos excitet ad sanctissimam militiam cruciate capessendam. A nobis autem munitus est oportunis facultatibus, quia ultra alia confirmavimus eidem omnes bullas, quas a felicis recordationis Eugenio papa IV. predecessore nostro olim habuit, dum contra hereticos et alios in Hungariam et ad partes illas profectus est. Ipsum itaque fratrem Iacobum fraternitati tue ex animo commendamus, ut in omnibus, que ei oportuna erunt pro executione huius preclari operis, faveas et assistas, et tu pro virili tua te excites una cum aliis Christifidelibus ad impugnationem barbarorum et inimicorum Christi. Datum Rome apud S. Petrum sub anulo piscatoris die XVII. Maii 1457. Anno Tertio.

Simile, mutatis mutandis, ad principes et dominos dictorum Regnorum Hungarie et Bohemie.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 92.

CCCCLXII.

Regi Hungariae praedictus Iacobus commendatur, omniaque prospera contra Turcas augurantur.

Regi Hungarie.

Calistus PP. III. Carissime in Christo fili, salutem etc. Cum omnis nostra cogitatio, et omne consilium ad opus sanctissime expeditionis in Turcos et in perditionem infidelium concitata sint, et in horas crescat salutaris cura in corde nostro, non desinimus omnia tentare et aggredi, per que incredibile desiderium nostrum feliciter exequi valeamus. Que hactenus egerimus ad reprimendum furorem immanissimi hostis, superfluum putamus Serenitati tue replicare, quia notissimum esse scimus, quanta in difficultate rerum classem instruximus, legatum cum ea in orientem misimus, omni denique ratione christianum orbem ad succurrendum labenti fidei tum legatis et nuntiis, tum maxime continuis litteris et obsecrationibus commoverimus, quorum regnum tuum non fuit expers ac continuo ibi nostrum legatum teneamus. Ob que non remollitus est animus noster, immo magis ac magis inflammatus est, nec quiescere poterit, quoad voti compos oppressum senserit impium Turcorum tyrannum, et fidei sacrosancte extinctis infidelium conatibus pacem et quietem restitutam. Hec cura stabilem in mente nostra sedem sibi tenet, heretque stimulus quidam igneus nostris sensibus, qui inde avelli nunquam poterit, quousque vitales auras duxerimus. Et quoniam sepe vidimus inefficaces esse omnes humanos conatus, nisi brachio dirigantur, expertique sumus, quod superiore anno valuerint sancte orationes, quas ad deum nos hic fecimus, et per universum fieri ordinavimus, optimum existimavimus mortalibus armis divina adiungere subsidia. En igitur mittimus istuc dilectum filium fratrem Iacobum de Marchia ordinis minorum professorem, servum dei et militem Christi ardentissimum, tum doctrina et sanctimonia

vite, tum fervore et caritate recreabuntur animi Christifidelium: nam cum superiore anno acerba quidem, sed gloriosa sibi mors nobis eripuerit fratrem Iohannem de Capistrano, hic erit sanctorum operum illius et gloriosi laboris successor, qui fervore divino exustus caritatis animam suam, quam deo dicavit, constanter exponere paratus aderit. Eidem fratri Iacobo confirmavimus omnes bullas, quas dudum felicis recordationis Eugenius predecessor noster ei concesserat, dum alias contra hereticos profectus est, aliisque facultatibus eum munivimus, quatenus honorem dei, augmentum fidei, honorem nostrum et apostolice sedis, animarumque salutem concernunt, quibus Christifideles inducere possit ad sanctam militiam crucis capessendam. Superest, ut tua Serenitas virum istum, cuius adventum tibi carum fore non dubitamus, commendatum in omnibus suscipiat, eique faveat oportune. Cum autem tempus instet procedendi in hostem, hortamur Serenitatem tuam, ut se ad divinum et inclitum certamen totis viribus accingat, spemque concipiat certissimam, futurum, ut deus omnipotens non minorem victoriam de barbaris populo suo prestet hoc anno, quam superiori concesserit. Datum etc. die XVII. Maii 1457.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 91.

CCCCLXIII.

Cardinalis S. Angeli legato, Hungaros hortetur, ut semotis omnibus intestinis discordiis, Turcas alacriter aggrediantur.

Cardinali Sancti Angeli Legato.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Gravi dolore atque molestia animus noster afficitur ex discordiis ac turbulentiis, que, bonorum omnium turbatore cooperante, in partibus illis vigere nunciantur, et de periculo, in quod nuper incidit Carissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, nec possumus satis explicare litteris conceptum dolorem et mestitiam ex hac calamitate. Videmus enim eas partes intestinis incendiis lacessiri, ac principes in domesticam pernitiem arma cepisse, quorum auctores firmamenta fidei et propugnacula christiani nominis habiti sunt. Omnis attamen hec contencio pro hoste est, qui longe acrior ad oppugnationem Christifidelium insurget, ubi viderit illos inter se manum conserere, qui soli sibi obstabant, ne suum malignum propositum conculcandi fidei exequi posset, ex quo hoc etiam malum redundat, quod omnes nostri et reliquorum christianorum conatus ad nihilum recidunt. Nam quid prodest nos in tantis difficultatibus omnium rerum classem incredibili celeritate, et innumerabili sumptu uno quasi tempore et construxisse et in orientem misisse? Quid contulerunt obnixe implorationes, quid adhortationes, quid denique lacrime nostre profuerunt, quibus universum iam christianum orbem commovimus, si Hungaria, que aditus et porta est barbaris ad occupandam christianitatem, et Germania, in cuius opibus firmissimum subsidium fidei est, domesticis vexationibus quatiuntur? Profecto hec mala excruciant animam nostram, et eis aliqua ratione occurrere ac mederi vellemus. Scribimus super hoc eidem Imperatori, Archiduci et Duci Austrie nec non Regi Hungarie Illustri, eosque, quantum obnixe possumus, ad pacem hartamur, mittimusque ad eos dilectum filium Georgium de Lapide notarium nostrum, qui pro concordia et unione eorundem omnia experiatur; nec minus circumspectionem tuam hortamur, ut diligentissime studeas tanta scandala prohibere, teque his dissensionibus sedandis viriliter interponas, ex quo maximum honorem et gloriam consequeris. Intelleximus te in Regnum Bosne parare proficisci, credimusque circumspectionem tuam optimo consilio id facere: sed cum tante turbationes in Hungaria et Alamania sint, vide et circumspice, quid optimum factu sit; nos enim in tua singulari prudentia plurimum confidimus. In facto es et vides, quid qua ratione providendum sit. Superest, ut quod melius est, exequaris, et nos continue de occurrentibus certiores reddas: semper enim est in suspenso mens nostra, et in horas satagit audire, que feceris. Datum Rome etc. die XXIV. Maii 1457.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 94.

CCCCLXIV.

Eidem fratres Minores oratores regis Bosniae commendantur, et ut eidem regi S. R. E. vexillum ad acrius expugnandos Turcas concedat.

Cardinali Sancti Angeli Legato.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Venere ad nos proximis diebus dilecti filii Britius de Pannonia et Demetrius de Albania fratres ordinis minorum, missi a Carissimo in Christo filio nostro Rege Bosne Illustri, et multa nobis retulerunt de fide et devotione ipsius Regis erga nos et religionem

christianam, et de optimo ac laudabili proposito sue Serenitatis prodeundi viriliter in Turcos, et expugnationem eorum pessime nationis, et quod iam ipse Rex desiit pendere tributum, quod hactenus ipsi tyranno Turcorum dare consuevit. Inter alia autem iidem fratres cum maxima instantia a nobis postularunt nomine dicti Regis, ut sue Celsitudini signum vivifice crucis mittere vellemus, et concedere vexillum sedis apostolice, sub quo militiam hanc divinam viriliter obire affectat. Nos super ea responsum dedimus dictis fratribus, commisisse iamdiu Circumspectioni tue, ut cognita voluntate dicti Regis, si eam in hoc sancto opere propensam videret, ipsum cruce signaret, ac ei vexillum et alia, que pro honore sue Serenitatis et commodo sancte amprisie facerent, honorifice concederet. Quare te hortamur, ut bene consideratis facultatibus dicti Regis eiusque intentione et voluntate prefata, si eum ea devotione et ardore, quem profitetur, accensum cognoveris, et dispositum videris ad ea, que pollicetur, exequendum, ipsi crucis gloriose signum ac vexillum sedis apostolice et alia auctoritate nostra concedas, eumque in suo laudabili proposito confirmes, et quantum in te erit, omni ratione adiuves. Ceterum prefatis fratribus, quorum satis promptam devotionem vidimus ad excitandum suis predicationibus Christifideles ad amprisiam Cruciate, et ad alia contra Turcos necessaria, concessimus circa hoc nonnullas facultates, prout videbis in copia presentibus introclusa. salva tamen auctoritate et potestate tue legationis, quibus per hec in nullo volumus esse minutum et derogatum. Ipsos itaque fratres Circumspectioni tue commendamus, ut eos in oportunis dirigas, foveas et adiuves. Datum Rome apud S. Petrum sub anulo piscatoris die xx. Iunii MCCCCLVII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 102.

CCCCLXV.

Francisc. Foscari duci Venetiarum, ut regem Bosnae in suscepto contra Turcos bello adiuvet, Dalmatasque eidem sese coniungere permittat.

Francisco Foscari Duci Venetiarum.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Conati fuimus per varios nuntios in Regno Bosne et circumvicinis partibus facere nobis possibiles apparatus contra immanissimos dei et nominis christiani hostes Turchos, et cum nulla regio et patria sibi soli satis sufficiat, misimus ad circumvicina Christianorum loca predicatores et alios nuntios, qui viros, quotquot potuerunt, ad Cruciatam personaliter ineundam suasionibus et rationibus induxerunt, ab illis vero, qui personaliter ire non consenserunt, pecunias in elemosinam aliis, qui ibunt, dandam acceperunt. Audivimusque et scimus in locis Dalmatie et aliis quibusdam tuo suppositis dominio nonnullos esse ex huiusmodi crucesignatis, et certas pecuniarum quantitates esse collectas et fideliter conservatas: quare hortamur in domino ac stricte requirimus tuam nobilitatem, ut officialibus tuis terrarum et locorum Dalmatie et aliorum per litteras mandes, ut dictos Crucesignatos ad nostrorum commissariorum ad id deputatorum requisitionem in expeditionem ire permittant, et pariter omnes pecuniarum summas, ubicumque in dictis tuis terris et locis collectas et colligendas in elemosinam Cruciate, a nostris accipi et extrahi sinant. Cum eas, que collecte sunt, pecunias Carissimo in Christo filio Regi Bosne Illustri, qui ardenter pro fidei tutela est animatus contra Turcos, iusserimus assignari, ut tam sanctam amprisiam, iuvante domino exercituum, prosequi valeat, ad quod nobilitas tua et dominium exurgere debet, ut pluries exhortati sumus, tenemus firmiter nostris temporibus a deo promissam victoriam contra infideles, et ve illis, qui non assistunt nobis in tam sancto et salubri proposito. Et considera, dilecte fili, quare nomen Turchi tam affamatum et terribile, nunc est annus, gloriosa victoria per nos procurata fere exinanitum, et credas nobis, spiritu sancto flante, tibi et aliis hec loquimur. Datum Rome etc. die xxvi. Iulii 1457. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 110.

CCCCLXVI.

Stephanus comes in Bosnia de egregio Turcas expugnandi consilio collaudatur

Nobili Viro Stephano Comiti in Bosna.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Omnes qui ex partibus Bosne ad nos veniunt, tuam devotionem, tuas contra Turchos dei et nominis christiani spurcissimos hostes continuas et viriles operationes enarrant, pro quibus deo nostro, qui eam virtutem tibi tribuit, gratias agimus, et te, sicut es meritus, summis laudibus commendamus. Quare licet opus esse non videatur, tuam tamen

nobilitatem ad bona hec opera currentem incitamus. Sic enim vita queritur eterna, et gloria in terris perpetua comparatur, nosque ad omnia tibi, tuisque quomodolibet utilia et honorifica semper paratos promptosque reddes. Datum Rome apud S. Petrum sub anulo piscatoris die XXVIII. Iulii 1457. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 111.

CCCCLXVII.

Mariano de Senis ord. Minorum, nuntio et collectori apostolico, ut verbum crucis in Hungaria, Bosnia etc. praedicet, collectasque eleemosynas regi Bosniae assignet.

Fratri Mariano de Senis ordinis minorum professori, nuntio et collectori apostolico.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Devotionis tue fervor in causis fidei et religionis christiane hactenus multipliciter ostensus, prudentia quoque tua per longam experientiam nobis nota exigit, ut ea tibi confidenter committamus, que in arduis fidei catholice pertractandis negotiis per diversas regiones et provincias his temporibus occurrunt. Cum igitur in nostra felici expeditione, quam, domino inspirante, contra immanes barbaros dei et nominis christiani hostes Turchos suscepimus, per regna, regiones et loca Hungarie, Bosne, Servie et partium aliarum ipsis barbaris vicinarum multa fieri oporteat, ad que idoneus iudicaris, devotioni tue infrascriptas facultates duximus concedendas. Primum enim, ut per loca omnia regnorum Hungarie, et Bosne, ac Servie, et in quibuscumque aliis terris et locis christianorum Turchis vicinorum cruciatam predicare, et gratias concedere, quas de nostra commissione per Dalmatiam concessisti, prius tamen super hoc a dilecto filio Io. sancti Angeli diacono Cardinali Legato nostro quo ad terras sue legationis impetrato consensu, et in omnibus predictis regnis et locis de consensu legati, ut premittitur, elemosinas pro cruciata congregatas ac imposterum congregandas colligere per te ipsum aut alios a te substituendos, constringendo ac omnimodo compellendo collegia, communitates, civitates, terras et personas quascumque, tam seculares quam ecclesiasticas privilegiatas, sive exemptas et non exemptas, et maxime illos, qui elemosinas acceperunt, ut ad cruciatam irent, et nondum iverunt, per censuras ecclesiasticas, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Cumque omnibus in locis tu personaliter esse non possis, ut alios predicatores in supradictis regnis et locis ad predicta in tuum locum substituere cum gratiis et facultatibus tibi concessis, vel minoribus, ut tibi videbitur, quodque ad tue persone et agendorum auxilium ac pro predictis a te substituendis et deputandis, quoscumque tui ordinis fratres et alios clericos sive laicos semel et pluries, prout necessarium fuerit et opportunum videbitur, et maxime fratrem Paulum de Ragusio sacerdotem, et fratrem Nicolaum de Sibenico capere et retinere, finitaque hac cruciate commissione, ut ex dictis fratribus tres tecum retinere, quotiens opus fuerit permutandos, itemque pro colligendis et capiendis cruciate pecuniis in predictis omnibus regnis, terris et locis instituere et deputare. Et quando acciderit, ut in exercitu nostro presens sis, ut ecclesiastica sacramenta ministrare, ac confitentes a quibuscumque peccatis et delictis, etiam sedi apostolice reservatis, per te ipsum ac substituendos a te ordinis tui fratres et alios sacerdotes absolvere possis et valeas, facultatem potestatemque auctoritate apostolica concedimus per presentes usque ad nostrum beneplacitum valituras, salva tamen in et super premissis voluntate legati nostri de latere supradicti, ad quem te remittimus, ut eius pareas iussioni. Quia vero Carissimus in Christo filius noster Rex Bosne illustris pro fide catholica adversus predictos Turcos viriliter pugnat, ut id audentius commodiusque facere possit, volumus et tibi committimus, ut omnes predictas elemosinas cruciate hactenus collectas et in futurum colligendas eidem Regi consignes, ac facias a tuis substitutis consignari iuxta formam et seriem litterarum a nobis concessarum. Datum Rome etc. die XXVIII. Iulii 1457. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 111.

CCCCLXVIII.

Regi Bosniae de capto consilio Turcas propediem aggrediendi gratulatur, promittitque se ipsi in omnibus praesto fore.

Calistus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Stephano Thome Regi Bosne Illustri, salutem etc. Referentibus nobis dilectis filiis Mariano de Senis et Paulo de Ragusio fratribus ordinis beati Francisci de observantia nuncupatis, intelleximus, tuam Celsitudinem adversus perfidos Christi hostes Turchos continuo bellum gerere, ac dispositam esse ad principium mensis Septembris proxime

futuri in Campum et Castra contra predictos exire. Laudamus, Carissime fili, tue excellentie fervorem fidei ac animi magnitudinem, hortamurque, ut in proposito persistere ac perseverare velis: nam aderit tibi adiutor dominus exercituum, cui nulla esse poterit resistentia, et nos pro posse opem in cunctis necessariam afferemus. Nuncque incipientes, ecce commisimus dicto fratri Mariano, ut nonnullas non tamen paucas pecuniarum quantitates, quas ipse et nonnulli religiosi cum auctoritate nostra missi per Dalmatiam collegerunt ex elemosinis in auxilium christianorum datis, tue Serenitati consignent, scripsimusque dilectis filiis dominio Venetorum, ut ipsas pecunias extrahi, dictoque fratri Mariano faciant consignari, ad tuam Celsitudinem perferendas: ducent etiam ad tuum exercitum dictus frater Marianus et socii multos christianos, qui ob devotionem ad nostre cruciate predicationem, accepto vivifice crucis signo, contra Turchos militari deliberarunt. Exurge igitur, miles Christi, et in barbaros viriliter pugna, de quibus stragem videbis victoriamque, dante domino, gloriosissimam reportabis, nec velis Kal. Septembris expectare, quin potius debebis, quam primum istas acceperis, cum dei ac nostro auxilio et nostra benedictione in eductione exercitus properare. Datum Rome etc. IV. Kal. Augusti 1457. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 112.

CCCCLXIX.

Epis Passaviensi et Secoviensi, ut Friderico imperatori ab epo Iauriensi de summa trium mill. flor. satisfieri curent.

Calistus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Pataviensi et Seccoviensi Episcopis, salutem etc. Ad nostram nuper noveritis audientiam pervenisse, quod licet olim Carissimus in Christo filius Fredericus Romanorum Imperator semper augustus, tunc tutele Carissimi in Christo filii Ladislai Hungarie Regis Illustris gerens officium, civitatem et castrum Iauriensia ab ecclesia Iauriensi, ad quam legitime spectare et pertinere dicebantur, illicite alienata et distracta de manibus ea occupantium et detinentium recuperaverit, redemerit, ac ad ius et proprietatem ipsius ecclesie Iauriensis gratiose reduxerit non sine magnis suis laboribus, sumptibus et expensis, ac Venerabilis frater noster Augustinus Episcopus, tunc Electus, Iauriensis pro aliquali compensatione et refusione sumptuum et expensarum huiusmodi summam trium millium florenorum auri Ungarie prefato Imperatori, seu heredibus suis in certis terminis tunc expressis dare et solvere bona fide promiserit, et ad id se obligaverit, dilectorum filiorum capituli dicte ecclesie expresso ad id accedente consensu, prout in recognitionis, promissionis et obligationis desuper confectis litteris authenticis dicitur plenius contineri; et quanquam etiam felicis recordationis Nicolaus papa quintus, predecessor noster, per suas litteras prefato Imperatori gratiosius duxerit indulgendum, quod subditi sui et habitatores castrorum, oppidorum et villarum, que Imperator ipse in regno predicto tunc obtinebat, prout obtinet, per diocesanos et ordinarios iudices excommunicari, ac loca incolarum ipsorum interdici absque expressa apostolice sedis licentia minime possent, nec deberent: nichilominus tamen prefatus Episcopus summam predictam prefato Imperatori seu consiliario suo dilecto filio Sigismundo de Wrispath militi, cui Imperator ipse summam trium millium florenorum huiusmodi ab eodem Episcopo exigendam et recuperandam, ac in suos usus et utilitatem habendam et convertendam libere donavit, infra terminos predictos tradere seu dare et solvere non curavit nec curat, pro parte Imperatoris et militis predictorum super hoc debite et sepius requisitus, et de hiis non contentus, etiam contra litteras dicti Nicolai temere veniendo, subditos et habitatores predictos ac ipsorum parochianos presbiteros ut plurimum preter eorum demerita pro libito voluntatis sue et excommunicationum sententiis involvere, ac loca ipsorum ecclesiastico interdicto supponere presumpsit, et presumit in Imperialis maiestatis iniuriam et offensam, litterarum dicti predecessoris vilipendium et contemptum, nec non militis et subditorum predictorum dampnum et gravamen. Quare pro parte dicti Imperatoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut sue ac militis et subditorum predictorum indemnitatibus et alias premissis et circa ea opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis dicto Episcopo et aliis, qui fuerint evocandi, si est ita, militem et subditos prefatos, si id humiliter petierint, ab huiusmodi censuris et penis, quibus per eundem Episcopum seu eius auctoritate forsitan irretiti habentur, auctoritate nostra absolvatis in forma ecclesie consueta, iniunctis inde ipsis singulis pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, nec non interdictum, si quod alicubi propterea positum

sit, eadem auctoritate relaxetis: et nichilominus prefato Imperatori efficacis defensionis presidio assistentes, faciatis litteras dicti Nicolai predecessoris iuxta ipsarum vim, formam et continentiam inviolabiliter observari, nec permittatis militem et alios subditos predictos communiter vel divisim contra eas quomodolibet molestari, vexari seu perturbari, aut censuris prefatis involvi seu laqueari, aut eis gravamina, dampna vel iniurias irrogari, facturi super hiis eidem Imperatori, nec non militi et subditis iustitie complementum: super aliis vero auditis hinc inde propositis, quod iustitia seu etiam equitate suadentibus, vobis rationabile videbitur, super quo plenariam potestatem et facultatem per presentes vobis concedimus, appellatione remota, auctoritate nostra, usuris cessantibus, decernatis, facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Non obstantibus tam pie memorie Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem vel diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, et de duabus dietis in Concilio generali, quam aliis quibuscunque constitutionibus apostolicis editis, ac litteris nostris in derogationem indulti huiusmodi per nos quomodolibet forte concessis, quas auctoritate apostolica et ex certa scientia harum serie revocamus omnino, decernentes ex nunc irritum et inane, quicquid illarum pretextu vel alias contra prefatum indultum a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari contigerit, ceterisque contrariis quibuscunque; aut si prefato Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium trahi seu evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, quarto Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. lib. XXV. fol. 274.

CCCCLXX.

Presbyteris Graecis ubilibet existentibus mandatur, ut in ecclesiis et missarum solemniis nomen summi pontificis alte cantent et pro felici statu S. R. E. orent.

Calistus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Reddituri de commisso nostre sollicitudini grege fidelium illi, qui nobis licet immeritis eundem sua bonitate commisit, in extremo iudicio rationem, summis, ut tenemur, studiis illos, quos plerumque a fidei catholice saluberrimis institutis tortuosus coluber, humani generis emulus, venenosis suggestionibus divertere et deviare molitur, Salvatori nostro, qui non mortem, sed conversionem et vitam desiderat peccatorum, restituere, et ad viam veritatis, que Christus est, reducere procuramus, atque toto nisu exquirimus id pro eorum salute et reductione efficere, per quod animarum suarum profectibus consulatur, nosque in ratione reddenda divine iustitie possimus evadere ultionem. Sane licet nostris temporibus, dum minori fungeremur officio, orientalis Grecorum ecclesia in Concilio generali per Latinos et Grecos Florentie celebrato sacrosancte Romane ecclesie coniuncta fuerit et unita, quia tamen inter cetera ex his, que in ipso Concilio sancita et salubriter decreta fuerunt, aliqua per ipsos Grecos, quemadmodum fieri decebat, minime observantur: cupientes pro salute animarum decreta predicta ad cunctorum notitiam deduci, et ea ubilibet inviolabiliter observari, ne oblivione incuriaque causantibus successu temporis a memoria excidant, et neglectui data vilescant, ac periculum pariant animarum, auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et ordinamus, quod ex nunc in antea omnes et singuli presbiteri et sacerdotes Greci ubilibet existentes infra missarum solempnia nomen Romani pontificis in loco deputato alta et intelligibili voce exprimere, ac pro ipsius et sancte Romane ecclesie incolumitate statuque pacifico orare teneantur et debeant iuxta doctrinam Salvatoris nostri, qui in Petri et Apostolorum personis figurate nos instruit, dicens: Qui vos recipit, me recipit: et qui recipit me, recipit patrem meum; ex quo recte elicitur, Petrum et successores suos recipientes beatitudinem adepturos. De Petro enim super alios dixit: quia post Apostolos cephas et caput in ecclesia universali mansurus erat; cuius oppositum ipsa veritas in eodem loco disseruit, cum ait: qui non recipit vos, non recipit me: et qui non recipit me, non recipit patrem meum;

ex quo pariformiter infertur, tales incurrere damnationem eternam; de quo iterum Salvator pulcre in Evangelio clarius exprimit dicens: Oves mee vocem meam audiunt et ego cognosco eas, et mee cognoscunt me, et ego do eis vitam eternam. Vox enim Christi a fidelibus auditur, cum in ore sacerdotum nomen Vicarii Iesu Christi, qui ipsius vices gerit in terris, et cui pascendarum ovium cura commissa est, publice nunciatur. Omnes namque per obedientiam pastorem agnoscunt, pastor vero summus pontifex, claviger et ostiarius regni celestis et ostium paradisi aperit, et ad perpetue beatitudinis pascua fideles per mandatorum semitas incedentes salubriter introducit; divino namque iure sancitum est, ac omnium sacrosancte ecclesie catholice doctorum sententia comprobatum, ut singula membra capiti, id est Romano Pontifici apostolico se debeant per omnia reconformare, a quo nostrum est querere quid credere, quid tenere debeamus, quoniam ipsius solius est statuere, disponere, solvere et ligare, qui vice Christi fungitur, et ab eo vobis in pastorem dedicatus existit, cui omnes Primates, Archiepiscopi et Episcopi ceterique Christicole tanquam indubitato vicario Iesu Christi obtemperant. Demum ut illa vetustissima periculosaque et damnanda opinio in eodem et aliis conciliis continuo reprobata, qua nonnulli minus veraciter affirmare presumebant, Spiritum sanctum a Patre solo procedere, penitus eradicari valeat, et quod sacrosancta Romana ecclesia profitetur, tenet pariter et affirmat, eundem videlicet Spiritum sanctum ab eodem Patre et Filio taliter procedere, sicuti beatus Athanasius, lumine eiusdem Spiritus illustratus, edocuit dicens: eundem Spiritum sanctum non factum, non creatum, non genitum, sed ex Patre et Filio eternaliter procedere, pectoribus singulorum fidelium pro eorum salute et directione inseratur: similiter statuimus ac etiam ordinamus, quod iidem presbiteri et sacerdotes, dum infra earumdem sacra missarum sollempnia simbolum ex ordinatione ecclesie canunt aut dicunt, illud integre secundum ritum eiusdem Romane ecclesie intelligibiliter dicere teneantur et debeant, videlicet: qui ex Patre Filioque procedit; alioquin omnes et singulos, qui huic articulo orthodoxe fidei, ad nostram profecto salutem necessario et in tot sanctorum patrum conciliis iteratis vicibus approbato, contradicere presumpserint, aut eiusdem catholice ecclesie institutionem observare recusaverint vel malitiose neglexerint, sententias, censuras et penas in eisdem et precipue Florentino Conciliis antedictis in tales generaliter latas, inflictas et promulgatas, et anathema trecentorum decem et octo patrum, nisi a premissis erroribus resipiscere, et unitati eiusdem ecclesie se per omnia illico conformare studuerint, incurrere volumus ipso facto. Quapropter, ne per taciturnitatem posterioris temporis mentes fidelium ab istius credulitate articuli fiant dampnabiliter longiores, districte precipimus et mandamus, quatenus processio Spiritus sancti a sacerdotibus Grecis explicite et manifeste ponatur in simbolo, ut fides ad iustitiam teneatur in corde et ad salutem omnium eius fiat oris confessio, se tanquam filii obedientie semper sacrosancte ecclesie Romane matri sue per omnia conformantes, ut fiat unum ovile et unus pastor iuxta ipsius sententiam Salvatoris. Nulli ergo etc. nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, precepti et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. MCCCCLVII. tertio Nonas Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XIV. fol. 130.

CCCCLXXI.

Cardinali S. Angeli legato, ut partibus auditis iustitiam faciat super ecclesia Zagrabiensi.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, in partibus Ungarie sedis apostolice Legato, salutem etc. Romanus Pontifex, in quo potestatis plenitudo consistit et cui sollicitudo omnium ecclesiarum incumbit, earum prout potest dispendiis pro tempore et rerum qualitate obviat, ac illarum regimini interdum consulit, gesta etiam per se ipsum revocando et in melius commutando, prout earum necessitati et utilitati novit in domino expedire. Sane nos pridem audito, quod post provisionem de ecclesia Zagabriensi per felicis recordationis Nicolaum papam quintum predecessorem nostrum factam de persona Thome Episcopi Zagabriensis, Balthassar rector, plebanus appellatus, parrochialis ecclesie plebanatus nuncupate sancti Petri in Radmodorff Aquilegensis diocesis dicte provisioni contra iustitiam se opponebat, et post mandata nostra quibusdam iudicibus data, ut Thomam predictum in possessionem introducerent, Balthassar predictus et quidam eius complices possessionem dicte Zagabriensis ecclesie impedientes, ab uno ex iudicibus antedictis sententia excommunicationis innodati, aggravati et reaggravati, a sua intrusione et impedimento Thome Episcopo datis cessare nolebant, quin potius omnem provinciam tumultibus vexabant, adeo ut sanctissimum cruciate

negotium turbaretur: tu eorum importunitate ductus sententias excommunicationis predictas usque ad sedis apostolice beneplacitum suspendisti, nosque ipsius Thome Episcopi indemnitati providere volentes, tibi per litteras decimo Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno secundo datas commisimus et dedimus in mandatis, ut suspensionem sententiarum et censurarum huiusmodi, nec non illas et super quibus emanarunt, litteras et desuper habitos processus in eum et pristinum statum, vigorem et robur etiam adversus Balthassarem et alios predictos, in quo ante suspensionem per te factam huiusmodi quomodolibet erant, restituere, reponere et revalidare, ac ipsum Balthassarem et alios inobedientes contradictores et rebelles perinde ligatos, ac si sententie et censure predicte ac priorum litterarum et processuum predictorum executio minime suspense forent, nec non sedis eiusdem beneplacitum quoad hoc ex tunc cessare decernere auctoritate nostra procurares, et alia faceres, prout in eisdem litteris latius continetur. Deinde cum tu pro causis fidei multipliciter impeditus dictis controversiis debitum et necessarium finem imponere nequivisses, nos varie et multipliciter et, ut credimus, falso a diversis personis informati, per alias nostras litteras duodecimo Kal. Iulii Pontificatus nostri anno tertio datas narravimus, quod dudum postquam felicis recordationis Eugenius papa quartus, predecessor noster, de persona Benedicti ecclesie Zagabriensi providerat, Venerabilis frater Demetrius Episcopus Tiniensis asserens, eundem Benedictum prefatum Zagabriensem cum ecclesia Tiniensi secum permutare cupere, et in hoc suum intervenire assensum, se ad eandem Zagabriensem ecclesiam tanquam per resignationem ex causa permutationis vacantem transferri, et de persona sua eidem ecclesie Zagabriensi provideri et dicti predecessoris desuper litteras expediri obtinuit: quarum translationis, provisionis et litterarum obtentu cum prefatus Demetrius ipsum Benedictum vexare cepisset, dicto Eugenio predecessore, sicut domino placuit, sublato de medio, Benedictus ad bone memorie Nicolaum papam quintum similiter predecessorem nostrum habens recursum, negavit se translationi de se facte ullatenus consensisse, dictusque Nicolaus tue circumspectioni tunc in Germanie partibus apostolice sedis legationis officio fungenti commisit, quod eidem Demetrio inhiberet, ne de Zagabriensi ecclesia se impediret, donec discussio facta foret, tuque postmodum ad executionem tibi facte commissionis procedens eidem Demetrio Episcopo, ne de possessione dicte Zagabriensis ecclesie se intromitteret, prohibuisti, Benedictumque ipsius Zagabriensis presulem fore decrevisti. Postea vero cum idem Nicolaus predecessor per obitum dicti Benedicti de persona Thome duxisset providendum, Balthasarque plebanus de Radmodorff ac prefatus Demetrius dictum Thomam variis modis impedirent, nos per dictas litteras duodecimo Kal Iunii datas, narratis omnibus per felicis recordationis Eugenium IV. predictum et eius temporibus gestis in hac causa, factaque repetitione eorum, que in superioribus litteris nostris decimo Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno secundo datis continentur, causam omnem predictam ad nos ex certa scientia advocantes, eandemque et lites huiusmodi penitus extinguentes, simili scientia et auctoritate apostolica decrevimus, regimen et administrationem Zagabriensis ecclesie prefato Thome de iure competere, et ad eum spectare et pertinere, ipsumque Thomam tanquam verum sponsum et presulem eiusdem ecclesie illi debere preesse, necnon vexationem, molestationem et impedimenta sibi per quoscunque facta temere ac de facto presumpta fuisse: et nihilominus tue circumspectioni ac dilecto filio nostro Dionisio tituli sancti Ciriaci in Thermis presbitero Cardinali, etiam in illis partibus sedis apostolice legato commisimus et mandavimus, quatenus vos vel alter vestrum dictum Thomam Episcopum in ecclesie sue Zagabriensis regimen et administrationem bonorum per eiusdem corporalem possessionem realiter et cum effectu auctoritate nostra induceretis, et defenderetis inductum, facientes dicto Thome tanquam Episcopo a capitulo et vassallis aliisque subditis consueta iura et servitia sibi debita exhiberi, prout in eisdem litteris, quas hic volumus pro sufficienter expressis haberi, latius continetur. Verum per ea, que nuper cum nostri animi displicentia a magnis et potentibus dominis aliisque viris prestantibus regni Ungarie et partium Zagabriensi ecclesie circumvicinarum nuntiata audivimus, predicta omnia tam per felicis recordationis Nicolaum predecessorem eundem, quam per nos, ut prefertur, intentata, facta et gesta parum aut nihil profuisse dicuntur, cum Thomas Episcopus, pro quo tam multa sunt facta, in ecclesie ipsius possessionem nullatenus fuerit introductus; sed potius desideratus fuerit ab omnibus Demetrius antedictus, et populi civitatis Zagabriensis eiusque diocesis, qui multi et magni esse dicuntur, pastoris solatio et administratione tanto olim tempore destituti, interim continua in spiritualibus et temporalibus sustineant detrimenta, prout indies magis magisque similia et maiora videntur subituri, nisi aliter per nos succursum provisumque extiterit. Quare predictis incommodis et periculis,

prout cum debito pastoralis officii tenemur, obviare, et Zagabriensis ecclesie bono regimini salubriter providere volentes, omnes et singulas suspensiones et revocationes quomodocunque factas, supradictasque litteras nostras duodecimo Kal. Iunii Pontificatus nostri anno tertio datas, et omnia in eis contenta, advocationem extinctionemque litis et silentii impositionem, et alia quecunque auctoritate apostolica ex certa scientia et de potestatis plenitudine revocantes, et pro nullis et infectis haberi decernentes atque mandantes, circumspectioni tue, quam eo melius hanc rem, domino concedente, terminaturam esse confidimus, quo ea per te diutius sunt cognita et agitata, auctoritate, scientia et de plenitudine similibus committimus et mandamus, ut hanc eandem Zagabriensis ecclesie causam in omnibus et per omnia resumptam cognoscas, et vocatis Demetrio et Thoma predictis, qui, ut asseritur, provisionem a sede apostolica habuerunt, et aliis, qui fuerint evocandi, eorumdem iuribus plene auditis et diligenter examinatis et discussis, iustitiam facias, omni appellatione semota, canonicis, capitulo et populo ipsius ecclesie mandando, et taliter cum ipsis opportune curando, ut illi, quem ipsius ecclesie declaraveris Episcopum et pastorem, pareant et intendant, ac de fructibus ecclesie, sicut aliis consuevere Episcopis, integre respondeant, contradictores auctoritate apostolica per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus suspensionibus et revocationibus ac commissionibus premissis, nec non constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte ecclesie Zagabriensis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque; aut si alicui dictorum se Zagabrienses Episcopos esse pretendentium vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede indultum extitit, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto et commissione huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLVII. sexto Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XIV. fol. 299.

CCCCLXXII.

Georgio Castriotti Scanderbech, ut contra Turcas fortiter agat, ipsique quaedam subsidia ex eleemosynis in Dalmatia collectis mittuntur.

Georgio Castriotti Scandarbech Albanie domino.

Calistus PP. III. ... Maximum certe et inenarrabilem dolorem nobis attulit dilectus filius Georgius Petri Abbas, qui a tua nobilitate ad nos missus de irruptione Turcorum in terras tuas, de vastitate illius provincie et clade tuorum, et denique de obsidione, qua ab exercitu barbarorum circumseptus esse diceris, nobis nunciavit, fuit id profecto nobis molestissimum audisse. Nam cum te semper pro tua excellenti strenuitate, proque memorabilibus gestis tuis ultra omnes catholicos principes de fide et religione christiana optime meritum sentiamus, non possumus non gravissime dolere nobilitatem tuam in tantum discrimen aductam esse intelligere, vellemusque, ut hec nobis essent facultates, ut tibi quemadmodum optamus de subito subsidio possemus subvenire, quod non minus necessario quam libenter magnoque animo faceremus. Non tamen tibi deesse intendimus, quin etiam ultra vires nostras saluti et defensioni tue consulamus. Nam quo facilius vim et tempestatem istam et sustinere et repellere possis, en mandavimus, ut devotioni tue ex nonnullis pecuniis propter sanctam cruciatam Ragusii et per Dalmatiam collectis, certa pars tibi consignetur, licet Carissimi in Christo filii nostri Hungarie et Bosne Reges Illustres ad eas pecunias animum adhibuissent, et multifariam summisque precibus apud nos egerint, ut subventionem illiusmodi pecuniarum ipsis faceremus, cum ipsi pro fide catholica quasi continue cum Turchis manum conserere, et propter vicinitatem eos, ne laxato impetu in christianitatem ferantur, reprimere et quasi ab aditu propulsare cogantur. Tu vero forti animo et constanti sis, tuorumque felicium gestorum et laudum rationem habeas, que cum iam plena et consumata gloria ubique insigni preconio apud catholicos predicentur, accedet eis cumulus maximus, si senserint fideles nobilitatem tuam in tanto furore et impetu immanissimorum hostium non labefactatam, sed suam strenuitatem et virilitatem presenti animo conservasse: nemo enim est tam ignarus rerum, qui non summis laudibus ad celum te extollat, et de tua nobilitate tanquam de vero athleta et propugnatore nominis christiani non loquatur. De nostra vero in te caritate non multa hic dicere decrevimus; nam quanta ea sit, re et affectu cupimus tibi ostendere. Scripsimus enim legato classis nostre, qui in oriente est, ut cum classe nostra vel illius parte tibi, si necesse fuerit, oportuno sit subsidio. Quod si impetus

ipse eminentis procelle paulisper sustinebitur, nec statim tempestati huic succubueris, insequens serenitas mala omnia levabit. Etenim hac hyeme tot fiunt apparatus a Christifidelibus, quos universo orbe assidue monitiones, preces et lacrime nostre excitarunt, tantusque concursus christianorum potentatuum erit ad excindendam pessimam nationem Turchorum, ut divino oraculo et numine quodam presagiente, rati sumus canem illum rabidum et serpentem hunc Turchum, qui nunc delitescit, nunc per damna christianorum emergit, et grassatur in populum dei domitum et fractum, dimissis, que male occupavit, in perditionem et ruinam missum iri. Vere primo videbit tua devotio mirabilia, et spurcissimos istos Turchos cum gaudio et letitia repressos et fugatos cernes, qui nunc per summum scelus capiti tuo tuorumque subditorum insultant, nec te moveat iactura aut strages, qua tui forsan affecti sunt: maiora enim succedent, que duplici fenore amissa instaurabunt, et tibi tuisque perpetuam requiem et felicitatem afferent. Hec enim non vane loquimur, sed facta fidem facient verbis nostris, ut in aliis sepe visum est. Anno superiore cum perfidus Turchus Hungarie imineret, quis non tremebat, cum tantum furorem, tantamque audaciam potentissimi hostis cerneret christianitati impendere? Sed immortalis deus nostris et aliorum Christifidelium precibus inclinatus succurrit populo suo, et innumerabilis illa multitudo tanquam nebula ad solem dilapsa et dissipata est, monstrumque illud nefandissimum consilii egens, et diffidens rebus suis ad latebras interiores regnorum suorum fugam arripuit. Magna hec fuerunt, sed maiora restant, que deus faciet pro tutela populi sui: potentie undique concitate sunt, ut terra marique confluant ad eam pestem exterminandam. Superest, ut tua devotio solita constantia et fortitudine tamquam miles et athleta Christi invictus viriliter sustineat impetum istum, qui, divino subveniente brachio, cito ad nihilum redigetur. Pro colligendis autem et consignandis tibi pecuniis prefatis mittimus in Dalmatiam dilectum filium Iohannem Navarram scutiferum nostrum, ut etiam ad tuam nobilitatem se conferat, et quantum placuerit, ibidem stet. Datum Rome apud S. Petrum sub anulo piscatoris die XI. Septembris MCCCCLVII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 120.

CCCCLXXIII.

Cardinali S. Angeli legato, ut regi Bosniae quaedam subsidia ex eleemosynis in Servia et Dalmatia collectis pro bello contra Turcas assignanda curet.

Cardinali Sancti Angeli.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Quia certiores effecti sumus per Collectores nostros, apud Dalmatiam ratione decime et cruciate plures pecunias congregatas fuisse, et quod in maiori summa etiam in futurum congregari sperantur, decrevimus illas certo modo inter Carissimos in Christo filios Hungarie et Bosne Reges Illustres, nec non dilectum filium nobilem virum Scandarbech Albanie dominum distribui facere. Itaque dilectum filium Iohannem Navarram familiarem nostrum et presentium latorem pro ea re in Dalmatiam misimus, ut super distributione dictarum pecuniarum, quemadmodum a nobis habet in mandatis, voluntatem et mandata nostra exequatur, et ad prefatum Scandarbech personaliter accedat, eique voluntatem nostram erga eum et animum, quo circa distructionem Turchorum flagramus, notificet, et alia nonnulla referat, que habet a nobis in commissis. Et quoniam forte eundem Iohannem, cui dedimus brevia credencialia ad prefatos Reges Hungarie et Bosne super negociis fidei et cruciate, ad tuam circumspectionem continget accedere, intellecto per te, quod a nobis habet in mandatis, ut ad eosdem Reges non accedat nisi de tua voluntate, et ita si videbitur, quod ire debeat, instrues eundem, ut diximus. Per aliam viam paucis diebus ante latissime tibi scripsimus, misimusque bullam festi Transfigurationis et officium, quod edidimus, dedimusque tuo procuratori hic tria millia ducatorum, ut in predictis litteris nostris continetur. Datum Rome etc. die XVII. Septembris 1457.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 121.

CCCCLXXIV.

Iudicibus mandatur, ut Matthaeo praeposito ecclesiae Corporis Christi Iauriensis de certis possessionibus satisfieri curent.

Calistus episcopus etc. Dilectis filiis preposito Sancti Thome de Viridicampo Strigoniensis diocesis, et Newgradiensis ac Borsiensis Strigoniensium ecclesiarum archidiaconis, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Mathei prepositi ecclesie corporis Christi Iauriensis diocesis petitio

continebat, quod alias pro parte dilectorum filiorum prioris et conventus domus beate Marie de Papos ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini predicte diocesis nobis exposito, quod dudum tam in Romana curia quam in partibus coram diversis iudicibus inter ipsos priorem et conventum ex una, et quondam Gregorium olim dicte ecclesie corporis Christi prepositum de et super nonnullis bonis, possessionibus et villis rebusque aliis in actis causarum huiusmodi latius deductis, et ipsorum occasione partibus ex altera materia questionis suborta, tam pro predicto priore et conventu, quam pro prefato Gregorio preposito de et super bonis huiusmodi late extiterant nonnulle diffinitive sententie, et quod licet ab ultima diffinitiva sententia per Venerabilem fratrem nostrum Paulum Episcopum Agriensem, iudicem in huiusmodi causa tunc apostolica auctoritate delegatum, pro dicto Gregorio et contra prefatos priorem et conventum lata appellatum fuisset, tamen propter guerras appellationem huiusmodi prosecuti non fuerant, et propterea ad instantiam dicti Mathei moderni prepositi vigore litterarum executorialium super dicta ultima sententia emanatarum excommunicationis sententia innodati, et possessione dictorum bonorum spoliati extiterant: nos ad supplicationem dilecti filii Michaelis nec non conventus et fratrum predictorum, non obstante lapsu decursuque temporis prosequende appellationis predicte, causam eiusdem pretense appellationis una etiam cum toto principali negotio per specialem commissionem subsertis modo et forma, prout in eadem commissione dicitur plenius contineri, dilecto filio nostro Petro tituli sancti Martini presbitero Cardinali audiendam, cognoscendam, decidendam et fine debito terminandam commisimus: cuius quidem commissionis pretextu prefatus Matheus prepositus in litem tractus fuit, in qua ad nonnullos actus iudiciales citra tamen productionem aliquorum iurium processum est. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, de meritis cause et causarum huiusmodi commodius in partibus illis, quam in eadem curia liquere possit, pro parte dicti Mathei prepositi asserentis, quod ipse una cum aliis prelatis regni Ungarie occasione guerrarum, que in partibus illis contra perfidissimum Turchum vigent, valde occupatus existit, et quod Barones et alii regnicole dicti Regni tam ex privilegio quam consuetudine hactenus inviolabiliter observata habent, quod ipsi extra dictum regnum super quacunque re in litigium trahi non possint, nobis fuit humiliter supplicatum, ut causam coram Cardinali pendentem huiusmodi ad nos advocare, et illam etiam cum principali negotio aliquibus probis in partibus illis viris audiendam committere, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur statum dicte cause presentibus pro sufficienter expresso habentes, illamque ad nos harum serie advocantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis priore et conventu predictis et aliis qui fuerint evocandi, causam ipsam in debito statu resumentes, illam etiam cum principali negotio cognoscentes legitime, ulterius audiatis et appellatione remota, debito fine decidatis, facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Non obstantibus premissis ac fel. rec. Bonifacii PP. VIII. predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta etc. de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta vestre iurisdictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, et que quo ad hoc eis nolumus aliquatenus suffragari. Quodsi non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo aut unus vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, pridie Id. Novembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. lib. XXVI. fol. 326.

CCCCLXXV.

Cardinali Strigoniensi de egregio in Sedem Apostolicam studio gratulatur, mandatque, ut regem caeterosque principes ad mittendos Romam suos oratores pro sacro contra Turcas bello prosequendo admoneat.

Cardinali Strigoniensi.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Quamvis de tua erga nos et sedem apostolicam devotione minime dubitemus, tamen vehementer nos delectavit, quod certiores facti sumus per litteras

dilecti filii Io. sancti Angeli apostolice sedis Legati et familiarem eius presentium exhibitorem, quem ad nos novissime miserat, de egregia et diligenti cura, qua usus es et continue uteris in negotiis et rebus tangentibus nostram et apostolice sedis auctoritatem et fidei orthodoxe exaltationem, negotiorumque sanctissime cruciate prosecutionem: ex quibus rebus maximam animo capimus delectationem, tuamque fraternitatem plurimum in domino commendamus, hortantes eandem, ut quemadmodum cepit, laudabiliter continuet. Nulla enim maior laus Prelati esse potest, quam usque ad sanguinis effusionem honorem et auctoritatem sedis apostolice tueri, et ita vigilet fraternitas tua pro defensione auctoritatis nostre et sedis apostolice, occurratque malignitatibus volentium nos et sedem eandem lacerare, ut de te confidimus et speramus, super quo etiam pluribus verbis scribimus prefato Legato nostro, a quo tua fraternitas de omnibus erit informata. Ceterum iam nuper tue Circumspectioni scripsimus, quod Imperatoris universorumque Regum, principum, dominorum et potentum, populorum, communitatum christianitatis oratores ad nos convocamus, ut cum eis tractemus, et conclusionem capiamus super prosecutione amprisie contra perfidos Turchos: que res, quod secundum cordis nostri ardorem non prosequitur, incredibiliter nos angit. Itaque si Imperator, Reges et alii ipsarum partium, quibus super hoc scripsimus, nondum miserunt oratores, quos petimus, laborabis, ut eos ad nos omnino statuto termino mittant: speramus enim in deo talem cum eis conclusionem facere et ita negocium hoc divinum dirigere, ut quod ante omnia nobis cordi est, christianorum auxiliis et opibus nobiscum collatis, perfidam nationem Turcorum et ceterorum infidelium perdere et exterminare possimus. Pro virili igitur tua operare super hoc, quod poteris in partibus istis: nam victoria in manibus est, cuius in dies certiora videmus signa ab omnipotenti deo ostendi, quod videre licet ex turpi fuga ingentissime classis apud insulam nostram Mitileni Turcorum a paucis christianis facta, ut ex dicto Legato plenius intelliges. Datum Rome etc. die penultima Novembris 1457. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 131.

CCCCLXXVI.

Cardinali S. Angeli legato, ut inter Demetrium et Thomam ecclesiae Zagrabiensi utiliorem eligat, et Sedi Apostolicae significet.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, in partibus Ungarie sedis apostolice Legato, salutem etc. Tunc pastoralis officii debitum exercere censemur, dum circa provisiones quarumlibet ecclesiarum cathedralium iustitiam absque personarum acceptatione ministrari mandamus. Dudum siquidem certis tunc expressis causis per litteras quasdam tertio decimo Kal. Octobris Pontificatus nostri anno primo tibi dedimus in mandatis, ut de circumventione et fraudibus per dilectum filium Thomam de Debreneche, qui se gerit pro Episcopo Zagrabiensi, in promotione per felicis recordationis Nicolaum papam quintum predecessorem nostrum ad ecclesiam Zagrabiensem tunc pastore carentem facta de persona ipsius Thome te diligenter informares, et nobis quicquid per eandem informationem reperires veritate subniti, significares, ac censuras in quibusdam litteris ab eodem Nicolao predecessore nostro prefato emanatis contentas, si tibi constaret, eundem Thomam in huiusmodi sua promotione fraudem et circumventiones commisisse, ad sedis apostolice beneplacitum suspenderes; et deinde ex certis aliis tunc expressis causis per alias sub dat. decimo Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno secundo tibi etiam inter alia commisimus, ut easdem censuras per te suspensas adversus dilectum filium Baltasarem Electum Zagrabiensem, tunc rectorem parochialis ecclesie plebanatus nuncupate sancti Petri in Radmodorff Aquilegensis diocesis, et alios sibi auxilium, consilium vel favorem prestantes, si tibi videretur iuste et rationabiliter sine turbatione et scandalo fieri posse, nec aliquid canonicum obviaret, suspensionis sententias et censuras huiusmodi, nec non illas et super quibus emanarunt, litteras ac desuper habitos processus in eum et pristinum statum, vigorem et robur, in quo ante huiusmodi suspensionem erant, restitueres, reponeres ac revalidares: et subsequenter per nos intellecto, quod dudum postquam pie memorie Eugenius papa quartus predecessor noster de persona bone memorie Benedicti ecclesie Zagrabiensi providerat, Venerabilis frater noster Demetrius Epus Tiniensis, asserens eundem Benedictum prefatam ecclesiam Zagrabiensem cum ecclesia Tiniensi secum permutare appetere, et in hoc suum intervenire consensum, se ad eandem ecclesiam Zagrabiensem tanquam per resignationem ex causa permutationis vacantem transferri, et de persona sua eidem Zagrabiensi ecclesie provideri obtinuerat, nec non translationis, provisionis et litterarum huiusmodi obtentu cum prefatus Demetrius ipsum Benedictum vexare cepisset, dicto Eugenio predecessore, sicut domino

placuit, sublato de medio, Benedictus ad prefatum Nicolaum predecessorem nostrum habens recursum, negaverat se translationi de se facte ullatenus consensisse, dictusque Nicolaus predecessor tue circumspectioni, etiam tunc in Germanie partibus apostolice sedis legationis officio fungenti, commiserat, quod eidem Demetrio inhiberes, ne de Zagrabiensi ecclesia se intromitteret, donec discussio facta foret, tuque postmodum ad executionem tibi facte commissionis procedens, eidem Demetrio Episcopo, ne de possessione dicte Zagrabiensis ecclesie se intromitteret, prohibueras; ac postea cum idem Nicolaus predecessor per obitum dicti Benedicti de persona eiusdem Thome duxisset providendum, prefatique Baltasar et Demetrius dictum Thomam variis modiis impedirent facerentque, quominus pacificam possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum dicte ecclesie Zagrabiensis adipisci posset: Nos causam predictam ad nos ex certa scientia advocantes, eandemque et lites huiusmodi penitus extinguentes, simili scientia et auctoritate apostolica decrevimus, regimen et administrationem Zagrabiensis ecclesie prefato Thome de iure competere et ad eum spectare et pertinere, ipsumque Thomam tanquam verum sponsum et presulem eiusdem ecclesie illi debere preesse, nec non vexationes, molestationes et impedimenta sibi per Demetrium et Baltasarem et alios quoscunque facta et illata temere et de facto presumpta fuisse et esse declarantes, regimen et administrationem dicte ecclesie prefato Thome auctoritate apostolica antedicta et scientia simili adiudicavimus, et super illis Demetrio et Baltasari ac aliis quibuscunque perpetuum silentium imposuimus; et nichilominus tue circumspectioni ac dilecto filio nostro Dionysio tituli sancti Ciriaci in Thermis presbitero Cardinali, etiam in illis partibus sedis apostolice legato, commisimus et mandavimus, quatenus vos vel alter vestrum dictum Thomam Epum in ecclesie sue Zagrabiensis regimen et administrationem bonorumque eiusdem corporalem possessionem realiter, et cum effectu auctoritate nostra introduceretis, et defenderetis inductum, facientes dicto Thome tanquam Episcopo a Capitulo et Vasallis aliisque subditis consueta iura et servitia sibi debita exhiberi: ac demum audito, quod tam per Nicolaum, quam per nos, ut prefertur, intentata, facta et gesta parum aut nichil dicebantur profuisse, cum idem Thomas in dicte ecclesie possessionem nullatenus esset introductus, Nos bono regimini dicte Zagrabiensis ecclesie salubriter providere volentes, omnes et singulas suspensiones et revocationes quomodocunque factas, supradictasque nostras litteras sub dat. duodecimo Kal. Iunii Pontificatus nostri anno tertio, et omnia in eis contenta, advocationem, extinctionem litis et silentii impositionem, et alia quecunque auctoritate apostolica per alias nostras litteras sub dat. sexto Idus Septembris Pontificatus nostri anno tertio predicto ex certa scientia et de potestatis plenitudine revocantes, et pro nullis et infectis haberi decernentes atque mandantes, circumspectioni tue, quod eo melius hanc rem, dño concedente, terminaturam esse confidimus, quo ea per te diutius fuerit cognita et agitata, auctoritate et scientia et de plenitudine similibus commisimus et mandavimus, ut hanc eandem ecclesie Zagrabiensis causam in omnibus et per omnia resumptam cognosceres, et vocatis Demetrio et Thoma predictis, qui, ut asserebantur, provisionem a sede apostolica habuerunt, et aliis, qui fuerint evocandi, eorumdem iuribus plene auditis et diligenter examinatis et discussis iustitiam faceres, omni appellatione semota, prout in singulis nostris et predecessorum litteris, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus, haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem, sicut fidedignorum relatibus nobis innotuit, idem Baltasar per bone memorie Ulricum Comitem Cilie, ad quem de antiqua consuetudine ac ex privilegiis Regiis presentatio persone idonee in Episcopum Zagrabiensem, dum ipsa ecclesia vacaret, pertinere asserebatur, ad eandem ecclesiam sic vacantem presentatus fuerit, ac dilecti filii Capitulum prefate ecclesie ad hoc, ut ipse Baltasar illi in Episcopum preficeretur, consensum prestiterint, eapropter ne dictus Baltasar, qui ut accepimus, de militari genere procreatus et prefato Regi gratus ipsiusque consiliarius existit, et pro cuius provisione ad prefatum Nicolaum predecessorem patentes suas litteras dedit, et sub cuius felici regimine ipsa ecclesia in spiritualibus et temporalibus non modica suscipere poterit incrementa, sub silentio pretereatur, ac ne propter diuturnam partium huiusmodi contentionem ecclesia ipsa iacturam patiatur, providere volentes, ipsumque Baltasarem, suos fautores et sibi adherentes quoscunque a quibuscunque excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, in ipsos etiam pretextu litterarum predictarum vel alias quomodolibet forsan latis, inflictis et promulgatis harum serie etiam ad effectum presentium consequendum absolventes, ut absolvimus, circumspectioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis Demetrio et Thoma predictis et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis, nec non super eo, quis ad memorate ecclesie regimen fuerit utilior.

summariam informationem auctoritate nostra recipias, et quicquid per informationem huiusmodi repereris, nobis ad effectum dicte ecclesie de idoneo presule et pastore providendi quantocius significare procures. Non obstantibus suspensionibus et revocationibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, que in dictis posterioribus nostris litteris obstare voluimus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, quarto Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XV. fol. 117.

CCCCLXXVII.

Eidem legato, ut Hungarorum animos ad concordiam inducat, et apud regem efficiat, ut Mathias Hunyad pristinae libertati restituatur.

Cardinali Sancti Angeli Legato.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Ad gravissimas curas, quibus pro defensione fidei ortodoxe iam a principio assumptionis nostre sine intermissione dies noctesque gravati sumus, accessit, quod nos inenarrabili dolore affecit, ut in regno Hungarie tot turbulentie et tempestates subito orte sint, ut intestina ipsius Regni mala non mediocrem turbationem prosecutioni huius felicis amprisie attulerint. Notum est circumspectioni tue, quam graviter tulerimus casum filiorum illius invicti et gloriosi militis Christi Iohannis de Huniad Vayvode, et quam impense curavimus, ut scandala, que exurgere videbantur, cessarent. Videbamus enim quantum audacie ea turbatio allatura esset pessimo Turcho, si Regnum illud divisum et dissensionibus implicatum cerneret, cuius occupandi diuturna libido et rabies eum tenuit, et quo invito et ad resistendum parato, pessimum suum propositum frustrari sciebat: providit omnipotens non meritis hominum, qui quantum in illis fuit, haud multum reliquerunt, quin hosti sevissimo aditum ad extremam cladem christianitatis patefacerent, sed sua clementia et pietate non est passus tantum mali in suum populum redundare. Nos vero, dilecte fili, ne preterita, que tibi satis nota sunt, recenseamus, percupimus, ut liberetur dilectus filius nobilis vir Mathias, dicti Iohannis de Huniad filius, qui post necem alterius fratris a Rege Ungarie in vincula coniectus, nunc post dicti Regis obitum a Iuczick gubernatore Regni Bohemie asservatur, et in carceribus manet. Credimus enim ipsius Mathie liberationem ad pacem et tranquillitatem illius Regni, et usum fidei christiane cessuram, cum ut sepe audivimus, iuvenis sit clarus, et qui paternis vestigiis haud dubie inherebit. Quapropter circumspectioni tue committimus et mandamus, ut hanc in toto pectore amplectaris, partesque nostro nomine tuas diligenter, apud quos opus esse videbis, interponas, et nuntiis, litteris ac intercessionibus oportunis agas auctoritate nostra, ut nihil pretermittatur, quod pro conficienda re videbitur necessarium, etiam si opus fuerit, te ad eos conferendo, qui ope, auxilio, consilio vel potestate usui esse videbuntur. Quod si propter urgentiores occupationes tibi commodum non esset accedere, volumus, ut per Venerabiles fratres nostros Waradiensem et Waciensem Episcopos, qui sua sponte ad hoc satis, ut intelleximus, animati sunt, omnia pro huiusmodi liberatione oportuna tractes et conficias: super quibus ita animum intendat circumspectio tua, ut prudenter, mature et cum efficacia fiant, nihilque obmittatur, quod pro re conficienda necessarium videbitur. Datum etc. die IX. Februarii. Anno III.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 151.

CCCCLXXVIII.

Eidem legato, ut regnum Rasciae sub Apostolicae Sedis protectione suscipiat.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli diacono Cardinali, in Germanie et nonnullis aliis partibus apostolice sedis Legato, salutem etc. Dudum siquidem te in Germanie et nonnullis aliis partibus apostolice sedis legatum creavimus et instituimus, et ad illas partes tanquam pacis angelum providimus destinandum, sperantes indubie, quod per tue circumspectionis industriam dissidentes ad concordie et pacis unitatem reducerentur, fides exaltaretur catholica, maxima quoque ex tuis laudabilibus operibus commoda provenirent. Cum itaque, sicut fidedignorum relatione intelleximus, quondam ... despotus Rasie, sicut domino placuit, debitum nature persolvit: Nos cupientes patriam Rasie ac civitates, terras, oppida, castra, loca et dominia, que dictus despotus tempore obitus sui obtinebat, et ad ipsum quomodolibet spectabant in regno ipso, eorumque vasallos, subditos, incolas et habitatores in pacis amenitate et quietius vivere et letari, quo ex hoc nobis et sancte Romane ecclesie fideliores et obedientiores existant, et ut id facilius succedat, quo apostolice sedis munimine

amplius senserint se suffultos, circumspectioni tue patriam ipsam ac civitates, terras, oppida, castra, loca, dominia, vasallos, subditos, incolas et habitatores predicta sub beati Petri et nostra protectione recipiendi, eorumque violatores, occupatores, impeditores et turbatores excommunicationis, suspensionis, anathematizationis et maledictionis eterne, nec non eorum civitates, terras, oppida, castra et loca alia quecunque interdicti et aliis, de quibus eidem circumspectioni tue videbitur, penis, sententiis et censuris plectendi et ligandi, omniaque alia et singula, que pro pace et quiete patrie, vasallorum, subditorum, incolarum et habitatorum predictorum profutura esse cognoveris, et que nosmetipsi facere, exercere, precipere, mandare et exequi possemus, si ibidem presentes personaliter interessemus, faciendi, exercendi, precipiendi, mandandi et exequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, pridie Idus Martii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. lib. XXVII. fol. 479.

CCCCLXXIX.

Eidem de compositis Hungarorum animis, et de electione Mathiae Hunyadis in regem gratulatur, mandatque, ut electum regem ad bellum Turcicum viriliter prosequendum incitet.

Cardinali Sancti Angeli.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Quo maiori expectatione novi Regis Hungarie rerumque pacandarum animus noster detinebatur, eo maius et ferme incomparabile nunc fuit gaudium, quod ex litteris tue circumspectionis concepimus: ex quibus intelleximus, reconciliatos inter se esse primates istius Regni, et graves damnosasque dissensiones, quibus hactenus afflictati sunt, impensa opera et singulari industria Venerabilis fratris nostri Cardinalis Strigoniensis, et tua ad pacem concordiamque traductas esse, simulque electum esse Regem Mathiam filium memorandi illius et invicti militis Christi Iohannis de Hunyad; quod bonum felixque sit ad regni ipsius pacem et tranquillitatem perpetuamque totius christianitatis felicitatem. Te itaque, dilecte fili, cuius haud dubie intentissimam in his salubriter conficiendis curam et diligentiam fuisse existimamus, plurimum in domino commendamus, qui pacem primatum premissorum benedicere, eamque per dexterarum coniunctionem, adhibitis solemnitatibus divinorum, stabilire ac sancire studuisti. Que res cum universe christiane reipublice intersit, cuius in Regno illo semper adversus impetus Turcorum stabile et constans presidium fuit, existimare debes, quantam inde gloriam tibi comparaveris, quod, te auctore, vicesque nostras gerente, eas res egeris, ex quibus cum laus memorabilis in hac vita, tum excellens meritum in altera tibi constitutum est. De novi autem Regis electione est, quod dicamus, non sine divino nutu ac misterio hoc factum esse: nam immortalis deus miseratus populum suum non est passus regnum illud, in quo tot certatim turbulentiis obortis, sol prope modum lucere desivisse videbatur, in tantis iacere et caligare tenebris; sed sua clementia et inenarrabili pietate afflictis rebus eum restituit Regem, quo neque commodior quisquam propulsandis periculis fidei orthodoxe, neque in quem omnium Hungarorum studia magis accensa esse potuissent. Illi quidem, ut cetera omittamus, que multa sunt, que ad capessendam fidei defensionem eum non solum animare, sed acriter excitare debent, propositus est stimulus paterne glorie et veneratio genti Hungarorum ingenita ex tot rebus, quas ductu illius Clarissimi Ducis felicissime pro fidei tutela gesserunt. Itaque credibile est animam ipsius invicti athlete, quam in eternam sedem pro suis meritis haud dubie receptam esse confidimus, exorasse immortalem deum, ut patriam et regnum illud, pro quibus ipse tot annos indefesse pugnasset, et a quibus tot insignibus cladibus Turcorum avertisset furorem, non pateretur domesticis dissensionibus lacerari; sed suis eximiis factis eum daret successorem, qui ab ipso non degeneraret, tutelamque christiani nominis ea constantia susciperet, qua ipse cum summa gloria antea ab ineunte etate suscepisset, et susceptam nunquam nisi cum vita simul amisisset. Quapropter ex tanto beneficio merito divine clementie gratias agimus, confidimusque et pro certo speramus, electionem hanc felicissimam esse futuram ad excidium execrabilis et abhominande secte Mahomecti, fideique et religionis christiane perennem exaltationem. Tu vero, quando quidem tam felix illuxit dies, et gubernacula eius regni ei concessa sunt, quo nobis nullus exoptatior esse potuisset, solita industria et diligencia tua Regem ipsum, eiusque avunculum Michaelem, qui, ut ex tuis litteris accepimus, gubernator regni factus est, quod etiam optimum et salutare fore confidimus, ad insurgendum contra infideles totis viribus adhorteris et excites, ipsisque nostro nomine de eorum electione

congratuleris, animumque nostrum explices, qui nunquam fuit accensior ad expugnationem infidelium. Solebamus enim dicere dolenter, audiendo de infortuniis procuratis ab invidis et emulis, ne dicamus ad delendum, maculandum et offuscandum inclitam domum illius dicti militis Christi, eius filium ultimo supplicio damnando, alium capiendo, matre et progenie gravibus persecutionibus prostratis, ut evulsis vepribus exaltaret, et in quiete poneret, cum deus misericors pro suis sit, faciens mirabilia solus, et hec publice et privatim a diu prediximus, ut hic et alibi est notum. Quid enim mirabilius, quam eius filium ab Hungaris in Regem unanimiter esse electum, quod admirabile est in oculis cunctis: nemo tamen divine voluntati resistere valet, nec dubitet aliquis, quin anima prefati genitoris sui cum aliis concomitantiis a piissimo deo omnium bonorum remuneratore hoc de filio suo obtinuerit, et sit exaudita, et ita addendo prius per nos dictis hec vera et multa alia hic et ubique ad animandum cunctos dicimus et predicamus. Attulit etiam nobis gaudium immensum, cum ex litteris tuis cognoscimus te ardentem fore in prosecutione contra Turcos et perfidos infideles, periculis quibusvis evitatis. Et verum dicis, demones multa contra nos procurasse et procurare, ut diminueretur fervor noster nostri incommutabilis sancti propositi contra Turchos et infideles; sed ut loquamur cum beato Bernardo, nec pro eis incepimus demonibus, nisi pro eis dimittemus, quia pro deo incepimus, et nunquam pro ipso dimittemus, etiam, si opus fuerit, morti aut captivitati nos subiciendo, marique et terra ultra vires providendo, vix nobis necessaria vite remanendo: hec diffuse scribimus, ut scias nos esse conformes littere tue confortatorie lecte in sacro collegio et alibi, prout etiam lecta est copia optime littere dicti Cardinalis Strigoniensis Electoribus Alamannie catholice et salubriter directe; tantum enim ipse et tu alligastis viscera nostra ex per vos scriptis, quod etiam de sanguine proprio nostro, si libet dicere, ordinare utrique vestrum fas est. Nec cum deo timemus versucias demonis. In Alamannia vel alibi magnus est deus, catholicus est Imperator, quem cordialiter amamus, et eius statum diligimus, et dei gratia opera nostra talia sunt, quod patefieri cunctis non pudet, et qui in tam necessariis sacri Evangelii dogmatibus ac fidei catholice nobiscum non est, profanus est, et iudicium portabit, quicumque sit ille. Ego autem non cessabo inter quasvis pressuras meum officium canonicum exercere, tibi enim et eidem Cardinali Strigoniensi, ac deum timentibus et timoratis impavide committendo, Turchum exterminando, necnon totam sectam Machometicam in Oriente et Occidente, Hierosolimam et terram sanctam vi vel sponte Christo domino nostris temporibus subiciendo. Et credas, fili Carissime, quod non per fabulas loquimur, sed flante Spiritu sancto, et non deficient ministri; suscitabit enim omnipotens deus puerum Danielem, et nos cum ipso obtinebimus trihumphum, ve! ve! ve! aliter sentientibus. Classem autem nostram orientalem cum legato nostro Candario, que non mediocriter his negotiis utilis existit, omni ratione sustentare, fortificare et augmentare studemus, nuncque ad eam mittimus nonnullas galeas, ut decet, armatas et in ordine cum pecuniis, victualibus et aliis rebus, continueque eidem succurrere curabimus, nec eam ullo tempore patiemur dissolvi: et ut alias tuam Circumspectionem non latet, convocavimus oratores Imperatoris, et universorum Regum et principum christianorum ad nos, ut super prosecutione huiusmodi sancte ambrisie cordi nostro affixe consilia et auxilia capiamus pro necessitate negocii oportuna. Venerunt iam aliqui, et iam de rebus cum eis tractare incepimus. Oratores Imperatoris et Electorum pro huiusmodi re affuturos in dies expectamus; ita enim nobis nunciatum fuit. Rex vero ipse, ut suos etiam ad nos mittat, omni studio cura, et litteras, quas ad predecessorem eius super hoc dabamus, quasque ad hunc dirigi volumus nostro nomine, ei presentari facias, et insta ut, que scribimus, exequatur, et super omnia toto posse detestare, ne Rex idem et Hungari non solum aliquod genus pacis seu treugarum cum Turchis, qui eas fraudulenter et dolo perdende christianitatis poscunt, non inhiant, sed nec de eis verbum fieri permittant: nolit enim deus, quod talis cogitatio in eorum animos subeat, esset quidem non parve iacture christianitati, ipsisque etiam perpetue ignominie et infamie, qui cum hostibus dei nostri condiciones aliquas pacis acciperent. Itaque, ut diximus, si hec sentires, modis omnibus execrare, ne fiat; nam nos, ut diximus, toto posse et incredibili ardore, quamdiu vita nobis erit, hoc negotium constantissime et pertinaciter prosequemur; excitaque eundem Regem ad accingendum se cum tota sua potencia adversus eundem Turchum. Castra vero et terras, que post mortem despoti tibi pro nobis et sede apostolica sunt oblata, si nondum accepisti, accipias, illaque cum relicta uxore, fratre et subditis omnibus sub nostra et beati Petri protectione plenissime ponas, super quo etsi plenam potestatem habes et habere volumus, nichilominus tibi specialem super hoc facultatem per bullam nostram mittimus, faciasque, quod a prefato Rege Hungarie et Hungaris omni huma-

nitate et caritate prosequantur. Regi, Gubernatori et Regno Hungarie prefatis ac Cardinali Strigoniensi pro occurrentia rerum scribimus, ut videbis in copiis litterarum, quas singulis scribimus, et hic iussimus introcludi. Tu itaque de successibus negociorum in dominiis Hungarie despoti, et aliis tue maxime legationi subiectis crebro nos facias certiores: mirum enim in modum tuis litteris delectamur ac recreamur. Familiari autem tuo, qui hic tua negocia agit, dari fecimus tria milia ducatorum, ut more solito eos ad tuam Circumspectionem mittat, et ut tu scribis, beneficia conferenda tuis, ut optamus, tibi dirigemus. Datum Rome etc. XIV. Marcii (anno nativitatis dominice) 1458. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 163.

CCCCLXXX.

Cardinali Strigoniensi super eodem.

Cardinali Strigoniensi.

Calistus PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Facile poterit fraternitas tua intelligere, quanto gaudio et leticia elati sumus ex optimis nuntiis istinc proxime ad nos perlatis de pace et concordia primatum illius Regni, deque electione Carissimi Regis, cum abunde notam tibi existimemus maximam mestitiam et intollerabilem dolorem, quibus ob dissensiones et scandala in regno ipso suborta affecti fuimus. Certe ineffabilis est iocunditas cordis nostri, quam nuper ex litteris dilecti filii Cardinalis sancti Angeli legati sedis apostolice concepimus, et copia litterarum, quas ad electores dedisti, etiam intelleximus. Certiores enim nos fecit idem Cardinalis de tua singulari erga nos et sanctam sedem apostolicam devotione, et de summa constancia, quam habuisti resistendo illis, qui sue dignitatis immemores honorem libertatemque nostram et dicte sedis impugnare et pessundare moliti sunt: ex quo tuam fraternitatem plurimum in domino commendamus, que non ignara obligationis et vinculi, quibus ecclesie Romane summoque pontifici devincta est, ut verum prelatum decet, malignitatibus obstitit, nec passa est illos libertati honorique ecclesiastico tam insolenter insultare. Ceterum immortali deo gracias agimus, qui solita pietate saluti populi christiani providit, tandemque regnum illud, quod satis hactenus intestinis discordiis agitatum est, paci tranquillitatique reddidit, et Regem illi largitus est talem, qualem respublica christiana pro ulciscendis ignominiis, quibus a perfidis Turcis affecta est, maxime exoptabat. Intelleximus enim ex litteris prefati Cardinalis legati nostri, Mathiam filium incliti illius militis et Christi athlete invicti Iohannis de Hunyad, cuius domum, cum tot afflictionibus afficeretur, exaltatum iri pro suis meritis prediximus, Regem Hungarie electum extitisse, et Michaelem ipsius Mathie avunculum gubernatorem ipsius Regni esse deputatum: quod divino consilio pro certo factum esse arbitramur, ut ex tam felici repentinaque rerum immutatione ad eos deferrentur gubernacula ipsius potentissimi Regni, quorum fides et devotio in fidem ortodoxam magnum in universam christianitatem presidium allature essent, et perfidus hostis tyrannus Turcorum malignum propositum suum occupande Hungarie frustratum cerneret: pro quibus haud dubie intueri licet, futurum esse, ut omnipotens deus animum viresque populo suo subministret ad totalem infidelium perditionem. Tu vero, Venerabilis frater, quandoquidem summam assecutus es laudem ex his, que diligentissime pro componendis rebus illius Regni, sedandisque discordiis magnatum inter se dissentientium operatus es, perge ut cepisti, tuumque nomen immortali et sempiterne glorie commenda. Et quoniam deus tot operatur miranda pro populi sui tutela, excita Regem ipsum, universosque principes et barones illius regni, ut dum salutare tempus instat, omniaque occasionem prebeant bene gerende rei, deo presertim adiutore, qui harum rerum auctor et dux est, viriliter insurgant contra sevissimos Turcos, de quibus et de ceteris infidelibus certi sumus victoriam nobis esse reservatam. Nos vero inter alia sustentationi, fortificationi et augmento classis nostre orientalis, que non mediocriter rebus christianorum utilis existit, vacamus, nuncque ad eam mittimus nonnullas galeas, quas hic fecimus et continue facimus fabricari, cum pecuniis, victualibus et rebus aliis oportunis non parve existimationis, fecimusque convocari oratores Imperatoris, Regum et Principum christianorum ad nos, ut super prosecutione amprisie contra Turchum consilia et auxilia capiamus oportuna, quorum aliqui iam apud nos sunt, et incipimus de materia tractari. Scribimus Regi Hungarie novo, ut suos etiam ad nos mittat, in quo etiam tu partes tuas interponas, litterasque per legatum nostrum ei presentandas, quas predecessori suo mittebamus, pro suis accipiat. Et cura omni studio et industria, ne aliquid genus pacis ineatur cum Turchis, quod ignominiosum et perpetue infamie esset ipsi Regno; sed insurgat in eos potenter, et conciliet sibi Impe-

ratorem et ceteros principes Alamanie, ut rebus fidei omni ex parte consulatur. Det insuper operam Circumspectio tua, ut serenissimus Rex omni humanitate et gracia tractet, et a suis tractari faciat relictam despoti, quem nuper vita functum intelleximus, fratremque eius et omnes de dominio ipsius, quos una cum terris sub nostra et beati Petri protectione per eundem legatum nostrum recipi mandamus. De his et aliis plenius scribimus prefato legato nostro, ut videbis in copia introclusa. Datum Rome etc. die XIV. Marcii MCCCCLVIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. VII. fol. 165.

CCCCLXXXI.

Mathiae regi Hungariae de sua in regem electione gratulatur, hortaturque, ut totis viribus sacrum bellum prosequatur.

Mathie Regi Hungarie.

Calistus PP. III. Carissime in Christo fili, salutem etc. Cum gravissime cure, quibus iam a principio assumptionis nostre affecti fuimus, acrius in dies urerent sensus nostros propter pericula, que populo christiano instare ex nefariis conatibus pessimi Turcorum tyranni videbamus, eoque vehementior esset anxietas nostra, quod re in extremum discrimen adducta summam christifidelium potentatuum negligenciam cernebamus: illuxit tandem felicissimus dies, quo te divina pietate Regem Hungarie electum esse percepimus, domumque tuam exaltatam, quod futurum et predixeramus et credebamus, deumque, pro quo totaque christianitate bone memorie genitor tuus tam gloriose strenueque decertavit, minime passurum, ut domus tua calamitatibus offuscaretur. Nuntio igitur huius tue electionis tanto gaudio elatum est cor nostrum, tantaque letitia repleti sumus, ut vixdum constituere mente potuerimus, unde Serenitati tue potissimum scriberemus, aut quibus verbis digne conceptam leticiam significaremus: que quoniam tanta est, ut nullius lingua exprimi merito possit, immortali deo gratias agimus, qui huius gaudii compotes nos fecit, teque ineffabili potentia ad illius incliti et memorandi Regni culmen evexit, ut esses, qui lassis rebus succurreres, et ut tua excellens indoles iam a puero omnibus pollicita est singulare specimen probitatis et virtutum, ita succedens felicitas expectationem hominum votaque compleret, in quo animi nostri gaudia tanto aliorum leticiam antecellunt, quanto acriores erant stimuli sollicitudinum, quibus propemodum soli pro omnibus pungebamur, et quanto hoc ipsum divina fiducia repleti, expectabamus prenuntiacionem quandam pectoris nostri impletum iri, et fore, ut omnipotens brachium extenderet super plebem suam. Etenim de tua Serenitate, ut debemus, cogitantes, tuamque felicem promotionem iocunda consideratione animo resolventes, credimus haud dubie ex hoc iam fructum orationum et lachrymarum nostrarum percepisse, teque celesti munere quasi divinum aliquem hominem non solum isti regno, sed universo orbi christiano missum esse, qui regni ipsius florida etate gubernacula exorsus, sublatis intestinis seditionibus, animum adhibeas ad gloriosum certamen machometice secte exterminande: in quo cum ineffabilis fuerit et sit ardor mentis nostre, nullaque alia acrior pectori cura insideat, omnes existimare possunt, quanta sit nostra letitia, cum te tali tantaque indole et expectatione oportunissimo tempore rebus christianis celitus accommodatum esse videamus. Equidem cum patris tui invictissimi militis et athlete Christi nobis memoria in mentem venit, cuius eterna sunt in universam christianitatem felicium gestorum monumenta, eterna laus et preconium, existimamus post illius lugendam mortem te alterum illius regni firmum columen et presidium esse futurum, et eo firmius, quo ante oculos patris ipsius, cui gloria proposita est, quam non dubitamus, Serenitatem tuam esse non adequaturam solum, sed omni conatu superaturam: quod eo facilius tibi erit, quo maior est tua, quam illius fuerit facilitas, et tu Rex, ille minister regni fuit. Quare Serenitati tue, nobis universeque christianitati congratulantes, hortamur eandem, ut tantum animi concipiat pro fidei orthodoxe defensione et infidelium extirpatione, quantum eum Regem concipere decet, in quem quasi divino nutu creatum omnium christianorum et precipue nostra fides collocata est. Non enim dubitamus immortalem deum pari pietate Serenitatem tuam directurum, ut eadem felicitate, qua iuveni tibi tantum regnum administrandum dedit, hostes fidei conteras, et eternam gloriam consequaris: debellandi autem Turchi, et Constantinopolis non solum, sed terre sancte recuperande et secte Machometice exterminande nunquam tanta occasio aut oportunitas oblata est, cum post inclitam illam victoriam ductu patris tui christianis concessam, aliasque tam per classem, quam in Orientem cum legato continue tenuimus et tenemus, quam per dilectum filium nobilem virum Scandarbechum in Albania contra eundem Turchum habitas maxime attenuate sint eorumdem hostium vires, in quos si Serenitas tua

vires regni istius concitabit, proculdubio victoria in manibus est. Oblationes vero et petitiones federis sive pacis, quam Turchi postulare dicuntur, omnino sunt non modo spernende et reiiciende, sed nec audiende: absitque, ut tam pernitioso exemplo Serenitas tua animum inducat, ut apud se de pace aut federe cum hostibus dei verbum fieri patiatur, quod absque maxima offensa dei tuaque ac Regni tui perpetua infamia et ignominia fieri non possit; sed stabilitis regni ipsius rebus, in illos viriliter insurgat, eosque omni conatu exterminet. Nos vero pro hoc sancto opere, ad quod continue admodum accensi sumus, parati sumus non modo facultates nostras et quicquid habemus, sicut hactenus, consumere, sed etiam proprium sanguinem effundere, nec unquam nisi cum vita hanc divinam amprisiam dimittemus, pro cuius prosecutione continue maiores facimus apparatus, classem eandem nostram orientalem, que non mediocriter huic amprisie utilis est, continuis subsidiis sustentando, roborando et augendo: convocavimusque Imperatoris et universorum Regum, Principum et potentum christianorum oratores ad nos, ut consilia et auxilia oportuna de prosecutione amprisie prefate contra Turchum capiamus, quorum aliqui ad nos iam venerunt; tuaque Serenitas non differat suos ad nos etiam mittere, quemadmodum tuo predecessori, quas tibi presentari precipimus, per nostras litteras mandabamus: studeatque tua Serenitas maxime pro his fidei et christianitatis negotiis taliter sibi Imperatorem et alios principes Alamanie conciliare, ut eisdem fidei negotiis omni ex parte consulatur. Postremo quamvis necessarium non putemus, tamen ex corde et animo commendamus Serenitati tue dilectam in Christo filiam relictam Despoti, eiusque fratrem et totum dominium illud, ut tua gratia et humanitate eos foveas, et in cunctis tuearis et defendas, quos nos simul cum dicto dominio sub nostra et beati Petri protectione suscipi per legatum nostrum mandamus. Ipi autem legato nostro, quem scimus status tui fore amatissimum, pro tua erga nos et sedem apostolicam devotione et reverencia, ac pro fidei negotiis, que ardentissime prosequitur, propitium et benignum te in omnibus prebeas, et in referendis nostro nomine fidem ei habeas tanquam nobis. Scribimus eidem, quemadmodum tua Serenitas videbit in copia introclusa. Datum Rome etc. die xiiii. Marcii 1458. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 166.

CCCCLXXXII.

Michaeli gubernatori regni Hungariae super eodem.

Michaeli gubernatori Regni Hungarie.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Maximum et incomparabile gaudium animo percepimus, dilecte fili, cum novissime nobis iocundissimum nuncium allatum est, quo Mathiam nepotem tuum Regem istius incliti regni, te vero Gubernatorem electum esse intelleximus; quod bonum faustumque sit ad sempiternam gloriam nominis nostri et fidei orthodoxe totiusque christianitatis felicitatem: et quoniam de tam felici et admiranda electione per litteras congratulati sumus novo Regi, quem non sine divino nutu tam necessario fidei tempore rebus humanis celitus accommodatum existimamus, restat, ut etiam Nobilitati tue congratulemur; cuius ut preclara et prestans fama est virtutis et scientie rei militaris, ita apud omnes firmissime creditur, optime istius regni administrationi ex tua electione consultum esse, omnesque fatentur alterum regno Hungarie restitutum esse Iohannem, cuius inclita facta perpetuam in terris famam reliquerunt. Equidem, dilecte fili, cum hec animo agitamus, que tam repente in regno isto divino consilio acta sunt, ut ex tantis turbationibus tam inopinata felicitas succederet, vehementer confirmatur sententia nostra, quam non sine divina preuntiatione a principio assumptionis nostre tenuimus, fore scilicet, ut tempore nostro immanissima secta machometica exterminaretur, cuius rei prope adesse tempus arbitramur: nam ad reliqua signa, que mirifice pro exaltatione fidei plurifariam nobis divinitus ostendunt, haud parvum hoc esse ducimus, uno tempore Regem et Gubernatorem in Hungaria electos esse eos, quorum unanimi consilio et viribus non modo reprimi Turcorum audacia, sed eorum natio cum reliquis infidelibus penitus excindi et extirpari posse existimatur. Quapropter hoc ex deo recognoscat nobilitas tua, seque ad divinum hoc certamen missum putet, unde non minor gloria tibi parata est, quam fuerit Iohanni, quem supradiximus, affini tuo, crucis memorabilia gesta non imitaturum modo, sed equaturum te arbitramur. Excita igitur te ipsum, eumque animum indue, qui tantis actionibus par sit, et que ad eternam laudem viam sibi apertam esse intelligat. Age apud Regiam Serenitatem, ut tanta occasio et opportunitas non negligatur, et ut eisdem fidei et christianitati omni ex parte consulatur, studeat, sibi in hac re presertim Imperatorem

et ceteros Alamanie principes conciliare: cuius premium non Constantinopolis solum, que facillime recuperabitur, futurum est, sed tota terra Turcorum, ipsaque Hierosolima et terra sancta; Deus enim, crede nobis, haud amplius passurus est, ut per tantam crudelitatem barbari insultent populo suo, impietas exterminanda proculdubio est, et terra sancta recuperanda. Pro quibus rebus, quoniam hec ante oculos contine nobis versantur et cordi affixa herent, non cessamus omnia preparare ad hanc amprisiam necessaria ac christianorum potentatuum suffragia imploramus, in diesque ferventior fit animus noster. Etenim omni ratione et cura sustentationi et corroborationi classis nostre intendimus orientalis, que non mediocri presidio est omnibus christianis, nuncque ad eam mittimus nonnullas galeas, quas hic fecimus fabricari: fecimus etiam convocari oratores Imperatoris, Regum et principum christianorum, ut super prosecutione huius sancte amprisie opportunam deliberationem et auxilium capere possimus, prout de his plenus intelliges ex litteris, quas ad dilectum filium Cardinalem Sancti Angeli legatum nostrum scribimus, et quarum copiam presentibus mittimus introclusam. Te igitur in domino hortamur et per crucem Christi salvatoris requirimus, ut omni ratione studeas accelerare et pergere in hostes, et non solum curare, ut eorum postulationes pacis et federis omnino reiiciantur, sed etiam ne de eis, quod ignominiosum et infamie esset, verbum fiat; nulla enim pax cum christifidelibus esse debet filiis Sathane, qui sanguinem christianum sitiunt, et obtentu pacis fallacias intendunt, ut per occasionem expleant immanissimum furorem et rabiem opprimende christianitatis: hec non dubitamus pro tua prudentia tibi cognita et persuasa esse, que memori animo tenere debes, et non pacem aut inducias cum Turchis admittere, quam illi pre insita animis sevicia non peterent, nisi insidiosa et fallax esset eorum postulatio. Postremo commendamus Nobilitati tue dilectam in Christo filiam relictam despoti, eiusque fratrem et totum dominium illud, quod sub nostra et beati Petri protectione suscipi mandamus, ut ab iniuria defendantur, prout te facturum proculdubio speramus et confidimus. **Datum Rome etc. XIV. Marcii MCCCCLVIII. Anno Tertio.**

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 158.

CCCCLXXXIII.

Baronibus primatibusque regni Hungariae super eodem.

Baronibus et Primatibus Regni Hungarie.

Calistus PP. III. Dilecti filii, salutem etc. Quanto magis magisque desideramus, dilecti filii, tanto perspectius et clarius videmus immortalis dei in populum suum maxima esse beneficia, ipsiusque infinitam pietatem merita hominum exuperare, adducimurque in spem certissimam, nisi ipsi omnino defuerint homines, fore, ut christianitas de illatis ignominiis penas sumat ex scelerato sanguine Turcorum, quorum impii conatus virtute dei nostri adnichilabuntur. Satis superque multa nobis suppetunt et miranda divine potentie exempla, que Christifideles animare et excitare debent, ut totis viribus propriam causam fidei orthodoxe prosequantur, et deum sequantur ducem ad excidium nefande stirpis et generis barbarorum. Quis enim non fuerat timore consternatus, cum anno ab hinc secundo tam numeroso et formidabili exercitu, tantisque et inexcogitatis apparatibus et instrumentis bellicis nefarius Turcorum tyrannus in aditus Hungarie tamquam in ianuam christianitatis impetum fecit? quis credidit illi resisti posse, qui terras et maria formidine sui compleverat? at ille divino nutu apud castrum Nandoralbense in ipso impetus sui furore, consilio simul et animo destitutus, amissis omnibus belli apparatibus et instrumentis, profligatoque robore copiarum suarum, salutem turpissima fuga querere coactus est, adeoque attrite eius vires fuerunt, ut qui vix sustineri posse putabatur, deinde ex latebris regnorum suorum caput exerere non fuerit ausus. Dei opus illud fuit: nam christiane vires haud quaquam tanto furori pares sine divino auxilio fuissent. Sed cum magna fuerint, que omnipotens populo suo contulit, maiora adhuc restant, que sua pietate largietur. Novissime vero cum regnum istuc prohdolor intestinis discordiis et turbationibus dissideret, misertus est deus et subita serenitate tenebras discussit, pacemque et tranquillitatem necessario tempore restituit, et Regem omnibus optabilem largitus est. Audivimus enim, et cum voluptate ineffabili intelleximus Mathiam, filium illius gloriosi et invicti militis Io. de Hunyad olim ipsius Regni gubernatoris, Regem Hungarie fuisse electum: que electio ita nobis iocunda et accepta fuit, ut nihil impresentiarum iocundius accidere potuisset. Speramus enim illum, quem proculdubio arbitramur divino consilio isti regno additum, ita gubernaculum ipsius Regni gesturum, ut paternis vestigiis inherendo, regno ipsi totique christianitati optime consulatur: in quo pietate divina

evenisse videmus, quod semper prediximus, deum non permissurum, ut domus dicti Iohannis, cuius tot sunt merita in fidem christianam, ita obscuraretur. Vos vero, qui ex tali Rege haud parvam assecuti estis felicitatem, hortamur in domino, ut pacem et unionem inter vos firmiter amplectamini, et Regi vestro obsequentes vires vestras contra infideles nunc, cum occasio et oportunitas prebetur, excitetis, et viriliter insurgatis in hostes crucis, de quibus facilis est victoria, deo suffragante. Vestris autem animis nunquam illa insideat cogitatio, ut cum Turchis pacem, fedus aut treugas inire presumatis, quia id in dei et nostram ac sedis apostolice offensam cederet, nobisque et regno isti labem et ignominiam eterne infamie afferret: quin ymo viritim, ut diximus, insurgatis ad hoc divinum certamen, pro quo nos dies ac noctes sine intermissione excogitamus necessaria, et apparatus maximos non desinimus facere, ad eiusque prosecutionem Christifidelium potentatuum vires et subsidia exposcere non cessamus. Longe autem fallitur opinione, si quis putat ab hac sancta amprisia nos posse divelli, quam ita amplexati sumus, ut pro ea non solum vires omnes et facultates, ut hactenus fecimus, sed etiam proprium sanguinem non dubitemus effundere. Etenim omni ratione et cura substentationi et augmento intendimus classis nostre orientalis, que non parvum christianis presidium prestat, nuncque ad eam mittimus nonnullas galeas, quas hic fecimus et continue faciemus fabricari: fecimus etiam convocari oratores Imperatoris, Regum et principum christianorum, ut super prosecutione huius sancte amprisie oportunam deliberationem capere possimus, prout de his plenius intelligetis ex litteris, quas ad dilectum filium Cardinalem sancti Angeli legatum nostrum, quarum copiam presentibus mittimus introclusam. Vos itaque, quorum virtus sepe numero maximas furias immanium Turcorum repressit, nunc propensius incumbite, ad hoc dominum sequimini ducem, qui nobis victoriam et triumphum ac totius christianitatis exaltacionem concedet. Datum Rome etc. XIV. Marcii 1458. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. VII. fol. 167.

CCCCLXXXIV.

Mathiae regi Hungariae denuo admonitio adhibetur, ut bellum contra Turcas prosequatur, et pacem cum ipsis ineundam repudiet.

Mathie Regi Hungarie.

CALISTUS PP. III. Carissime in Christo fili, salutem etc. Cum inenarrabile gaudium nostrum susceptum ex felici et admiranda electione tua ad illud inclitum Regnum nos, post duplicatas iam nuper ad tuam Serenitatem gratulacionis nostre de electione tua missas litteras, ad scribendum etiam impelleret, iamque scripsissemus, ipseque tabellarius in procinctu proficiscendi esset, allate fuerunt ad nos tue suavissime et exoptatissime littere, que tanta consolacione et recreacione affecere cor nostrum, ut mirum in modum ex longis angustiis recreati sumus, ita ut confiteamur post assumptionem nostram ad apicem apostolatus gratius aut acceptius nihil perlegisse. Vidimus enim et quasi presenti fide palpavimus, tuam Serenitatem talem gerere in hoc divino opere exequendo, qualem nos maxime exoptavimus, animum, et qualem te gerere decet, qui ex eo parente digna progenies existis, qui ad id solum natus fuisse videri potest, ut firmum quoddam presidium et propugnaculum fidei christiane esset, et cuius eterna extabunt in religione dei et fortitudinis et prudentie munimenta. Nunc, Carissime fili, quoniam quod potissimum tue excellencie facere decebat, ut pro exaltatione domus tue ex summis, ut scribis, angustiis regia fastigia facta, deo omnipotenti te gratum reddere studeres, illiusque negocia contra immanem et perfidum Turchum potenter susciperes, te facere et intelligimus et videmus, non putamus necessarium maioribus tecum agere adhortationibus, cum ex tuis litteris non hortatum, sed prope modum divino ardore, ut semper confisi fuimus, te ad hoc inflammatum videamus. Fuitque nobis admodum gratum, quod dilectus filius noster Io. Cardinalis Sancti Angeli legatus noster et sedis apostolice curam harum rerum ita flagranti animo habuerit et habeat, facit, quod suo maxime officio et honori convenit, et quod nobis scit ante omnia cordi esse. Quod vero tu eundem Legatum tanto honore et reverencia prosequeris, summe nobis acceptum est, scimus eum pro viribus ad omnem tuum et tui status honorem, pacem et augmentum, quemadmodum nos cupere et velle scit, fore promptissimum. Quare nil aliud superest, carissime fili, nisi hac optima tua etate gloriose ingrediaris divinum hoc certamen, et tota tua potentia pergas in hostes christiani nominis, cum quibus, ut nullas pacis seu treugarum condiciones acceptes, sub indignatione omnipotentis dei, qui te ad eum statum provexit, et anathematis ac maledictionis eterne prohibemus: quin immo omni ratione conciliare studeas Carissimos in Christo filios nostros Imperatorem, Polonie et Bosne Reges illustres, aliosque christia-

nos principatus et eorum viribus in tuis unitis pergere in exterminium infidelium. De nobis vero firmissimam habeas opinionem, quod donec spiritus hec membra reget, nunquam discessuri sumus de immutabili sententia nostra: quin immo neque facultatibus ullis parcere et proprium sanguinem effundere parati sumus pro dei defensione et eradicatione infidelium, contra quos terra marique oportuna studemus comparare auxilia, excitando christifideles potentatus ad sumenda nobiscum felicia arma ad excidium nefandi generis Machometi. Datum Rome etc. XXVI. Maii 1458. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. brev. lib. VII. fol. 175.

CCCCLXXXV.

Michaeli gubernatori regni Hungariae, ut regi in Turcis debellandis assistat.

Michaeli Gubernatori Regni Hungarie.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Etsi minime dubium apud nos esset, Nobilitatis tue animum in hoc sanctissimo opere contra infideles fore ferventissimum, ut duplicatis iam litteris tibi declaravimus, summum tamen solatium et incomparabile gaudium cepimus receptis litteris tuis, que ardorem quendam, ne dicamus cupiditatem, defendende fidei pre se ferre videntur, et nobis ita grate et iocunde fuerunt, ut eas cum magna voluptate semel et iterum perlegerimus. Iam erat in procintu recedendi tabellarius, quem cum tertiis litteris mittere decreveramus, retinuimus eum tantisper, dum pauca ad Carissimum in Christo filium Regem nepotem tuum Illustrem eiusque genitricem et te scriberemus: ac ne longioribus adhortationibus insistamus, cum te divina fiducia et spe plenum optime animatum et dispositum videamus, hoc Nobilitati tue persuasum sit, tantum esse impetum animi nostri ad prosequendum hanc sanctam expeditionem, ut nulla tanta possit esse festinatio, que pre ardore mentis nostre non tarda esse videatur. Animo autem tanto sumus, ut divinis presagiis confirmati etiam proprio sanguini parcere non intendamus, si necessarium fuerit eum pro fide sacrosancta effundere. Apparatus facimus, quam maximos possumus, christianos potentatus indefessis implorationibus excitare ad capessendam fidei defensionem non cessamus, speramusque, omnipotentem deum ingentes sollicitudinum nostrarum fructus concessurum, animisque Christifidelium inspiraturum, ut terra marique oportuna nobis prebeant auxilia. Tu modo forti animo et constanti sis, et Carissimum in Christo filium Regem prefatum omni ratione adhorteris, ut in sancto proposito suo permaneat; nam sibi tibique eterne corone premium paratum est. Dilectum vero filium nostrum Cardinalem sancti Angeli legatum sedis apostolice solita reverentia et amore prosequaris; ipse enim, quem haud dubie scimus dicti Regis et tui amantissimum, in omnibus vigilabit, que status premissi pacem et stabilimentum concernent, et que ad prosecutionem huius sancti negotii pertinebunt. Illud vero pro efficacissime reiterato habeas, ut de federibus aut treugis cum Turchis ineundis nullum omnino verbum fieri patiaris, et ita tibi sub indignatione omnipotentis dei, anathematis ac maledictionis eterne prohibemus, sed toto impetu in eos, deo duce, insurgas et victorie, que celitus concedetur, tempus accelera, curesque ante omnia, quantum in te est, idque omni ratione prefato Regi persuadere studeas, ut sibi conciliet Carissimos in Christo filios nostros Imperatorem, et Polonie et Bosne Reges Illustres, aliosque christianos potentatus partium ipsarum, ut eorum viribus cum nostris unitis et firmata concordia facilius et expeditius in hostes Crucis eorumque exterminationem progredi possitis. Datum Rome etc. XXVI. Maii 1458. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. brev. lib. VII. fol. 175.

CCCCLXXXVI.

Relictae Iohannis de Hunyad de electione filii in regem, et fratris in gubernatorem regni pontifex gratulatur, exhortaturque, ut utrumque ad sacrum bellum continuandum excitet.

Relicte Iohannis de Hunyad Comitis Bistriciensis.

Calistus PP. III. Dilecta in Christo filia, salutem etc. Deum testamur, dilecta in Christo filia, gravissimum fuisse dolorem nostrum, cum propter dissensiones et turbationes in Regno isto subortas filios tuos et domum illius gloriose memorie et athlete Christi Iohannis, consortis tui, in tantas erumnas et calamitates fuisse coniectam. Sed quamvis magno impetu subitorum malorum splendor ipsius domus obfuscatus videretur, tamen certissimam spem semper habuimus, predicavimusque palam, quod deus omnipotens, iustus iudex et miserator non pateretur domum prefati Iohannis in tantis tenebris iacere; sed eam erigeret, et propter merita illius, que orbi nota sunt, ad lucem claritatemque reduceret. Rata

fuit predicatio nostra, et vidimus repertinam rerum mutationem divino misterio factam, cum uno eodemque tempore filium tuum Illustrem Mathiam in Regem, et Michaelem fratrem in gubernatorem Regni istius electos fuisse vidimus: ex quo nemini dubium esse potest, immortalem deum suam in hoc admirabilem potentiam ostendisse. Certe ineffabilis est leticia nostra inde suscepta, tum propter commune bonum, quod respublica christiana ex talibus electionibus manifeste consecuta est, cum duo propugnacula fidei tam necessario tempore receperit, tum propter privatam nostram affectionem, qua dies et noctes angebamur, solliciti pro religione christiana, quam in maximum adductam esse discrimen videbamus. Nunc excessus est stimulus omnis, et exorta serenitas lucem caliganti mundo reddidisse videtur: ex qua re deo nostro auctori tanti boni gratias agimus. Et quoniam ad ipsos Regem et gubernatorem iam scripsimus, congratulantes eisdem de felicissima electione, exhortantesque ad prosecutionem sanctissime Cruciate, ut devotioni tue credimus esse notum, hoc etiam tibi scribenda duximus pro nostra et tua consolatione; nam te singulari caritate complectimur. Multa enim de laudabili zelo et ferventi devotione tua erga nos et sedem apostolicam, et hoc sanctum negotium fidei nobis scripsit dilectus filius Cardinalis sancti Angeli, sedis apostolice legatus. Propterea congratulantes primo tibi, quod talem procreasti filium, talemque nacta fueris fratrem, in quibus potissima spes christianorum collocata sit, tuam devotionem et fervorem in domino commendamus, hortamurque, ut ipsos filium et fratrem tuum, apud quos pro tua prudentia non dubitamus te plurimum valere, efficaciter excites ad hoc clarissimum fidei christiane opus, et ad prosecutionem sancte Cruciate, ut viriliter progrediantur in hostes Crucis, et tanquam veri successores glorie memorati Iohannis constanti animo omnes oblationes sevissimi Turchi reiiciant, nec cum eo de pace aut treugis verbum fieri patiantur, quod etiam sub indignatione omnipotentis dei, anathemate ac maledictione eterna prohibemus; sed toto posse vires illius Regni ad excidium illius exterminationemque convertant: in quo adhortationes tuas valituras plurimum scimus, et pro tua prestanti prudencia et devotione non dubitamus te impense daturam operam, ut fiant, que scribimus. Precipuum etiam studium et curam adhibeas, ut prefati filius et frater Rex et gubernator Regni istius efficaciter procurent sibi conciliare Carissimos in Christo filios nostros Imperatorem, Polonie et Bosne Reges Illustres, et alios principes, et potentatus partium ipsarum, eorumque vires sibi adiungere, ut maioribus adiecti subsidiis firmius progredi possint ad excidium infidelium. Datum Rome etc. XXVI. Maii MCCCCLVIII. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. brev. lib. VII. fol. 176.

EPISTOLAE PII PP. II.

CCCCLXXXVII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Catharinae in castro Iayce in Bosnia visitantibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de habundantia sue pietatis, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum itaque dilecta in Christo filia Catherina Regina Regni Bosne, quod hereticis et scismaticis inquinatum est, magnum ad ecclesiam sancte Catherine in Castro Iayce dicti Regni, que domus fratrum ordinis minorum de observantia Vicaria dicti Regni existit, gerat devotionis affectum, ut Christo lucri faciat eiusque fideles in Christi fide sanctorumque devotione roboret, ac alios, qui extra sunt, ad fidem Christi quasi apes augmentosa augeat et deducat, summo cum desiderio nobis supplicari fecit, ut ecclesiam predictam celestis muneris largitione dotare dignaremur. Nos igitur eiusdem Regine piis desideriis annuentes et christifidelium devotionem augeri cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipsa aliique christifideles, qui devotionem ad dictam gerunt ecclesiam, eo ferventius confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis Nativitatis domini nostri Iesu Christi et Resurrectionis eiusdem, ac in Nativitatis gloriosissime Virginis Marie eius matris ac eiusdem Virginis assumptionis, et sancti Thome apostoli ac sancti Ieronimi, et sanctarum Marie Magdalene et Catherine festivitatibus ecclesiam ipsam visitaverint annuatim, pro singulis festivitatibus antedictis septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, Idibus Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. XXXI. fol. 25.

CCCCLXXXVIII.

Cardinali S. Angeli legato, ut proceres regni Hungariae exhortetur, et censura ecclesiastica compellat ad regem in Turcis debellandis adiuvandum.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Sancti Angeli diacono Cardinali apostolice sedis Legato, salutem etc. Iam tuo quam aliorum testimonio habemus, Carissimum in Christo filium nostrum

Mathiam Hungarie Regem Illustrem in hoc grandi apparatu, quem fidei hostem Turchum ad invadendum proxima estate regnum Hungarie fecisse his annis preteritis et impresentiarum facere certissimum est, se ipsum et contra, quantum sibi conceditur, magno animo ad resistendum parare, sed impedimento precipuo esse, quod dissensiones quorumdam Regni Baronum et aliorum, qui illis assentiunt, quietum illum non sinunt, faciuntque, ut cum animum intentum ad enitendum vim intestinam externamque habere cogatur, non possit cause dei pro arbitrio suo tota contentione intendere. Propterea ne ex huiusmodi concertationibus gravius aliquid oriatur, aut aditus ad eversionem nostram per hunc modum infidelibus detur, circumspectioni tue iniungimus, et per apostolica scripta mandamus, ut quamdiu idem Rex in apparatu seu bello contra Turchos evidenter fuerit occupatus, omnibus et singulis molestatoribus suis tam intra Regnum quam extra, etiam si Regali, Reginali, ducali aut alia quacumque dignitate ecclesiastica vel mundana prefulgeant, sub comminatione divini iudicii et aliis censuris et penis, de quibus tibi videbitur, auctoritate apostolica districte inhibeas, ne illi in talibus occupato impedimentum aliquod directe vel indirecte, aut alio quovis quesito colore afferre presumant, sed illum pro opere incepto pro desiderio vacare permittant; ratas habituri penas quascumque, quas per te premissorum occasione in rebelles infligi contigerit, hortantes tandem tuam Circumspectionem, ut in ceteris etiam, sicut hucusque fecisti, auctoritate et opera tua eidem indesinenter assistas. Datum Senis sexto Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 25.

CCCCLXXXIX.

Ioannes eps Varadiensis una cum suo capitulo ab omni quorumcumque metropolitanorum et legatorum superioritate eximitur.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Varadinensi, salutem etc. Ex devotionis tue meritis, quibus erga nos et Romanam ecclesiam te hactenus laudabiliter habuisti, conveniens fore censemus, ut personam et ecclesiam tuam benivolo prosequamur affectu, in hiis presertim, per que tui status tranquillitas valeat provenire, sperantes, quod quanto ecclesiam ipsam in faciendo tibi gratiam benigniorem inveneris, tanto circa illius beneplacita exequenda libentius et studiosius laborabis. Hinc est, quod nos cupientes, ut tu effectualiter cognoscas, quod speciali te dilectione prosequimur, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, te, quamdiu prefueris cum ecclesia ac civitate et tua diocesi Waradinensi aut altera, ad quam te forte transferri contigerit, necnon capitulo, clero et subditis ac tuis ecclesiis, beneficiis et locis ecclesiasticis, bonisque mobilibus et immobilibus quibuscumque in ius et proprietatem, necnon sub protectione beati Petri et sedis apostolice suscipimus atque nostra, teque cum ecclesia, capitulo, clero, subditis, ecclesiis, beneficiis, locis et bonis predictis, quamdiu in humanis egeris, et non ultra, ab omni superioritate, dominio, visitatione, correctione ac alia iurisdictione quacumque quorumvis legatorum etiam de latere sedis apostolice, necnon Venerabilium fratrum nostrorum Strigoniensis et Colocensis, Metropolitani tui, Archiepiscoporum pro tempore existentium, eorumque officialium et aliorum quorumcumque ordinariorum iudicum penitus eximimus ac etiam liberamus, nobisque et sedi prefate immediate decernimus subiacere; ita quod ipsi legati, Archiepiscopi, officiales et alii iudices vel eorum aliquis aut alia quevis persona in te, ecclesiam, capitulum, clerum, subditos, beneficia et loca predicta, ubicumque per civitatem et diocesim predictas consistentia, auctoritatem, potestatem, dominium, visitationem, correctionem et aliam iurisdictionem nequeant ullatenus exercere, nec excommunicationis, suspensionis vel interdicti seu alias quascumque censuras ecclesiasticas aut alias penas quomodolibet promulgare, sed capitulum, clerus et subditi predicti coram te, tu vero coram nobis aut dicta sede seu specialibus ad singulares causas, dumtaxat per nos vel eandem sedem traditis, delegatis et non aliis quibuscumque, in quibusvis articulis seu constitutionibus, quamdiu vixeris, ut prefertur, teneamini de iustitia respondere. Et insuper ex nunc omnes et singulas excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque sententias, censuras, necnon et processus quasvis alias penas in se continentes, quas seu quos contra huiusmodi exemptionis nostre tenorem in te, capitulum, clerum, subditos tuos, ecclesias, civitatem, diocesim supradictas contigerit per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter quomodolibet attemptari, irritos decernimus et inanes nulliusque roboris vel momenti. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli

ergo etc. nostre exemptionis, liberacionis et constitutionis infringere etc. Si quis etc. Datum Senis Anno incarnationis dominice MCCCCLVIII. quintodecimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 150.

CCCCXC.

Eidem coadiutor in regimine ecclesiae Varadiensis, quamdiu sibi placebit, conceditur.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Varadiensi, salutem etc. Eximie devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut peticiones tuas, illas presertim, per quas tue persone commodo et quieti ac ecclesie tue Varadiensis profectibus et utilitati consulitur, ad exauditionis graciam, quantum cum deo possumus, favorabiliter admittamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu tam propter amplitudinem cure, regiminis et administrationis eiusdem tue ecclesie, quam etiam quia a strepitibus secularibus quantum poteris, seiungi et studiis theologicis ac predicationi insistere desideras, nequeas solus universam curam ipsius ecclesie tam in spiritualibus quam in temporalibus gerere et exercere, cupiasque dilectum filium Iohannem Chesmicze prepositum ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, legum doctorem, nepotem tuum, virum utique expertum et idoneum ac litterarum scientia preditum, ad participationem cure huiusmodi, quoad vixeris, adhibere. Nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue assumendi prefatum Iohannem in coadiutorem seu vicarium tuum in huiusmodi spiritualibus et temporalibus, et omnium et singulorum bonorum et iurium dicte ecclesie vel alterius, ad quam te forte transferri contigerit, gubernatorem, quoad vixeris, vel ad aliud tempus, prout tibi videbitur, sibique totam curam vel eius partem regiminis et administrationis ac honoris et iurium predictorum demandandi, necnon eidem Iohanni huiusmodi coadiutorie seu vicariatus et gubernacionis officium assumendi, illudque ac partem, quam sibi demandaveris, cure, regiminis et administrationis predictorum gerendi et exercendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium licentiam concedimus pariter et facultatem. Volumus autem, quod ipse Iohannes annis singulis de gestis et administratis per eum tibi rationem reddere teneatur, quodque ab alienatione quorumque bonorum immobilium et preciosorum mobilium dicte ecclesie penitus abstineat, quam sibi interdicimus per presentes. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Senis Anno etc. MCCCCLVIII. Quintodecimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 151.

CCCCXCI.

Quinqueecclesiensi et Canadiensi epis mandatur, ut in ecclesia Varadiensi collegium videlicet praepositi et XII. beneficiatorum erigendum, eidemque praeposituram S. Stephani protomart. et monasterium Zonthiob uniendum curent.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Quinqueecclesiensi et Canadiensi episcopis, salutem etc. Ad sacram Petri sedem divina dispositione vocati pia et salubria fidelium quorumlibet, presertim nostrorum Coepiscoporum, vota, ex quibus cum animarum salute divini cultus propagatur augmentum, pii patris affectione prosequimur, ac plenis favoribus confovemus, et ut optatum sortiantur effectum, opem libenter et operam attentius impertimur. Sane pro parte Venerabilis fratris Iohannis Episcopi Waradinensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse memoria repetens, quod clare memorie Ladislaus Rex Ungarie pro divini cultus augmento et ecclesia sua Waradinensi, in qua suam eligi constituerat sepulturam, unum collegium unius prepositi et duodecim perpetuatorum beneficiatorum, qui canonici et collegium ipsum sepulcri sancti Ladislai Regis nuncuparentur, et qui in ecclesia Waradinensi in certo loco ad hoc deputando diebus singulis unam missam, nec non horas gloriose Virginis Marie celebrarent, instituere proposuerat, ac recensens et existimans, quod si collegium ipsum, quod prefatus Rex nimium festina morte preventus ad optatum finem perducere nequivit, in ipsa ecclesia solemni modo fundaretur, ex hoc magna populi ad ecclesiam ipsam devotio haberetur, in ipsaque ecclesia divinus cultus maximum susciperet incrementum, libenter pro perfectione huiusmodi operis de bonis suis propriis certam et quidem magnam quantitatem exponere intendit, presertim si sibi quoad perfectionem operis huiusmodi aliquod extrinsecus provenerit adiumentum. Cum itaque, sicut

eadem petitio subiungebat, prepositura sancti Stephani protomartiris in promontorio Waradinensis diocesis et monasterium Zonthiob, quod in Strigoniensi diocesi esse fertur, et quorum collatio et provisio, cessantibus apostolicis reservationibus, ad episcopum Waradinensem pro tempore existentem pertinere dinoscitur, a veteri eorum statu plurimum exciderint, adeo ut iam prope destituta et desolata sint, et si pro huiusmodi collegio instituendo prepositura et monasterium predicta pro mensa prepositi et beneficiatorum seu canonicorum predictorum constituerentur et deputarentur, ac ipsi collegio applicarentur et annecterentur, ex hoc collegium ipsum facilius institui et ad effectum produci valeret. Quare pro parte dicti Io. Episcopi asserentis, quod fructus, redditus et proventus monasterii et prepositure dictorum summam ccc. florenorum auri de camera secundum communem extimationem non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi dictum collegium in ipsa ecclesia instituendi et erigendi licentiam concedere, et in monasterio abbatialem et prepositura prepositalem dignitates, necnon ordines, quorum illa sunt, supprimere et extinguere, ipsaque monasterium et preposituram prefato collegio, postquam institutum et correctum fuerit, pro mensa constitui et deputari mandare, aliasque super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, ac divini cultus nostris presertim temporibus incrementum ubilibet diligentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi ita esse repereritis, super quo cuiuslibet vestrum conscientias oneramus, prefato Iohanni Episcopo videlicet collegium unius prepositi et xii. beneficiatorum seu canonicorum huiusmodi, qui in eadem ecclesia Waradinensi diebus singulis unam missam et horas eiusdem beate Virginis Marie celebrare, et alia, ad que prefatus Iohannes Episcopus iuxta statuta et ordinationem per eum desuper edenda eos astringere voluerit, facere teneantur, sub eadem denominatione instituendi, creandi et erigendi, atque quecumque statuta et ordinationes, de quibus sibi videbitur, pro bono statu et regimine dicti collegii edendi, et etiam cum penarum adiectione firmandi, necnon preposituram ac singula duodecim beneficia seu canonicatus et prebendas pro primaria vice, et quotiens deinceps in perpetuum vacaverint, personis ydoneis, etiam quecunque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, auctoritate sua ordinaria conferendi, et de illis etiam providendi, ac omnia et singula circa hec necessaria seu quomodolibet oportuna faciendi et exquendi auctoritate predicta licentiam largimini. Et nichilominus si et postquam prefatus episcopus huiusmodi summam exposuerit, in monasterio abbatialem et in prepositura prepositalem, etiamsi illa conventualis et curata sit, dignitates et ordines antedictos auctoritate nostra predicta supprimatis penitus et extinguatis, necnon monasterium et preposituram predicta cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem, ac illa bona, que idem Epus ecclesie vel prefato collegio assignare voluerit pro mensa prepositi et xii. beneficiatorum seu canonicorum predictorum, eadem auctoritate nostra perpetuo instituatis et deputetis, ipsique collegio perpetuo applicetis, approprietis et annectatis, ita quod si monasterium et prepositura ipsa vacant, extunc, alioquin cedentibus vel decedentibus simul vel successive modernis abbate monasterii et preposito prepositure predictorum, liceat eidem Iohanni Episcopo pro dicto collegio seu preposito et beneficiatis ac canonicis collegii huiusmodi, per se vel alium seu alios corporalem possessionem monasterii et prepositure, iuriumque et pertinentiarum dictorum auctoritate propria libere apprehendere et perpetuo licite retinere, cuiusvis licentia et assensu super hoc minime requisitis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis atque nostra, qua inter cetera voluimus, quod in unionibus semper commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, alioquin unio non valeret, ac statutis et consuetudinibus monasterii et prepositure, necnon ordinum predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prepositutis huiusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per eosdem ac quecunque inde secuta ad prefatam preposituram volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prepositurarum aut aliorum beneficiorum preiudicium generari, et quibuslibet privilegiis, indultis et litteris specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de

verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso, quod monasterium et prepositura predicta ad prophana propterea velud hereditas minime redigantur, sed inibi deserviatur laudabiliter in divinis, eorumque congrue supportentur onera consueta, et insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Senis Anno etc. MCCCCLVIII. Quintodecimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. III. fol. 119.

CCCCXCII.

Cardinali S. Angeli legato mandatur, ut regem principesque Hungariae ad comitia Mantuana venire hortetur nec recedat ex eodem regno.

PIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli Diacono Cardinali apostolice sedis Legato, salutem etc. A principio, cum dietam principum christianorum Mantue indiximus, cupientes personam tuam videre et sapienti tuo consilio actiones nostras dirigere, maxime ut de omni statu Regni Hungarie, et provisionibus ad conservationem eius fiendis plenius ac fidelius informari possemus, Circumspectioni tue iniunximus, ut ad illam personaliter convenire, et Carissimum in Christo filium nostrum Hungarie Regem Illustrem, vel saltem principes aliquos de latere suo tecum illuc conareris perducere; illud quoque intendentes, ut Imperatoriam Serenitatem, quam ob nonnulla impedimenta minus voluntariam ad conveniendum intellexeramus, tua opera in desiderium nostrum traduceres, quod ipsum per plures nostras litteras successive iteravimus. Cum autem postmodum oratores Regis eiusdem ad nos venientes propter graves dissensiones in eodem Regno exortas in prestanda obedientia, magnopere a nobis poposcerint, ut propter communiorem patrie illius salutem te inde advocare nollemus, maxime cum presentia tua ad omnia bene agenda in primis sit necessaria: nos communicato cum Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus consilio, ac considerantes dissensiones eiusmodi posse ex discessu tuo calamitosum incrementum suscipere, inque ea rerum conditione Turcis ad perniciem nostram intentis liberum aditum dare, satius putavimus esse presenti necessitati quam desiderio nostro consulere. Et propterea ne, te absente et nullo adveniente presidio, Hungari molestiis continuis fatigati in pace vel treuga indemnitati sue cum Turchis prospiciant, volumus et eidem Circumspectioni tue expresse mandamus, ut mandatis quibuscumque nostris preteritis non obstantibus, ex ipsa Hungaria nullo modo discedas, sed in ea legationem tuam, sicut hactenus cum laude fecisti, deinceps continues, singula meditans, que et ad pacem Regni predicti et reprimendos hostium impetus spectent. Nos autem cum profectionem nostram ad ipsam dietam sedulo maturemus, hec duo a Circumspectione tua instanter requirimus: primum, ut si Regem ipsum tempora venire non sinunt, efficaci opera cures, vel dilectum filium nostrum Cardinalem Strigoniensem vel aliquos alios magne in ipso Regno auctoritatis Regio nomine illuc celeriter mitti, cum quibus de summa rerum agi una cum ceteris possit; deinde sicut per alias nostras poposcimus, nos de toto Regni statu et provisionibus, quas necessarias tua prudentia indicat, plene facias certiores. Cum enim iudicium tuum magni semper fecerimus, rem nobis gratissimam, susceptis laboribus, admodum utilem Deo et fidelibus suis prestabis. Adveniente autem tempore, cum minori periculo id posse fieri videbitur, eandem Circumspectionem tuam, quam videre et nobiscum habere in desiderio gerimus, hoc suo gravi et diuturno onere omnino levabimus, tibique et nobis commodius consulemus. Regios vero oratores, quos nobis tantopere commendasti, honorifice accepimus atque audivimus, neque nostra unquam intentio fuit, nisi pro talibus eos habere, cum et opera presentis Regis et voluntas sua sint talia, ut a nobis et ab apostolica sede omnem veri patris caritatem mereantur accipere. Eius Celsitudini pro talibus meritis nostro nomine benedices, et omnia, que cum Deo possumus, pro honore et statu suo amplissime offeres. Datum Senis etc. x. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 24.

CCCCXCIII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Gregorii in Gynorgy Quinqueeccles. dioec. visitantibus conceduntur indulgentiae.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Ante thronum divine clementie fideles Christi sanctorum piis adiuti suffragiis ad eorum colenda festiva solemnia eo debent ferventius excitari, que talium patronorum fulti presidiis potiora glo-

rie et retributionis premia promerentur, et propterea nos more pastoris vigilis oves gregis dominici cure nostre commissas, quas cupimus in loco pascue collocari, ad eorundem sanctorum trahimus libenter obsequia, ut illas in cospectu domini debita veneratione collaudent. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Gregorius Vodo, Baro Regni Ungarie, ex pio mentis affectu ad omnipotentis dei laudem et fidei christiane augmentum in loco, qui dicitur Gynorgii, Quinqueecclesiensis diocesis unam ecclesiam sub vocabulo sancti Gregorii cum claustro et omnibus necessariis officinis construi et edificari fecerit, atque in eadem fratres ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia canonice induxerit, qui devotum assidue altissimo exhibent famulatum: Nos cupientes, ut dicta ecclesia congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libentius confluant ad eandem, ac manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitenitentibus et confessis, qui in pentecostes a primis vesperis usque ad secundas vesperas, nec non in dicti sancti Gregorii festivitatibus et per eorum octavas prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, ac manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, novem annos ac totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuo valituris. Volumus autem, quod si aliis visitantibus dictam ecclesiam aut ad eius reparacionem sive fabricationem manus porrigentibus adiutrices, seu pias inibi elemosinas erogantibus aut alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum temdus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius extant roboris vel momenti. Datum Senis Anno Incarnationis dominice MCCCCLIX. pridie Kal. Aprilis. Pont. nostri Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. XXXII. fol. 62.

CCCCXCIV.

Antonio Iscovichi comiti eiusque filio conceditur altare portatile: item Emerico filio quondam Ladislai voivodae de Zapulia.

PIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Antonio Iscovichi Comiti insule de Goriciis Zagabriensis diocesis et Nicolao eius filio, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam, non indigne meretur, ut petitionibus vestris, illis presertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris devotionis supplicationibus inclinati, ut liceat vobis et vestrum cuilibet habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis possitis per proprium vel alium sacerdotem idoneum missam et alia divina officia sine iuris alieni preiudicio in vestra presentia vel familiarium vestrorum facere celebrari, devotioni vestre tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Senis Anno etc. MCCCCLIX. quarto Nonis Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

PIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Emerico Litterato filio quondam Ladislai Wayvode de Zapulia, Thesaurario Carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Hungarie illustris, Comiti universarum camerarum salium regalium etc. salutem et apostolicam benedictionem. Conceditur altare portatile, sicut in forma superiori.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. XXXI. fol. 326.

CCCCXCV.

Cardinali S. Angeli legato, ut vexillum S. R. E. regi Hungariae ad Turcas debellandos tradat.

Cardinali Sancti Angeli.

PIUS PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Audientes Carissimum in Christo filium nostrum Mathiam Regem Ungarie illustrem exercitum christifidelium magno studio in dies parare, ut Turcis, quos, fama est, ingentibus copiis ventura estate in Regnum Ungarie irrupturos, quantum in eo erit, resistat, equum putavimus huic sancto proposito suo, quantum possumus auctoritatis, adiicere, et signum aliquod in acie esse, in quod intuentes auspicia sancte Romane ecclesie, bellum hoc geri et constantius discrimina subeunda sibi existiment. Mittimus itaque per presentem Nuntium tue Circumspectioni vexillum antedicte ecclesie sacris consuetis a nobis benedictum, volentes atque mandantes, ut si totis Regni viribus exercitum ipsum contra infideles, ut prefertur, parari contingat, illud ad laudem omnipotentis dei et confusionem persequentium nomen sanctum suum vel tua circumspectio erigat, vel Regi in hoc tantum opus erigendum consignes, sicut nostro et apostolice sedis honori tue sapientie

videbitur expedire, solito studio efficiens, ut quecumque per nos et sedem predictam in adiumentum et protectionem gregis nobis commissi effici possunt, pretermissa non videantur. Datum Senis II. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 26.

CCCCXCVI.

Imperatori, ne suggestionibus quorundam seductus regnum Hungariae ambiat

Imperatori.

Pius PP. II. Carissime in Christo fili etc. Quotidianis nuntiis nobis asseritur, sevissimum fidei nostre hostem Turchum magnis apparatibus, quibus per hosce annos indesinenter studuit, statuisse ventura estate, transmisso Danubio, Ungarie regnum, et quecumque christianorum loca poterit, violenter invadere; ipsum autem Ungarie Regem, quantum in eo est, continuo se ad defensionem parare, sed vehementer solicitum esse, ne christianorum molestiis impeditus proposito suo minus possit libere uti: propterea, cum audiamus esse in ipso Regno Barones nonnullos, qui Celsitudinem tuam ad novas ibidem contra illum res exhortentur, idque verisimile sit, magis privata ex causa, quam caritate tui temptari, ne ex hoc capite scandalum gravius oriatur, pro honore Serenitatis tue et caritate fidelium, que nobis est debita, pie requirimus, ut cogitare interius velis, an hoc tempore ad honorem tuum et conservationem christiane plebis conducat inquietorum consilia audire. Etenim si, invalescente dissensione ac te adiuvante, facile accidere posset, ut idem Rex, intestino malo externoque simul oppressus, in concordia aliqua cum Turchis saluti sue consuleret, non tam ipse a cunctis fidelibus videretur culpandus, cuius bonum propositum patet, quam qui eum ad tam damnosam conventionem necessario compulisset; huc accedit, quod, cum id Regnum totius christianitatis clipeus esse antehac consueverit, nosque illo pugnante ociosam semper securitatem egerimus: si aditus ille immanitati barbarorum multitudinique pateret, non dubie ingens calamitas in omnes descenderet, auctorique huius damnati consilii imputaret deus, quicquid inde esset secutum. Nos, qui et extimationi tui nominis sumus affecti, et preter ceteros gloria et amplitudine te augeri exoptamus, videntes nichilominus quanta offensione dei et quanto populi sui damno hec incerta spes possit constare, suaderimus semper tue sublimitati, ut malles totius orbis iudicium intueri, quam paucorum sediciosa promissa audire: et propterea bonitas tua, Carissime fili, que semper ad salutem in omnibus valuit, valeat nunc ad conservationem gregis dominici, ne unde patrocinium ex gradu, quem tenes, expectat, inde causam eversionis sue accipiat: precidende sunt malignandi omnes occasiones, et opera danda, ut saluti communi eorum sic consulatur, in quo Serenitas tua rem dignam Imperio faciet, fidelibus utilem, et nobis unice gratam, qui cum te intimo affectu amemus, credere debes omnia hec a fideli corde procedere, de conservatione laudis tue semper solliciti. Datum Senis II. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 25.

CCCCXCVII.

Michaeli Ozag de Guth palatino aliisque indulgetur, ut sibi missam ante diem celebrari facere possint.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis nobilibus viris Michaeli Ozag de Guth Palatino, Gaspari Vodo magistro dapiferorum, Gregorio Vodo de Gyurgy magistro Tavernicorum, Paulo de Dombo comiti Simigiensi, Iohanni Thwz de Lak thesaurario, Nicolao de Lyndira, Alberto Nyffor de Baymocz cubiculariis ac Michaeli de Gezth magistro Camere Regis Hungarie, salutem etc. Sincere devotionis etc. ut supra, illis presertim, per que, sicut pie desideratis, divinis officiis intenti existatis et spiritualis salutis vobis proveniat incrementum. Hinc est, quod nos vestris devotis precibus inclinati, ut missam, antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, liceat vobis et cuilibet vestrum per proprium vel alium sacerdotem idoneum facere celebrari, ita quod id nec vobis, nec sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari, devotioni vestre auctoritate presentium de speciali gratia indulgemus; proviso, quod parce huiusmodi concessione utamini, quia cum in altaris officio immoletur dominus noster dei filius Iesus Christus, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Nulli ergo etc. Datum Senis Anno etc. MCCCCLIX. tertio Nonis Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. XXXI. fol. 326.

CCCCXCVIII.

Imperatori, ne regnum Hungariae ambiat.

Imperatori.

Pius PP. II. Carissime in Christo fili, salutem etc. Cum proximo mense Februarii iter nostrum ad dietam Mantuanam prosequeremur, et iam Spoleti essemus, reddite sunt nobis littere Serenitatis tue, quibus nobis significabas, per nonnullos ex Regni Hungarie Baronibus tractari, ut ad id Regnum in Regem eligereris. Consulebas etiam nos, quid in ea re iudicii ac sententie nostre esset. Ad quod responderimus, nos rerum particularium nullam penitus noticiam habere, ac propterea, ut prorsus eius rei ignari nullum rectum iudicium aut consilium tribuere valentes, plurimum in summa prudentia tua confidere, prout in aliis rebus semper se prudentissime gessit Serenitas tua, ita etiam in hoc caperet bonam deliberationem. Cum deinde Senis essemus, venit ad nos dilectus filius Henricus Senselebni familiaris noster, qui etiam nobis retulit de practicis et tractatibus pendentibus. Venerunt post eum oratores Mathie, qui se pro Rege Hungarie gerit, ad prestandum nobis et sedi apostolice, ut ceteri Reges et principes Catholici faciunt, debitam reverentiam et obedientiam, quos nos ut Regis oratores audivimus et recepimus, neque enim aliter salva honestate nostra et honore sedis apostolice poteramus, qui eum ut in Regni et in Regni nominis possessione reperimus; nam felicis recordationis predecessor noster Calistus III. eum Regem appellavit, et nos etiam in primordiis nostri apostolatus Regem eum nuncupavimus: non ergo aut iuste aut honeste poteramus eum Regio nomine spoliare in eius possessione repertum, nec impresentiarum possemus, presertim nulla precedente cause cognitione. Et quia de electione tue Serenitatis ad id Regnum et eius acceptatione non solum non eramus facti certiores, sed immo magis credebamus effectum nullum secuturum, prout plerumque in huiusmodi magnis rebus evenit, eo maxime, quod intrinseca et arcana eorum, que tractabantur, nobis incognita erant: unde dilectis filiis oratoribus Celsitudinis tue, qui nuper ad nos venerunt, de huiusmodi re etiam conquestis, respondimus, causas designantes, que nos ad id moverunt: neque enim ullo pacto existimare debet Serenitas tua, principem esse, cuius et dignitatem et honorem tuo anteferamus; cum enim exigentibus maximis meritis tuis ad id magnopere cogamur, tum propter plurima in nos, dum in minoribus ageremus, beneficia collata, tum etiam quod optimus catholicus et sedis apostolice observantissimus semper fuisti, et quia ad pontificem spectat, Imperatori tamquam alteri mundi lumini in omnibus fautorem esse. Hortamur igitur Serenitatem tuam in domino, ut omne adversum, si quod forte in mente conceperas, ab ea removeas, ac putes nos honori tuo nunquam defuturos, et quia ex verbis oratorum tuorum suspicamur, ne oratores Mathie predicti forte gloriantes, se multa a nobis impetrasse dicant, notum facimus Serenitati tue id falsum esse. Petiverunt enim a nobis ensem, quem denegavimus, pariter et vexillum petentibus denegatum est. Hoc solum impetrarunt, quod nullo modo honeste negari poterat, ut scriberemus dilecto filio Cardinali Sancti Angeli apostolice sedis Legato, ut agente Mathia in expeditione contra Turchos, arceret censuris ecclesiasticis eos, qui huiusmodi expeditionem impedirent, et quod si opus esset, remaneret idem Cardinalis in Regno: hoc tantum obtinuit Mathias. Nobis de electione et acceptatione tua nichil sentientibus, nec de Serenitate tua in hiis ulla mentio habita est, nec debet Serenitas tua dubitare, nos pro dignitate, honore, auctoritate et statu Serenitatis tue et sacri Imperii semper ad omnes favores promptum animum habitaturos. Datum Senis etc. xiii. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 29.

CCCCXCIX.

Cardinali S. Angeli legato de imperatore et rege Hungariae inter se pacificandis.

Cardinali S. Angeli.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Superioribus diebus cum ex litteris tue Circumspectionis intelligeremus, Carissimum in Christo filium nostrum Mathiam Ungarie Regem Illustrem magno animo se ad resistendum Turchorum conatibus apparare: cupientes, ut hoc eius fidele propositum omni impedimento sublato in tanto rerum periculo executioni debite mandaretur, eidem Circumspectioni tue iniunximus, ut, quamdiu Rex ipse in apparatu huiusmodi sive bello esset notorie occupatus, omnibus et singulis molestatoribus suis tam intra Regnum quam extra, etiam si Regali, Reginali, Ducali, aut

alia quacumque dignitate ecclesiastica vel mundana fulgerent, sub interminatione divini iudicii, ac aliis censuris et penis auctoritate nostra inhiberes, ne illi aliquod impedimentum directe vel indirecte, aut alio quovis quesito colore afferre presumerent. Postmodum vero, cum ex aliis litteris tuis nuperrime plene noscamus, Carissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum Imperatorem a proceribus Regni Hungarie in Regem eorum esse electum, Serenitatemque suam ipsam electionem solemniter acceptasse: nolentes propterea grave aliquod scandalum nobis et apostolice sedi suscitari, quamquam certissimi simus, etiam sine amonitione nostra te omnia, sicut semper es solitus, cum maturitate et sapienti consilio facturum fuisse, volumus tamen, et eidem tue Circumspectioni per presentes mandamus, ut contra Imperatorem prefatum complicesque eius et sequaces nullo pacto litteris eisdem utaris; memores enim pretentorum beneficiorum, que et in sedem predictam et in nos quoque sua Celsitudo, te teste, sedulo contulit, equum putamus, ut in re, que nondum iure est cognita, et in qua iustitiam sibi esse una queque partium putat, nichil cum iniuria innovemus; optamus tamen et volumus, ut auctoritate nostra cum Imperatore et Rege predictis te interponas, possibili studio curans, ut a via facti desistant, et ad minus per totam hanc venturam estatem inter se treugas faciant atque observent, ne ambobus bello implicatis maior oportunitas ad prosequendos conatus suos Turchis prestetur. Datum Senis etc. xiiii. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 29.

D.

Duci Burgundiae, ut ad res Hungariae prae primis componendas Mantuam veniat.

Duci Burgundie.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Maxima letitia exultavit cor nostrum, cum ab initio intelleximus, te ad dietam Mantue indictam personaliter esse venturum. Videbamus enim presentiam tue Nobilitatis, que semper devotissima fuit, non solum magno adiumento ad omnia prospere gerenda futuram esse, sed ceteros quoque principes tuo exemplo ad conveniendum promptiores futuros: atque ut verum fateamur, bona pars fidei nostre in te uno posita erat, cuius non modo zelum, sed auctoritatem magni in hoc esse momenti non ignoramus. Nunc vero intellectis per oratores tuos certis difficultatibus, ex quibus adventus huiusmodi non satis exploratus tibi esse videtur, plurimum doluimus, et veremur non parum, ne agente id bonorum operum inimico, omnis ratio propositi nostri, te non veniente, turbetur. Proinde generositatem tuam hortamur in domino et per salutem christiani populi, cuius tu quoque una nobiscum deo es debitor, toto corde precamur, ut cogitans, quanta res agatur, et quantis nos difficultatibus impediti nichilominus iter sumus ingressi, omnia publice saluti preferentes, velis, sicut presens necessitas postulat, et tua devota consuetudo requirit, omnia tua ita componere, ut reliqui fiat, quo impediri hic salutaris accessus merito valeat. Debet generositas tua in tanto opere diligenter considerare, quantum nocere possit fidei cause, si ab adventu te excusabis, et non omnes causas dignas esse, que fidele propositum tuum ab huiusmodi sancto obsequio retrahant, presertim cum adiuvare pias intentiones altissimus soleat, et illos ab omni impugnatione protegere, qui plus in se bone spei reponunt, quam in omnibus hominibus metus. Confidimus, te veniente, venturos esse complurimos principes, qui alioquin libentius domesticum ocium amplectentur. Credimus quoque, presente tua Nobilitate omnia cum ceteris consulente, daturum hoc esse deum laboribus nostris, ut aliquis desideratus fructus, te operante, sequatur in hac presertim necessitate, que maior christianis esse non potest. Audivit, ut credimus, Excellentia tua quanto in periculo Regnum Hungarie propter externas intestinasque dissensiones versetur, profecto nisi in hoc futuro conventu potenter provideatur, metus est manifestus, ne Turchis hac nacta occasione patentissimus aditus ad commune exitium detur, atque omnis christianorum difficultas ad resistendum congeminetur. Ex Albania quoque, que usque in presentem diem, quantum potuit, illorum impetus pertulit, nichil optabile nuntiatur, satisque dubitamus, ne Scandarbech, qui nullis hactenus districtibus parcens, pro deo et fide Catholica clipeum illis se obtulit, non valens ultra diuturnis calamitatibus obsistere, aut iam cum Turcho convenerit, aut convenire, impellente necessitate, excogitet: ita ut ab his duobus lateribus, quorum fiducia christianitas reliqua incolumis mansit, nulla defensione res nostra remaneat. Quod si tempus ullum unquam fuit, in quo potentatus et principes nomen christianum profitentes reminisci debiti sui erga redemptorem nostrum, et vires ad protegendum gregem eius conferre deberent, hoc profecto non modo

est debitum, sed in primis etiam necessarium calamitatem certissimam impendere non dubium sit, si quiescere quam deo obsequi hoc tempore mallent. Tu igitur, dilecte fili, qui gloria huius sancti operis ceteros antecellis, velis ceteris quoque exemplum bene agendi prestare, et non tanti mediocres difficultates putare, ut cum vicario Iesu Christi, qui suas difficultates non curans omnibus obviam processit, non censeas personaliter conveniendum. Des, quesumus, hunc laborem Altissimo, des toti christiano populo tuum et ceterorum presidium imploranti: nobis quoque hoc gratissimum obsequium prestes, quibus in hoc opere nulla esse gratior consolatio potest. Erit quippe tibi tuus adventus ad meritum beate retributionis uberrimus, ad gloriam humane conditionis excellens, ad profectum vero suscepti operis nostri ita expediens, ut si veneris, bene nobis sperandum, si minus, deploranda christianorum fortuna appareat, que presidium tantum perdiderit. Datum Florentie etc. III. Maii MCCCCLIX. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 32.

DI.

Mariano de Senis ord. Minorum, ut se conferat ad regnum Bosniae.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Mariano de Senis ordinis fratrum Minorum professori, salutem etc. Cum per litteras carissimi in Christo filii nostri Stephani Thome Regis Bosne Illustris nuper ad nos transmissas intellexerimus, quanto in periculo constitutum sit Regnum eius propter imminentem Turchorum ferociam, Regnum ipsum quotidie invadentium et illud occupare totis conatibus initentium, et propterea nobis pro parte sua humiliter supplicatum fuerit, ut sibi de aliquibus copiis atque subsidiis dignemur opem ferre et providere: Nos de industria et probitate tua, qui in partibus illis alias ad predicandum cruciatam per felicis recordationis Calistum papam tertium predecessorem nostrum deputatus fuisti, plenam in domino fiduciam obtinentes, sperantesque, quod tu in partibus illis subsidia huiusmodi ad succurrendum dicto Regi pro tua industria facile perquirere et adinvenire poteris, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad illas partes, in quibus ad predicandum cruciatam ipsam alias destinatus fuisti, te personaliter conferens, omnes et singulos cruce signatos, quos in partibus illis repereris, ac etiam si quos imposterum per te crucesignare contigerit, super quo plenariam tibi facultatem concedimus, horteris ex parte nostra, ut ad ferendum opem et subsidia dicto Regi in tanta necessitate fidei ferventer accedant, et ipsi Regi totis eorum conatibus opitulentur, ne dictum Regnum ad infidelium manus perveniat, et fideles in eo existentes calamitates illas perferre habeant, quas superioribus temporibus relique finitime Grecorum nationes miserabiliter pertulerunt et de presenti perferunt. Nos enim tibi omnes illas indulgencias tam accedentibus personaliter in auxilium ipsius Regis, quam alias auxilium ad hoc prestantibus, quas ex facultatibus tibi per alias litteras, que in favorem cruciate emanarunt, directis concedere poteras, auctoritate nostra concedendi, ac omnia et singula, que per alias litteras predictas circa hoc facere poteras, faciendi, gerendi et exequendi auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod tu cum gentibus, quas collegeris ad Regem ipsum proficisci, aut alium loco tui transmittere debeas. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Bononie Anno Incarnationis dominice MCCCCLIX. Septimo Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. XXXII. fol. 87.

DII.

Cardinali S. Angeli de re bene gesta in Hungaria pontifex gratulatur, invitatque, ut Mantuam veniat, et absolutis comitiis in Hungariam redeat.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Accepimus litteras tue Circumspectionis et copias in eis inclusas. Intelleximus quoque que per Carissimum in Christo filium nostrum Mathiam Ungarie Regem Illustrem scribuntur. Laudamus in primis summam diligentiam, quam per te adhiberi cognoscimus in componendis dissensionibus Cesaree Serenitatis et Regis predicti, hortamurque, ut quamquam ad studium tuum addi nil posset, in incepto opere perseveres, et quod boni potes, sedulo efficias, nil pretermittens, quod presenti temporum conditioni oportunum cognoveris. Quamquam autem ea semper sapientia in tuis omnibus actionibus fueris, ut quid sedem apostolicam, quid te etiam deceat, acutissime videris, nichilominus quia, ut novit Circumspectio tua, iudicium super contencionibus Regni Un-

garie nostrum est, et ad nos illarum cognitio pertinet, danda tibi et nobis est opera, ne in facto dicto, ne ullo videamur affectu, non ratione in hanc magis quam illam partem esse inclinati, quod a te in omnibus istis tractatibus observatum iri non dubitamus. Placet autem, et sumus contenti, ut absolutis his, que significas, petitiones Regis adimpleas, et ad nos personaliter venias; ea tamen conditione, que in litteris Serenitatis sue apponitur, ut videlicet post factam dietam, si ita visum expediens fuerit, in Ungariam redeas, deoque et fideli populo suo, pro quo hactenus cum gloria decertasti, extremum hunc laborem impendas. Audiemus libenter, que te nobis relaturum significas, et non dubitamus opere precium facturum illa cognoscere, hortantes quoque eandem tuam Circumspectionem in domino, ut omni cum diligentia cures, tales ab Imperatore oratores ad hanc dietam transmitti, qui presentibus consultationibus digne interesse et personam suam cum honore valeant representare, ne ipse, qui ceteris esse debet exemplo, communi bono et sibi defuisse appareat. Nos autem quinto ante promissum terminum die ad civitatem hanc Mantue, iuvante domino, venimus, ubi cum oratoribus nonnullis, qui iam convenerunt, tractare aliqua cepimus, sic speramus in domino, quod plures in dies convenient, neque labores nostros et pium desiderium pro fide sua susceptum pacietur frustrari: tu istinc in quantum potes cooperari et collaborare nobiscum ne cesses. Datum Mantue etc. II. Iunii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 41.

DIII.

Eidem de rebus praeclare gestis in Hungaria gratulatur

Cardinali S. Angeli.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Ad litteras tuas, quas nobis ex Wienna XII. et XVI. Iunii misisti nuper, hec solum respondere habemus. Intelligimus ex litteris Regiis introclusis continuari, que de adventu Turchorum prioribus significasti: placeat omnipotenti deo misericorditer cum suis fidelibus agere et nos ab instanti procella protegere. Intelleximus quoque, quid tua Circumspectio in deducendis per Danubium navibus agere eo in loco potuerit. Laudamus in dies magis sancta opera tua, quod difficultatibus undique circumventus nichilominus viriliter agis, quod valeas, et nullis periculis recedis, reddens deo acceptabile sacrificium omni quidem tempore, sed hoc potissimum suis sacerdotibus debitum. Hortamur et toto affectu nostro requirimus, ut quod hucusque fructuose egisti, agas deinceps. Te enim incitando deficere a bene factis non poteris, nosque quantum studio et diligentia possumus, nichil hic pretermittimus, quod ad celeriter ferendum opem possit conferre. Habemus iam oratores multis ex locis et in dies ex pluribus expectamus, sperantes in domino, quod ex huiusmodi ope fructus aliqui salutares sequentur. Ungaricos autem propediem credimus affuturos, quos sicut antea honorifice et cum caritate accepimus, ita impresentiarum facere intendimus, neque eos aliter appellare aut in eorum supplicationibus audire, quam Regios oratores conveniat, ostensuri omnibus, nos hac in re personam patris et iudicis, non partis alicuius tenere: neque vero moleste ferat Circumspectio tua, si breve nostrum hoc suo more divinum appellat, aliquod in se habuit, quod intencionem huiusmodi nostram probaret. Cum enim tunc scripsisses, et nunc etiam iteres, venturas esse tandem partes ad iudicium nostrum, neque aliter tolli talem contencionem facile posse, providendum omni ratione putavimus, ut ad mediatorem equum omni carentem passione se scirent venire: te tamen quecumque locutus tu es, credimus bona fide et studio christiane reipublice consueta libertate egisse. Verum hec nostra opinio est, et huic tempori sic convenire arbitramur, operam sedulo daturi, ut nulli eorum iuste de nobis querele locus sit reliquus. Ratio autem tua gerendi in annum sequentem belli fuit nobis accepta, et a nobis diligenter notata, neque inutilem credimus ad ea, que querimus, transigenda. Curabimus, ut illius capessendi ratio suo tempore proponatur, et consulentium iudicia subinde exquirantur, litterasque consolatorias ad Regem transmittimus, sed nulla huiusmodi consolatio animo nostro satisfacit. Te enim non verbis impendere consolationem hanc optaremus, videntes presertim ad egregiam illius pro catholica fide mentem nichil preter facultatem et presidium oportunum deesse: cuius profecto si nos soli copiam haberemus, libenter principibus christianis usque ad hanc diem pepercissemus. Si quid tamen consolatio hec nostra est profutura, vehementer letamur, et Circumspectio tua hoc frequenter nomine nostro non gravetur efficere. Familaribus denique tuis, quos nobis sepe commendas, quantum cum deo poterimus, propitii sedulo erimus, faciemusque ut tecum laborasse, eos nequaquam peniteat. In hoc tuo in Ungariam descensu omnipotens deus, cui fideliter servis, te nobis et sancte

huic cause usque in finem misericorditer servet. Ceterum quia ad requisitionem tuam antea nobis factam in negotio Zagabriensis ecclesie, donec tu adesses, supersedendum putaveramus, videntes nunc propter tuum in Ungariam reditum rem posse in longum differri, optamus, ut super ea re iudicium tue Circumspectionis nobis notifices: de Quinqueecclesiensi quoque, si non egimus, quod erat agendum, desiderii tui honestas ipsa nos tenuit, veriti, ne in ea etate et acceptatis contra debitum rationis reprehensionem aliquam merito incurreremus; tuo tamen respectu et persone, ad cuius instantiam scribis, quam nos paterne diligimus, conabimur in tempore postulata tua implere. Datum Mantue VI. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 52.

DIV.

Regi Hungariae, ut contra Turcas fortiter agat.

Regi Ungarie.

Pius PP. II. Carissime in Christo fili, salutem etc. Testis est Deus, quanto dolore nos conturbarent, que inter Serenitatem tuam et Celsitudinem Imperialem proxime evenerunt, testes etiam, qui nos de hac re audierunt loquentes. Certo ex illo tempore nulla fuit nobis hora iocunda, vidimus continuo, quantum impedimentum ad executionem pii desiderii nostri esset oppositum, quantaque facilitas per hunc modum daretur ad eversionem christianam: simul doluimus non esse talem huiuscemodi controversiam, ut in hoc articulo temporis, in quo conatus omnes nostros ad causam fidei christiane attulimus, posset sedari. Innotuerat nobis egregia voluntas tua ad sanctam hanc expeditionem, et quotidianis litteris legati apud te nostri testificati erant continuari apparatus, ad quos te fortiter accingebas. Non igitur his supervenientibus malis tu magis doles, quam nos doleamus, neque omnis nostra dissensio minus flenda est nobis, quam tibi in eadem. Ambo sumus mentis et animi anxietate, teque licet absentem cogitatione continua comitamur, deum orantes, ut fortem tibi animum prebeat, et contra hostes nominis sui manum misericorditer porrigat. Quamvis, Carissime fili, hec ita evenerint, uno quoque tempore tot te difficultates circumstent, nolit tamen mens tua deficere, murum istum totius Christianitatis deserere, quo cadente, ad miserabilem ruinam dominici gregis pateat aditus, si ut in domino confidimus, perferre hac sola estate has ingruentes molestias poteris. Speramus venturo anno non defutura Serenitati tue debita adiumenta: nos enim hac una ex causa hic sumus, et non desumus, dies ac noctes cogitatus omnes nostros atque consilia ad hunc cursum dirigere, persone et rerum nostrarum nullam rationem habentes. Multis iam ex locis oratores ad nos convenire ceperunt, et brevi plures affuturos certum habemus, cum quibus et omnium subventione fidelium totis conatibus nostris agetur. Quod si tales nostre et sancte Romane ecclesie vires essent, que tanto oneri sufficere per se possent, sentires in primis, Carissime fili, animum nostrum, nec tantam moram interponi oporteret: verum cum omnium rerum egeni preter voluntatem egregiam, parum ad hoc opus possumus afferre, cogimur principes catholicos nostris precibus fatigare, quibus alias libentissime parceremus. Honor tuus Regius, et salus Regni, quod regis, cum memoria paterna, que etiam exemplo suo fidelibus prodest, Serenitatem tuam ad fortiter et gloriose agendum invitent. Redemptor quoque noster Iesus Christus, in cuius manu corda sunt Regum, oculo misericordie te hoc tempore aspiciat, et gratiam largiatur, ut ad gloriam nominis sui sancti victoriam de impia Turchorum gente capias. Nos etiam, Carissime fili, tibi ut caritatis et devotionis nostre filio toto corde nostro benedicimus. Datum Mantue VI. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 52.

DV.

Imperatori, ut ad res Hungariae componendas Mantuam veniat, vel saltem oratores mittat.

Imperatori.

Pius PP. II. Carissime in Christo fili, salutem etc. Propter nostram summam erga te affectionem cogimur, Carissime fili, ea tibi commemorare, que honori Celsitunis tue pro tempore conducere arbitramur, rogantes, ut in hanc partem semper scripta nostra accipias, neque de intencione pia aliter ullo modo existimes. Affuturi propediem Mantue sunt, sicut ex litteris eorum accepimus, Oratores Regni Ungarie, afferentes non solum mandata ad ea tractanda, de quibus in hoc conventu agetur, sed

apertam etiam, ut nos credimus, contra tuam Serenitatem querelam. Etsi igitur sperare firmissime potes, ubicumque nos erimus, futuros, qui tuam extimationem perinde ut suam in oculis habeant, quique offensionem omnem Imperialis nominis rationem sibi existiment, tamen cum personam publicam ex pastorali officio teneamus, et in tanta diversitate opinionum patris et iudicis, non defensoris aut accusatoris partes servare nos deceat, non videmus quo pacto sine reprehensione huiusmodi in te defendendo satisfacere animo nostro possumus. Et ideo ut sint, qui rem tuam aperte agere et impugnatoribus ex pari valeant respondere, consentaneum honori tuo indicaremus, ut quando personaliter adesse non potes, oratores tuos a nobis sepius flagitatos celeriter mitteres, ne illis hic non comparentibus, te ipsum apud sedem apostolicam tacito quodam iudicio videaris dampnare. Quoniam vero plures iam ex Italia atque aliis locis ad nos convenire ceperunt, possent etiam iidem oratores tractatibus fidei nomine tuo interesse, cum neque suscepta Regni Ungarie causa, neque ulla alia difficultas excusare te possit, quominus in reliquorum conventu, ubi personam tuam in primis esse oporteret, oratores tui appareant. Hoc autem quanto celerius tua Serenitas faciet, tanto et omnium bono et dignitati proprie melius consulet. In negotio ducatus Mediolani deliberare alias tuo arbitrio poteris, neque ad id te preter voluntatem tuam impellimus, credentes tamen eius rei conclusionem rebus imperii satis conducere, hoc solum in presentiarum requirimus, ut Regni Ungarie et totius Christianitatis causam in presenti dieta non deseras, neque obloquendi et detrahendi materiam malignantibus prestetur. Nos etiam consolari velis, qui ab inicio pro certo tenentes venturum te esse, et propterea incommoda omnia nostra rerum et persone leviora ducentes, acerbissimum haberemus ad minus, eos visos non esse, qui presentiam tuam digne referent: hoc a te pro deo, et sancto consortio nostro, quo ambo in fide coniungimur, etiam atque etiam obsecramus. Datum Mantue anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, VI. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 51.

DVI.

Cardinali S. Angeli legato, ut indictis comitiis imperialibus curet interesse, et imperatorem ad pacem cum rege Hungariae firmandam hortetur.

Cardinali S. Angeli.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Scribit nobis Circumspectio tua per suas ultimas litteras, dietam cum Imperatore tenendam dilatam esse usque ad adventum nonnullorum, quosque in litteris eisdem commemoras. Nos vero videntes nichil commode sine aliqua conventione posse, hortamur eandem Circumspectionem tuam in domino, ut licet multa undique ingruant, nichilominus dietam ipsam non negligas, que fructus aliquos salutares, concedente domino, posset producere. Eam nos ob causam Venerabili fratri Episcopo Lucano et dilecto filio Stephano de Nardinis notario nostro, quos esse iam cum Imperiali Celsitudine credimus, dedimus in mandatis, ut in nomine nostro illum ad ineundos in ipsa dieta pacis vel treuge per manus tuas tractatus summe hortarentur. Qua in re siquidem illorum operam profuturam putabis, poteris de agendis omnibus eos instruere, quos non dubitamus mandata tua obedienter esse impleturos. De amissione Zendrensi et perfidia Regis Bosne, atque de progressu Turchorum summam mestitiam cepimus, considerantes, quantam oportunitatem illorum nunc rabies habeat ad vexandos christianos et dillacerandum Regnum Hungarie. Rogamus deum, ut plebem suam non deserat, et cadentes misericorditer sublevet. Oratores Carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Hungarie Illustris cum omni humanitate accepimus, et audita subventione, quam postulant, fecimus, quod hoc tempore vires nostre tulerunt. Intelliget totum Circumspectio tua per alias litteras nostras, que omni studio suo conabitur, ut Regnum ipsum ab instanti malo hoc anno servetur. In negotio Quinqueecclesiensis ecclesie nemo est, qui faciat verbum: Clerici erunt, qui expeditionem procurent, faciemus, quod antea scripsimus. De familiari tuo per Episcopum Viennensem privato non parum miramur: dabimus igitur operam, ut provisiones debite fiant, et indemnes, prout debitum est, conserventur. Nos hic cum bona spe sumus, et per totum Augustum credimus in dieta affuturos, cum quibus de re communi tractari utiliter possit, tota mente dispositi ad omnia prosequenda, que deus facultati nostre concedet. Circumspectionem tuam benevalere in domino cupimus. Datum Mantue XXX. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 59.

DVII.

Blasio de Litio ord. Praed. conceditur, ut cum quibusdam aliis monasteria in Albania de novo erigere et construere possit.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Blasio de Litio ordinis fratrum predicatorum professori, salutem etc. Ad hoc benignissima clementia Salvatoris nos prefecit domui sue, ut ad messem suam, ubicunque tandem illa invaluerit, metendam operarios destinare, et in partibus illis, ubi Christifidelibus quotidiana discrimina, nisi verbo Dei alantur, verisimiliter evenire possent, seminatores eiusdem verbi transmittere, et alia oportuna remedia frequenti studio adhibere curemus. Cum itaque, sicut pro parte tua nobis nuper exhibita peticio continebat, dominia dilecti filii nobilis viri Georgii Scanderbech cetereque partes Albanie, causantibus diris Teucrorum insultibus, quibus partes ille iamdiu concusse fuerunt, et adhuc dietim fortius proh dolor concutiuntur, adeo viris doctis et religiosis, presertim sub regulari habitu degentibus, qui Christifidelibus verbum Dei evangelizent et predicent, ipsosque in fide catholica, que mediantibus premissis in illis partibus valde decrescit, et ipsorum devotio tepescit, instruant et doceant, ad presens careant, ac conventus et loca, in quibus habitare solebant, desolata existant; ita ut nisi super premissis de oportuno remedio consulatur, fides catholica predicta, ut verimiter creditur, ibidem finem accipiat, in maximum dedecus totius christiane religionis: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis oportune providere paterna diligentia curaremus. Nos igitur, ad quos pertinet super his adhibere vigilantie nostre curas, de premissis omnibus et singulis plenariam habentes noticiam, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, qui, ut asseris, eidem Georgio fidus et dilectus existis, necnon christiane fidei et dicti ordinis ac divini cultus augmentum summopere appetis, et de cuius circumspectione, industria, sollicitudine et vite sanctimonia plurimum in Domino confidimus, quod una cum aliis confratribus ordinis fratrum predicatorum per te ad hoc eligendis, de consensu tamen, licentia et voluntate generalis Vicarii Conventuum reformatorum ipsius ordinis, unum, duo, tria, quatuor aut plura loca dicti ordinis in eisdem partibus consistentia, maxime conventum sancti Dominici de Durachio dicti ordinis recipere, et destructa sive caduca fratribus carentia de novo erigere, construere et edificare, ac conventus seu fratres eorum ipsius ordinis sub vita communi degentes ad vitam regularem, si voluerint, transferre, necnon quoscunque fratres eiusdem ordinis quorumcunque Conventuum etiam sub dicta communi vita viventium in huiusmodi conventibus sive locis sic, ut premittitur, erigendis et transferendis recipere et admittere, illisque dictam regularem vitam imponere, ac huiusmodi conventus sive loca ac fratres regere et gubernare, et si fratres eiusdem conventus sancti Dominici de Durachio, qui sub dicta communi vita degunt, sub regulari vita vivere velint, per generalem Vicarium provincie Dalmatie Conventuum reformatorum sive regularis vite ad huiusmodi vitam regularem recipere et admittere, ipseque Vicarius de eis tamquam de ceteris fratribus eiusdem ordinis disponere et ordinare libere et licite valeas et valeat, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia concedimus pariter et indulgemus, mandantes Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Duracensi et dilecto filio Iohanni Mangiacavalli Canonico Duracensi, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios premissa omnia et singula, ubi et quando expedire viderint, sollempniter publicantes tibique et eidem Vicario efficacis defensionis presidio assistentes, faciant te et Vicarium predictum indulto huiusmodi pacifice frui atque gaudere, et non permittant te vel Vicarium ipsum contra predictum indultum quomodolibet molestari, Contradictores ac molestatores quoslibet et rebelles, cuiuscunque dignitatis etiam Episcopalis, status, gradus, preeminentie, ordinis vel conditionis fuerint, per censuram ecclesiasticam, sublato cuiusvis appellationis obstaculo, auctoritate apostolica prefata compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus fe. re. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibentibus, ne fratres cuiusvis ordinis Mendicantium domos ad inhabitandum de novo recipere, vel hactenus receptas mutare presumant absque apostolice sedis licentia faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, et aliis Constitutionibus et ordinationibus ac prohibitionibus, privilegiis et indultis apostolicis, nec non statutis et ordinationibus sancti Dominici de Durachio, et quorumcumque aliorum Conventuum et locorum ac ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, iure tamen parrochia-

lium ecclesiarum et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nulli ergo etc. nostrorum concessionis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Mantue Anno etc. MCCCCLIX. pridie Nonas Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. V. fol. 136.

DVIII.

Idem Blasius in dominio Scanderbech principis Croyae, et in Albania et aliis vicinis partibus nuntius apostolicus constituitur.

PIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Blasio de Litio ordinis fratrum predicatorum expresse professo, salutem etc. Religionis zelus, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut ea tibi favorabiliter concedamus, per que animarum saluti consulatur, et ille Domino lucrifient, et ab erroribus Turcorum inimicorum nominis christiani revocentur, et ad verum ovile ac unum sancte Romane ecclesie pastorem reducantur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod terre et dominia dilecti filii Nobilis viri Georgii Scanderbech principis Croye, et aliarum partium Albanie cum perfidis Turchis confinancia per eosdem Turchos adeo proh dolor sunt invasa, et tam in Dei sanctuariis et dedicatis ecclesiis, quam Christicolis et eorum structuris depopulata fuere, quod fructus, redditus et proventus ecclesiastici sunt inibi plurimum diminuti, et adeo pauci, immo quasi nulli restant, qui populo verbum Dei seminare et libere valeant, et velint predicare, quodque propterea Christifidelium ibidem tepescit devotio, ac in peccatis suis insordescunt, hereses instaurantur, ac infinita pericula animarum subsequuntur, nec ab eisdem ad nos seu apostolice sedis legatos propter nimiam distanciam recursus de facili haberi, imo minus secure accedi potest, ipsique Christifideles pauperes existentes fere per tres annos in maximis miseriis prestiterunt: quare nobis pro parte tua fuit humiliter supplicatum, ut ipsorum Christifidelium animarum saluti providere quantotius de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes saluti animarum predictorum Christifidelium consulere et salubriter providere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut assumptis a te duobus vel tribus sociis confratribus tui ordinis vel aliis presbiteris idoneis, qui devotionis causa terras et partes predictas adire, et in vinea Domini Sabaoth laborare voluerint, incolas et habitatores Albanie, Rassie et Servie, aliasque terras dominiis Turchorum convicinas, qui inimicis et hostibus nominis christiani pugnaturi sunt, terris et dominiis Venetorum exceptis, et de quibus, ne te intromittas, tibi penitus prohibemus, accedendi, et in eis etiam in quibuscunque locis exemptis, etiam interdicto ecclesiastico suppositis, dummodo tu et ipsi causam non dederitis interdicto, verbum Dei libere ad populum seminandi et altare portatile habendi cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis possis missam et alia divina officia sine iuris alieni preiuditio in tua et dictorum Christifidelium presentia, ac missam, antequam elucescat dies, orta tamen diurna luce, cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit, licentiam tibi celebrandi per te, vel alium sacerdotem idoneum celebrare faciendi, ita quod id tibi, nec sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari; proviso tamen, quod parce huiusmodi concessione utaris, quia cum in altaris officio immoletur Dominus noster Dei filius Ihesus Christus, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce, quodque si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita te contigerit declinare, licenciam tibi in illis clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis et submissa voce in tua et dictorum Christifidelium presentia missam et alia divina officia celebrari faciendi, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto, nec id tibi vel illis contigerit specialiter interdici, eisque sacramenta ecclesiastica, quotiens opus fuerit, ministrandi, et tamquam nuncius noster et dicte sedis, quotiens opus fuerit, Cruciatam contra dictos Turchos eorumque complices et fautores predicandi, et propter communem errorem in partibus illis proh dolor pullulantem, apud nonnullos videlicet, quod corpora sive cadavera Christifidelium aliquando post mortem resurgunt et de nocte pueros et homines interficiunt, aliqui eorum delusi illa cadavera exumant, scindunt et comburunt, ipsorumque talia committentium et aliorum quorumcunque utriusque sexus homines, cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, confessiones per te seu confratres tuos huiusmodi audiendi, ipsosque ab eisdem et in quibuscunque casibus dicte sedi reservatis, ac ab excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris ecclesiasticis et penis, ac votorum transgressionibus, quotiens opus fuerit, in forma ecclesie consueta absolvendi, et eis penitentiam salutarem iniungendi, vota quoque quecunque, preterquam excepta, in

alia pietatis opera commutandi, ac illos, qui Christianos pueros, arma, victualia vel alia res et bona eisdem Turchis vel eorum subditis tam pro ipsorum liberatione quam alias dederant vel vendiderant, dummodo peracta penitentia se a talibus abstineant, illosque, qui fidem Christianam abnegarunt, et ad illam redire voluerint, ac iuratos et confederatos eisdem Turchis reconciliandi, eosque absolvendi et rehabilitandi, ac ad famam, statum et honorem pristinos restituendi, et reintegrandi in omnibus et per omnia, ac si fidem huiusmodi non abnegassent, et ipsis iuramenta per eos dictis Turchis prestita relaxandi, necnon populo contra dictos Turchos bellaturo post missarum celebrationem benedictionem, et etiam quandocunque et ubicunque visum fuerit, dummodo in ea aliquis Catholicus Antistes non intersit, impendendi, ac quibuscunque Christifidelibus in dicto bello decedentibus semel in vita sive de preteritis peccatis, et semel in mortis articulo plenariam remissionem impendendi, necnon exercitui contra ipsos Turchos insistendi, ibidem resistendo, Veneris, vigiliarum et ieiuniorum diebus ova, butirum et lacticinia, de consilio tamen suorum medicorum, vescendi et illis utendi; et quod absit, cum dicti Turchi terras et loca fluminis Drininigri invaserint et occuparint, prout de presenti plura proh dolor occupant, Christifideles citra dictum flumen commorantes, et cum ipsis Turchis participantes, ac res vendere et emere necessario habentes, eosdem participantes ab excommunicationis et aliis sententiis, quas occasione huiusmodi incurrerint, tibi et dictis fratribus sive presbiteris, cum te et ipsos interdum ad diversos principes et nobiles ac loca, ubi aliqui Turchi vel eorum Nuncii erunt, declinare contigerit, tibique illos et ipsi te in quibuscunque casibus etiam dicte sedi reservatis, quotiens opus fuerit, absolvendi, aliaque in premissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi, devotioni tue et illis auctoritate apostolica tenore presentium de predictis tamen plenam et liberam ad Quatriennium dumtaxat duraturam concedimus facultatem. Datum Mantue Anno Incarnationis dominice MCCCCLIX. Tercio Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia lib. V. fol. 180.

DIX.

Imperatorem pontifex valde increpat, quod ad res Hungaricas componendas Mantuam non venerit, nec oratores miserit.

PIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Friderico Romanorum Imperatori, salutem etc. Si quem inter mortales diligimus, qui non pauci sunt, novit deus, quod nullum amando tue Serenitati preferimus, a qua cum in minoribus ageremus, magnos favores atque honores accepimus. Si non fiunt a nobis omnia, que cupis, non est, cur imputes: voluntati aut potestas deest, aut honestas in contrarium nititur. Illud tamen excellentie tue persuasum esse debet, nos neque immemores susceptorum a te beneficiorum, neque ingrati animi esse; quod quidem senties, si nobis in apostolatu suo deus pacificum et diuturnum statum dederit, quantum nostra etas sinit: si qui tibi aliter suadent, neque te amant, neque nobis amici sunt. Hoc id certo commemoramus, quia videris aut nos parvi facere, aut nobis indignari, qui tuos oratores ad hunc Mantuanum conventum, in quo tertium iam mensem agimus, non miseris. Dolemus multis de causis: nam et reipublice christiane negotia pereunt, et te nobis adversari multi clamitant, qui, mittentibus aliis regibus, tuos oratores solus ipse negligas, cum tamen tua magis, quam aliorum intersit, adversus Turcos, ut cupimus, arma parari. Qui ratione Imperii tibi crediti primus esse debes communem utilitatem querens, et nunc potissime, postquam de regno Hungarie te intromisisti. Audimus multa, que aures nostras offendunt, et tuas lederent, si audires: clamant Cardinales, clamant Episcopi, clamant Regum et principum oratores: Quid facit Imperator? cur suos hic oratores non habet? Regem se Hungarie dicit, et in hoc conventu, in quo de salute illius regni agitur, nemo suo nomine apparet? adsunt ex ultimis Hispaniarum finibus Legati Regum, et vicinus Turcis Imperator neminem misit? aut publica negotia negligit, aut expensas timet, aut papam odit, qui ista procurat. Perstrepunt he voces dietim in auribus nostris: dolemus, angimur et tui causa et nostra; sed magis propter rempublicam christianam, que hoc modo perit. Respondemus, que putamus pro tuo et nostro esse honore; sed neque auditoribus, neque nobis ipsis satisfacimus, quia non potest veritas occultari. Nam quomodo possumus bene excusare tuorum absentiam oratorum? satisfecimus omnibus, quod non adveneris ipse; at quod oratores non miseris, quamvis colorare nitimur, nichil tamen proficimus. Non curaremus tamen obloquencium verba, si fides ipsa non lederetur, et christiana religio non negligeretur. Verum cum queramus in hoc loco publicam christiane religionis utilitatem, et Turcos repellere ab oppugnatione christianorum conemur, et in hoc tuum consilium atque auxilium necessa-

rium sit, dolemus vehementer, quod frustra conamur te notantes, qui cum per te ipsum, ut asseris, nobis convenire nequeas, per tuos saltem oratores hoc loco abesse non debueras. Scripsimus tibi, misimus oratores sepe diversis modis, ut circa hec provideres, te sumus hortati; nichil tamen profecimus. Nescimus, quod cause sit. Scimus, quia non desunt pecunie ad mittendos oratores, neque homines desunt, quos mittas, neque negotium est, quod debeas parvi facere: restat ut aliqua indignatus causa nobis, in hac parte nobis complaceas. Si sciremus, cur nobis succenseas, et culpa nostra id accideret, auferemus omnem causam; sed nichil conscii sumus. Ideo rogamus, ut bene cogites, et honori tuo nostroque consulas, nec reipublice christiane hoc tempore desis. Nos hic adhuc per duos menses perseverabimus, ne quid ex parte nostra desit. Interea petimus, oratores cum pleno mandato ad nos dirigas, cum quibus iuxta consilium tuum negotium hoc defensionis fidei concludere possimus. Erit autem nobis percarum intelligere, quem velis ducem exercitus Germanici fieri: nam illum nominabimus, de quo contentaberis, et illi signa crucis mittemus. Vellemus tamen, quod facile factu putamus, Germanie superioris principes tuis litteris ad nos venire, mandares maxime Albertum germanum tuum, Fridericum Comitem palatinum Rheni, Ludovicum Bavarie Ducem, Albertum Marchionem Brandeburgensem et Carolum Badensem; aliis vero iniungeres, ut oratores mitterent cum plena potestate. Cum his nos et oratoribus tuis ea prosequi studeremus, que Francfordie advisata fuerunt, et omnia cederent ad honorem tuum et reipublice christiane utilitatem. Hec ut prosequi velis, rogamus, nec permittas tamdiu tuos oratores abesse, quod nec tibi, nec nobis conducit. Quod si utique alio es animo, significa nobis, ne tempus incassum teramus, in hoc loco tuos expectantes. Sumus hic non sine gravibus expensis ac laboribus, neque sine periculo terrarum ecclesie. Si non possumus, ut cupimus, saluti communi consulere, deus, qui cogitationes nostras videt, et homines, qui facta inspiciunt, excusatos nos habebunt; non tamen desistemus, quin pro virili nostra reipublice assistamus et modis debitis officii nostri partes impleamus. Datum Mantue XXVII. Augusti. Anno primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. IX. fol. 71.

DX.

Dionysio cardinali Strigoniensi, ut causas inter capitulum Strigoniense et monasterium Petrivaradiense pendentes circa quasdam decimas decidat.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Dionisio tituli sancti Ciriaci in Thermis presbitero Cardinali, salutem etc. Ad apicem supreme dignitatis meritis licet insufficientibus evocati, pro submovendis inter ecclesiasticas etiam regulares personas litium dispendiis partes nostre solicitudinis interponimus et efficax studium adhibemus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli ecclesie Strigoniensis petitio continebat, quod orta dudum inter eos ex una et dilectos filios Abbatem et Conventum Monasterii Pechwaradiensis ordinis sancti Benedicti Quinqueecclesiensis diocesis partibus ex altera de et super decimis fructuum in monte Sasad, ac Wymal et Gombamal locis, ac signanter in predio Newegh et eius territorio Wesprimiensis diocesis excrescentibus, cuius predii decimas quelibet pars ipsorum Capituli et Abbatis et Conventus ad se de iure spectare, ac Capitulum huiusmodi se illis per ipsos Abbatem et Conventum spoliatos fore asserebant, prout asserunt, coram certo Commissario tunc Archiepiscopi Strigoniensis, non ex delegatione apostolica, materia questionis: ipse Commissarius in huiusmodi causa rite procedens petitorium suspendi, et in possessorio procedi debere interloquendo pronuntiavit, a qua pronuntiatione pro parte ipsorum Abbatis et Conventus ad Concilium, quod tunc in Basilea celebrabatur, extitit appellatum, et postquam causa ipsa in dicto Concilio coram diversis iudicibus inter partes ipsas agitata, ac etiam diffinitiva et interlocutoria sententia pro parte Capituli predictorum per ipsos iudices late, et executioni demandate usque ad invocationem brachii secularis inclusive fuerunt: tandem huiusmodi tam dictorum predii Newegh in vim rescriptorum apostolicorum cause, quam Woymal et Gombamal locorum reassumpte fuerunt, et tam in Romana Curia, quam extra etiam coram diversis auditoribus causarum palacii apostolici iudicibus et commissariis inter partes ipsas agitate, ac diverse super absolutione ad cautelam et pretensis attemptatis interlocutorie sententie prolate fecerunt, et causis huiusmodi coram dilectis filiis Magistro Bernardo Rovira capellano nostro et dicti causarum palatii apostolici auditore, et sancti Nicolai extra muros Civitatis Alberegalis et de Hancha prepositis dicte Wesprimiensis diocesis ex commissione nostra et predecessorum nostrorum indecisis pendentibus, prout in dictis et aliis rebus in actis designatis latius continetur, partes ipse considerantes,

quod eedem cause viginti annorum spatio circa vel ultra non sine earum maximis laboribus et expensis ventilate fuerant, cupientesque illas pocius amicabili compositione, quam rigorosa via terminare, et huiusmodi litibus finem imponere, spontaneis et liberis eorum voluntatibus deliberatisque animis in te, qui etiam ex concessione apostolica ecclesie Strigoniensi preesse dinosceris, Archiepiscopus Strigoniensis ac in Regno Ungarie sedis apostolice de latere et natus legatus, ac dictorum Capituli necnon Abbatis et Conventus immediatus superior existis, tamquam in arbitrum arbitratorem et amicabilem compositorem tam super dictis decimis, quam exinde emergentibus, incidentibus, dependentibus et connexis litibus, causis, querelis et controversiis sponte compromiserunt, dantes et concedentes tibi plenam liberam omnimodam potestatem, facultatem et auctoritatem in causa et causis huiusmodi summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, terminis non servatis, prout tibi melius visum foret expedire, omni die feriata, partibus et earum altera presentibus vel absentibus, pronuntiandi, arbitrandi, diffiniendi et arbitramentandi, multandi et precipiendi de alto et basso stando vel sedendo, in scriptis vel sine scriptis partem seu partes mulctandi, laudandi, pronuntiandi, seu sententiam arbitralem declarandi, interpretandi, corrigendi et reformandi semel et pluries; quodque si velut iudex vel arbiter de causa huiusmodi vel aliqua parte eiusdem cognoscere cepisses, seu questiones huiusmodi aut aliquam earum taliter terminasses, posses eas ceptas vel non ceptas tamquam arbitrator vel amicabilis compositor resumere, et de ipsis cognoscere et diffinire vel contra, et super pene commissione et aliis ad penas spectantibus et exinde dependentibus sub pena in eodem compromisso contenta: ac promiserunt ferende per te arbitrali sententie huiusmodi stare et acquiescere, et ab illa non reclamare vel appellationem prosequi, nec super ea litteras impetrare, neque uti impetratis, nec contra illam venire quoquomodo sub pena Centum Marcharum argenti puri, perditionisque et amissionis cause, et earum huiusmodi atque iuris per partem non observantem et sententie huiusmodi in aliquo contravenientem eo ipso committende et incurrende, quam pars contraveniens eo ipso incurreret, omnibusque et singulis exceptionibus et iuris beneficiis renuntiando, prout in quodam Instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem sicut eadem peticio subiungebat, tu compromisso huiusmodi in te sponte suscepto, sub pena in eo adiecta cognoscens, et in illam Abbatem predictum velut Monasterii administratorem incidisse declarans, attemptatorum et principalis negocii articulum, videlicet decimas concernentem intactum dimiseris inexpeditum, pro parte Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ne expedicio cause huiusmodi in principali amplius retardetur, tam coram dicto Bernardo et prepositis, quam aliis quibuscunque auditoribus, iudicibus et commissariis inter ipsos Capitulum ac Abbatem et Conventum occasione decimarum huiusmodi forsan pendentes causas ad nos advocare, illasque tibi iuxta formam dicti compromissi audiendas et terminandas committere, ac alias super hoc oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur omnes et singulas causas predictas quomodolibet et qualitercunque introductas, vel non, et ubique pendentes vel suspensas, illarum statum et merita presentibus pro expressis habendo, ad nos harum serie advocantes, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, Circumspectioni tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis coram te dictis partibus, causam et causas huiusmodi in principali summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta pro ius habente, prout partes in compromisso huiusmodi voluerunt, unica sententia, a qua nulli partium liceat appellare, expedias, et iam latam et ferendam per te sententias, sublatis appellacionum diffugiis, sub censuris ecclesiasticis exequaris et facias inviolabiliter observari cum supplectione deffectuum, si qui forte intervenissent in eisdem, omniaque alia in premissis et circa ea necessaria seu quomodolibet oportuna disponas et exequaris, prout secundum deum conscientie tue videbitur expedire, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stilo palatii apostolici, iuribus, compromisso et sententiis predictis, ceterisque contrariis quibuscunque; aut si Abbati et Conventui predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta tue iurisdictionis explicatio valeat quomodolibet impediri, et que quo ad hoc eisdem Abbati et Conventui nolumus aliquatenus suffragari. Datum Mantue etc. Pridie Non. Septembris. Anno II. Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. IV. fol. 112.

DXI.

Imperatori, ut tandem circa res Hungariae componendas oratores suos Mantuam mittat.

Imperatori.

Pius PP. II. Carissime in Christo fili, salutem etc. Licet alias per litteras nostras et nuntios hortati fuerimus Celsitudinem tuam ad ea implenda, que in hac dieta Mantuana debito et honori tuo conveniunt, tamen cum habeamus nuncii opportunitatem, libenter replicamus ea, que tociens scripsimus. Cum itaque, Carissime fili, ex omnibus ferme fidelium nationibus ad nos oratores convenerint, cum ducem Clivensem habeamus presentem, cum Mediolanensem et Mutinensem infra paucissimos dies indubie expectemus, cum ex tota Italia legationes iam assint, ex Gallia autem, et Anglia, et Britannia brevi sint affuture, et omnes in Celsitudinem tuam respiciant, mirantes, quod tui, qui primi esse debebant, non assint. Rogamus pro deo tuam Serenitatem, ut differre illorum missionem ulterius nolit, maxime cum nec rebus gerendis, nec extimacioni tue et nostre hec dilatio prosit. Habes insuper apud te tres nostros oratores, omnes pro facto fidei missos, hos, quesumus, votive expeditos ad nos quam primum remittas, et in toto hoc opere ita efficias, ut tota christianitas benedicere tibi et gloriam dare nomini tuo merito possit. Nos autem, etsi facta tua, quecumque futura sint, excusaturi semper pro viribus simus, tamen ubi res ipsa non apparebit, nescimus, quantam fidem habitura sit excusatio nostra. Datum Mantue vi. Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 76.

DXII.

Cardinali S. Angeli, ne cessante Turcarum invasione, subsidium xx. mill. ducatorum regi Hungariae promissum eroget.

Cardinali S. Angeli.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Circumspectio tua paupertatem Romane ecclesie, et sumptus ingentes, quos in manutenendis terris et celebranda dieta facere hucusque sumus compulsi, his autem non obstantibus, cum superioribus diebus de adventu Turcorum et periculo imminenti Regno Hungarie ex tuis litteris cognovissemus, commisimus tibi per alias nostras, ut viginti millia ducatorum in eam subvencionem exponeres, que tibi propediem essemus integre remissuri. Cum itaque postmodum intellexerimus, Turcum cum exercitu suo in Greciam se recepisse, et metum illum ac rem cessare, propter quem provisionem illiusmodi faciendam putavimus, si videret Circumspectio tua talem expensam necessariam ad opus non esse, gratissimum nobis esset, ut ab illa provisione distineres. Nos enim summam antedictam non levi onere mutuam cepimus. Et cum ventura estate alias provisiones facere intendamus, minori cum incommodo subire hoc onus possemus, utilius eciam iudicantes hoc subventionis corpus simul quam membratim exponi. Circumspectio tua, que presens est, et ex propinquo magis, quod opus sit, et quid vero sapienter intelligit, sequetur, quod melius iudicabit. Nos necessitatem nostram declarasse sumus contenti, qui non dubitamus, consules, quantum scies et poteris. Tractatum diete, duce altissimo, incipere intendimus: adsunt enim ex omnibus ferme Christifidelium nationibus et ex tota Italia oratores, conventurosque ante medium presentem mensem Mediolani et Mutine duces speramus; ex Gallia quoque et Anglia et Britannia solemnes legationes propediem aderunt. Concedat divina pietas, ut quod pro augmento catholice fidei et christianorum conservatione optamus, perficere cum his valeamus: a Circumspectione tua de omnibus, que istic aguntur, certiores fieri expectamus, mirantes, quamdiu litteras tuas non habuerimus. Datum Mantue viii. Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 76.

DXIII.

Epo Chanadiensi eiusque collegis, ut in causa Bernardi Ladislai contra filios quondam Thomae Zobny Transilv. dioec. priores sententias exsequantur.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Chanadiensi, et dilectis filiis maioris et collegiate beate Marie Waradiensium ecclesiarum prepositis, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Bernardi Ladislai de Dengelag laici Transilvanensis diocesis peticio continebat, quod orta dudum in par-

tibus coram officiali Waradiensi inter ipsum Bernardum actorem ex una, et quosdam Ladislaum, Thomam et Davidem filios et heredes quondam Thome Zobny de Dyozegy nuncupati, laicos diete Waradiensis diocesis, super nonnullis bonis et rebus aliis peraferualibus ac iuribus quartalitiis, serie, parte aut portione quarta certarum possessionum, et rebus aliis tunc expressis et illorum occasione partibus ex altera in prima instantia questionis, et causa ipsa tam in dicta quam Metropolitana Colocensi Curiis aliquandiu ventilata, tandem dictus officialis servatis servandis diffinitivam sententiam adiudicatoriam cum expensarum condemnatione pro dicto Bernardo et contra Ladislaum, Thomam et Davidem filios et heredes predictos promulgavit, nec non propter non solutionem expensarum, in quibus pars adversa in Curia Metropolitana condemnata extitit, eosdem Ladislaum, Thomam et David filios et heredes antedictos excommunicationis sententia innodavit: a qua quidem sententia dictus Metropolitanus proinde pretendens causam huiusmodi per appellationem ad eius examen devolutam, dictam partem adversam, prefato Bernardo aut ipsius legitimo procuratore non vocato de facto et nullatenus, absolvere attemptavit. Quare pro parte dicti Bernardi nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur litis pendentia, coram quocunque iudice pendeat indecisa, ad nos harum serie advocantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, vocatis Ladislao, Thoma et Davide filiis et heredibus predictis, et aliis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, causam pretense appellationis huiusmodi una cum negotio principali, ac omnibus et singulis emergentibus, incidentibus et connexis audiatis, cognoscatis et fine debito decidatis, seu unus aut alter vestrum audiat, cognoscat et decidat, et prout iustum fuerit, appellatione remota, decernatis, seu aliquis vestrum decernat, facientes, que decreveritis, per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis. Et insuper vobis aut alteri vestrum Ladislaum, Thomam et Davidem filios et heredes predictos in pristinas sententias reintrudendi, illosque aggravandi etiam cum appositione ecclesiastici interdicti, et omnia alia, que circa premissa vobis aut alteri vestrum necessaria seu quomodolibet oportuna videbuntur, agendi et faciendi ac exequendi, prout de iure fuerit, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod si a sententia vestra vel alterius vestrum, quam super appellatione huiusmodi et premissis omnibus fieri seu promulgari contigerit, aliquis quicunque sit ex predictis partibus appellaverit, dilectus filius noster Iohannes sancti Angeli diaconus Cardinalis seu Venerabilis frater noster Archiepiscopus Strigoniensis causam huiusmodi appellationis, et omnia premissa ille, ad quem appellatum fuerit, audiat, cognoscat et fine debito decidat. Non obstantibus premissis ac tam pie memorie Bonifacii PP. VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam Civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, seu ne iudices a sede apostolica deputati predicta aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque; aut si Ladislao, Thome et Davidi filiis et heredibus predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Mantue anno etc. MCCCCLVIIII. **Idibus Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.**

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. V. fol. 265.

DXIV.

Priori et fratribus S. Pauli primi eremitae in Hungaria ab ordinariis decimis persolvendis exemptio conceditur.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Priori et fratribus sancti Pauli primi heremite ordinis sancti Augustini in Ungaria et aliis partibus constitutis, salutem etc. Sacre religionis, super qua devotum et sedulum exhibetis altissimo famulatum, promeretur honestas, ut precibus iustis et rationabilibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicationibus, ut de vineis et terris, quas propriis manibus et sumptibus excolitis, seu eciam excoletis et excoli facietis eciam perpetuis futuris temporibus, necnon eciam de terris et possessionibus, quas iure hereditario vel alias iusto titulo obtinetis et possidetis seu possidebitis in futurum, et si forte vos vel successores vestros aliquas terras incultas inantea habere contigerit, ex quibus decime prius solute non fuerint, si illas ad culturam deducatis et excolatis seu excoli faciatis, ut prefertur, quod tunc eciam de

ipsis decimas, illis tamen per nos et successores nostros Romanos Pontifices imponendis dumtaxat exceptis, ullo unquam tempore tam vos quam successores vestri solvere minime teneamini, nec ad id a quoquam inviti compelli seu coarctari possitis aut possint, Constitucionibus et ordinacionibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, vobis et successoribus predictis auctoritate apostolica concedimus et eciam indulgemus per presentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et indulti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit etc. Datum Mantue Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, septimo Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. IV. fol. 166.

DXV.

Epo Vesprimiensi, ut rectori parochialis ecclesiae de Pentekel circa quoddam homicidium absolutionem etc. concedat.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Wesprimiensi, salutem etc. Sedes apostolica, pia mater, recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum libenter se propitiam exhibet et benignam. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Galli Andree rectoris parrochialis ecclesie de Pentekel tue diocesis peticio continebat, quod dum ipse alias videlicet de anno preterito metu latronum sive furum duas vestes suas in eadem ecclesia, cuius claves Demetrius, in illa perpetuus capellanus, tenebat, pro maiori tutela reposuisset, ipse vestes furtive ex eadem ecclesia postmodum subtracte fuissent, prefatus Demetrius metuens, ne hoc sibi ad culpam posset imputari, seu ad faciendum ipsi Gallo competentem emendam pro dictis vestibus cogeretur, sortilegium per quendam laicum, ignorante dicto Gallo, fieri procuravit, et cum sors super duas mulieres tunc per ipsum sortilegium notatas cecidisset, prefateque mulieres ad eundem Gallum accessissent seque vestes predictas minime furatas fuisse assererent, idem Gallus mulieres predictas ligari fecit ad hoc, ut furtum huiusmodi faterentur; tandem illis furtum ipsum commisisse omnino denegantibus, eas ab invicem separari iussit, altera vero dictarum mulierum absque voluntate vel consensu dicti Galli per quosdam laicos, volentes, ut illa furtum huiusmodi confiteretur, quibusdam tormentis afflicta fuit, quod sentiens Gallus ipse ambas mulieres predictas relaxari permisit; sed proh dolor! evenit, quod ipsa mulier predictis sic afflicta tormentis post aliquot horas ab hac luce decessit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Gallus de premissis doleat ab intimis, nec alias quam, ut prefertur, in morte dicte mulieris et aliis premissis fuerit culpabilis, cupiatque in sacris per eum susceptis ordinibus domino famulari, et illum pro salute anime eiusdem defuncte mulieris sepe numero exorare, pro parte Galli nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi et statui suo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod prefate sedis clementia non consuevit penitentibus beneficia denegare, ac volentes ipsum Gallum, alias apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, cum prefato Gallo, eo prius ad tempus, de quo tibi videbitur, a ministerio altaris suspenso, super irregularitate, si quam premissorum occasione contraxit, quodque in susceptis per eum sacris ordinibus ministrare libere et licite valeat, auctoritate nostra dispenses, omnem aboleas inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum dicta occasione contractam, non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Mantue Anno etc. mccccLIX. quinto Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. VI. fol. 76.

DXVI.

Alberto archidiacono Nitriensi, ut quemlibet sibi confessorem, qui eum plenarie absolvat, possit eligere.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Alberto Georgii Archidiacono Nitriensi in ecclesia Strigoniensi, decretorum doctori, salutem etc. Benigno sunt tibi illa concedenda favore, per que, sicut pie desideras, conscientie pacem et anime tue salutem deo propitio consequi merearis. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut confessor ydoneus, quem ad hoc elegeris, semel in vita dumtaxat, confessione tua diligenter audita, pro commissis per te, etiam si talia fuerint, propter que sit sedes apostolica merito consulenda, criminibus, excessibus et peccatis debitam tibi absolutionem auctoritate apostolica impendere, ac penitenciam salutarem iniungere, te ab omnibus et singulis excommunicationum,

suspensionum et interdicti sententiis, censuris atque penis, quibus tam a iure quam ab homine quacumque occasione vel causa promulgatis irretitus fueris, in foro conscientie eadem auctoritate absolvere, ac tecum super irregularitate, si quam huiusmodi sententiis, censuris et penis vel earum aliqua ligatus missas et alia divina officia celebrando, aut te illis immiscendo aut alias quomodolibet contraxeris, auctoritate predicta dispensare, omnemque inhabilitatis et infamie maculam per te premissorum occasione contractam abolere in foro conscientie tantum possit, eadem tibi auctoritate concedimus per presentes. Volumus autem, quod singulis, quibus occasione incursus sententiarum et penarum earundem vel ipsarum alicuius per te forsitan fuerit satisfacio impendenda, illa infra certum peremptorium ad hoc a dicto confessore statuendum terminum competentem per te rite fiat, alias eo defluxo et alias tibi super hoc non suffragante canonico impedimento, in pristinas eo ipso relabaris sententias, censuras atque penas. Et nichilominus, ut idem confessor, quem, ut prefertur, duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore (confessus) fueris, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei, unitate Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistenti prefata auctoritate concedere valeat, devotioni tue tenore presentium indulgemus; sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per heredes tuos, si tunc forte transieris, faciendam iniungas, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam sis aut reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si hactenus in nos vel predecessores nostros Romanos pontifices in ipsorum mandatorum contemptum, seu in apostolice sedis vel ecclesie libertatis offensam commiseris, aut ex confidentia remissionis huiusmodi forte committeres, quoad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur, quodque per unum annum a tempore, quo presens nostra concessio ad tuam noticiam etiam pervenerit, computandum singulis sextis feriis, impedimento legitimo cessante, ieiunes, quod si predictis feriis ex precepto ecclesie regulari observancia iniuncta penitencia, voto vel alias ieiunare tenearis, una alia die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum, ut premittitur, non sis astrictus, ieiunes, et si in dicto anno vel aliqua eius parte esses legitime impeditus, anno sequenti vel alias quam primum poteris modo simili supplere huiusmodi ieiunium tenearis. Porro si forsan alias prelibatum ieiunium in toto vel in parte quomodocumque adimplere commode nequiveris, eo casu confessor ydoneus, quem ad hoc elegeris, ieiunium ipsum in alia pietatis opera, prout anime tue saluti expedire viderit, commutare valeat, que tu pari modo debeas adimplere, alioquin huiusmodi nostra concessio in mortis articulo nullius sit roboris vel momenti. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Mantue Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, Quinto Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. V. fol. 126.

DXVII.

Archiepō Colocensi, ut de ecclesia Chanadiensi vallo etc. munienda inquirat, et capitulum partes suas ad id conferendas compellat.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Ad ea, que in ecclesiarum presertim Cathedralium et Christi fidelium utilitatem provenire conspicimus, libenter intendimus, illaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Alberti episcopi Chanadiensis peticio continebat, quod ipse propter incursus Turchorum, qui iam in metis seu terminis diocesis Chanadiensis plura Castra et munitiones occuparunt, prout occupant de presenti, ad corroborationem ecclesie Chanadiensis et Christi fidelium in propinquo existentium communem utilitatem eamdem ecclesiam vallo, fossis et muro munire proponit et intendit, ad quod Carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Hungarie illustris ex matura ipsius deliberatione consensus accedit, et quia Capitulum eiusdem ecclesie quasi dominium eiusdem civitatis Chanadiensis et bona a dicto Episcopo distincta habere dinoscitur, et si reparatio et munitio huiusmodi fiat, communem concernet utilitatem: quare pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis de oportuno subventionis auxilio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctas orbis ecclesias et Christi fideles in suis bonis et iuribus conservari, ac nostris potissime temporibus adaugere summopere desideramus, prefati etiam Regis consensum diligenter animadvertentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si

opus fuerit, ad locum, ubi reparatio seu munitio huiusmodi fieri debet, te ipsum personaliter conferas, et vocato Capitulo et aliis quorum interest, sine strepitu et figura iudicii de communi utilitate et reparationis huiusmodi sumptuum quantitate te ipsum diligenter informes, et summarie diligenti informatione habita, per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia eidem Capitulo auctoritate nostra iniungas, ut ipsum Capitulum illam quotam seu pecuniarum quantitatem, prout secundum eorum ratam et illius loci partem vel alias tibi visum fuerit, solvere dictumque locum munire seu ad reparationem et munitionem predictas, ut prefertur, auxilium prestare teneantur, necnon ipsum Capitulum ad solutionem reparationis et munitionis huiusmodi pro quota ipsos tangente realiter, et cum effectu faciendam per censuras et remedia supradicta eadem auctoritate cogas et compellas, prout fraternitati tue videbitur expedire. Volumus autem, quod si ab aliqua partium huiusmodi a sententia tua ad nos seu sedem apostolicam, aut alium quemcunque appellari contigerit, quod appellatio huiusmodi ad venerabilem fratrem nostrum Dyonisium tituli sancti Ciriaci in Thermis presbiterum, et Iohannem sancti Angeli diaconum Cardinales in Regno Hungarie sedis apostolice Legatos, seu alterum ipsorum tenore presentium devolvatur, et alter dictorum Cardinalium appellationis causam huiusmodi cognoscat, et unica sententia terminet ac debito fine decidat et exequatur, a qua quidem sententia ab aliqua partium predictarum appellare non liceat. Nos enim tibi ac etiam eisdem Cardinalibus, si a sententia tua appellari contigerit, omnia et singula super premissis et quolibet premissorum, que tibi et eisdem Cardinalibus, si a te appellatum fuerit, ut prefertur, necessaria videbuntur seu quomodolibet oportuna, agendi, faciendi et disponendi, excommunicandi, aggravandi et reaggravandi, ac exequendi plenam et liberam auctoritate prefata harum serie concedimus facultatem, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam pie memorie Bonifacii PP. VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, quam aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque; aut si Capitulo predicto vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Mantue anno incarnationis dominice MCCCCLIX. Quinto Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. IV. fol. 223.

DXVIII.

Epo Varadiensi eiusque collegis, ut in cives Cibinienses, qui Albertum epum Chanadiensem oratorem regium cum sociis captivarunt, inquirant et sententias ferant.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Varadiensi, et dilectis filiis maioris ac Beate Marie Virginis de Castro Varadiensium ecclesiarum prepositis, salutem etc. Iustis et honestis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Alberti episcopi Chanadiensis petitio continebat, quod ipse tunc prepositus Agriensis et Vicecancellarius bone memorie Ladislai Regis Hungarie, cum pro tractanda concordia inter ipsum Regem et dilectam filiam Illustrem mulierem Elizabeth relictam quondam Iohannis de Hunyad olim Regni Hungarie Gubernatoris, et alios destinatus ab eodem Rege fuisset, quidam Oswaldus Magister civium ac Ladislaus parvus Iudex, Melchior Aurifaber, Laurentius Turold, Nicolaus Rewson, Stephanus Agatha, Petrus Mulnar, Bartholomeus Nyrew, Petrus Buznar, Bartholomeus Pictor, Iohannes Feder, Georgius Gerhard, Antonius Magar, Paulus Chuwner, Stephanus Flaznar, Ludwegh Medicus, Nicolaus Sygler de Megyes, Thomas Aurifaber, Nicolaus Sellipar, Benedictus Brathon et multi alii incole et habitatores opidi Cibiniensis, numero sexingenti et ultra, nomine communitatis eiusdem opidi lanceis, balistis et arcubus in ipsum et eius familiam et societatem irruerunt, et ipsum extra portam repertum ac eius familiam captivos duxerunt, et distractis ac eorum rebus per vim ablatis, quatuordecim diebus captos tenuerunt, et quondam Iohannem Nadebon prefate Elizabeth familiarem cum uno famulo eiusdem Iohannis, qui pro conductione oratoris dati fuerunt, particulatim mutilarunt et interfecerunt, nec non unum etiam ex Notariis Regis tunc cum prefato Episcopo existentem in horribiles carceres detruserunt, qui ex fetore carceris infectus octava die expiravit, penas a iure in talibus promulgatas temerarie incurrendo. Quare pro parte dicti Episcopi no-

bis fuit humiliter supplicatum, ut ne tot delicta remaneant impunita, super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur premissa diligenter animadvertentes, ac ne malefactores huiusmodi in eorum malicia glorientur, et ut ecclesiastica libertas in suo iure conservetur, quantum cum Deo possumus, providere volentes, discrecioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, vocatis omnibus quorum interest, et causa cognita ex officio ac per inquisitionem, quatenus publicum interesse ecclesiasticum concernit, et per accusationem dicti Episcopi quoad iniurias, damna et interesse de premissis informetis, et si ea vera esse reppereritis, aut alter vestrum repperit, contra prefatos omnes et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, et in executione nominandos ad declarationem excommunicationis aut eius denuntiationem, et ad condemnationem penarum et punitionem huiusmodi criminum apostolica auctoritate procedatis, ac prout iuris fuerit faciendum, eadem auctoritate decernatis seu alter vestrum procedat et decernat, facientes, quod decreveritis aut alter vestrum decreverit, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, simili censura, appellatione cessante, compellatis testimonium veritati perhibere. Volumus autem, quod si ab aliquo seu aliquibus a sententia vestra, aut alicuius vestrum ad nos seu sedem apostolicam, aut alium quemcunque appellari contigerit, quod appellatio huiusmodi ad Venerabilem fratrem nostrum Dyonisium tituli sancti Ciriaci in Thermis presbiterum, et Iohannem sancti Angeli diaconum Cardinales in Regno Hungarie sedis apostolice Legatos, seu alterum ipsorum tenore presencium devolvatur, et alter dictorum Cardinalium appellationis causam huiusmodi cognoscat, et unica sententia terminet, a qua nulli partium liceat appellare, ac debito fine decidat et exequatur. Nos enim vobis et cuilibet vestrum, ac etiam eisdem Cardinalibus, si a sententia vestra aut alicuius vestrum appellari contigerit, omnes prefatos malefactores et iniuriatores corrigendi, puniendi et castigandi, ac omnia et singula super premissis et quolibet premissorum, que vobis aut alteri vestrum videbuntur, aut eisdem Cardinalibus, si a vobis aut aliquo vestrum, ut prefertur, appellatum fuerit, agendi, faciendi, disponendi et exequendi plenam et liberam auctoritate prefata harum serie concedimus facultatem. Non obstantibus tam pie memorie Bonifacii PP. VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dictam a fine sue diocesis, ad iuditium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, quam aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque; aut si iniuriatoribus predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iuditium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Mantue anno etc. MCCCCLIX. quinto Id. Octobris. Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. IV. fol. 223.

DXIX.

Dionysio S. Cyriaci et Ioanni S. Angeli cardinalibus in regno Hungariae Apostolicae Sedis legatis, ut in causa Alberti epi Chanadiensis et Georgii de Sebes de praepositura Agriensi inquirant et decidant.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Dionisio tituli sancti Ciriaci in Thermis presbitero et Iohanni sancti Angeli diacono Cardinalibus, in Regno Hungarie apostolice sedis Legatis, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Alberti Episcopi Cenadiensis petitio continebat, quod alias, videlicet de anno incarnationis dominice MCCCCLVIII. de mense Iunii, Venerabilis frater noster Ladislaus Episcopus Agriensis dilectum filium Georgium de Sebes canonicum Agriensem in propositura ecclesie Agriensis, quam idem Albertus Episcopus dudum ante promotionem suam ad dictam ecclesim Cenadiensem canonice assecutus fuerat, et eius pacificam possessionem tenuerat, quamque fe. re. Calistus papa III. predecessor noster per suas litteras, que eciam coram nobis exhibite extiterunt, accedente ad hoc consensu dilecti filii Nobilis viri Michaelis Zylagy de Horogzewg, qui tunc Regnum Hungarie, absente adhuc Carissimo in Christo filio nostro Mathia Rege Hungarie noviter electo, gubernabat, et in eodem Regno ius et potestatem Regiam exercebat, eidem Alberto Episcopo tempore promotionis sue ad dictam ecclesiam Cenadiensem reservando, quoad idem Albertus Episcopus viveret,

commendaverat, sicque ad eum huiusmodi prepositura legitime spectabat et pertinebat, prout spectat et pertinet de presenti, temere et de facto intrusit, eundem Albertum Episcopum prepositura sua huiusmodi similiter et de facto spoliando. Et deinde idem Ladislaus Episcopus Agriensis, missis et destinatis per eum quibusdam Ladislao presbitero et Benedicto de Ders laico Agriensis diocesis, familiaribus suis, cum nonnullis aliis complicibus ad domum seu Curiam prepositure Agriensis predicte, hominibusque ipsius Alberti Episcopi Cenadiensis, qui in ipsa domo seu Curia nomine eiusdem Alberti Episcopi tunc existebant, violenter eiectis et expulsis, universas res et bona in eadem domo et Curia existencia auferri fecit et procuravit: perperam et inique huiusmodi bonis et rebus sic, ut premittitur, ablatis, idem Ladislaus Episcopus Agriensis dicto Georgio Sebes intruso possessionem domus et Curie prepositure predicte violenter tradidit et assignavit, seu tradi et assignari fecit et mandavit similiter et de facto: quarum quidem intrusionis, traditionis et assignationis pretextu ipse Georgius intrusus preposituram ipsam ab eo tempore circa detinuit occupatam, prout detinet et occupat de presenti, fructus, redditus et proventus ex ea provenientes percipiendo et levando, et in usus suos convertendo, in anime sue periculum dictique Alberti Episcopi preiuditium, dampnum et gravamen. Quare pro parte dicti Alberti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi et statui suo super premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de circumspectione vestra plurimum in domino confidentes, eidem Circumspectioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, vocato dicto Georgio, de premissis vos ipsos diligenter informetis, seu alter vestrum se diligenter informet, et si vera esse reppereritis aut alter vestrum reppererit, dicto Alberto Episcopo prius, prout ante spolium huiusmodi erat, simul cum fructibus post spoliationem huiusmodi perceptis ante omnia, prout de iure fuerit, restituto, tandem causam huiusmodi audiatis et debito fine decidatis, ac summarie, simpliciter et de plano, ut prefertur, iustitiam faciatis, seu alter vestrum causam ipsam audiat et debito fine decidat et iustitiam faciat, Contradictores et intrusos seu intrudendos auctoritate nostra cum censuris et penis, earum appellatione postposita, compescendo. Ac si vobis aut alteri vestrum expediens videatur, eidem Episcopo Agriensi primo ingressus ecclesie interdicatur, ac a regimine et administratione ecclesie sue Agriensis in spiritualibus et temporalibus suspendatur, demumque ad ecclesiasticas censuras graviores, si opus fuerit, procedatur. Quod si ab altero vestrum, qui de causa prefata cognoverit, ad nos et sedem apostolicam vel alium quemcunque appellari contigerit, alter vestrum de appellatione huiusmodi eadem auctoritate cognoscat, cuius sententie stari debere, nec ab ea quacunque ratione vel causa appellari posse tenore presentium statuimus et ordinamus, et exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etiam predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque seu procedere, sive alii vel aliis vices suas committere presumant, et aliis apostolicis Constitutionibus ceterisque contrariis quibuscunque; aut si Episcopo et Canonico prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Mantue Anno incarnationis dominice MCCCCLIX. quinto Id. Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. IV. fol. 225.

DXX.

Universis Christifidelibus ecclesiam B. Mariae de Bogard Vesprim. dioec. visitantibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia, quibus regina celorum virgo dei genitrix sedibus prelata sidereis, quasi stella matutina perrutilat, devote considerationis indagine perscrutamur; dumque etiam infra peccatoris arcana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie, mater gratie, pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, que delictorum onere pregravantur, sedula exoratrix et pervigil ad regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias in honorem sui nominis dedicatas gratiosis prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus honoremus. Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia beate Marie loci de Bogard Vesprimiensis diocesis, que de iure patro-

natus dilecti filii Nicolai Bodo preposito ecclesie collegiate in Albaregali et Carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Hungarie Illustris vicecancellarii existit, congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint uberius se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis beate Marie et dedicationis eiusdem parrochialis ecclesie festivitatibus prefatam parrochialem ecclesiam devote visitaverint annuatim, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus in perpetuum valituris. Datum Mantue Anno etc. MCCCCLIX. Quinto Kal. Octobris. Pontific. nostri Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. IV. fol. 368.

DXXI.

Dionysio cardinali Strigoniensi, ut causam Io. Stock praepositi contra quosdam canonicos Scepusienses audiat et terminet.

PIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Dionisio tituli sancti Ciriaci in Termis presbitero Cardinali Strigoniensi, in Regno Hungarie apostolice sedis legato, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Iohannis Stock prepositi ecclesie Collegiate sancti Martini in Scepus, et Andree Capi Cantoris et Luce Sigismundi de Strigonia Custodis Strigoniensis diocesis petitio continebat, quod dum alias dictus Iohannes Stock prepositus dilectos filios Canonicos et Capitulum dicte ecclesie Scepusiensis, cuius ipse caput existit, ut in illa prout iuxta statutorum ordinationem, fundationem et institutionem prebendarum et beneficiorum, que inibi obtinebant, divina officia celebrarent, debitamque sibi obedientiam et reverentiam uti prelato eorum exhiberent, ac ad ordines sacros se promoveri facerent, sub excommunicationis et aliis tunc expressis sentenciis et censuris et penis monuisset, et ab huiusmodi monitionibus pro parte dictorum Canonicorum et Capituli ad te, qui etiam tunc ecclesie Strigoniensi ex concessione apostolica presidebas, appellatum fuisset: tu volens partes ipsas concordare, et cognoscens appellationes ipsas frustratorias esse, mandasti eisdem Canonicis et Capitulo, ut preposito predicto obedirent et simul pacem et concordiam facerent, ac ipsi preposito, ut absolveret Canonicos et Capitulum huiusmodi, qui mandatis dicti prepositi non paruerant, et propterea tam per te quam per prepositum predictum excommunicati extiterant, cuius mandati vigore idem prepositus aliquos ex dictis Canonicis, videlicet maiorem partem Capituli, veniam petentibus absolvit; sed dilecti filii Iohannes Messingsloer de Lewteza tunc Cantor et Guideramus Christiani de Kesmarckt assertus custos eiusdem ecclesie spiritum rebellionis assumentes, ab eadem ecclesia se absentarunt et ad Castra Bohemorum prope dictam ecclesiam sancti Martini existentium se transtulerunt, et eorumdem Bohemorum auxilio et favore suffulti quandam domum in loco Capitulari dicte ecclesie manu armata invadere seu incastellare procurarunt, unde dictus prepositus post universas alias eisdem rebellibus per eum factas monitiones et requisitiones, ut a premissis desisterent, et debita servicia eis et eorum dignitatibus incumbencia debito fine adimplerent, tandem eis in pertinatia et rebellione persistentibus, ac mandata, requisiciones et moniciones dicti prepositi vilipendentibus, Iohannem Messingsloer de Lewteza videlicet Canturatu et Guideramum Christiani de Kesmarckt predictos custodia, quos in eadem ecclesia tunc obtinebant, ordinaria auctoritate sententialiter privavit, et ab illis realiter amovit, necnon de Canturatu Andree de Capi et de custodia huiusmodi Luce Sigismundi prefatis eadem auctoritate providit. Postmodum vero rebelles ipsi, confectis certis eorum appellationibus, ad sedem apostolicam recursum habuerunt, et huiusmodi suarum appellationum causam et causas, quibus prefati Capitulum coram Notario publico et testibus fidedignis renuntiaverant, tam pro eis quam pro toto Capitulo communiter et divisim cum negotio principali, dilecto filio Magistro Iohanni Didaci de Coca, capellano nostro et causarum palacii apostolici Auditori, committi obtinuerunt, citationem ad partes executioni postmodum demandatam, que in Io. Stock prepositi, Andree de Capi Cantoris et Luce Sigismundi Custodis predictorum et diversorum Canonicorum de Capitulo prefato, ac aliorum ecclesiasticorum et secularium et circa viginti personas executioni mandata fuit, dicitur devenisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, rebelles ipsi dicte ecclesie ac preposito et Canonicis predictis damna intulerunt, ac per cavillationes et litium anfractus nituntur prepositum, Canonicos et Capitulum ac alios predictos laboribus et expensis fatigare, de meritis quoque causarum et rebellionis huiusmodi melius in partibus illis, quam in Romana Curia liquere possit: quare pro parte tam prepositi, quam Andree de Capi et Luce Sigismundi custodis ac Capituli et Canonico-

rum, necnon aliorum ad huiusmodi causam et causas vocatorum, quorum nomina habeantur pro expressis, asserentium dictum Iohannem defunctum fore, nobis fuit humiliter supplicatum, ut tam ipsam ad nos advocare et illam in partibus illis committere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur status ac merita cause et tenores aliorum premissorum pro expressis habentes, ipsamque causam et causas ad nos harum serie advocantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium, vocatis dictis rebellibus et aliis, qui fuerint evocandi, causam ipsam in statu debito resumens, illam ulterius summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audias et fine debito termines, faciens, quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Preterea volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod si a te ad nos et sanctam sedem apostolicam appellari contigerit, quod appellatio huiusmodi ad dilectum filium Iohannem sancti Angeli Diaconum Cardinalem in dicto Regno Hungarie sedis apostolice legatum talis appellatio devolvatur, qui causam appellationis huiusmodi cognoscat, et unica sententia terminet, a qua nulli partium liceat appellare, ac debito fine decidat, decernentes omnes et singulas appellationes in huiusmodi causa et causis alias interponendas frivolas et inanes nulliusque existere firmitatis. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, aut si predictis rebellibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sede sit indultum etc. Datum Mantue anno etc. MCCCCLIX. octavo Id. Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. IV. fol. 237.

DXXII.

Ioanni Stock praeposito ecclesiae collegiatae S. Martini Scepusiensis licentia conceditur testandi.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Stock preposito ecclesie Collegiate sancti Martini in Scepus Strigoniensis diocesis, salutem etc. Quia presentis vite conditio statum habet instabilem, et ea, que visibilem habent effectum, tendunt visibiliter ad non esse: tu hoc salubri meditatione premeditans diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut de bonis tuis undecunque non per ecclesiam seu ecclesias tibi commissas, alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, que tamen non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, seu alicui speciali earundem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata, nec non de quibuscunque aliis bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias et beneficia tua licite acquisitis pro decentibus et honestis tui funeris expensis et remuneratione illorum, qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei sive alii, iuxta servitii meritum, moderate tamen, disponere et erogare, ac alias in pios et licitos usus convertere possis, prius tamen de omnibus predictis bonis ere alieno et hiis, que pro reparandis domibus seu edificiis consistentibus in locis ecclesiarum vel beneficiorum tuorum culpa vel negligentia tua seu procuratorum tuorum destructis vel deterioratis, nec non restaurandis aliis iuribus earundem ecclesiarum et beneficiorum deperditis ex culpa vel negligentia supradictis fuerint oportuna, deductis, plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem; decernentes omnes et singulos, qui te vel heredes tuos super hoc publice vel occulte aut alias quomodolibet indebite impedire presumpserint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrere. Volumus autem, quod in eorundem ecclesiasticorum dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga ecclesias, a quibus eadem recepisti, te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit, et anime tue saluti videris expedire. Datum Mantue anno etc. MCCCCLVIIII. quintodecimo Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. VI. fol. 218.

DXXIII.

Universis Christi fidelibus praedictam ecclesiam S. Martini et capellam S. Andreae visitantibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ante thronum divine maiestatis fideles Christi sanctorum piis adiuti suffragiis ad eorum celebranda festiva solennia eo debent ferventius incitari, quo talium patronorum fulciti presidiis potiora retributionis pre-

mia valeant promereri. Unde nos more pastoris vigilis oves nostre cure commissas, quas cupimus in superna patria collocari, ad ipsorum sanctorum trahimus libenter obsequia, ut eos in conspectu domini devota veneratione collaudent. Cum itaque, sicut accepimus, Collegiata ecclesia sancti Martini in Scepus Strigoniensis diocesis, ut antiquis constat privilegiis, olim Cathedralis extitit, et propterea Christifideles illarum partium devotionis causa confluant libenter ad eandem, ipsaque ecclesia in suis structuris, fabricis et edificiis reparatione, nec non pro emendis et manutenendis paramentis et aliis ad divinum cultum ipsiusque ecclesie ornatum necessariis expensa indigeat non modicum sumptuosa, ad quam faciendam ipsorum fidelium suffragia sint quamplurimum oportuna: Nos cupientes, ut etiam ipsa congruis honoribus frequentetur, ac in eisdem structuris, fabricis, edificiis, et aliis ad divinum cultum necessariis debite reparetur, restauretur, conservetur et manuteneatur, ipsique fideles eo libentius devotionis causa ad illam confluant, ac ad huiusmodi reparationem, restaurationem, manutentionem paramentorum et aliorum necessariorum ad dicti divini cultus conservationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui prefatam ecclesiam in die Cene Domini et eiusdem beati Martini ac ipsius ecclesie dedicationis festivitatibus, ac Capellam sancti Andree Apostoli in Cimiterio predicte ecclesie situatam in eiusdem beati Andree festo devote visitaverint annuatim, ac ad huiusmodi reparationem, restaurationem, emptionem, manutentionem paramentorum et aliorum necessariorum divino cultui in predictis ecclesia S. Martini et Capella S. Andree conservationem manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet Cene Domini et singularum festivitatum predictarum diebus ac eorum octavis septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam et Capellam, vel ad reparationem, restaurationem, manutentionem et conservationem prefatas manus adiutrices porrigentibus, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgencia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Mantue anno etc. MCCCCLIX. quintodecimo Kal. Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. IV. fol. 236.

DXXIV.

Privilegia praedictae ecclesiae S. Martini Scepusiensis confirmantur.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii debitum nos excitat et ipse rationis ordo exposcit, ut ea, que pro venustate ac commodo et honore singularum ecclesiarum et prelatorum earumdem ex rationabilibus causis processerunt, ac etiam animarum salutem honestatemque concernunt, et hactenus approbata sunt, ne in contemptionem deveniant, apostolico munimine, cum a nobis petitur, propensius solidemus. Sane pro parte dilecti filii Iohannis Stock prepositi ecclesie sancti Martini in Scepus Strigoniensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod per antiqua privilegia ac instrumenta publica constat, qualiter, que nunc Collegiata est, olim Cathedralis, et propterea illius prepositus pro tempore existens ex antiqua, approbata ac prescripta consuetudine omni anno videlicet in Cena Domini ante summam missam in maiori porta dicte ecclesie, multitudine populi confessi de loco predicto Scepus congregata iuxta predictam consuetudinem, cum suis paramentis et solemnibus orationibus et aliis ad hoc pertinentibus et consuetis semel dumtaxat solemniter et alias omni die, quando necesse fuerit, per se vel eius Vicarium in Episcopalibus casibus auctoritatem habet absolvendi, ac in Capitulum et Clerum nec non populum utriusque sexus eiusdem loci plenam iurisdictionem ordinariam, in spiritualibus et temporalibus videlicet iudicandi, instituendi, confirmandi, infirmandi, destituendi, visitandi, corrigendi, inquirendi, excommunicandi, et censuris ecclesiasticis coercendi, sententias fulminandi et relaxandi, sinodum convocandi, caritativum subsidium petendi, ac omnia alia et singula, que iurisdictionis sunt spiritualis, exercendi, prout in quodam instrumento publico seu litteris contentis inde confectis, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur; sic quod Capitulum, Clerus et populus predicte ecclesie subiecti sub omnimoda iurisdictione in spiritualibus preposito Scepusiensi pro tempore existenti de antiqua consuetudine pleno iure fore dinoscuntur, nullumque alium preter ipsum prepositum in eorum superiorem habere recognoscuntur, et ipsi preposito tamquam eorum immediato superiori obedientiam et

reverentiam debitas exhibere consueverunt. Quare pro parte dicti Iohannis prepositi nobis fuit humiliter supplicatum, ut consuetudinem predictam ac illam concernentia omnia et singula in instrumento seu litteris predictis contenta, ad hoc, ut maioris roboris firmitatem obtineant, confirmare et approbare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, consuetudinem ipsam ratam et gratam habentes, illam ac omnia et singula in instrumento seu litteris predictis contenta huiusmodi, et quecunque inde secuta, prout rite et iuste processerunt, auctoritate apostolica tenore presentium approbamus, ratificamus et confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, ipsamque consuetudinem, sicut hactenus est observata, perpetuis futuris temporibus observandam fore decernimus et declaramus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre approbationis, ratificationis, confirmationis, communitionis, constitutionis et declarationis infringere etc. Si quis etc. Datum Mantue anno Incarnationis dominice MCCCCLIX. XV. Kal. Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. IV. fol. 238.

DXXV.

Capitulo Strigoniensi certa sententia arbitralis contra abbatem et conventum Petrivaradiensem confirmatur.

PIUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Quotiens super re aliqua arbitramentalis sententia profertur, ne illa malignantium temeritate valeat immutari et in scrupulum recidive contemptionis redire, eam convenit apostolico munimine roborari. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum canonicorum et capituli ecclesie Strigoniensis petitio continebat, quod orta dudum inter ipsos canonicos et capitulum ex una, ac dilectos filios nunc Petrum modernum et antecessores suos Abbates pro tempore et conventum monasterii Pech-Waradiensis ordinis sancti Benedicti Quinqueecclesiensis diocesis, iurisdictionis vero spiritualis Strigoniensis partibus ex altera, de et super quibusdam decimis in monte Sasad ac pertinenciis eiusdem Wymal et Gombamal locis, et signanter de quodam predio Newegh et eius territorio proventibus occasione parrochialis ecclesie sancti Andree Apostoli prope Budam Wesprimiensis diocesis excrescentibus, quas decimas quelibet pars ipsorum capituli ac Abbatis et conventus ad se de iure spectare, et capitulum huiusmodi se illis per ipsos Abbatem et conventum spoliatos fore asserebant, prout asserunt, coram certo commissario tunc Archiepiscopi Strigoniensis, non ex delegatione apostolica, materia questionis, ipseque commissarius in huiusmodi causa rite procedens petitorium suspendi et in possessorio procedi debere interloquendo pronunciavit, a qua pronunciatione pro parte ipsorum Abbatis et conventus ad concilium, quod tunc in Basilea celebrabatur, extitit appellatum, et postquam causa ipsa in dicto concilio coram diversis iudicibus inter partes ipsas agitata, ac etiam diffinita et interlocutorie sententie pro parte capituli predictorum per ipsos iudices late ac executioni demandate usque ad invocationem brachii secularis inclusive fuerunt, tandem in vim rescriptorum apostolicorum cause huiusmodi tam dictorum predii Newegh, quam Wymal et Gombamal locorum reassumpte fuerunt, et tam in Romana curia quam extra, etiam coram diversis auditoribus, coram palacii apostolici iudicibus et commissariis inter partes ipsas agitate, ac diverse super absolucione ad cautelam et pretensis attemptatis interlocutorie sententie prolate fuerunt, et causa huiusmodi coram dilectis filiis Bernardo Rovira causarum palacii auditore, ac sancti Nicolai extra muros civitatis Alberegalis et de Hancha prepositis ecclesiarum predicte Wesprimiensis diocesis ex commissione apostolica indecisa pendente, prout de predictis et aliis rebus in actis cause designatis latius continetur, partes ipse considerantes, quod eedem cause viginti quatuor annorum spacio citra vel ultra non sine eorum magnis laboribus et expensis ventilate fuerant, cupientesque illas potius amicabili composicione quam rigorosa via terminare, et huiusmodi litibus finem imponere, spontaneis et liberis eorum voluntatibus deliberatisque animis in dilectum filium nostrum Dionisium tituli sancti Ciriaci in Termis presbiterum Cardinalem, qui ecclesie Strigoniensi ex concessione apostolica preesse dinoscitur, in Regno Ungarie apostolice sedis de latere natumque legatum, ac dictorum canonicorum et capituli nec non Abbatis et conventus immediatum superiorem, tamquam in arbitrum arbitratorem et amicabilem compositorem tam super dictis decimis, quam exinde emergentibus, incidentibus et dependentibus et connexis litibus, causis, querelis et controversiis sponte cum plena potestate compromiserint: qui quidem Dyonisius Cardinalis, compromisso huiusmodi in se sponte suscepto, per suam arbitramentalem sententiam decrevit, pronunciavit, declaravit et arbitratus fuit, prefatum Petrum Abbatem et administratorem dicti conventus, suis negli-

gentia et contumacia exigentibus, penas et obligamina, puta amissionis cause et causarum predictorum et centum marcharum argenti fini, ut in compromisso dictum erat, dictis canonicis et capitulo prefatis terminis nominatis in compromisso contentis satisfacientibus et observantibus integraliter applicandi et cedendi, applicarique et cedere deberi, incidisse et incurrisse, ac in eisdem convictum extitisse, prout in quibusdam publicis instrumentis desuper confectis, quorum tenores pro expressis habentur, plenius continetur. Postmodum vero cum arbitralis sententia seu Laudum et arbitramentum huiusmodi nulla provisione aut contradictione suspensa in rem transivisset iudicatam, prefatusque Abbas et conventus confingentes se ab ipsa sententia appellasse ad impediendum viis et modis exquisitis executionem dicte sententie seu Laudi et arbitramenti huiusmodi, causam dicte pretense, licet conficte appellationis, dilecto filio magistro Bernardo Rovira canonico Valentinensi et causarum palatii apostolici auditori committi, ac desuper citationem cum inhibicione ad partes contra arbitrium ac capitulum et canonicos predictos, quamquam nulliter et de facto, ut dicitur, decerni obtinuissent: Nos dictam causam per alias nostras litteras ad nos advocavimus et illam in sui certa parte in statu debito resumendam iuxta dicti compromissi tenorem certo iudici in partibus commisimus cum potestate iam latam antedictam et ferendam, sublatis appellationum diffugiis, sententias exequendi, prout eciam in aliis nostris litteris super hiis concessis plenius continetur. Quare pro parte dictorum canonicorum et capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad hoc, quod sententia arbitralis ac Laudum et arbitramentum huiusmodi maioris roboris obtineant firmitatem atque illibata persistant, et ne sententia ipsa, que, ut prefertur, in rem transivit iudicatam, in futurum deducatur in contemptionis scrupulum, compromisso Laudo et sententie huiusmodi ac omnibus et singulis in dictis instrumentis contentis, et inde secutis quibuscumque pro illorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, compromissum, sententiam arbitralem ac Laudum et arbitramentum huiusmodi, ac omnia et singula in dictis instrumentis contenta et inde secuta quecunque rata et grata habentes, illa omnia et singula, sicut alias rite processerunt, auctoritate apostolica tenore presentium ratificamus, approbamus, roboramus et confirmamus, supplentes omnes et singulos defectus tam iuris quam facti, si qui forsan in processu et sententia quomodolibet intervenerint in eisdem, non obstantibus inhibitione et commissione ac litteris huiusmodi et aliis premissis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque; aut si Abbati et conventui predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem Nulli ergo etc. nostri ratificationis, approbationis, roborationis, confirmationis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Mantue anno etc. MCCCCLIX. quinto Kal. Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. VI. fol. 342.

DXXVI.

Provisio nationis Germanicae in comitiis Mantuanis facta et imperatori per pontificem transmissa.

Provisio Germanica. Ad habendum felicem prosecutionem negocii diffensionis fidei Catholice oratores serenissimi domini Imperatoris ac Illustrium sacri Imperii principum offerunt, imperialem maiestatem dominosque suos in conducendo valido exercitu, videlicet decem millia equitum et triginta duo millia pedestrium, contra Turchos, hostes fidei, una cum aliis principibus et communitatibus nationis Germanice facturos, et impleturos ea omnia et singula capitula, prout in dictis precedentibus, videlicet in Franchfordio et in Nova Civitate Austrie, pro expeditione huiusmodi exercitus per eos facta, advisata et oblata sunt.

Verum quia prosecutioni huius sancti negotii nonnulla impedimenta obstare videntur, petunt a sanctissimo domino nostro, quatenus Sanctitas sua certam dietam infra hinc et proximam quadragesimam ad oppidum Imperiale Nurimbergense pro conventione principum et communitatum nationis Germanice indicat, et legatum apostolicum cum potestate pacem componendi, et treguas imperio statuendi mittat, qui etiam una cum his, quos serenissimus dominus noster Imperator illuc miserit, et principibus imperii aut eorum oratoribus de modis et ordine expeditionis, faciendique equam taxam impositionis quatuor personarum ad exercitum mittendarum, nec non pacem, ut premittitur, componendi et treguas indicendi tractet et ordinet.

Item quod prefatus sanctissimus dominus noster ad tollendum dissidium inter gloriosissimum dominum nostrum Imperatorem et Mathiam de Huniad Comitem Bistricensem in Regno Hungarie exortum, utque securus transitus per idem Regnum haberi possit, ex nunc statuat aliam dietam infra hinc et festum pasce in Curia Imperiali tenendam, in qua Principes et Comites Imperii per se aut suos oratores compareant, de premisso transitu aliisque ad necessariam provisionem exercitus requisitis tractaturi, quodque illic etiam adsit legatus de latere sedis apostolice cum plenaria facultate ad premissa necessaria, qui prefatum dominum Imperatorem et suos principes de classe navali certificare possit et certificet.

Hanc cedulam mox, ut lecta et audita est, sanctissimus dominus noster una cum reverendis dominis Cardinalibus acceptavit, et dietas supradictas indixit, primam videlicet Nuremberge in prima dominica quadragesime, secundam in Curia Imperiali in dominica passionis per predictos et modo predicto tenendas ac celebrandas. Acta hec fuerunt in Palacio apostolico XIX. Decembris MCCCCLIX. et ponatur in libro Cancellarie de mandato Domini nostri pape.

R. VICECANCELLARIUS.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 95.

DXXVII.

Imperatori de oratoribus Mantuam tandem missis pontifex gratulatur, quaeque in reipublicae commodum statuta fuere, notificat

Imperatori.

PIUS PP. II. Carissime in Christo fili, salutem etc. Postquam Maiestatis tue dignissimi oratores cum mandato ad cuncta, propter que dieta Mantuana per nos congregata fuit, comparuerunt cum optimis instructionibus, res diete secundum nostra desideria cum ipsis et aliis principum Alemannorum oratoribus ad conclusionem perducta est, quam nos Celsitudini tue mittimus interclusam: de qua quidem felici conclusione deo in primis, et deinde tue Maiestati gratias ingentes agimus, cum nemini nisi tue Serenitati huiusmodi expeditio attribui possit. Et quoniam ad nos spectat, ut in copia patet, dietas duas, unam in Nuremberga pro dominica Invocavit, aliam in tue Maiestatis curia pro dominica Iudica in passione, undique intimare, et prelatos, principes ac communitates invitare, uti et facere intendimus: hortamur in primis Serenitatem tuam, ut conclusionem atque dietas cum suis locis et statutis temporibus grate acceptes, et pro ipsarum dietarum congregatione imperatoriam adhibere velis diligentiam, quantocius prelatos, principes et communitates, ut ad dietas veniant, imperialibus preceptis advocando, et suo tempore in Nurembergam solemnes oratores mittere festines, ita ut in ipsius diete initio assint, qui cum nostro et apostolice sedis Legato, quem ibi reperient, omnia agenda feliciter exequantur, et omnibus peractis, ob que ibi conventio fiet, mox ad tuam Celsitudinem simul se conferant, ut his ordinatis et rite premissis, compleatur in tua presentia tocius sancti propositi directio. Quod si Celsitudo tua non ita cito posset ex curia sua oratores transmittere, hortamur et rogamus, ut alicui ex illis, qui hic fuerunt, et ituri ad eam dietam sunt, committere ipsam legationem quantocius velis, ne auctoritas tue Sublimitatis in tanto reliquorum conventu deficiat: credimus vel Epum Eistetensem vel Marchionem Badensem aptissimos ad eam rem esse, qui personam tuam illic representent. Datum Mantue XXII. Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 92.

DXXVIII.

Cardinali S. Angeli legato cardinalem Bessarionem in perfungenda legatione coadiutorem pontifex mittere annunciat, mandatque, ne ex Hungaria discedat.

Cardinali S. Angeli.

PIUS PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Partim ex litteris nostris, partim ex his, que oratores hic presentes ad Regiam Serenitatem continue scribunt, intelligere tua Circumspectio potuit, que acta et conclusa sunt in Mantuana dieta, quemadmodum, videlicet natio italica decimas ecclesiasticorum, vigesimas Iudeorum et trigesimas laicorum libenter acceperit, Germanica triginta milia peditum, equitum decem, cum decimis indulgentiisque obtulerit; quemadmodum etiam Burgundie dux peditum quatuor et equitum duo milia suo tempore in armis futura contra Turcos promiserit; denique etiam ut inter regnum Francie et Anglie dietam unam in Coloniensi, vel Leodiensi, vel Avinionensi, vel etiam Met-

tensi civitate ad proximum Iohannis Baptiste festum pro componenda pace vel treguis simul cum Legato nostro tenendam habendamque obtulerimus, et ad complementum huius boni in dies, quod possumus, sine intermissione operemur, mittentes nunc etiam ad decimas exigendas et ad parandam viam huiusmodi tractatibus venerabilem fratrem nostrum Episcopum Veronensem; modo autem de his, que ad Germaniam attinent, visum est tue Circumspectioni per nostras litteras noticiam facere. Cum videremus, dilecte fili, quante utilitatis esset presentia tua in Regno Hungarie, non solum ad componendam pacem inter eos, qui dissenserunt a Rege, et in hunc diem forte dissentiunt, sed ad confirmandos animos eorum, qui quotidianam vim sustinent, ad paranda etiam omnia oportuna contra frequentes Turcorum excursus, non iudicavimus sine ruina rerum posse te et in Hungaria et in Germania uno tempore curare, que sunt oportuna. Cognoscebamus nil actum esse tantorum operum studio, nisi Germanorum cesset dissensio, inter quos etsi superioribus mensibus presentibus nuntiis nostris pax quedam videretur recepta, cum tamen non omnium ex parte fuerit stabilita sicut debebat, non magnopere est illi fidendum, neque sperandum suspicionibus undequaque urgentibus posse cum libertate exercitum fieri ac duci. Nesciebamus quoque quam facile posses inter Imperialem Celsitudinem et Regem Hungarie non solum propter locorum distanciam, sed etiam propter ea, que tu nobis tacentibus per te ipsum intelligis, fructum ullum convencionis afferre. Qua una in re totum huius sancte expeditionis onus reponimus; propterea communicato sepius cum fratribus nostris consilio, ad dietas duas, primam in Nuremberga, alteram in Curia Imperiali tenendas, quas poscentibus Alamanis eis in locis indiximus, legatum duximus destinandum. Electus itaque est Venerabilis frater noster Bessarion, Episcopus Tusculanus, sacre Romane ecclesie Cardinalis Nicenus, vir non solum ad hec opera propter virtutem idoneus, sed propter plurima summe affectus. Hortamur itaque in domino Circumspectionem tuam, et per eam, qua tibi afficimur, caritatem requirimus, ut quoniam, quod tu in ista tua legatione non pompam neque ambitionem unquam spectasti, sed dummodo bene res fierent, per quem fierent non attendisti, mirari non velis novum legatum nunc mitti, venit non emendator, sed coadiutor actorum tuorum, venit ad eam nacionem, ad quam Circumspectio tua non sine damno Regni Hungarie potest accedere, venit denique ea mente hisque mandatis instructus, ut in omnibus sapiens et diu iam probatum consilium tuum sequatur: nolumus successorem Legationis datum tibi existimes, cum in te uno reposita omnis nostra sit spes, eadem Legatio, que tibi antea fuerat, nunc quoque est eadem, suffragatorem habes, non socium, et in dies magis cognoscet Circumspectio tua vera esse, que dicimus; non est mens nostra, neque voluntas, ut opus tot annorum gloriose per te continuatum nunc derelinquas. Si quando, dilecte fili, pro honore apostolice sedis et defensione gregis dominici obtulisti te, hostiam deo nunc offerre impensius debes, cum omnia parari ad salutem cognoscis; si quando etiam labores tui et vigilie salutares fuerunt, esse certe nunc maxime expedit, cum bene agendi spes aucta est atque occasio. Scimus hec per te ipsum cognosci, et supervacuas nostras monitiones esse, cum nichil retrahere animum tuum a sancta intentione nunquam potuerit: verum sollicitat nos salus communis et debitum, quo deo astringimur, videntes, si nichil in tanto rerum apparatu fiat, inexpiabilem plagam toti christiano populo imminere. Proinde labora et vigila, et sinceritate nostra contentus ad publicam salutem, sicut hactenus fecisti, totam mentem accommoda: benignitas nostra et in quotidianis operibus tuis subventio nunquam, quoad poterimus, tibi deficient. Optamus Circumspectionem tuam huic sancte expeditioni et sedi predicte incolumen diu servari. Datum Mantue x. Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 104.

DXXIX.

Eidem narrat, quae pro rebus Hungariae componendis Mantuae egerit, mandatque, ut exequantur.

Cardinali S. Angeli.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Licet per superiores litteras nostras potuerit Circumspectio tua summam rerum, que hic concluse sunt, intelligere, nichilominus in reditu oratorum Regie Serenitatis plenius cuncta cognosces. Nos, deo teste, nichil omisimus, quod nostra possibilitas tulerit, et quamvis maiora a principibus christianis speraverimus, nichilominus talia sunt, que promissa habemus, ut si impleantur, videatur adiutorio dei victoria esse in manibus. Noscis ex litteris apostolicis, quas secum afferunt oratores, provisiones factas in ipsa dieta, confidentes quotidie quoque accessionem boni aliquam te auditurum. Intelligimus ex ultimis tuis proxime acceptis, que de studio nostro scripsit

Cenadiensis Episcopus, que etiam Prelati et Barones Regni de bona voluntate nostra confirmant, hoc summe nobis est gratum, et certe etiam vera opinio: Omnipotens deus, cuius causa agitur, cor nostrum confirmet, et videre sinat fructus optatos. Auxilia, que Regia Serenitas et ipsi Barones cupiunt, intelligere ex ipsis oratoribus et nostris litteris scient: Nos, quoniam ex promissis aliorum pendemus, certam, quam vellemus, spem offerre non possumus; confidimus tamen promissa ipsa in tempore affutura, et ut adsint, conatus nostros omnes vertemus, continuam et indefessam operam pollicemur, curaturi pro viribus nostris, ut intelligant omnes, apostolicam sedem et Romanam ecclesiam non defuturam Regi nec Regno. Pacem autem vel treguas inter Imperialem Celsitudinem et Regiam Serenitatem, quam vere fundamentum omnium putas, operam dabimus per tuam et Cardinalis Niceni circumspectionem toto posse tractari, et iam certos ex nostris ad Imperatorem premisimus, qui ad hoc agendum Serenitatem suam arctius stringant. Placet nobis quoque, quod iam de conducendis copiis nostro nomine cogites, et ut ita facias, sedulo hortamur, intendentes, si nobis servabuntur promissa, implere, quod tibi alias scripsimus. De thesaurario, que postulas, et custodia pecuniarum, sequemur consilium tuum: de iis quoque, que sunt apud dilectum filium nobilem virum Comitem Segnie, curare volumus tuam Circumspectionem, ut ad futurum stipendium una cum ceteris, que mittentur, tute asserventur. Responsiones autem Regias ad postulata nostra plene intelleximus, et gratas habemus. Curabimus, ut in cunctis adsit studium nostrum atque provisio, et ea fiant, que sunt oportuna. Cetera ex iisdem oratoribus intelliget Circumspectio tua, cuius labores et continuam curam haud satis digne laudare possumus. Conservet te nobis et huic sancto operi omnipotens deus: plura propter discessum nostrum autem scribere non valemus. Datum Mantue XVIII. Ianuarii (anno nativitatis dominice) 1460. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 106.

DXXX.

Mathiae regi Hungariae, ut quae sapienter in comitiis Mantuanis pro pace inter ipsum et imperatorem componenda, et ad Turcos repellendos statuta fuere, exequatur.

Pius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Mathie Regi Hungarie Illustri, salutem etc. Si oratores tui ad te redeuntes fideles relatores esse voluerint, sicut eos futuros confidimus, inveniet Serenitas tua a nobis nichil diligencie et studii in hoc sancto Religionis nostre opere defuisse, laboravimus supra vires et pene totum orbem desiderio nostro implevimus, octavum prope mensem in hoc conventu Mantuano sedentes et quotidianis litteris principes christianos ad nos evocantes: non invenimus, fatemur, eum zelum, quem sperabamus, nec opinioni nostre officia fidelium responderunt; conclusa tamen, operante altissimo, multa sunt, atque preclara, neque adventus huc noster fuit inanis. Seriem vero omnium ex eisdem oratoribus plene intelliges, quorum virtus et assiduitas atque adeo singularis in te fides plurimum est commendata: sunt tamen, que principes potentatusque obtulerunt eiusmodi, ut si in eis permanserint, sicut confidimus, explorata pene sit spes omnia ad honorem dei feliciter successura. Mittimus ad nacionem Germanicam in executionem sue pollicitationis Venerabilem fratrem nostrum Bessarionem Episcopum Tusculanum, sancte Romane ecclesie Cardinalem Nicenum, nostrum et apostolice sedis legatum. Curabit Circumspectio sua pacem vel treugas inter dissidentes illic stabilire, curabit promissum exercitum fieri, et in primis tuam et imperialis Celsitudinis dissensionem, in qua tota vis rei consistit, accedente sapiente opera legati apud te nostri, oportunis modis componere. Cum itaque, Carissime fili, oportunitatem precipuam habeas non solum ad liberandum Regnum Hungarie ex quotidianis hostium incursibus, sed ad parandam tibi et posteris commendationem perpetuam, hortamur pro deo, et requirimus, ac toto corde obtestamur eandem Celsitudinem tuam, ut occasionem hanc divinitus datam non pretermittas, sed ad omnia hec peragenda mentem atque animum accommodes; precipue autem in tractatu concordie ita te reddas, ut per Serenitatem tuam non stetisse appareat, quominus tam salutare bonum locum habuerit. Erit debitum tibi, erit beneplacitum deo aliquid in honorem suum de iure tuo remittere, ad quod etiam cum Imperialem Celsitudinem simus semper hortati, etiam nunc exhortemur. Velit bonitas tua, quod ad se attinet, cum laude amplecti. Nos ex iis, que contrahere in presidium fidei studio nostro poterimus, tibi tuisque non minus libenter quam largiter subveniemus, videbisque omnibus in rebus sedem apostolicam et Romanam ecclesiam tibi non defuturam, certiora, cum ex alieno pendeant arbitrio, promittere non valentes; unum tamen hoc volumus, Serenitas tua firmissimum habeat, nos totis viribus nostris daturos sedulo operam, ut sperata

auxilia mittere tibi in hoc opus possimus, et ita esse recenter promittimus. Excitet ergo te ad hanc sanctam expeditionem recordatio Genitoris tui defuncti, qui hac una ex re plus quam ex ceteris eternum nomen sibi adinvenit, cuius operibus non respondere non satis esset tibi laudabile, presertim cum ad illius vires regiam insuper dignitatem addideris. Super conditionibus autem ab oratoribus tuis in securitatem traducendi exercitus postulatis et aliis, que oportuna fuerunt visa, idem Legatus ad Alemaniam missus plenum mandatum apportat, atque utinam sic pax vel tregua statui in vestris dissensionibus possit, ut cetera, que ad commode et secure conducendos exercitus pertinent, feliciter et facile dirigantur. Ipsos oratores tuos tamquam de te optime meritos, et nobis propterea caros eidem tue Serenitati etiam atque etiam commendamus. Datum Mantue XVIII. Ianuarii 1460. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 96.

DXXXI.

Praelatis nec non baronibus etc. regni Hungariae, quae Mantuae pro pace concilianda statuta fuere, annunciat, mandatque, ut ea religiose exsequantur.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus nostris et dilectis filiis universis et singulis prelatis, Baronibus, Nobilibus et proceribus ac toti Communitati Regni Hungarie, salutem etc. Quia Regii oratores, qui sedulo in Mantuana dieta nobiscum fuerunt, poterunt devotioni vestre cuncta exponere, que tractata et conclusa pro defensione fidei hactenus sunt: ideo nos longius scribendi onus non sumimus, confidentes, quod in suis relationibus erunt fideles, et hoc melius voce quam nos scripto poterunt explicare: preclara tamen sunt, et non contemnenda, que a christianis principibus ac potentatibus sunt in hoc opus promissa, et licet maiora expectaremus, videmus tamen, si hec servabuntur omnia, domino adiuvante, feliciter successura. Misimus ad nationem Germanicam legatum nostrum de latere, qui pacem stabiliat inter principes, qui concordiam inter Imperialem Celsitudinem et Regiam Serenitatem componat, qui demum promissum exercitum congreget, et quo pacto traduci cum securitate Regni et omnium possit, mature provideat. His ergo sic preparatis, cum det altissimus magnam oportunitatem liberandi vos et subditos vestros a continuo hostium metu, et nanciscendi gloriam sempiternam, eandem devocionem vestram hortamur in domino, et per eam, quam Religioni christiane pietatem debetis, toto corde obtestamur, ut quantum in vobis est, provisiones debitas adiuvetis, et bonam spem habeatis. Nam et principes ipsos ac potentatus servaturos credimus, que promiserunt, et apostolica sedes ac Romana ecclesia iuxta vires suas hanc sanctam expeditionem et necessitates regni non deseret: reliqua ex eisdem oratoribus intelligetis, quos tanquam de Rege et Regno et fide catholica in hoc sancto Conventu optime meritos et nobis acceptos commendatione ac gratia vestra dignos censemus. Datum Mantue XXIX. Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 96.

DXXXII.

Regi Hungariae pontifex per suum legatum XL. mill. ducatorum in subsidium contra Turcos tradere promittit.

Regi Hungarie.

Pius PP. II. Carissime in Christo fili, salutem etc. Venit ad nos dilectus filius Georgius Policarpus cum credentialibus litteris, et circa factum Turcorum nonnulla nomine Celsitudinis tue exposuit, in quibus diligenter et cum fide se habuit, nichil omittens, quod ad officium boni servitoris pertineat. Respondimus ei ad singula, prout tua Serenitas ex sua et legati nostri, cui plenius scribimus, relatione poterit intelligere, rogantes, ut post tot labores usque in presentem diem susceptos, post constantem etiam animum diu cum laude retentum, nunc cum de successu rerum melius sperare licet quam antea, nolit deficere. Nos enim casu, quo ventura estate provisiones maiores non possint fieri, de quibus tamen non desperamus, curabimus, deo volente, et ita promittimus, ut sint brevi in manibus prefati legati nostri XL. milia ducatorum, quorum auxilio, si que difficultates a Turcis urgebunt, possit pro nunc instanti periculo obviari. Non dubitamus, quin dietim grandiora presidia sint affutura, et Serenitas tua ex constanti proposito suo gaudium susceptura: ad que nos peragenda vires nostras omnes et animam denique, si ita necesse erit, pro salute omnium animarum parati sumus conferre. Datum Senis XX. Februarii 1460. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 176.

DXXXIII.

Archiepō Strigoniensi eiusque collegis mandatur, ut in monasterio monialium in insula Danubii ord. S. Augustini iuxta insertam eiusdem pontificis bullam dat. Senis xv. Kal. Aprilis Anno I. perpetuum instituant vicarium.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Vesprimiensi ac Vaciensi Episcopis, salutem etc. Ut inter eterne beatitudinis amatrices, que habitu sacre religionis assumpto uni viro Christo Domino se voto celebri desponsarunt, valeat iuxta votum quies mentis proficere, ac inter eas regularis observantia stabiliri, tante propensionis equum est illas attollere gratiis et earum pia proposita confovere, et ita providere, quod indebitis molestiis atque damnis non afficiantur, ne eorum bona dilapidentur, quanto eiusdem sexus fragilitas ad sustinendum onus dicte religionis auxilio petitionis noscitur indigere. Nuper siquidem a nobis emanarunt littere tenoris subsequentis. Pius etc. Ad futuram rei memoriam. In eminenti apostolice sedis specula divinitus constituti pro statu religiosarum personarum quarumlibet, presertim feminei sexus, a quibus subtrahi decet omnem turbationis et inquietudinis materiam, salubriter dirigendo, libenter partes nostre solicitudinis adhibemus, ut earum quies a cuiusvis oppressionis iugo servetur illesa, personas ipsas libenter prerogativa favoris apostolici communimus. Sane pro parte Carissimi in Christo filii nostri Mathie Hungarie Regis illustris, et dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Elizabeth eius genitricis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet Hungarie Reges predecessores sui, qui pro tempore fuerunt, Monasterium monialium Insule Danubii alias Leporum ordinis sancti Augustini Vesprimiensis diocesis fundaverint seu dotaverint, nec non Priorissa, que pro tempore fuerit, et dilecte in Christo filie Conventus Monasterii eiusdem per Priorissam gubernari soliti sub protectione Regum ipsorum satis quietam et tranquillam vitam ducere, et sub clausura perpetua altissimo vota sua sinceris animis persolvere consueverint; tamen a nonnullis temporibus citra propter suorum superiorum et fratrum ordinis predicatorum, sub quorum cura degere solite sunt, diversitatem, eorumdemque superiorum et fratrum crebras, etiam nulla necessitate urgente, visitationes aliasque varias eorum molestias et onera dilecta in Christo filia moderna Priorissa et Conventus prefati adeo frequentibus molestiis exagitate fuere, ut huiusmodi vota sua tranquillis animis altissimo reddere nequiverint, ipsumque Monasterium propterea in reputatione gentium minus extiterit, quam antea consueverit. Quare pro parte Regis et Elizabeth predictorum asserentium, quod tam dil. filius noster Iohannes S. Angeli diaconus Cardinalis de latere nostro, quam et Ven. frater noster Archiepūs Dyonisius Strigoniensis apost. sedis Legati dilectam in Christo filiam Annam Priorissam dicti monasterii auctoritate legationis huiusmodi, ad intercessionem dicte Elizabeth, in ipsius Monasterii Priorissam instituerunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut Priorissam et Conventum pro earum honestiori et tranquilliori statu, nec non Monasterium predicta apostolice sedi immediate subiicere, et ut Monasterium ipsum per industriam et exemplarem vitam prefate Anne perpetuo reformetur et dirigatur, illam in ipsius Priorissam perpetuo instituere, aliasque super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religiosarum personarum quarumlibet, et presertim quarum vita nobis per tales principes commendatur, statum prosperum et tranquillum paterno zelamus affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, Priorissam et Conventum, Monasteriumque predicta cum personis in eo degentibus, nec non Vassallis et Colonis eiusdem presentibus et futuris, earumque rebus mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac iuribus et pertinentiis universis, que ipse et ipsi in presentiarum legitime possident, et in futurum, prestante domino, iustis titulis poterunt adipisci, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione et correctione dilectorum filiorum generalis et provincialium, reliquorumque priorum et prelatorum dicti ordinis fratrum predicatorum et quorumcumque aliorum ordinariorum et iudicum, salvo patrocinio et iure dicti Regis in ipso Monasterio, auctoritate apostolica tenore presentium eximimus et perpetuo liberamus, illaque in ius et proprietatem beati Petri et sedis prefate, ac sub illorum protectione suscipimus atque nostra, illaque decernimus prefate sedi immediate subiacere; ita, quod generales, provinciales, priores, prelati iudicesque predicti, aut alia quevis ecclesiastica aut mundana persona, quacunque prefulgeat dignitate, in Priorissam et Conventum, ac personas et Vasallos, Colonos, iura et bona predicta, utpote prorsus exempta, non possint ratione contractus rei, de qua agitur, aut aliqua quavis occasione excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias promulgare, seu iurisdictionem aliquam exercere. Et insuper prefatam Annam in ipsius Monasterii, cuius fructuum, redituum et proventuum veros valores annuos presentibus haberi

volumus pro expressis, Priorissam, quoad vixerit, instituimus, ac de persona sua eidem Monasterio providemus circa regimen et administrationem eiusdem, sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Voluimus autem, quod prefatus generalis, aut eius commissarius, qui in Regno Hungarie predicto fuerit constitutus, Priorisse pro tempore existenti et monialibus, personisque dicti Monasterii aliquem idoneum religiosum dicti ordinis fratrum predicatorum, prefate Elizabeth, dum vixerit, et deinceps Regine Hungarie pro tempore existenti gratum et acceptum, in earum confessorem, et quo ad spiritualia dumtaxat vicarium, qui alias de regimine et administratione bonorum temporalium dicti Monasterii se nullo modo intromittat, singulis annis, vel bienniis aut trienniis, prout eis videbitur, deputare teneatur. Cui quidem confessori et vicario nos omnia et singula, que provincialis prior illius provincie facere et gerere posset, quo ad spiritualia dumtaxat, faciendi, citra tamen potestatem sine causa legitima fulminandi censuram ecclesiasticam, nec non unum vel duos socios dicti ordinis assumendi et secum habendi, et si eis per Priorissam et Conventum prefatas id demandatum fuerit, onus procurationis dicti monasterii suscipiendi, nec non priorem provincialem et reliquos bonorum dicti monasterii occupatores, dilapidatores, seu ipsius Monasterii et Priorisse iniuriatores in ius coram loci ordinario, aut alio competenti iudice vocandi, ac eidem ordinario de causis huiusmodi etiam contra priores et personas dicti ordinis fratrum predicatorum cognoscendi, et quo ad illas plenam in eos iurisdictionem exercendi, necnon ipsi Priorisse pro tempore existenti, ut procuratoribus aliisque officialibus et scriptoribus, ac carpentariis et aliis personis necessariis et domesticis dicti monasterii, de quibus sibi rationabiliter videbitur, monasterium ipsum sine cuiusvis pene incursu, urgente causa, ingredi possint, licentiam impartiri libere et licite valeat, auctoritate predicta earundem tenore presentium litterarum concedimus pariter et facultatem, decernentes eundem confessorem et vicarium, dum huiusmodi vicariatus fungeretur officio, similibus exemptione et libertate gaudere, nec non irritum et inane, quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus, nec non privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis prefato ordini fratrum predicatorum et personis eiusdem ab apostolica sede concessis, quorumcumque tenorum fuerint, statutis quoque et consuetudinibus Monasterii et ordinum predictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre exemptionis, liberationis, susceptionis, constitutionis, voluntatis, institucionis, concessionis et decreti infringere etc. Si quis etc. Datum Senis anno Incar. dominice MCCCCLVIII. XV. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno I. Cum autem, sicut pro parte Regis et Regine predictorum fuit nobis expositum, Patres predicti eisdem Priorisse et Monialibus Vicarium, prout in eisdem litteris fuit expositum, pro eo maxime, quod ipse Priorissa et Moniales exemptionis privilegio huiusmodi gaudere noscuntur, deputare recusent, quamvis pro parte Priorisse et Monialium loco et tempore congruis fuerint humiliter requisiti, ac quidam ex fratribus predictis diversa bona ad prefatum Monasterium spectantia hactenus dilapidarunt, nonnulli alii iniquitatis filii villas, possessiones et diversa alia bona mobilia et immobilia dicti Monasterii temere occupare et detinere, necnon prefatis Priorisse et Monialibus contumelias et iniurias inferre non formidant, in animum suarum periculum ac dicti Monasterii gravem iacturam, pernitiosum quoque exemplum et scandalum plurimorum. Quare pro parte Priorisse et Monialium predictarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut quieti et oportunitati earum super hiis oportune providere paterna caritate dignaremur. Nos igitur, ad quos pertinet, super hoc adhibere vigilantie nostre curas, cupientes, ut predicte nostre littere plenum sortiantur effectum, ipsisque Priorisse et Monialibus non Triennalis, sed ad vitam Vicarius deputetur, ac adversus dilapidatores, detentores, presumptores et iniuriatores huiusmodi illo volentes prefatis Priorisse et Monialibus remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus per vos vel alium seu alios litteras predictas ac omnia et singula in eis contenta, ubi et quando expedire videritis, necnon pro parte Priorisse et Monialium huiusmodi fueritis requisiti, solenniter publicantes, faciatis Priorissam Moniales et Monasterium huiusmodi pacifica litterarum et contentorum predictorum possessione frui atque gaudere. Et nihilominus tu, frater Epe Vespriniensis, moderno et pro tempore existenti provinciali provincie et ord. predictorum sub excommunicationis pena late sententie, quam si inobediens et negligens fuerit, incurras eo ipso, auctoritate prefata precipias atque mandes, ut eisdem Priorisse et Monialibus Vicarium, qui sit vite et conversationis honeste, et qui facultatem alias in

omnibus et per omnia habeat, prout in eisdem litteris continetur, deputare, ipseque Vicarius officium ipsum sub eadem pena acceptare, et cum uno aut duobus fratribus, prout tibi, Episcope, videbitur, ad prefatum Monasterium accedere, et inibi moram trahere debeat et teneatur. Preterea Priorisse et Monialibus predictis efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eas ac Monasterium huiusmodi quoad predictarum ac presentium litterarum continentiam atque formam, salva limitatione Vicarii huiusmodi, quomodolibet molestari, nec eis contumelias, iniurias vel offensas irrogari. Et insuper omnia et singula bona mobilia et immobilia dicti Monasterii, que per fratres ipsos vel quoscunque alios alienata inveneritis illicite vel distracta, ad ius et proprietatem ipsius Monasterii revocare procuretis, facturi Priorisse et Monialibus predictis, cum ab eis vel pro parte eorum fueritis requisiti, de predictis vel aliis quibusvis personis super restitutione villarum, possessionum, eorumdem reddituum quoque et proventuum et aliorum quorumcumque bonorum mobilium et immobilium prefati Monasterii, necnon de quibusdam molestiis, iniuriis, contumeliis atque damnis presentibus et futuris, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas negotiorum exegerit iusticie supplementum, occupatores, dilapidatores, detentores, presumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque et quotienscunque expedierit, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus fe. re. Bonifacii PP. VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra Civitatem vel diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere presumant, ac de duabus dietis in Concilio generali, nec non de personis ultra certum numerum ad iudicium non evocandis, ac etiam quod de aliis, quam de manifestis iniuriis et violentiis, aut aliis, que iudicialem requirunt indaginem, penis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adiectis, Conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque Constitutionibus, que vestre iurisdictioni seu potestati eiusque libero exercicio possent quomodolibet obviare, necnon litteris forsan a nobis emanatis seu emanandis, super eo maxime, quod fratres ipsi de Monasterio ac Monialibus predictis nullatenus impediant, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa mencio presentibus habenda foret, vel alias sub quacunque verborum forma concessis et concedendis contrariis quibuscunque; seu si provinciali, fratribus, Vicario, occupatoribus, iniuriatoribus et molestatoribus predictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, vel quibusvis aliis privilegiis, indulgenciis generalibus vel specialibus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus et eadem auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, quodque a dat. presentium si de vobis ac cuilibet vestrum in premissis omnibus et singulis, certis et non certis, presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus et singulis ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, et pro premissis procedere, ac si predicta omnia et singula per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitissent, Constitutione super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Datum Senis Anno etc. MCCCCLIX. nono Kal. Martii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. VIII. fol. 84.

DXXXIV.

Fratribus Minoribus de observantia in vicariis Dalmatiae et Bosniae conceditur, ut vinum, lignum aliaque necessaria ab infidelibus ad sufficientiam accipere possint.

PIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis universis fratribus ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum in Vicaria Bosne constitutorum presentibus et futuris, salutem etc. Dum fidem sinceram et magnum devotionis affectum, quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam, diligenter attendimus, ac fructus uberes, quos in militante ecclesia hactenus perduxistis, et in dies perducere non desinitis, paterna consideratione pensamus, dignum esse arbitramur, ut ea vobis favorabiliter concedamus, quod

vestris necessitatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque, sicut accepimus, inter infideles et neophitos commorantes absque certis benefactorum vestrorum provisionibus ibidem permanere nequiretis, quia partes ille ita situate sunt, quod oportet vos per loca spatiosa discurrere, cum ibidem nulle Civitates, sed tantum ville et parva opida habeantur; et quia ad omnipotentis Dei laudem, et divini cultus augmentum nonnulli locorum illorum domicelli servitores seu rusticos suos, quandoque duos, quandoque tres, quandoque sex deputare consueverunt, quandoquidem servitores seu rustici de ipsorum domicellorum mandato vobis ad loca huiusmodi a partibus remotis bladium, vinum, ligna et alia necessaria portando ministrare, nec non vos in quibusdam locis equos, boves et asinos pro necessitate vestra servare consuevistis: sed cum puritate regule vestre tales provisiones convenire non videantur, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut statui et huiusmodi necessitatibus vestris et alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur premissa diligenter attendentes, ac vos in religione et sinceritate vestra confovere volentes, vobis per deputatos huiusmodi de vino, blado, lignis et animalibus ac aliis necessariis predictis provideri, vosque absque scrupulo conscientie vestre omnia premissa libere et licite pro necessaria tantum sustentatione vite vestre recipere possitis et valeatis, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ordinis vestri statutis et consuetudinibus, eciam iuramento, confirmatione apostolica aut quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque, eciam si de ipsis eorumque totis tenoribus presentibus habenda foret mencio specialis. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Senis Anno Incarnationis dominice MCCCCLX. Pridie Non. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. VIII. fol. 189.

DXXXV.

Eisdem certa privilegia conceduntur.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Dum uberes fructus, quos sacer ordo fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, et presertim Vicaria Bosne in agro militantis ecclesie in propagationem religionis et fidei catholice produxit hactenus et producit assidue, diligenter attendimus, dignum censemus et congruum, ut circa ea, que ipsius ordinis et professorum eius ac dicte Vicarie maiorem pacem et quietem statumque tranquillum respiciunt, paternis et salutaribus studiis intendamus. Sane ad audienciam nostram pervenit, quod dilecti filii fratres Vicarie Dalmacie fratrum Minorum domos et loca in Dalmacia constituta, que semper et a tanto tempore citra, cuius inicii memoria hominum in genere non existit, sub Vicaria Bosne dicti ordinis fuerunt, omni ingenio ac totis viribus a Vicario Bosne huiusmodi amovere et usurpare velle conatur. Nos igitur scandalis, que exinde suboriri possent, providere ac questionibus, controversiis et dissensionibus, quantum cum Deo possumus, obviare cupientes, omnibus et singulis generali ministro, vel eius Vicario generali ac fratribus Vicarie Dalmacie predicte, tam presentibus quam futuris, in quibuscunque gradibus, officiis et administrationibus constitutis auctoritate apostolica et ex certa scientia districtius inhibemus, ne per se vel alium seu alios quovis quesito colore vel ingenio aliquam domum, seu locum ad Vicariam Bosne predictam de consuetudine pertinentem capere vel recipere, seu de illa vel illo se intromittere quoquomodo presumant. Alioquin in contrafacientes ac inhibitionis huiusmodi nostre transgressores, eisque in premissis quomodolibet dantes auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, cuiuscunque etiam dignitatis fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgeant, excommunicationis et in domos huiusmodi fratrum transgressorum interdicti ecclesiastici sententias tenore presentium fecimus ac eciam promulgamus, ita quod per alium quam Romanum pontificem sic excommunicati, preterquam in mortis articulo constituti, ab huiusmodi excommunicationis sententia absolvi nequeant, nec etiam interdictum huiusmodi suspendi vel totaliter tolli seu etiam relaxari. Et insuper Venerabilibus fratribus nostris Spalatensi et Iadrensi ac Ragusino Archiepiscopis, seu dilectis filiis eorum Vicariis in spiritualibus generalibus ac quibuscunque aliis Prelatis in dicta provincia Dalmacie consistentibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras, ubi, quando et quotiens ipsis visum fuerit et desuper fuerint requisiti, auctoritate apostolica predicta solemniter publicent, dictisque fratribus Vicarie Bosne et in provincia Dalmacie constitutis fortis et efficacis defensionis presidio eadem auctoritate assistentes, non

permittant illos aut eorum aliquos contra antiquam consuetudinem huiusmodi, et tenorem presentium quomodolibet molestari aut eis iniurias irrogari. Et nihilominus illos, quos eisdem Archiepiscopis, Vicariis et aliis Prelatis constiterit predictam excommunicationis sententiam meruisse, tamdiu in ecclesiis et ecclesiasticis locis dominicis et festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo convenerit ad divina, excommunicatos publice nuncient, donec ab eadem sententia absolutionis beneficium meruerint obtinere, dictumque interdictum faciant strictius observari, quousque per sedem apostolicam alias desuper fuerit ordinatum, contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione etc. invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus fe. re. Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iuditium evocetur, seu ne Iudices a sede deputati predicta contra quoscunque procedere sive alii vel aliis vices suas committere presumant, et de duabus dietis in Concilio generali et aliis apostolicis constitutionibus ceterisque contrariis quibuscunque: aut si fratribus de Vicaria Dalmacie prefatis, vel quibuscunque aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Ceterum quia difficile foret huiusmodi presentes litteras ad singula, in quibus de eis forsan fides facienda fuerit, loca deferre, eadem apostolica auctoritate constituimus et ordinamus, quod ipsorum transumpto manu publica et sigillo alicuius Archiepiscopi, seu Episcopi vel superioris prelati munito tanquam prefatis, si originaliter exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, et illis proinde stetur, ac si dicte littere originales forent exhibite vel ostense, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis, prolationis, mandati, constitutionis, ordinationis et decreti infringere etc. Si quis autem etc. Datum Senis Anno Incarnationis dominice MCCCCLX. Pridie Non. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia lib. VIII. fol. 227.

DXXXVI.

Cardinali S. Angeli legato suum dolorem de luctuosa Hungariae conditione exprimit, eumque forti animo esse monet.

Cardinali Sancti Angeli.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Reddite sunt nobis proximis diebus quam plures littere tue, ex quibus de statu Regni Ungarie et his, que timeri verisimiliter possunt, plene intelleximus. Non est, dilecte fili, quid ultra dicamus, nisi ut doleamus peccata hominum: quotidie nos difficultatibus novis involvere continuat Ungaria, que hucusque pro fide catholica murus permansit, hinc anxiatur, illinc ab infidelibus armis appetitur: opem, quam his malis possit afferri, subtrahit nobis principum christianorum negligentissima tarditas. Ex nobis ipsis, cum egeni omnium simus, remedium invenire non possumus; quanto in diem magis executioni promissorum in dieta Mantuana intendimus, tanto leviores mentes horum ad bonum opus aspicimus. Non tamen propterea deficimus animo, nec spes nostra a deo avertitur; laboramus quotidie, quantum in nobis est, non deficientes legatis nostris et nuntiis, non solum eos attendere, qui prodesse huic negotio possunt, sed impedimenta etiam tollere, quibus, si quid bone voluntatis inest, cessare quomodolibet possit, quod nostrum institutum usque in finem, volente deo, continuabit. Tibi autem in his rerum angustiis quid demus consilii non satis dignoscimus: res ipsa et temporum conditio admonere te prudencius quam nostre littere possunt. Cum Imperatore si quid boni perficere tuis suasionibus posses, hoc nobis vehementer placeret. Nescimus tamen propterea, que ad te alias scripsimus, quantum intercessio tua successum sit habitura, perseveramusque in ea sententia, ut iudicemus non expedire Celsitudini sue nos parciales ostendere: quodcunque tamen remedium potes inductionibus bonis apponere, id, quesumus, pro deo non pretermittas. De treugis autem cum Turcho ineundis idem dubitamus, quod Circumspectio tua, nec quomodo impediri tractatus huiusmodi possint, satis videmus: occulte enim aguntur omnia, ut scribis, et nos plus spei dare Ungaris in hac eorum mutatione non possumus, quam nobis a christianis principibus porrigatur. Que enim de conducendis stipendio nostro XII. milibus equitum ipsi Regi polliciti sumus, ea semper conditione sumus polliciti, si per eos, qui contribuere habent, id nobis licebit, quorum nunc cum nimiam tarditatem intueamur, nescimus, quo pacto presenti anno dari id auxilium possit. Tua Circum-

spectio, que prudentissima est, in his difficultatibus id amplectetur, quod nunquam malum esse cognoverit. Nos etenim ad cuncta, que scribis, aliud rescribere non habemus, quam ut, quod usque in presentem diem fecisti, facere in futurum non desinas, et invalescentibus cum Turcho tractatibus, vel Imperatore in Ungariam transeunte, de discessu et mansione tua id agas, quod presenti rerum statui et honori nostro ac tuo videbitur convenire. Consilium vero de armandis navibus x. et transportando Constantinopolim milite nobis non displiceret, si unde fieri hoc posset, facultates adessent; verum utrobique ea est difficultas, quod cogitationibus nostris modus non adest. Probamus iudicium tue Circumspectionis in non expendenda pecunia ad te missa, si Ungari in facienda pace vel treugis cum Turcho perseverabunt; quinimo volumus et mandamus, ut illam ex manibus Comitis Stephani ad te ipsum recipias et diligenter custodias, donec quem exitum tractatus huiusmodi habebunt, plane perspexeris: neque in hoc attendas, quod camera nostra apostolica nil super hoc ad te scripserit; in eo enim, quod nos fieri mandamus, expectari non debet camere iussio. Diligentiam itaque talem in hoc studeas adhibere, ut eandem pecuniam ad te pervenisse et servatam in utiles usus opera tua fuisse noscamus, in quo publicis commodis et nobis admodum servies. Nescimus, quod ad te aliud impresentiarum scribamus, nisi ut rogemus omnipotentem deum, quod nos et Circumspectionem tuam sua gratia consoletur, teque in his anxietatibus et continuis, quos fers pro communi salute, laboribus manu misericordie sustentet. De prebenda autem tituli tui sancti Angeli, de qua nobis ita liberaliter complacuisti, gratias tue Circumspectioni habemus, atque eo maiores, quo per proprium nuncium gratificandum nobis putasti. Datum Senis xxv. Aprilis 1460. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 182.

DXXXVII.

Imperatori in debellandis Turcis omnia prospera auguratur.

Imperatori.

Pius PP. II. Carissime in Christo fili, salutem etc. Quamvis nos a nostris et apostolice sedis legatis atque etiam ex tue Celsitudinis litteris intellexerimus, in facto Regni Ungarie tractatum pendere super pace aut treugis, tamen qui summo desiderio hoc tempore ipsam fieri cupimus, exigente hoc publica christiane fidei et eius adversus Turcorum presumptionem extrema necessitate. Ideo iterum atque iterum rogamus tuam Excellenciam, ut omnibus tuis desideriis quamquam etiam iustissimis orthodoxam nostram christiane Religionis fidem et eius defensionem maxime nunc, dum periculum immineat, ut decet religiosissimum Imperatorem, pro dei et tua gloria, cunctorum tibi subditorum salute anteponas, et receptis treugis biennalibus cum predictis adversariis, deinde conatum tuum ad obviandum crucis Christi contemptoribus convertas: nos enim, si hoc, ut speramus, tua maiestas facere dignabitur, non dubitamus omnipotentem deum tuis desideriis propicium futurum, ut eo duce cuncta feliciter assequaris. Scribimus etiam similes litteras ad venerabiles fratres Episcopos, et dilectos filios Barones Regni Ungarie, policitando, nos, quantocius commode fieri poterit, omnem operam daturos differentiam omnem, deo concedente, componendi: litteras autem nostras ad iam dilectos filios prelatos et barones per alium nostrum oratorem quantocius mittemus, qui in primis se tue Celsitudini, dum venerit, presentabit, consequenter, si annueris, Legati nostri directione ad Ungariam petiturus. Datum Senis xxv. Aprilis 1460. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 183.

DXXXVIII.

Priori et fratribus ord. S. Pauli primi eremitae Zagabriensibus quaedam possessiones a Benedicto epo donatae confirmantur.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romani pontificis providencia circumspecta hiis, que pro divini cultus et religionis augmento per locorum ordinarios provide facta sunt, ut perpetuo illibata persistant, apostolici muniminis adiicit firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris et fratrum domus beate Marie ordinis sancti Pauli primi heremite sub regula sancti Augustini degentium Zagrabiensis diocesis petitio continebat, quod olim Venerabilis frater noster Benedictus episcopus Zagabriensis, ad dictum ordinem gerens singularem devotionis affectum, ac cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, quandam possessionem Alsonowak nuncupatam prope flumen Blyzna, et quandam aliam possessionem loci sive territorii Nowak

dicte diocesis ad domum predictam legitime pertinentem sitam, ac inter alia territoria et predia ipsius domus circumconsistentem, et tunc ad mensam episcopalem Zagrabiensem legitime pertinentem, de consensu sui capituli Zagrabiensis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis domui prefate sub certis modo et forma, ac pactis et conditionibus tunc expressis imperpetuum concessit pariter et donavit, prout in quodam instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte prioris et fratrum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni et donationi predictis, ac omnibus aliis et singulis in dicto instrumento contentis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, ac aliis super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem possessionis sive petie terre Alsonowak predicte situationem, confines et verum valorem presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem et donationem predictas et quecumque in dicto instrumento contenta et inde secuta auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes deffectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus dicte ecclesie Zagrabiensis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre approbationis, confirmationis, communitionis et suppletionis infringere etc. Si quis etc. Datum Macereti Senensis diocesis Anno Incarnationis dominice MCCCCLX. Octavo Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. secr. lib. VI. fol. 374.

DXXXIX.

Mathiae regi Hungariae annunciat, perfidis regis Bosniae insinuationibus se aures haud praebiturum.

Regi Hungarie.

Pius PP. II. Carissime in Christo fili, salutem etc. Timere Celsitudo tua videtur per litteras, quas proxime accepimus, ne propter adventum oratorum Bosnensium ad concedendos illi Regno Episcopos, dandamque Thome Regi coronam faciles aures prebeamus, credens omnia hec ad velandam proditionis sue infamiam pertinere. Nos autem, Carissime fili, non ita sumus harum rerum ignari, aut ad gratiam faciles, ut non etiam extimemus, que sequi ex concessione huiusmodi ulterius possent. Novimus, que Thomas predictus in tuam Serenitatem commisisse, queque in generalem christianorum causam peccasse asseritur. Scimus multe considerationis esse debere, Episcopos, ubi non sunt, de novo instituere. Tenemus quoque memoria hanc ipsam coronam fuisse a nostris predecessoribus sepius postulatam, neque tamen unquam obtentam, quam si ulla ratione fuissemus daturi, non sine honore et beneplacito tuo, qui ius ad illam pretendis, dandam censuissemus: de ea tamen nullum per oratores verbum est factum, conati sunt tantum Regis calumniam excusare, asserentes, que de Zendicio acciderant, necessitatis fuisse non voluntatis, bonam insuper Regis mentem ad vere fidei cultum vel ex eo probare sunt nixi, quod perniciosam Patarenorum gentem ex omni ditione sua expulerat. Episcopos, fatemur, cum instantia postularunt, illud tamen per singula pecierunt, ut mittere illuc ex nostris aliquem dignaremur, qui gestorum suorum et petitionum, quas fecit, diligens ac verus esset scrutator. Hoc nos facere ideo gravati non sumus, quod missionem nuncii nostri vidimus nulli rei posse obesse, ad referendum, non ad concedendum iussus est proficisci, cuius relationem, qualis sit, curabimus, ne Celsitudo tua ignoret: nos tibi afficimur, Regno tuo afficimur, nec credere debes sedem apostolicam aliquid concessuram, quod vel deo ingratum non preiudiciale esse quomodolibet possit: Pontificem habes, qui et iusti est cultor, et quemque in suo iure servare desiderat. Commendamus tue Serenitati, licet opus non sit, causam Catholice fidei, pro qua hucusque pugnasti: commendamus legatum nostrum, qui illius servande gratia plures iam annos Regno, quanta potest, cura tecum laborat. Datum etc. Petrioli Vulterane diocesis VII. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 203.

DXL.

Cardinali S. Angeli legato super eodem.

Cardinali Sancti Angeli.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Intelleximus ex ultimis litteris tuis, que de rebus Bosnensibus et statu Regni Ungarie significanda nobis putasti; vidimus quoque, quid Carissimus in Christo

filius noster Mathias Rex de adventu oratorum Thome Regis anxie suspicetur: eidem pluribus scribimus, qualis sua peticio fuerit, quale nostrum responsum, superfluum iudicantes Circumspectioni tue illa iterare, quando ex copia presentibus introclusa poteris cuncta plene cognoscere; hoc solum significasse sumus contenti, nos, qui non aliter quam tu de Rege Bosne sentimus, concessuros nil esse, quod nostram et Mathie prefati extimationem possit quoquomodo offendere. Duci Stephano de non recipiendis Patarenis mandatum, quod suades, per litteras et oratores nostros diligentissime fecimus, nec quociens occasio fuerit, iterare id obmittemus. atque utinam moniciones nostras ita semper, sicut salutares ut prompte fuerint, ubicumque profuturas cognoscamus. Si oratores Ungarici, sicut scribis, in reditu suo multa de voluntate nostra erga opus fidei predicarunt, est quod agamus gratias deo, qui rectam intentionem nostram obscuram esse non patitur: optima certe et ad commune bonum semper fuit directa. Circumspectionem tuam hortamur, ut institutum fortiter ac pie agendi, in quo plures iam annos perseveras, usque in finem velis servare, et si enim minus digna in hoc seculo laborum tuorum merces potest tibi retribui, illic certe plena reddetur, ubi nullum pium opus transit inremuneratum. Brevius propterea nunc ad te scribimus, quod paucis ante diebus de his, que erant scribenda, pleniorem tibi noticiam dedimus. Datum Petrioli Vulterane diocesis VII. Iunii 1460. Pont. nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 203.

DXLI.

Cardinali Nicaeno de rebus inter imperatorem et regem Hungariae in sua legatione Germanica bene gestis gratulatur.

Cardinali Niceno.

PIUS PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Per eosdem tabellarios, quos ad te misimus, litteras tuas ex Vienna et ex Nova Civitate accepimus, ex quibus de progressu rerum in dieta ad Kal. Septembris prorogata plene certiores nos reddis, significans, quid interea temporis operari ad pacem intendis et ad ea exequenda, que particularius habueras in mandatis. Consilia tua, Venerabilis frater, quibus te usurum in presenti statu rerum cognovimus, merito commendantur: sunt enim iudicio nostro tempori accommodata et talia, per que paulatim veniri ad id, quod querimus, possit. Nos ipsi, si istic fuissemus, alia ratione dirigere actiones nostras non potuissemus; in malis eligit tua fraternitas, id quod inerat boni. Consuluisti in omnibus Cesarem, consuluisti eos, qui ad te pervenerunt, nec potuit in hac diligencia locus ullus esse errato: si labores tui successum, quem optas, non habent, temporum est culpa non tua. Ipsa diete prorogatio nobis probatur, probantur tue et Imperiales littere ad principes misse, nos id ipsum tuo monitu facimus, et litterarum exempla inclusa presentibus mittimus, hortantes, quamquam opus non sit, ut studium tuum continues, et fervorem, quem semper in circumspectione tua precipuum vidimus, tepefieri non sinas: ille enim integram laudem meretur, qui ad victoriam usque certavit, et quod in se fuit, plene implevit. Quod autem in elemosinis erogandis curaturum te scribis, ut dubitari non possit ad alium usum esse ituras, in primis certe est necessarium, vetus enim querela et nec forte iniusta facit, ut ita fieri omnino expediat: qui enim viderunt his annis preteritis illas fructum non attulisse, qui fuerat tantopere predicatus ad avariciam, non ad pium opus, queri nunc eos existimat provide, et ex litteris nostris apostolicis et ex te ipso, si quid melius habes, huic suspicioni occurrito. Oratores quoque, quos Imperialis Celsitudo ad componendam pacem missuram se esse promisit, curato, ut quamprimum mittantur, et quam possunt maiorem auctoritatem ad id agendum accipiant, cum quibus, sicut scribis, associare poteris tuos. De Sigismundo duce, quid Circumspectioni tue responderit Cesar, quid enigma tuum contineat, etiam plene cognovimus: curabimus ita rem moderari, ut cum satisfactum iusticie sit, honori domus nichilominus consultum appareat. Et idem decretum, quod optare illum significas, preces nulle dilecti filii nostri Nicolai tituli sancti Petri ad vincula plus apud nos hac in parte valiture, quam honor noster et Collegii postulet: etsi enim persone illius illata sit vis, tamen offensio hec totius ecclesie magis, quam sua est existimanda. Negotium quoque ducis Mediolani, pro quo te laborasse significas, fraternitas tua habeat commendatum: est enim iudicio nostro non minus Imperatori utile atque honorificum, quam duci predicto. Rationes tu ipse intelligis et audire etiam potuisti a nobis: curavimus hanc diligentiam tuam sue nobilitati cognitam fieri, ut tibi simul et nobis agere gratias possit. Nulla autem dilecto filio Francisco Toletano, quem in tuis litteris memoras, ad Imperatorem et Cardinalem Sancti Angeli mandata commisimus, nec commissuri in reliquum sumus, in quibus celare tuam fraternitatem nolimus. Dieta Nurim-

bergensis, in qua adventum Francisci te adhuc occupare credidimus, fecit, ut in his fatigare animum tuum nollemus: a Cesare ipso intelligere omnia potes, cuius causa est missus. Is enim cum questus nobiscum sepius esset, ipsum Cardinalem partibus Ungarie Regis nimium favere, et sue acrem adversarium esse, propter ea, que nuperissime postulasset, ut illum inde revocaremus, putavimus hanc eius querelam negligendam non esse. Curamus igitur per ipsum Franciscum excusari Cesari necessitatem nostram, si non impleremus, quod vellet, monstrantes, quantum esse scandali possit illius revocatio, quod tuam etiam fraternitatem monstrare horis omnibus cupimus. Legatum quoque diligencius amoneri mandavimus, ut cum fidei cause, ad quam fuerit missus, satisfecisset, ita se Imperatori et Regi in hac eorum contentione gravem prestaret, ut neutri iuste querele locus daretur: si ex se ipso hec tecum non communicavit Franciscus, magis ipsa, ut se nobis fidelem ostenderet, quam ut tibi parum fidei habendum putaret, fecisse non dubitamus. Cum vero fidem erga nos tuam et verum animum in multis noverimus, rara esse possent, in quibus te celatum vellemus. De statu Italie parum est, quod Circumspectioni tue nuntiare possimus. Res Neapolitane turbulente admodum sunt, utique instructas copias habent, et in neutram partem adhuc insigni favore fortuna inclinavit: hoc tamen inter cetera noxium habent, quod bonam preparati presidii partem non dubie auferunt, multorum animos suspensos tenentes. Veneti sine suspicione presentis anni non sunt: triremes quam plures paratas habent in aqua et parare plures in dies dicuntur, parum Turcho confidunt et classis sue apparatus vehementer formidant, credentes ad eorum magis quam aliorum damna illum esse venturum. Nos in colligendis piis suffragiis operam et diligenciam quam possumus sedulo adhibemus. Circumspectionem tuam benevalere in domino cupimus. Datum Senis x. Iulii 1460. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. IX. fol. 118.

DXLII.

Universis fidelibus domum fratrum ord. Minorum in Varalgha Zagrab. dioec. manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ineffabilia meritorum insignia gloriosissime dei genitricis Marie Virginis, que suo castissimo salutis auctorem utero portavit, devote considerationis indagine perscrutantes, et intra nostre revolventes mentis archana, quod ipsa veluti misericordie mater et generis consolatrix humani sedulas apud deum, quem maternis lactavit uberibus, pro nostre fragilitatis expiatione preces et intercessiones effundere satagit, dignum, quin potius debitum recensemus, ut etiam in honorem sui nominis dedicata loca gratiosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum fulciri muneribus frequentius acceptemus. Cum itaque, sicut accepimus, ad domum ordinis minorum de observantia in honorem eiusdem beate Virginis sub titulo assumptionis eiusdem, quam dilectus filius Georgius Chupor, miles Zagrabiensis diocesis, in suo territorio Varalgha nuncupato eiusdem diocesis ex bonis sibi adeo collatis hedificari fecit, devotionis causa christifidelium illarum partium magna confluat multitudo: Nos cupientes, ut eorum devotio frequentius vigeat et augeatur, et domus ipsa debitis honoribus frequentetur et conservetur, aliique ad eandem accedere provocentur, ut eo libentius eorum corda ad devotionem huiusmodi accendantur et ad illam confluant, necnon ad illius conservationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eandem domum in singulis assumptionis, nativitatis et annunciationis eiusdem gloriose Virginis festivitatibus, a primis vesperis usque ad secundas vesperas uniuscuiusque festivitatum earundem devote visitaverint annuatim, et ad illius conservationem manus porrexerint adiutrices, pro singulis festivitatibus antedictis tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias visitantibus domum predictam et ad illius conservationem seu fabricam manus adiutrices porrigentibus, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua alia indulgencia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo sexagesimo, quinto Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. lib. VI. fol. 403.

DXLIII.

Cardinalibus S. Cyriaci et S. Angeli et epo Chanadiensi, ut quod ecclesiae Zagrabiensi expedire viderint, statuant.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Dionisio tituli sancti Ciriaci in Termis presbitero et Iohanni sancti Angeli Diacono Cardinalibus, in partibus Hungarie apostolice sedis de latere Legatis, ac venerabili fratri nostro Episcopo Chanadiensi, salutem etc. Ad Romani pontificis providentiam pertinet, ecclesiarum omnium et precipue cathedralium, que infidelibus sunt finitime, dispendiis atque iacturis obviare, et partes sue solicitudinis interponere, ut cause, que super dictis ecclesiis agitantur, fine debito terminentur. Cum itaque, sicut nobis innotuit, inter venerabiles fratres nostros Thomam et Demetrium Tinienses Episcopos ac dilectum filium Baltasarem Plebanum Plebis ecclesie Beati Petri de Radmensdorff Aquilegiensis diocesis super ecclesia Zagabriensi illiusque regimine et administratione, tam in Romana Curia quam extra illam, coram diversis iudicibus et commissariis, et etiam coram te, Cardinalis sancti Angeli, per plures annos litis materia fuerit agitata, et etiam ad presens pendeat indecisa, Thoma, de eius persona ipsi ecclesie, tamquam per obitum bone memorie Benedicti olim Episcopi Zagabriensis, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, vacante apostolica auctoritate provisum, ac Demetrio, tunc Tinensi Episcopo, se ad prefatam ecclesiam, tunc per translationem dicti Benedicti ad Tiniensem ecclesiam predictam vacantem, translatum, Baldassare vero predictis, de eius persona ipsi ecclesie Zagrabiensi tunc vacanti sub certis modo et forma prefata auctoritate provisum fuisse, pretendentibus, et etiam quolibet ipsorum pro Episcopo Zagrabiensi se gerente, pluresque littere apostolice super hoc, quedam videlicet in favorem alicuius ex predictis, Thome, Demetrii et Baltasaris, quedam vero contra aliquem seu aliquos ipsorum a felicis recordationis Eugenio IV., Nicolao V. et Calisto III. predecessoribus nostris Romanis pontificibus sub variis formis emanaverint, prout in illis, quarum ac processuum desuper habitorum necnon commissionum exinde factarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Nos plenam habentes noticiam, quod occasione dicte litis, si diuturna foret, Regnum Ungarie, totius populi christiani contra hostes crucis propugnaculum validissimum, maxima damna et incommoda verisimiliter sustinere possit, et propterea, prout saluti et securitati populi christiani expedit, et temporum necessitas persuadet, necnon fidei catholice causa exposcit, defensiones, turbationes, vexationes, molestationes et impedimenta sedari, supprimi et extingui, necnon scandalis et periculis prefati Regni, quantum cum deo possumus, obviare intensis desideriis affectantes, prefateque ecclesie Zagrabiensis bono et felici regimini ac quieti, prout ex debito pastoralis officii tenemur, omnino providere volentes, omnes et singulas causas inter Thomam et Demetrium et Baltasarem predictos tam coram nobis, dum in minoribus essemus, quam coram te, Cardinalis sancti Angeli, ac etiam dilecto filio nostro Latino tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbitero Cardinali de Ursinis vulgariter nuncupato, quam coram quibusvis aliis iudicibus, auditoribus et commissariis in Romana curia vel extra eam in quacumque instancia, seu in quibuscumque instanciis indecisas pendentes, illarum status, instancias et merita ac aliorum iudicum predictorum nomina et cognomina, dignitates et gradus presentibus pro expressis habentes, motu proprio et ex certa nostra scientia harum serie ad nos advocantes, Circumspectioni vestre, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta motu et scientia similibus committimus et mandamus, quatenus vos in premissis omnibus et singulis, et circa ea quomodolibet necessaria et oportuna, prout secundum deum et dicte ecclesie utilitatem ac Regni prefati felicem statum vobis videbitur salubriter expedire, auctoritate apostolica provideatis, statuatis, decernatis et ordinetis, facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, sublato cuiusvis appellationis obstaculo, eadem auctoritate inviolabiliter observari, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, super quibus omnibus et singulis plenam et liberam vobis tenore presentium concedimus facultatem, decernendo irritum et inane quicquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, non obstantibus revocatione et commissione ac mandato per ipsum Calistum predecessorem ultimo factis, necnon litteris desuper confectis ac processibus forsan habitis per eosdem, et aliis premissis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLX. Tertiodecimo Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. lib. VII. fol. 22.

DXLIV.

Regi Hungariae de egregio consilio Turcas aggrediendi capto pontifex gratulatur, nuntiatque cardinalem S. Angeli in Hungaria remansurum.

Regi Hungarie.

Pius PP. II. Carissime in Christo fili, salutem etc. Intelligentes non sine tristitia animi Turchum ad dampna Regni tui Hungarie adventare, et te plurimum cupere, ut legatus istic nunc rebus gerendis intersit, scripsimus ei confestim, ut sine mandato nostro nullo modo discedat. Scimus pro sua erga te summa affectione, pro zelo etiam, quem semper habuit ad opera fidei, ipsum in omnibus periculis cum tua Serenitate futurum, nec negaturum esse assistentiam persone sue, quam tot annos fideliter laborando pene confecit. Vellemus nos, deo teste, presentiam nostram posse idem efficere, et auxilium prestare, que presens necessitas postulat: sed laboramus molestiis multis coacti pro defensione iusticie et apostolice sedis expensas intolerabiles facere. Esto tamen boni animi et confide in domino, a quo est omnis victoria: dabit ipse sincere fidei tue optatum successum. Scribit nobis idem Legatus, Serenitatem tuam personaliter velle descendere, si Turchus adveniat. Audivimus hoc cum leticia animi, et constantiam admiramur, censentes id vere Regium opus esse, et tuis subditis salutare: sequentur enim multi exemplum, et maiori cum terrore administrabitur omnis ratio belli. Manus domini nostri Iesu Christi sit continuo tecum, et adiuvet consilia sanctamque intentionem. Datum Rome II. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. IX. fol. 210.

DXLV.

Cardinali S. Angeli mandatur, ne ex Hungaria discedat, et in sua legatione egregie perfungenda perseveret.

Cardinali S. Angeli.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Ex litteris tuis ultimo acceptis plane agnovimus, quod nunquam nobis in dubium venit, te publicam rem private anteferre, et pluris facere honorem apostolice sedis, quam laborum tuorum ullam quietem. Scribis enim discessum ex Regno, quem in potestate tua posueramus, ideo te distulisse, quod sit opinio constans, Turchum magnis apparatibus ad obsidendam Nandoralbam venturum. Grata est nobis hec deliberatio tua, ac quamquam te, quem toto hoc pontificatu non vidimus, libenter apud nos videremus, tamen cognoscentes, quanti referat ad communem salutem legatum apostolice sedis Regi et Regno assistere, equo animo desiderium nostrum deponimus, et malumus Circumspectionem tuam istic cum fructu versari, quam hic cum consolatione nostra quiescere. Carissimus in Christo filius Mathias Rex hoc a te petit, qui in suo consilio sunt, expedire idem existimant: tua quoque prudentia per se ipsam cognoscit sic necessarium esse. Libenter subrogavissemus tibi Venerabilem fratrem nostrum Cardinalem Nicenum, labori tuo vicinum, non quo illi maiorem ad obeunda negocia vim speraremus futuram per prudentiam, quamquam ad omnia summa sit aptus, sed ne tibi post longam defatigationem quies debita negaretur: verum nullo modo fieri hoc potest, valitudine non fracta isto in Regno est opus; ipse autem quantum nos intelligimus, inutilis est iam ad labores, atque ita morbis oppressus, ut de revocatione sua potius, quam continuatione sit cogitandum. Provide Circumspectio tua in hoc casu sedi apostolice non desit, nec donec mandaverimus aliud, Regno excedat, honori tuo et nostro sic convenire agnoscimus. Miramur autem tot in locis litterarum tuarum de remansione te excusare, et in suspicionem venire, quod nos mendicatam occasionem continuande legationis putemus. Non est ea opinio nostra, nec ita ingrati extimatores tui animi sumus, ut non credamus gratius multo tibi iam esse honestum ocium, quam periculosum negocium. Errant si qui aliter sentiunt, nos, qui differendum putamus, gratias Circumspectioni tue habemus, quod etiam expectationem secunde concessionis non sis moleste laturus, erit nobis pergratum: non ii tamen sumus, qui preteritos labores tuos non cogitemus, qui etatem non videamus, qui de successore etiam non cogitemus quotidie, presens necessitas et invalitudo vicini (Cardinalis Niceni) legati facit, ut contra mentem nostram te careamus: sed brevi ad omnia nos provisuros confidimus. Rogamus interim, forti animo expectationem hanc feras, et cogites, quantum meriti apud deum et glorie apud homines per hos annos mora Hungarica tibi attulerit. Antea ut Cardinalis tantum notus eras quibusdam in locis, nunc in tota christianitate ut pugil Christi diceris ac predicaris, nationes quoque barbare nominis tui

expertes non sunt. Que regia Serenitas de se offert, plurimum nos sunt consolata, nil gloriosius prestare deo potest quam patrocinium fidei: utinam nos viribus, quas vellemus, iuvare possemus animum suum, faceremus id quidem libenter, sed ultra non possumus. Ex Germania nil iam est expectandum, cum principes sint inter se ipsos discordes, et maiora impedimenta quotidie etiam contra sedem apostolicam parent, sicut tibi notum esse putamus, nec nos, qui pro iustitia et honore eiusdem sedis sumus hic implicati, sufficere ad omnia possumus. Speramus tamen brevi molestiis nostris finem futurum: tunc ceteris liberi vacare integre ad defensionem Hungarorum poterimus. Nunc presta, dilecte fili, quod potes: et in supplementum eorum, que desunt, misericordiam dei, sicut scribis, implora, ipse potens est paterna manu prestare, quod querimus: oves sue sumus. Sperandum est vadentibus pro nomine suo ad iustum certamen, non negaturum esse divinam pietatem, id quod et sepe alias et proxime apud Nandoralbam pugnantibus cruce signatis tuis pie concessit. Datum Rome apud etc. II. Maii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. brev. lib. IX. fol. 208.

DXLVI.

Georgius Cuchignich et alii ad fidem catholicam conversi regni Bosnae sub Sedis Apostolicae protectione suscipiuntur

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Georgio Cuchignich, Stoysano Turtchonich et Radonilo Venchinich in Regno Bosne, salutem etc. Pia mater ecclesia, que nunquam claudit gremium redeuntibus ad eam, transgressorum errores summa pietate et clementia ad viam veritatis et iustitie, ac fide deceptos quotidie de faucibus antiqui hostis eripere querit perlibenter illisque piis affectibus prosequi graciose, ut tanto erga ipsorum ecclesiam fideliores existant, quanto illius benignitatem gustaverint pleniorem. Dudum siquidem per vos accepto, cum ab olim vos ab hoste humani generis decepti essetis, et contra christianam religionem et fidem catholicam sencientes, ac maxima duritia cordium vestrorum errores pestiferos et dampnatissimos tenentes, ad viam veritatis agnoscendam sanctam Romanam ecclesiam profugientes, Carissimus in Christo filius Stephanus Thomas Rex Bosne Illustris et vere catholicus vos ad eandem viam veritatis reducere non valeret, ut ab eisdem erroribus facilius desisteretis et viam agnoscere salutis valeretis, ad eandem sanctam Romanam ecclesiam et nos ac sedem apostolicam, prout ex debito tenebatur, transmisit, apud quam personaliter constituti, omnipotentis dei gratia et spiritus sancti illustratione repleti, omnes Manicheorum errores et illorum heresim abnegantes, ac veritates ex doctrina sancte Romane ecclesie collectas, et dictis erroribus contrarias vobis datas et declaratas, interpretatas ac per vos bene intellectas benigne et voluntarie suscipientes, ac sanctam fidem christianam et catholicam ecclesiam confitentes uniti, ac veritati christiane fidei sponte et libere vos submisistis, nec non quod ullo unquam tempore in huiusmodi erroribus reincidere, contrarium sencientes aut predicantes, sub penis a iure et lapsis et reincidentibus prefixis, sed in vera fide christiana, nostra obediencia et sub sancte Romane ecclesie mandatis persistere, firmiter credere ac illis obedire libere promisistis, prout in quibusdam litteris vestris manibus conscriptis et apud nos et sedem apostolicam depositis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nuper pro parte vestra nobis petitio continebat, vos in orthodoxa fide permanere et catholicam ecclesiam sequi summopere intendatis, nec non ad partes vestras redeuntes de iudice et protectore occurrere, ac ecclesias aliquas construendi et edificandi, illasque dotandi pro devotione vestra licentiam elargiri, vosque sub nostra et beati Petri superioritate et protectione recipi, et ab omni superioritate eximi desideretis, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de transgressorum conversione ingenti mentis nostre ylaritate reficimur, et qui vos in caritate non ficta sub gremio sancte matris ecclesie christianorum fidelium consorcio sollempniter recepimus, ut conversio et veritatis cognitio alias alliciat, vos auctoritate apostolica tenore presentium ab omni superioritatis iurisdictione et imperio in vera fide catholica, ac in mandatorum eius observantia et in eiusdem intelligentia recta manentes eximimus, ac sub nostra et beati Petri protectione suscipimus, vobis quoque ad patriam vestram redeuntibus, cum ex longitudine loci ad presens iudicem spiritualem constituere non valeamus, quousque per nos aliter super hoc vobis provideri contingat, Carissimum in Christo filium nostrum Stephanum Thomam Regem Bosne Illustrem pro iudice superiore, protectore et conservatore vestro vobis constituimus, assignamus et deputamus, et ut ferventius in fide huiusmodi perseverare ac ad ipsorum exemplum alios allicere valeatis, et divina misericordia continue illustrari.

nec non incremento fidei orthodoxe et fidelium salute vobis et vestrum cuilibet, ut in villis et locis vestris ecclesias sub vocabulis aliquorum gloriosorum sanctorum erigere et edificare, ac erigi et edificari facere, aliorum super hoc licentia minime requisita, ut in illis divina officia celebrentur, ac omnes et singulos redditus predictarum villarum nec non bona quecumque ad vos pertinentia pro dotibus et erectione ipsarum ecclesiarum erigendarum, et substentatione vestra et illorum, qui illis in divinis et pro tempore serviverunt, dare, construere et assignare libere possitis et valeatis, iure diocesanorum et parrochialium ecclesiarum semper salvo et sine ipsorum preiudicio, auctoritate prefata tenore presentium concedimus facultatem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre exemptionis, receptionis, constitutionis, assignationis, deputationis et concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Tibure Anno etc. MCCCCLXI. quarto Nonas Augusti. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XV. fol. 54.

DXLVII.

Ladislaus electus Neupoliensis praeficitur in episcopum.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Ladislao Electo Neupoliensi, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto concessum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, solliciti reddimur et solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur, tales eis pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam boni operis informare, commissasque eis ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem ecclesia Neupoliensi sui pastoris regimine destituta, nos, vacatione huiusmodi fidedignis relationibus intellecta, ad provisionem eius ecclesie celerem et felicem, ne ipsa ecclesia Neupoliensis prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem maturam, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc prepositum ecclesie Misiliensis, in sacerdocio et legitima etate constitutum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fidedignorum testimoniis accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, prefate ecclesie Neupoliensi de eorundem fratrum consilio dé auctoritate apostolica providimus, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod eadem ecclesia Neupoliensis per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam sub tuo regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salubriter et prospere dirigetur, et grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod quam primum presentes litteras habueris expeditas, ad ipsam Neupoliensem ecclesiam accedas et resideas personaliter in eadem, quodque extra tuas civitatem et diocesim Pontificalia officia nequeas exercere. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens et reverenter supportans, onera et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod prefata ecclesia Neupoliensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam exinde consequi merearis. Datum Tibure Anno etc. MCCCCLXI. decimo septimo Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Simili modo. Dilecto filio Ladislao Electo Neupoliensi, salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Neupoliensi pastoris regimine destitute etc. de verbo ad verbum, ut in aliis bullis pro eodem Episcopo expeditis. Anno III. ante recessum in Viterbium ex Roma.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XXII. fol. 165.

DXLVIII.

Eidem indulgetur, ut extra suam dioecesim in civitate et dioecesi Agriensi pontificalia officia exercere valeat.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Ladislao Electo Neupoliensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut votis tuis, quantum cum

deo possumus, favorabiliter annuamus. Hodie siquidem ecclesie Neupoliensi, tunc pastori carenti, de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio duximus auctoritate apostolica providere, et preficere te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris, in quibus eciam voluimus, quod quam primum illas haberes expeditas, ad prefatam ecclesiam Neupoliensem accederes, et apud eam personaliter resideres, quodque extra tuas civitatem et diocesim pontificalia officia exercere nequires, inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, te ad ecclesiam prefatam, que in partibus infidelium existit, nequeas commode accedere et apud eam personaliter residere: Nos volentes te premissorum intuitu favore prosequi gracioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, quod ad ecclesiam Neupoliensem predictam accedere, seu apud eam residere non tenearis, quodque postquam munus consecrationis rite susceperis, eciam extra dictam civitatem et diocesim, in civitate et diocesi Agriensi dumtaxat, cum per illarum diocesanum ad id requisitus fueris, et de speciali ipsius licencia huiusmodi pontificalia officia exercere libere et licite valeas, auctoritate presentium indulgemus, voluntate predicta ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre constitutionis infringere etc. Datum Tibure Anno etc. MCCCCLXI. decimo septimo Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XVIII. fol. 96.

DXLIX.

Eidem indulgetur, ut a quocumque antistite catholico consecrationis munus recipere possit.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Ladislao Electo Neupoliensi, salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Neupoliensi pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos igitur ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocumque malueris catholico antistite graciam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis eandem graciam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti, ut accepto prius per eum nostro et Romane ecclesie nomine a te fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam, munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus earundem presentium tenore facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus, quod si non recepto a te per ipsum Episcopum dicto iuramento, idem Episcopus munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis, dictus Antistes a pontificalis officii exercicio, et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus, quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium Nuncium, quanto citius poteris, destinare procures. Forma autem iuramenti, quod prestabis hec est: Ego Ladislaus Electus Neupoliensis ab hac hora inantea etc. Datum Tibure Anno etc. MCCCCLXI. decimo septimo Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XVIII. fol. 96.

DL.

Eidem conceditur, ut canonicatum et praebendam Agriensis et praeposituram Misiliensis ecclesiarum retinere possit.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Ladislao Electo Neupoliensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolencia prosequentes, illa tibi fafavorabiliter concedimus, per que tuis necessitatibus opportune valeat provideri. Cum itaque nos hodie de persona tua ecclesie Neupoliensi tunc pastoris regimine destitute auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio duxerimus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: nos volentes tibi, qui ex fructibus, proventibus mense episcopalis Neupoliensis, qui ab infidelibus occupantur, nil percipis annuatim, ne propter rei familiaris inopiam tante dignitatis in te obnubiletur auctoritas, providere, teque premissorum intuitu favore prosequi gratie specialis volumus, et de fratrum consilio huiusmodi eadem tibi auctoritate concedimus et

eciam indulgemus, quod tu eciam, postquam munus consecrationis tibi impensum fuerit ac provisionis et prefectionis predictarum vigore possessionem pacificam regiminis et administrationis bonorum eiusdem ecclesie Neupoliensis fueris pacificam assecutus, canonicatum et prebendam Agriensis et preposituram Misiliensis ecclesiarum, quos tempore provisionis et prefectionis predictarum obtinebas, prout obtines de presenti, quosque per provisionem et prefectionem ac muneris susceptionem et assecutionem huiusmodi minime vacare decernimus, cuiuscunque valoris annui illorum fructus, redditus et proventus, ac eciam cuiuscunque qualitatis ipsa prepositura extiterit, cum eadem ecclesia Neupoliensis ac regimen et administrationem illius, quoad vixeris, in commendam retinere, illorumque fructus, redditus et proventus huiusmodi recipere, percipere, exigere et habere, ac in tuos licitos usus convertere pariter et retinere, de illis quoque disponere et ordinare, quemadmodum illi, qui eosdem canonicatum et prebendam ac preposituram pro tempore canonice obtinerunt, et de ipsi disponere et ordinare potuerunt seu eciam debuerunt, alienacione tamen quorumcumque bonorum immobilium et preciosorum mobilium dictorum canonicatus et prebende ac prepositure tibi interdicta, libere et licite possis et valeas, non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictarum ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque; proviso, quod canonicatus et prebenda ac prepositura debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in dicta prepositura, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, sed illius et dictorum canonicatus et prebende debite supportentur onera consueta. Nulli ergo etc. nostre concessionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Tiburre Anno etc. MCCCCLXI. decimo sexto Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia lib. XVIII. fol. 95.

DLI.

Natali epo Nonensi legato apostolico conceditur facultas, inserta eiusdem pontificis bulla dat. XIX. Kal. Febr. An. II., cruciatam in regno Bosniae alibique promulgandi.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Natali Episcopo Nonensi in regno Bosne etc. sedis apostolice legato, salutem etc. Proximis temporibus cupientes impiorum Christi hostium Turchorum, provincias, terras et loca fidelium christianorum invadentium, iuxta datam nobis a domino facultatem insolenciam rabiemque propulsare, infrascripti tenoris litteras per varias christanorum provincias duximus transmittendas.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiam Christi variis mundi turbinibus ac persecutionibus agitatam ex divinis scripturis et veterum annalibus semper agnovimus, que cum a capite ac sponso suo, Christo scilicet auctore, regatur, cui, sicut ipse testatur, omnis potestas in celo et in terra divinitus est attributa, nunquam sine nutu divine dispositionis talia sustineret, nisi ipse ad correctionem exercitationemque fidelium hoc inferri permitteret; interdum etiam impios et iniustos occulto aliquo instinctu ad punienda populi sui peccata excitaret: sic namque per ignaros et nescios errata populi sui corrigit et punit divina iusticia, sicut quondam per Senacherib, per Nabuchodonosor, per Antiochum aliosque quamplures populum Israeliticum deliquentem afflixit, sicut ipse per prophetam eloquitur: Virga furoris mei Assur; ipse autem non cognovit. Verum etsi prophanis et impiis tanquam instrumentis atque flagellis ad cohercendam peccata utatur Altissimus, illos tamen impia vanitate superbientes, et quasi secures et seras contra eum, qui cedit vel secat in eis gloriantes, etiam per illos ipsos, quos prius flagellari permisit, emendatos atque correctos deprimit et conterit divina potencia: quare, cum in divinis scripturis facta legantur et ad nostram instructionem scripta probentur, cunctos fideles oportet presentem persecutionis angustiam et pari penitentie fructu divertere, et animos spe divina fundare, scientes se divina predictione et prophetica in psalmis contestatione commonitos, dicente domino: Si autem dereliquerint filii eius legem meam, et in iudiciis meis non ambulaverint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non disperdam ab eis, neque nocebo in veritate mea, neque prophanabo testamentum meum. Quamquam autem Turchorum pressuram et persecutionis instantis rabiem merito nostre iniquitatis incidisse profiteri humiliter debeamus, speramus tamen atque confidimus illis diutius servire permissum, ut superbia eorum altius ascendente, et divinam ultionem provocante, iam quasi eorum malicia consumta, acriori vindicta plectantur, Amorreorum et Amelechitarum exemplo, quos licet deus propter peccatum in filios

Israel sevire permisset, illos tamen in manu eorum cum omni terra tradidit, precipiens, ut nemini parcerent, sed illos ultima interemptione delerent. Quod si pridem multiphariis gentilium atque hereticorum persecutionibus fideles suos voluit comprobare, istis tamen temporibus, vergente iam seculi occasu, quo, Salvatore testante, omnium abundavit iniquitas, et refriguit caritas multorum, gravior procella et terribilior pressura, qualis ante non fuit, cervicibus nostris incumbit, cum radix illa peccati, minister diaboli, antichristi precursor perfidissimus Mahumet spiritu superbie elatus in Christi cultores rabiem sui furoris exercet, qui illa miseranda et nunquam satis deflenda Constantinopolitana cede ac strage grassatus, nec tamen satiatus, tamquam sanguinaria bestia, hausto christiano sanguine, pollutas fauces explere non potest, sed novas in dei cultores penas excogitet: cuius insatiabilis carnificis tanta rabies est, tam inexplicabilis libido dominandi, ut totum occidentem sibi subicere, et totius christiani nominis paret ac moliatur exitium: cuius cum execranda rabies intolerabilisque superbia semper exerescat, adesse iam diem ultionis ipsius et vindicte tempora festinare creduntur. Sane licet felicis recordationis Nicolaus papa V. predecessor noster post ipsius Constinopolitane urbis calamitosum excidium ad vindicandas Christi iniurias, et illius furorem reprimendum generalem expeditionem indixerit, Regesque et principes atque seculi potentes, et cunctos Christicolas ad defensionem fidei excitarit, et ipsum pio studio felicis recordationis Calistus papa III. fuerit imitatus, nullus tamen hactenus optatus fructus, peccatis exigentibus, secutus esse dinoscitur, nec interea destitit divina censura acrioribus nos verberibus excitare, christianis finitimis cede, rapina, tormentis et miserabili servitute affectis, donec iam incendium sensim excrescens omnia per circuitum, erumpente flamma, conflagrare cepit. Nos vero, qui, ipsis predecessoribus, sicut domino placuit, re infecta sublatis, divina favente clemencia ad apicem summi apostolatus fuimus assumpti, divine vocis cohortamur imperio, ut in tanto fidei christiane discrimine periculum desidie, quantum possumus, declinemus. Itaque fidei urgente nos zelo in ipsis nostri apostolatus iniciis ad excitandum christianorum soporem Mantuam nos advehi fecimus, ubi in presentiarum constituti generalem conventum pro fidei causa tenemus, multa cum venerabilibus fratribus nostris sac. Rom. eccl. Cardinalibus, ac principibus tam ecclesiasticis quam secularibus, sive eorundem principum legatis conferentes atque tractantes, post maturam et diutinam deliberationem de eorundem fratrum consilio et assensu, necnon oratorum et prelatorum in conventu Mantuano presentium unanimi voto modo, quo sequitur, duximus providendum.

Imprimis generale bellum atque expedicionem contra perfidissimos Turchos dei nostri acerrimos hostes more predecessorum nostrorum, qui generales expediciones vel ad liberandum terram sanctam, vel contra alios infideles indixerunt, ab omnibus christifidelibus triennio duraturum gerendum ac suscipiendum esse decernimus, omnes et singulos christianos ad presidium eius belli pariter pro viribus invitantes, decernentes pariter in tante necessitatis articulo unumquemque pro viribus, et secundum quotam infra dicendam ex suis facultatibus debere conferre. Et quoniam Moyses, qui summi sacerdotis et Christi Vicarii typum gessit, ad superandum Amalech figuram Christi portabat, in signo et sacramento crucis allevabat supinas manus, nec vincere adversarium potuit, nisi postquam stabilis in signo allevatis iugiter manibus orando perseveravit, utrumque intellegimus faciendum. Itaque scientes fidelibus de instancia orationis esse fidendum, mandamus, ut in omnibus civitatibus ac locis insignibus diebus dominicis preces in sacrificiis ac missarum solemniis nominatim ad dominum effundantur, ut ipse, qui est propugnator invictus, propugnatores suos adiuvet, et pro sui nominis gloria decertantibus in prelio tamquam dominus fortis ac prepotens preliator assistat: milites vero et bellatores ipso vivifico signo, quod Moyses in figura contra serpentem erexit, contra alterum vero serpentem diabolique ministrum Mahumetem volumus insigniri, illius signi memoriam preferentes, quod super domos, cum terram Egipti deus perceuteret, iussit affigi, quod quidem in imagine precedens veritate complebitur, ut in agni sanguine et in signo Christi victorie tropheum sint relaturi. Insuper universos christianorum principes, quacumque, etiam imperatoria, regali aut reginali, ducali vel quacumque dignitate prefulgeant, voce domini commonemus, ut cognoscant se reddituros esse rationem propter ecclesiam sanguine redemptam, quam ab illo tuendam acceperunt, quorum deus virtutem excitare nos iussit, ac ore prophetico commonere dicens: Nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur dominus: terribilis est enim, qui aufert spiritum principum, terribilis apud Reges terre. Meminerint Saulis exempli, qui pro eo, quod non obedisset voci domini, ut Amalechitas eius hostes extrema interemptione non delevisset, a domino reprobatus fuit

ac regno mulctatus. Proinde illos per viscera misericordie domini nostri Iesu Christi obsecramus, et per tremendum eius iudicium obtestamur, ut ad deffensionem christiane fidei, sicut proprio et necessario incumbit officio, fortiter et potenter exurgant, scituri, quia maior est dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum, Iohanne in epistola contestante atque dicente: Maior est, qui in vobis est, quam qui in hoc mundo est; habituri in medio sui Regem regum, principem pacis, electum pre consortibus suis, qui illis pugnantibus propugnator assistet, inmarcescibiles coronas ab eo glorie suscepturi. Omnibus autem, qui in hoc sancto opere Christo militare voluerint, et personaliter in hanc expedicionem accesserint, et in eadem per octo menses cuiuslibet anni, quatenus tanto opere opus fuerit, in Kalendis mensis Aprilis proxime futuri inchoandos, sive clerici sive laici, vel quacunque ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, perseveraverint; nec non illis, qui etiam post mensem predictum Aprilis ad huiusmodi expedicionem se conferrent, et vel per octo menses, ut prefertur, sive usque ad reditum exercitus ibidem permanserint, nos de omnipotentis dei misericordia, et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, et ex illa, quam nobis licet indignis contulit deus, ligandi atque solvendi potestate plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem, qualis per predecessores nostros proficiscentibus in subsidium terre sancte, et anno Iubilei Urbis basilicas visitantibus dari consuevit, concedimus et auctoritate apostolica impartimur, confidentes in verbo illius, qui falli non potest, quique patrem precatus eloquitur: Pater, quos dedisti michi, volo, ut ubi ego fuero, et ipsi sint mecum, ut videant claritatem, quam michi dedisti, priusquam mundus fieret; omnium, qui in hac sancta expedicione pro veritate fidei et deffensione christiane religionis obierint, animas ad gloriam immortalitatis evectas cum Christo, quem pia morte fuerint imitati, cuique fideles animas devoverunt, in eternis sedibus regnisque celestibus perempniter gavisuras; eos autem, qui propriis personis non accesserint, si pro se unum pugnatorem emiserint, et per dictum tempus propriis facultatibus sustentaverint, tam mittentes, quam bellatores et missos alienis etiam expensis militantes huiusmodi plenarie remissionis volumus atque decernimus esse participes.

Ut autem omnis sexus, etas atque conditio huiusmodi indulgencie particeps esse possit, volumus, ut quecunque cenobia seu loca religiosorum marium vel mulierum, cuiuscumque ordinis seu professionis existant, qui pro singulis decem suppositis claustri sui unum bellatorem suis sumptibus per octo menses duraturum destinaverint, huiusmodi indulgencias plenarie consequantur. Quod si forte prefixo tempore non exacto ipsorum aliquos post iter arreptum in prosecutione pii et sancti operis ex hoc luce migrare contigerit, volumus atque concedimus, ut prefatam indulgenciam integraliter consequantur. Ne autem propter effusionem indulgenciarum hactenus vel a nobis, vel a predecessoribus nostris concessarum Christifideles in hoc sancto opere tardiores existant, omnes indulgencias a nobis et eadem sede, vel illius auctoritate quibuscumque ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et piis locis, universitatibus, fraternitatibus, aut singularibus personis plenarias, sive temporales, sive perpetuas, in vita vel in mortis articulo concessas auctoritate apostolica et de plenitudine potestatis suspendimus, illasque nemini triennio et hac expedicione durante volumus in vita vel in morte aliquatenus suffragari, exceptis indulgenciis basilicis alme Urbis nostre concessis, quas pro beatorum apostolorum principum reverencia illibatas volumus permanere, districtius prohibentes, alias indulgencias preter istas duntaxat in locis publicis vel privatis predicari vel nunciari, et earum pretextu a questoribus elemosinarum aliquid exigi, a quibus quidem predicationibus et questibus per ordinarios locorum districtius arceantur. Excipimus insuper, et in huiusmodi generali suspensione indulgenciarum omnium includi volumus, omnes et singulas etiam utriusque sexus personas, que tempore Nicolai V. et Calisti III. dictorum predecessorum nostrorum occasione Cruciate indulgencias aliquas obtinuissent, illos etiam, qui signo vivifice et salutifere crucis assumpto, se se ipsos pro deffensione fidei voverunt, peccatorum remissionibus et quibuscumque tam spiritualibus quam temporalibus graciis et indulgenciarum muneribus integre potiri et gaudere decernimus, eosque universos et singulos sub dicta suspensione minime comprehendi declaramus. Sane, quia celestis Regis obsequiis insistentes speciali convenit prerogativa gaudere, omnes et singulos Crucesignandos, sive iam signatos, qui ad hanc sanctam expedicionem personaliter proficiscentur, ab omnibus taltiis, angariis, collectis, et gravaminibus omnibus decernimus esse immunes, quos etiam post iter arreptum sub nostra et beati Petri protectione suscipimus, mandantes et per viscera misericordie dei nostri omnes Reges et Principes ac Communitates obtestantes, ut pro domini et salvatoris nostri, cui militaturi sunt ipsi crucesignandi, reverencia eisdem personaliter proficiscen-

tibus onerum atque gravaminum predictorum vacatione indulgeant et observent. Ceterum ne pirate predatoresque maritimi vel alias terra aut mari latrocinia exercentes, capiendo vel spoliando transeuntes et redeuntes, hanc sanctam expeditionem valeant impedire, ipsos omnes et singulos et eorum adiutores, fautores et receptatores excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis scienter cum eis communicet aut receptet, iniungentes sub eadem interminationis pena nichilominus rectoribus civitatum et locorum, ut eos ab hac iniquitate inhibeant et compescant. Excommunicamus preterea et anathematyzamus illos impios falsosque Christianos, qui contra populum christianum, immo contra ipsum Christum, qui in suis membris se persequi et pati testatur, Turchis ipsis vel quibuscunque infidelibus victualia quecumque, ferrum vel ligna deferant, eos etiam, qui illis galeas vel naves vendunt, aut ad vehendum commeatus aut personas accommodant, quique illis ad usum navigia fabricabunt, vel in illis curam gubernationis exercere, vel machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis consilium, auxilium vel favorem impendere ausi fuerint. Contrafacientes omnes rerum suarum privatione mulctamus, capiencium servos fore censemus, precipientes, ut per omnes urbes maritimas diebus dominicis et festivis sententia huiusmodi publice nuncietur, et talibus gremium non aperiatur ecclesie, nisi totum, quod ex commercio tam damnato perceperint, et tantundem de suo in usum huiusmodi sancte expedicionis persolverint, adiicientes ultra penas predictas, ut hii, qui contra huiusmodi statutum nostrum quomodolibet venire presumpserint, perpetuo sint infames, et intestabiles habeantur, ita quod nec testari, nec legata eis seu relicta percipere valeant, et insuper ad successiones tam ex testamento, quam ab intestato sint prorsus inhabiles, nec ad publica officia quomodolibet admittantur, sitque illis omne commercium cum ceteris fidelibus penitus interdictum, districtius inhibentes, ne quis cum eis scienter in aliquo venditionis aut emptionis contractu, vel concessione portus aut loci communicet publice vel occulte, sed tanquam excommunicati et hostes catholice fidei ab universis Christi cultoribus habeantur. Nulli ergo etc. nostrorum immutationis, mandati, communicionis, obsecracionis, obtestacionis, imperticionis, concessionis, constitutionis, voluntatis, suspensionis, declarationis, exceptionis, decreti, susceptionis, innodationis, excommunicationis, anathematizationis, multacionis, adiectionis, et inhibitionis infringere etc. Si quis etc. Datum Mantue Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, decimonono Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Itaque nuper cum Carissimus in Christo filius noster Stephanus Rex Bosne Illustris et dilectus filius nobilis vir Stephanus in Bosna dux nobis notum facere curaverint, Turchos predictos multa parare, facere et comminari, propter que merito timendum ipsi Rex et dux tenent, credunt et existimant, ne in eorum provincias, terras et dominia irruant et irrumpant, opemque a nobis propterea duxerint efflagitari, fraternitati tue, si casus acciderit dictorum Turchorum irruptionis et invasionis regni et ducatus Bosne predictorum, publicandi cruciatam superius scriptam et tam in eorumdem Regis et ducis dominiis, terris et locis, quam alibi per missos nuntios et predicatores auxilia et subsidia Christifidelium implorandi, que omnia in predictorum Regis et ducis presidium convertantur et distribuantur, prout melius videbitur faciendum, auctoritate apostolica concedimus facultatem, volentes, quod si forte acciderit, aliquas pecunias et alias res preterito tempore alicubi a Christifidelibus collectas et conservatas fuisse, que tibi in potestate darentur, eadem omnia in antedictorum Regis et ducis ac dominiorum suorum defensione et protectione distribuas et expedias. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo CCCCLXI. Non. Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. I. fol. 14.

DLII.

Iudicibus mandatur, ut conventum monialium S. Aug. in insula Danubii Vesprim. dioec. a iurisdictione generalis ac prioris provincialis ord. Praed. eximant.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi, ac dilectis filiis ... sancti Petri Veterisbudensis ac ... sancte Trinitatis de Caldisaquis superioribus Vesprimiensis diocesis ecclesiarum prepositis, salutem etc. Iustis et humilibus supplicum, presertim religiosarum sexus feminei personarum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum priorisse et conventus Monasterii monialium Insule Danubii, alias Leporum, per priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini Vesprimiensis diocesis peticio continebat, quod licet olim nos per alias nostras litteras, in quibus inter cetera ex certis tunc

expressis causis, ad humilem supplicationis instanciam Carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Ungarie Illustris et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Elizabeth eius genitricis, priorissam et conventum monasterii predicti cum personis in eo degentibus, nec non vassallis et colonis eiusdem presentibus et futuris, eorumque rebus mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac iuribus et pertinentiis universis, que ipse et ipsi tunc legitime possidebant et in futurum, prestante domino, iustis titulis adipisci possent, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione et correctione dilectorum filiorum generalis et provincialium, reliquorumque priorum et prelatorum ordinis fratrum predicatorum, sub quorum cura degere consueverunt, et quorumcumque ordinariorum iudicum exemimus et perpetuo liberavimus, illaque in ius et proprietatem beati Petri et sedis apostolice, ac sub illorum speciali protectione suscepimus atque nostra, ac decrevimus prefate sedi immediate subiacere; ita quod generalis, provincialis, priores, prelati iudicesque predicti, aut aliqua quevis ecclesiastica vel mundana persona, quacumque fulgeat dignitate, in priorissam et conventum ac personas, vassallos, colonos, iura et bona predicta, utpote prorsus exempta, non possent ratione contractus rei, de qua ageretur, aut alia quavis occasione excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias promulgare, seu iurisdictionem aliquam exercere. Inter cetera voluerimus, quod prefatus generalis aut eius commissarius, qui in Regno Ungarie pro tempore deputatus existeret, priorisse et monialibus aliisque personis dicti monasterii aliquem idoneum religiosum dicti ordinis fratrum predicatorum, prefate Elizabeth, dum viveret, et deinceps Regine Ungarie pro tempore existenti gratum et acceptum, in earum confessorem, et quo ad spiritualia dumtaxat vicarium, qui alias de regimine et administratione bonorum temporalium dicti monasterii se nullo modo intromitteret, singulis annis vel bienniis aut trienniis, prout eis videretur, deputare teneretur, nec non ipsi priorisse pro tempore existenti, ut procuratoribus aliisque officialibus et scriptoribus, ac carpentariis et aliis personis necessariis, et domesticis dicti monasterii, de quibus sibi rationabiliter videretur, ut monasterium ipsum sine cuiusvis pene incursu urgente causa ingredi possent, licentiam impertiri libere et licite valeret, licentiam et facultatem concesserimus: tamen dilectus filius Petrus de Meggesalya, commissarius dilecti filii generalis dicti ordinis in ipso Regno deputatus, pro parte Elizabeth ac priorisse et conventus predictarum debita instancia requisitus, ut dilectum filium Andream de Feldvar dicti ordinis professorem virum gravem et ipsi Elizabeth gratum et acceptum, in priorisse et monialium ac personarum monasterii huiusmodi confessorem, et quo ad spiritualia vicarium iuxta dictarum litterarum seriem deputaret, hoc facere, nulla subsistente causa legitima, contra iusticiam recusavit, nec non quosdam ex procuratoribus aliisque officialibus dicti monasterii, ac scriptoribus et carpentariis aliisque personis necessariis et honestis, quibus ipsa priorissa, urgente necessitate, ut prefatum monasterium ingredi possent, licentiam dictarum litterarum vigore concesserat, propter ingressum huiusmodi excommunicatos licet de facto publice nuntiari fecit, ac eidem Andree et aliis fratribus et personis, priorisse et conventui prefatis tam pro divinis officiis inibi celebrandis quam aliis necessariis, ne ad dictum monasterium accederent, inhibuit etiam de facto, in ipsarum priorisse et conventus preiudicium non modicum et detrimentum. Quare pro parte tam Elizabeth quam priorisse et conventus predictarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut Petrum et successores suos commissarios vel vicarios dicti prioris generalis, aliosque priores et fratres ipsius ordinis fratrum predicatorum ad observationem dictarum litterarum, et ad deputandum in vicarium huiusmodi pro prima vice dictum Andream, ipsumque Andream ad acceptandum officium vicariatus huiusmodi compelli, ac procuratores et officiales, reliquosque predictos de licentia ipsius priorisse prefatum monasterium sine cuiusvis censure aut pene incursu, ingruente causa legitima, ingredi potuisse, declarari mandare, aliasque priorisse et conventus ac monasterii predictorum statui super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis dicto Petro et aliis, qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereritis, dictum Petrum et successores suos commissarios ipsius generalis, ac prioris provincialis illius provincie iuxta morem dicti ordinis pro tempore existentes, ut deputationem de dicto Andrea pro prima vice, ac deinceps de aliqua alia persona dicti ordinis in confessorem et vicarium priorisse et monialium predictarum iuxta earundem nostrarum litterarum tenorem debitis temporibus faciant, ac ipsum Andream, ut huiusmodi officium acceptet, auctoritate nostra moneatis et mandetis eisdem, et si id facere fore neglexerint,

eos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellatis. Et nichilominus procuratores et officiales monasterii et scriptores ac carpentarios, aliasque personas necessarias dictum monasterium, urgente causa legitima, de ipsius priorisse licentia absque alicuius pene incursu ingredi potuisse, eadem auctoritate declaretis, prout de iure fuerit faciendum, non obstantibus premissis et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, quarto Idus Maii. Pont. nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. lib. VIII. fol. 198.

DLIII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae V. in Zolionok Iauriensis dioec. visitantibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia, quibus Regina celorum virgo dei genitrix sedibus prelata sidereis, quasi stella mattutina perrutilat, devote considerationis indagine perscrutamur; dumque etiam infra pectoris archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie, gratie et pietatis amica, humani generis consolatrix pro salute fidelium, qui delictorum onere pregraventur, sedula exoratrix et pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, divinum quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias in honorem sui nominis dedicatas graciosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus honoremus. Cupientes igitur, ut ecclesia domus seu monasterii fratrum sancti Pauli primi heremite sub regula sancti Augustini degentium, sub vocabulo beate Marie Virginis dedicata in oppido Zolionok erecta, Iauriensis diocesis, quam quidem domum seu monasterium dilectus filius nobilis vir Andreas Boumkircher laicus sumptuoso opere edificari et construi statuit, congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius confluant ad eandem, et ad constructionem ipsam manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc dono celestis gratie ibidem conspexerint se refectos, de omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis ipsius beate Marie Virginis festivitatibus prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad constructionem huiusmodi manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet Assumptionis Septem, et Nativitatis ac Annunciationis et Purificationis eiusdem beate Marie Virginis festivitatum diebus Tres annos, et totidem quadragenas de iniuctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Rome etc. mccccLxi. Nonis Aprilis. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. secr. lib. XII. fol. 22.

DLIV.

Sanctus Gregorius, petente Stephano rege, declaratur regni Bosniae patronus.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Gloriosos dei sanctos quanto maiori prosequimur laudum et orationum veneratione, eo maiora et frequentiora Christifidelium miseriis, calamitatibus ac necessitatibus sperare possumus adiumenta. Cum itaque Carissimus in Christo filius noster Stephanus Bosne Rex Illustris per suos oratores nobis significare curaverit, beatum Gregorium miraculosum nuncupatum, in eius regno Bosne pro patrono et defensore dicti regni publice ab omnibus haberi et reputari, eiusdem Regis et regnicolarum supplicationibus inclinati, cupientes dicti sancti suffragia et intercessiones apud deum reddere efficaciores, auctoritate apostolica et ex certa scientia decernimus, volumus et mandamus, festum diem eiusdem sancti Gregorii, qui dies in predicto regno esse dicitur xvi. Kal. Decembris, celebrari debere, etiam sub octava, prout multorum dei sanctorum festivitas ab ecclesia celebratur. Nulli ergo etc. nostre constitutionis, voluntatis et mandati etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice mccccLxi. vii. Idus Novembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. lib. VIII. fol. 92.

DLV.

Mathiae regi Hungariae, Elisabethae reginae, Emerico Zapolya, Stephano archiepo Colocensi et Michaeli Orsag palatino indulgetur, ut sibi confessorem eligere possint,

Pius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Mathie Ungarie Regi Illustri, salutem etc. Benigno sunt illa tibi concedenda favore, per que conscientie pacem et anime salutem, deo propitio, consequi valeas, presertim cum magnum erga nos et sedem apostolicam sincere devotionis affectum ge-

rere comprobaris, et pro fidei catholice exaltatione assiduos non cessas subire labores. Hinc est, quod nos motu proprio, non ad tuam vel alicuius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ut ydoneum presbiterum secularem vel regularem in tuum possis eligere confessorem, qui, confessionibus tuis diligenter auditis pro commissis per te criminibus, excessibus et peccatis, etiam in singulis sedi apostolice reservatis casibus, semel dumtaxat in anno debitam tibi absolutionem in forma ecclesie consueta impendere, et penitentiam salutarem iniungere, necnon confessor ipse omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus fueris, semel in vita et semel in mortis articulo plenam remissionem tibi, in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia et devotione nostra vel successorem nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti, auctoritate apostolica concedere valeat, quodque idem confessor per te, ut prefertur, eligendus quecunque peregrinationis et abstinentie vota, preterquam excepta, si que forsan emiseris, et que commode servare non potes, necnon ieiunium singularum sextarum feriarum ad consequendum huiusmodi plenariam remissionem iniungi solitum, eadem auctoritate in alia pietatis opera, que omnino adimplere debeas et tenearis, commutare possit, prout secundum deum anime tue saluti viderit expedire, devotioni tue tenore presentium concedimus et indulgemus; sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per alios, si forte tunc transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam sis aut reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si hactenus in nos vel predecessores nostros Romanos pontifices, aut in ipsorum mandatorum contemptum, seu in apostolice sedis vel ecclesie libertatis offensam aliqua commiseris, aut alias ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres, quoad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Siquis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXI. Tertio Nonas Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Pius episcopus etc. Dilecte in Christo filie nobili mulieri Elisabeth, Carissimi in Christo filii Mathie Ungarie Regis Illustris genitrici, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut illa tibi favorabiliter concedamus, per que conscientie pacem et anime salutem, deo propitio, consequi valeas. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut ydoneum presbiterum etc. ut in precedenti, semel de casibus reservatis, desuper et semel in vita et semel in mortis articulo plenam remissionem, ut in predicto etc. usque in finem.

Pius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Emerico de Zapolya, Carissimi in Christo filii Mathie Regis Ungarie Illustris thesaurario, salutem etc. Sincere devotionis affectus etc. Confessionale ut in superiori proxime de verbo ad verbum etc.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, que ad conscientie pacem et anime tue salutem conspicimus expedire. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut idoneum presbiterum etc. Confessionale ut in proxima et sub eadem data.

Pius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Michaeli Orsag, Regni Ungarie Comiti Palatino, salutem etc. Sincere devotionis affectus etc. Confessionale, ut in genitricis Regis Ungarie etc. usque Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. lib. VIII. fol. 45.

DLVI.

Praeposito de Vaska Zagrab. dioec. mandatur, ut de matrimonii promissione Ladislai de Zienche se informet et decidat.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Preposito monasterii de Vaska per prepositum soliti gubernari, Zagabriensis diocesis, salutem etc. Constantis fidei probata sinceritas et singularis devotio, quam dilectus filius Ladislaus Ladislai de Zienche, laicus Zagabriensis diocesis, ad nos et Romanam gerit ecclesiam, non indigne meretur, ut petitiones suas, que a rationis tramite non discordant, ad exauditionis gratiam admittamus, ac suis humilibus votis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut pro parte dicti Ladislai nobis nuper exhibita petitio continebat, quondam Clemens de Taplan laicus, dum in humanis ageret, ipsum Ladislaum de nobili genere procreatum, in decimo sue etatis anno constitutum, ad promittendum, quod quam primum legitime foret etatis, dile-

ctam in Christo filiam Luciam, ipsius Clementis natam, que sextum sue etatis annum nondum attingebat, in uxorem reciperet, dolose se duxerit, ymo quodam modo coegerit: et licet idem Ladislaus etiam postquam ad pubertatem pervenit, nec promissionem huiusmodi ratificaverit, neque sponsalia nec aliquem contractum matrimonii cum eadem Lucia contraxerit, nec aliter per eosdem tacite vel expresse ratificata fuerunt; verum tamen idem Ladislaus conscientia motus dubitat, vinculo promissionis huiusmodi fore obligatum, et cum alia muliere matrimonium contrahere non posse, nisi sibi super hoc apostolice sedis patrocinium suffragetur: quare pro parte dicti Ladislai nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi et statui eius in premissis oportune providere de benignitate apostolice dignaremur. Nos igitur attendentes, quod pro similibus promissionibus scandala sepe numero subsecuntur, et quod matrimonia libera et non coacta esse debent, quodque dictus Clemens, ut idem Ladislaus asserit, ab hac luce decessit, et dum viveret, super observatione dicte promissionis ipsum Ladislaum saltim canonice non requisivit, de premissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dicta Lucia et aliis, qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, prefatum Ladislaum propter dictam promissionem nullo vinculo matrimonii cum eadem Lucia fuisse vel esse astrictum, et ad observationem dicte promissionis in aliquo non teneri, nec quod ad id invitus per quempiam possit compelli, auctoritate prefata prout de iure decernas pariter et declares, ipsumque Ladislaum ad habundantiorem cautelam, ut cum quacumque muliere, dummodo aliud canonicum non obsistat, matrimonium contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere libere valeat, eadem auctoritate concedas, non obstantibus promissione predicta ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, septimo Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. lib. X. fol. 51.

DLVII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam S. Catharinae in Iaice Bosnen. dioec. visitantibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota eorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cum itaque Carissimus in Christo filius noster Stephanus Rex Bosne Illustris nobis significare curaverit, in Regno suo Bosne populorum opinione teneri, sancti Luce Evangeliste corpus in ecclesia sancte Catherine in Iaice Bosnensis diocesis terra servari, et multis sepenumero clarere miraculis: eodem nobis supplicante Rege, cupientes uti eadem ecclesia congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in dicti sancti Luce et sancti Georgii ac sancti Petri festivitatibus, et per illarum octavas, nec non in die translationis eiusdem sancti Luce dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim, vel ei manus porrexerint adiutrices, decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus imperpetuum duraturis. Volumus tamen, si alias dictam ecclesiam visitantibus per nos similis vel alia indulgentia concessa sit, ipsam in suo robore et firmitate permansuram. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MCCCCLXI. X. Kal. Aprilis. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XVII. fol. 309.

DLVIII.

Eisdem ecclesiam S. Georgii in Thesagy Bosnen. dioec. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de habundantia sue pietatis, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam muneribus allectivis, indulgen-

tiis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gracie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Georgii in Thesagy ordinis sancti Francisci Bosnensis diocesis, quam dilectus filius nobilis vir Radinoi Charstich, ut accepimus, fundavit et erexit, a Christifidelibus congruis honoribus frequentetur, et etiam in suis edificiis et ecclesiasticis ornamentis ad divinum cultum spectantibus conservetur, et fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, ac ad illius manutentionem et ornamentorum provisionem et conservationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festivitatibus sancti Georgii et sancte Catharine ac assumptionis beate Marie virginis eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad manutentionem, provisionem et conservationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias ad manutentionem, provisionem et conservationem ecclesie huiusmodi manus, ut premittitur, porrigentibus adiutrices, aut pias inibi elemosinas erogantibus seu ecclesiam ipsam visitantibus aliqua alia indulgencia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum forsan elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud sanctum Petrum anno etc. MCCCCLXI. decimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XVII. fol. 308.

DLIX.

Laurentio archiepo Spalatensi in regno Bosniae legato, ut bullam Cruciatae insertam, si Turcae regnum Bosniae invaderent, ubique promulget.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Laurentio Archiepiscopo Spalatensi, in Regno Bosne apostolice sedis legato, salutem etc. Proximis temporibus cupientes impiorum Christi hostium Turcorum, provincias, terras et loca fidelium christianorum invadentium, iuxta datam nobis a domino facultatem insolentiam rabiemque propulsare, infrascripti tenoris litteras per varias christianorum provincias duximus transmittendas. Pius etc. Ad perpetuam etc. Ecclesiam Christi variis etc. ut supra Nro. DLI. pag. 366. Itaque nuper cum Carissimus in Christo filius noster Stephanus Rex Bosne Illustris et dilectus filius nobilis vir Stephanus in Bosna Dux nobis notum facere curaverint, Turchos predictos multa parare, facere et comminari, propter que merito timendum ipsi Rex et Dux tenent, credunt et existimant, ne in eorum provincias, terras et dominia irruant et erumpant, opem a nobis propterea duxerint efflagitari, fraternitati tue, si casus acciderit dictorum Turchorum irruptionis et invasionis Regni et Ducatus Bosne predictorum, publicandi cruciatam superius scriptam, et tam in eorumdem regno, ducatu, dominiis, terris et locis, quam alibi per missos nuntios et predicatores auxilia et subsidia christifidelium implorandi, que omnia in predictorum Regis et ducis presidium concurrant et distribuantur, prout tibi melius videbitur faciendum, auctoritate apostolica concedimus facultatem, volentes, quod si forte acciderit, aliquas pecunias et alias res preterito tempore alicubi in Regno, ducatu et dominiis predictis a christifidelibus collectas et conservatas fuisse, que tibi petenti darentur, eadem omnia in antedictorum Regis et Ducis, ac regni et dominiorum suorum defensione et protectione distribuas et expendas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXI. decimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XVII. fol. 310.

DLX.

Stephano regi Bosniae altare portatile conceditur, et ut sibi ante lucem missas celebrari facere possit.

Pius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Stephano Regi Bosne, salutem etc. Omnigene devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut petitionibus tuis, illis presertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut liceat tue Serenitati habere altare portatile cum debita reverentia ac honore etc. ut supra Nro. CCCCXIII. pag. 252. in tua et familiarium tuorum domesticorum presentia etc. circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exigat, possis per proprium vel alium sacerdotem idoneum facere celebrari etc.

Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXI. decimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XVII. fol. 262.

DLXI.

Guardiano et fratribus B. Mariae Virg. in Silva extra Igal ord. Minorum Vesprim. dioec. privilegia et indulta confirmantur.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Guardiano et fratribus domus beate Marie Virginis in Silva extra oppidum Igal ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a Romanis pontificibus predecessoribus nostris sive per privilegia vel alia indulta vobis et eidem domui concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis christifidelibus vobis et prefate domui rationabiliter indultas, sicut ea iuste et pacifice possidetis, vobis et per vos eidem domui apostolica auctoritate confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et communitionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice MCCCCLXII. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia lib. XVII. fol. 295.

DLXII.

Pax et capitula inter Fridericum imperatorem et Stephanum regem Hungariae facta confirmantur et inseruntur.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Pietati divine placuit et utique congruebat, ut salvator noster Iesus Christus, princeps Regum terre et dominus dominantium ac universorum, que in celo sunt pariter et in terra, dum devicta morte nos liberaverat a diabolica pravitate, et in celum ascenderat, pro regimine domus sue, que regnum eius est, et bene fundata supra firmam petram, Vicarium mortalibus dimitteret, ad quem fideles universi, Reges et principes recursum haberent, cuique obedirent et ea que pro cunctorum pace et quiete statueret, reverenter acceptarent: cumque nos hunc pro divina dispositione ipsius nostri salvatoris licet immeriti Vicariatum teneamus, ad hoc operas nostras libenter impendimus, ut cuncta regna christiana in se et in Christo capite nostro summa pace conquiescant. Sane dudum post obitum clare memorie Ladislai Ungarie Regis, cum inter Carissimos filios nostros tam Fredericum Romanorum Imperatorem semper Augustum, quam Mathiam Ungarie Regem super ipso Ungarie regno, quod eorum quisque ad se spectare asseruit, non parva differentia suborta fuisset, placuit altissimo, eosdem ad certa pacis media et capitula presentibus inserta annotare, quibus inter alia cavetur, ut pro robore et firmitate pacis eorumdem et singulorum capitulorum inter ipsos annotatorum noster et huius apostolice sedis consensus, approbatio et confirmatio intervenire debeat. Cum autem huiusmodi pacis capitula communi partium predictarum consensu sint edita et concepta, atque per nos mature visa et diligenter ponderata nichil contineant, cui nostrum debeamus denegare consensum, sintque pro pace partium predictarum et fidelium christianorum conservatione plurimorum: eapropter motu proprio et ex certa nostra scientia illa omnia et singula laudantes et approbantes, apostolica auctoritate admittimus, et ut ad effectum quantocius deducantur, non solum consentimus, sed etiam summopere desideramus. Verum cum ex certis indiciis spes firma nobis sit, quod omnia capitula illa subscripta iam concorditer et pacifice acceptata et conclusa sint: idcirco eadem omnia et singula capitula inferius inserta, uti facta sunt, motu et scientia eisdem prefata apostolica auctoritate confirmamus, stabilimus et presentis scripti patrocinio roboramus, decernentes illa stabilia ac prout sonant perpetuo fore servanda. Porro si aliquo impediente capitula illa usque hodie completa non sint, ea nichilominus omnia et singula motu et scientia similibus compleri et perfici per partes predictas, et prout quamlibet earum concernit, dicta auctoritate apostolica requirimus et hortamur, atque etiam districte precipiendo mandamus, illa omnia et singula dum perfecta et completa et ad effectum perducta fuerint, quod citius fieri optamus, ex nunc prout ex tunc et tunc prout ex nunc motu et scientia predictis auctoritate dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius et nostra harum serie confirmamus, roboramus et huius apostolice sedis presidio communimus et firma

esse decernimus atque observari mandamus. Tenor vero Capitulorum eorumdem, de quibus supra meminimus, sequitur de verbo ad verbum, et est talis. Ad causam conclusionis habende in negotio Ungarico per gloriosissimum Dominum nostrum Romanorum Imperatorem etc. et Reverendissimum patrem Dominum Iohannem Episcopum Waradiensem, ut sequitur, avisatum est, in presentia et medio Revmi patris domini Ieronimi Archiepiscopi Cretensis Legati sedis apostolice. In primis cogitata sunt ea dampna atque incommoda, que a longo tempore citra usque in presentem diem occasione differentiarum inter ipsum dominum nostrum Imperatorem et regnum illata et attemptata fuerunt, et quod nichil commendabilius quam in pacem differentias huiusmodi ad laudem dei bonumque rei publice religionis christiane promovende redigi; ex ipsa quidem pace ab altissimo relicta et commendata ad felices cuncta possunt conduci successus, ad consolationem sancte matris ecclesie, in relevamenque pauperum et oppressorum. Item deliberatum est ad finem optate pacis et concordie, quod ex regno et per regnum dicto domino nostro Imperatori ad causam dampnorum a tempore, quo ad fideles manus quondam felicis recordationis Ladislaum regem et coronam per ipsius regis genitricem dominam Elizabeth presentatos et commissos pro suo debito fideliter in suis manibus iuxta commissa habuit et tenuit, quemadmodum hodie tenet non perditam nec alienatam, signanter ob non assignationem corone pro aliquorum dominorum regni desiderio factam, multipliciter usque in presentem diem sue maiestati et suis illatorum et expositorum per eandem maiestatem suam pro sua et suorum defensione, tuitione ac corone conservatione, ne indeliberatam aut incautam ad manus alicuius faceret, aliter quam sue serenitati incumberet, alienationem seu assignationem, etiam pro eo, quod duci Alberto hiis diebus elapsis ad confortationem, ut idem dominus noster Imperator exposuit, sui iniusti et temerarii exercitus gentes armorum Hungaricorum contra et adversus dominum Imperatorem et terras suas sola facti via miserunt, reddere debebunt octuaginta millia florenorum Hungaricalium aut ducentorum boni auri et iusti ponderis in recompensam. Item ad eum, ut pretactum est, finem et effectum avisatum est ad causam castrorum et oppidorum in metis et limitibus Hungaricis constitutorum, que Imperatoria sublimitas possidet et in suis manibus tenet per se et alios nomine sue maiestatis, modo, ut sequitur: Item, quod dominus noster Imperator et heredes sui ab eo per rectam lineam descendentes infrascripta castra et oppida, videlicet Vorchtenstain, Kobelsdorff, Ferreamcivitatem, Gunsser et Rechnicz cum suis pertinentiis omni imperio et iurisdictione possideant et teneant, et illis libere utantur et gaudeant pacifice et quiete absque regni, regis pro tempore, dominorum et inhabitatorum eius per se aut alios eorum nomine inquietatione, perturbatione, exactione, gravamine et molestia quibuscunque, de iure et facto, ac cessione iuris, eorum presertim, qui interesse ad loca prenominata se habere putant, in favorem quorumcunque quovis quesito colore facta aut facienda, donec et quousque ad beneplacitum et voluntatem cum eadem sua serenitate aut heredibus suis, ut supra, aliter deliberatum et concordatum fuerit super eisdem; salvis tamen causis ecclesiasticis, que in foro suo ventilari et agitari poterunt, prout iuris est et rationis, in foro quidem seculari in personalibus actionibus et realibus contra et adversus subditos maiestatis Imperatorie et castrorum predictorum quomodolibet motis et movendis, a domino Imperatore aut in locis deputatis sue serenitatis pro tempore iudicibus, actor iustitiam postulet et requirat, que ad requirentis instantiam expedite administrari debet; proviso, quod eo ordine ad requisitionem subditorum maiestatis et dictorum castrorum per Regem et regnum et eorum officiales procedatur et procedi curetur: et si passagium generale contra infideles pro defensione fidei et regni fieri contingeret, in ea re, requisitione previa, a domino Imperatore iidem subditi maneant inclusi; sic tamen quod in eum casum huiusmodi exactionis per suam maiestatem debita fiat dispositio, et adversus contravenientes, qui quomodolibet etiam pro suo interesse aliquid attemptarent contra ea, que pretacta sunt, ac dominum Imperatorem et heredes suos tanquam contra violatores pacis Rex et regnum potenter assistentiam facere habebunt. Adiectum etiam et deliberatum est, quod post obitum domini nostri Imperatoris Rex pro tempore et regnum facultatem habeant dicta castra Vorchtenstain et Kobelsdorff et eorum redditus, casu quo idem Kobelsdorff per dominum Imperatorem demolitum non fuerit, attento, quod modice extimationis existit et ruinosum, alias ipsius redditus eluendi ab heredibus sue maiestatis pro summa quadraginta millium florenorum Hungaricalium seu ducatorum boni auri et iusti ponderis. Item sua maiestas, solutione, ut predictum est, octuaginta millium florenorum facta, Sopronium regno sub eo iure, quo maiestas sua id habuit, libere restituet et assignabit. Item quia sacra Cesarea majestas non ambitione, nec aspiratione inordinata, sed digna vocatione regnum et Regis nomen

assumpsit, quemadmodum sepius declaratum fuit, providendum et cavendum est sufficienter, quod eadem sua majestas Imperatoria titulo Regis ut supra assumpto, ab ipso domino Mathia et aliis regnicolis et regnum representantibus inantea libere et quiete suis in litteris ac ubilibet honorata et decorata, quoad vixerit, remaneat, et Rex nominetur et vocetur, et ut eo titulo uti et frui possit et valeat, impedimento, contradictione et turbatione Regis pro tempore, dominorum et inhabitatorum regni prorsus amotis. Item ut respublica et felix sancte Romane ecclesie christianeque religionis status augeri et promoveri salubrius et utilius possit, beneficio adoptionis idem dominus noster Imperator dominum Mathiam in suum filium paterne amplecti, sibique et regno amicitiam, favores et promotiones paternas inantea facere et pro filio dominum Mathiam nominare: et in recognitionem tante clementie, que multis respectibus a sua sublimitate Cesarea eidem domino Mathie cedet, ut digna vicissitudine gratitudinis debite erga eandem maiestatem se exhibeat, deliberatum est, quod idem dominus Mathias adoptionis filius pro domino patre et Rege dominum nostrum Imperatorem, quoad vixerit, honorare, reputare, nominare et tenere, ac domini et inhabitatores regni regnum representantes se obligare et astringere debebunt ad servandam inconcusse perpetuo cum domino nostro Imperatore et heredibus suis, ligis in contrarium et inscriptionibus quibuscunque non obstantibus, imo sublatis eisdem, pacem, et ad consilia, auxilia et subsidia Imperatorie maiestati et suis heredibus cunctis in adversis, totiens quotiens opportunum fuerit, et contra quoscunque, sanctissimo domino nostro papa, sede apostolica et sancta Romana ecclesia duntaxat exceptis, efficaciter iuxta posse danda, facienda et prosequenda ad sue maiestatis et suorum heredum requisitionem suis expensis, mora et contradictione quibusvis omnino cessantibus; ob quod Imperatoria maiestas grata vicissitudine, favoribus et promotionibus Regem et Regni bonum statum, signanter contra Turchum et infideles Christi hostes, apud Sanctissimum dominum nostrum Summum pontificem, sedem apostolicam, principes sacri Romani Imperii ac alias, ubi opportunum fuerit, sincere promovere intendit: et si, premissis tamen signanter ad causam Castrorum, ut supra ordinatis, semper salvis, aliqua partium dictarum aut eorum subditi utrinque inter se alter ad alterum habere pretenderit querelas aut petitiones, illas prout de iure et non aliter prosequi debent; quarum occasione iustitia ad conquerentium requisitionem expedite erit administranda. Item ad maiorem solidationem paterni amoris et in retributionem clementissime affectionis ipsius domini nostri Imperatoris ad dominum Mathiam et regnum ipsius, quodque eo promptior Imperatoria Maiestas ad regni commoda et boni status eius incrementa accuratius promovenda alliciatur, providendum et cavendum est, quod vacante regno, sive per obitum ipsius domini Mathie aut quocunque alio modo, filiis ex suis lumbis ex eo non procreatis et superstitibus, sua maiestas aut filius sue Cesaree sublimitatis, quem ad hoc deputandum duxerit, et post sue Serenitatis decessum filius eiusdem sue maiestatis, quem reliquerit, aut si plures fuerint relicti, alter existat, in Regem regno preficiatur cum plena eiusdem regni administratione. Item si, ut prefertur, regnum vacaverit, providendum est, quod Imperatoria maiestas aut filius eius, ut premittitur, consilio et potenti auxilio regni, ut moris est, coronetur, et in administratione plena regni in pace recognoscatur et efficaciter teneatur. Item pro adherentibus maiestati Imperatorie Consiliariis Hungaricalibus, videlicet Ladislao de Posing, Giskra Comite, Ian Witolkeez, Pemkercher, Gravenegker, Thoma Czebinger, Iodoco in Wigleis, Petro Keler, et aliis fiat compositio et concordia iuxta condignum et sepius in tractatibus huiusmodi mota et avisata, quoniam sine istis maiestas Imperatoria concordiam concludere non intendit. Item treuge serventur ad intervalla temporis rebus accommoda: quibus pendentibus, diligentia atque provisio fiat ab utraque parte, ut concordata huiusmodi auctoritate apostolica canonizentur, solemnizentur et decreta ad eorum publicationem fiant, tractata et concordia quevis firmentur, sub penis formidabilibus vallentur pro eorum necessitate et exigentia ad inviolabilem eorum observantiam cum deputatione executoris, prout melius videbitur expedire; que etiam in scriptionibus et sigillis prelatorum, Baronum, notabilium et potiorum regni per suam maiestatem nominandorum, maiorisque partis Capitulorum iuxta dicti regni consuetudinem firmari, sigillari et roborari debent. Item predictis conclusis, acceptatis et expeditis super assignatione corone et receptione, ut prefertur, octuaginta millium florenorum, nec non inscriptione concordatorum est de Nova Civitate avisatum et deliberatum super mutua assignatione utrinque fienda. Item ordinetur, quod dominus Mathias et potiores regni ecclesiastici et seculares suo et totius regni nomine aliquos notabiliores regni ecclesiasticos et seculares, quodque ad eum finem presto sint cum solutione pretacta, et indempnem Imperatoriam Maiestatem apud omnes et singulos faciant, relevent et in scriptiones, de

quibus supra, consentiant, et eas opportune expediri et vallari iuramentis et alias, ut premissum est, firmari curent realiter et cum effectu, quodque omnes iniurie, differentie, dissensiones, petitiones et actiones inter partes ipsas, signanter occasione felicis recordationis Regis Ladislai aut alias quomodolibet suborte et competentes, quo ad se et heredes ac successores penitus remisse et extincte existant. Item omnino providendum est iuxta deliberata et avisata in tractatibus, quod habita corona et coronatione, per regnum mox omnes inscriptiones domini Mathie et Regni, ut prenarratum est, renoventur forma et modo necessariis ad perpetuam rerum stabilitatem. Item quod impletis premissis, videlicet solutione octuaginta millium florenorum et inscriptionibus, dominus Imperator omnino sine ampliori difficultate et quavis exceptione semota reddat coronam Hungaris et inscriptiones ex eius parte necessarias assignari faciat. Articulis vero, ut premittitur, non conclusis, omnibus et singulis protestatum et reformatum est, quod neutri partium presentes tractatus et avisamenta preiudicium afferre debeant. Acta in Gretz die tertia mensis Aprilis Anno etc. LXII. etc. Nulli ergo etc. nostre laudis, approbationis, admissionis, confirmationis, stabilimenti, roborationis, decreti, mandati, communitionis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, Nonis Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia lib. I. fol. 235.

DLXIII.

Universis crucesignatis etc. contra Turcas indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Super gregem dominicum celitus constituti, inter solicitudines varias, quibus assidue premimur, ad id potissimum intendimus, ut orthodoxe fidei negotiis precipue consulamus, et imminentibus populo christiano periculis, prout rerum et temporum necessitas exigit, quanantum cum deo possumus, obviemus. Sane per nos nuper non sine gravi amaritudine mentis accepto, quod impiissime gentis Turcorum Princeps Machometus, crucis Christi perfidissimus inimicus et christiani nominis persecutor crudelissimus, in multitudine ac robore spurcissime gentis sue glorians et sanguinem sitiens christianum, inclitum Hungarie Regnum christianitatis inviolabile scutum expugnare totis viribus intendat, et per illud reliquas christianorum provincias spurcissime Machometi sue secte subiicere, et immortale Christi salvatoris nostri nomen de orbe christiano delere: Nos considerantes istic celerius occurrendum, ubi maius periculum imminere dinoscitur, ac volentes omnia undique adiumenta conquirere, quibus huius impiissimi hostis ausus nefandissimi reprimi ac imminenti periculo provideri possit, omnes et singulos Christifideles ad obviandum huic tam evidenti fidei nostre periculo, et christiani populi necessitati crediti nobis desuper spiritualis distributione thesauri providimus invitandos. Itaque de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, qui vivifice signo crucis suscepto vel non suscepto, in defensionem catholice fidei et hostium illius expugnationem in hoc impresentiarum imminenti periculo Zavum vel Danubium fluvios cum catholico exercitu propriis, vel alienis expensis pugnaturi transierint, aut hosti venienti et per ipsos fluvios vel eorum alterum Hungariam intrare comminanti in vadis fluviorum eorundem armati restiterint, et ne hostis ipse transeat, pro viribus suis defenderint, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, plenariam remissionem et indulgentiam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et impartimur, presentibus ad octo menses post datam earundem presentium duntaxat duraturis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXIII. pridie Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. lib. XII. fol. 334.

DLXIV.

Universis fidelibus capellam S. Georgii in ecclesia Vesprimiensi visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Quos omnipotens deus perpetua gloria magnificavit in celis, summa devotione convenit in terris ab omnibus venerari: nam quo solemnius fideles Christi sanctorum colunt memoriam, eo dignius ipsorum patrocinium promerentur. Cupientes igitur, ut capella sancti Georgii martiris cathedralis ecclesie Vesprimien-

sis sub vocabulo sancti Michaelis fundate magna et illi annexa, in qua, sicut venerabilis frater noster Albertus episcopus Vesprimiensis orator Carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Hungarie Illustris, ad nos pro certis arduis negociis fidem catholicam concernentibus destinatus, nobis oraculo vive vocis exposuit, beatus Emericus divino indicio suam integerrimam virginitatem usque ad ultimum suum vite diem perseverasse perhibetur, ipsaque cathedralis ecclesia, vetustate causante, in suis structuris et edificiis utpote ruinam comminantibus reparatione indiget non modicum sumptuosa, congruis honoribus frequentetur, ac Christifidelium devotio, que ingens est ad capellam ipsam, augeatur, ipsique fideles eo libentius ad capellam ipsam confluant, ac ad illius conservationem, decorem et ornamentum, necnon reparationem structurarum et edificiorum huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo etiam hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui capellam ipsam in sancti Michaelis ac sancti Georgii festivitatibus, necnon in die dedicationis prefate cathedralis ecclesie a primis vesperis usque ad secundas vesperas devote visitaverint annuatim, ac ad huiusmodi reparationem, conservationem, decorem et ornamentum manus adiutrices porrexerint, singulis festivitatum et dedicationis huiusmodi diebus, quotiens id fecerint, tertie partis omnium peccatorum suorum plenariam remissionem misericorditer concedimus ac etiam relaxamus. Et ut Christifideles ad consequendum relaxationis fructum aptiores efficiantur, quod prefatus Albertus et pro tempore existens episcopus Vesprimiensis possent deputare sacerdotes ydoneos seculares et regulares in singulis festivitatum predictarum diebus, fideles eosdem, quorum tunc inibi confessiones audierint, ab omnibus suis peccatis, criminibus, excessibus et delictis auctoritate apostolica absolvere, eisdemque penitentiam salutarem iniungere, necnon vota singula, que fideles ipsi quomodolibet emiserint et commode servare non potuerint, ultramarino et beatorum apostolorum predictorum ac sancti Iacobi in Compostella, ac continentie et castitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeant, auctoritate predicta apostolica indulgemus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo sexagesimo tercio, pridie Kal. Iulii. Ponticatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. lib. XII. fol. 213.

DLXV.

Eps̃ Quinqueecclesiensis, Abbas S. Aegidii de Somovar et vicarius eiusdem ep̃i dantur ep̃o Vesprimiensi conservatores.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Quinqueecclesiensi et dilectis filiis ... Abbati monasterii sancti Egidii de Somovar Vesprimiensis diocesis, ac eiusdem Episcopi Quinqueecclesiensis in spiritualibus vicario generali, salutem etc. Militanti ecclesie licet immeriti, disponente domino, presidentes, circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divina operante clemencia, salubriter intendamus. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Episcopi Vesprimiensis conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique ecclesiastici prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose quam seculares, nec non Duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum et singulares persone civitatum et diocesium, ac aliarum partium in Regno Hungarie occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos et possessiones, iura et administrationes in spiritualibus et temporalibus, nec non census, fructus, redditus et proventus decimales dicte ecclesie Vesprimiensis, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, ad Episcopum et ecclesiam predictos spectantia, et ea detinent indebite occupata et usurpata, occupantque et usurpant, ac ea detinentibus et usurpantibus prestant auxilium, consilium et favorem; nonnulli etiam diocesium et partium predictarum qui nomen domini in vanum recipere non formidant, eidem Episcopo et ecclesie super dictis castris, villis et locis aliis, terris, domibus et possessionibus, iuribus et iurisdictionibus spiritualibus et temporalibus, fructibus, censibus, redditibus, decimis et proventibus earundem, et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus ad eosdem Episcopum et ecclesiam spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas: quare dictus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut cum eidem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsi super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupa-

tores, detentores, presumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eidem Episcopo et ecclesie remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur, temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis iudices et conservatores, prefato Episcopo et ecclesie efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eosdem super hiis et quibuslibet aliis indebite molestari, nec eis gravamina seu damna vel iniurias irrogari, facturi dicto Episcopo et ecclesie sue, cum ab eo vel procuratoribus suis fueritis requisiti, de predictis et aliis bonis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum, iurisdictionum, decimarum et iurium decimalium, et bonorum mobilium et immobilium, reddituum et proventuum et aliorum quorumcumque bonorum, nec non de quibuslibet molestiis, iniuriis atque damnis presentibus et futuris in illis, videlicet que iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit, iusticie complementum, occupatores seu detentores, presumptores, molestatores, iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque et quotienscumque expedierit, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocari, seu ne iudices et conservatores a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquis ultra unam dietam a fine sue diocesis eorundem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur; seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et violenciis et aliis, que iudicialem requirunt indaginem, penis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adiectis, conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a Romanis pontificibus nostris predecessoribus aut a nobis factis aut fiendis, tam de iudicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare; seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis, locis et ordinibus propriis mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data presentium sit vobis vel unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitisset, constitutione predicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante, presentibus post decem annos minime valituris. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, pridie Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. lib. XII. fol. 112.

DLXVI.

[illegible] anno MCCCCLXIII.

In nomine dei eterni, Amen. Postquam perfidus Turcus perpetuus Christiani nominis hostis victoriarum cursu vehementius elatus in dies factus insolentior, modo hos, modo illos pocius quadam eius sevicia, quam rei militaris pericia domuit, et ditioni sue Greciam, Bulgariam, Serviam, Constantinopolim, Urbem olim opulentissimam, Peloponnessum, Trapesundam, Mondaviam, et alia marittima loca, postremoque Bossynam, provincias omnes christianum nomen profitentes, nullo propemodum repugnante,

subegit, et etiam in christiane religionis cultores, de quorum excidio iamdudum molitus est, sternere non desinit; est sperandum in divina clementia summi creatoris nostri, qui pro redemptione nostra tormentum crucis subire dignatus est, quod ab huiusmodi persecutionibus Turcorum hostium crucis fidelem populum suum christianum liberabit, iamque ipse pater omnipotens assiduis deprecationibus fidelium suorum diu auxilium implorantium placatus, et quorum everse sunt domus, dissipate fortune, liberi in servitutem tracti, parentes crudeliter interempti, misericordia motus victoriis illis tot christianorum cruore pollutis finem imposuit, et ut victoriarum cursus adversum Turcos citius dirigatur, Illustrissimum Ducale Dominium Venetiarum, cui Turcorum nomen infestum fuit, ad hoc bellum adversus Turcos suscipiendum una cum Serenissimo domino Rege Hungarie in hanc hodiernam diem excitavit, simulque societate et federe iunxit, ut effrenata Turcorum audacia, que ulterius ferenda non est, cum falsa Mahometana fide tam ex mari, quam ex terra penitus deleatur, et ipsi sevissimi Turci sceleratissimi facinoris meritas penas luant. Itaque divino numine adducti Serenissimus et Excellentissimus dominus dñus Mathias dei gratia Rex Hungarie etc. ex una, et ex altera parte Illustrissimus dominus Christophorus Mauro dei gratia Dux et inclitum Dominium Venetiarum, etiam in dei nomine ad hanc compositionem, unionem, intelligentiam et ligam contra infidum Turcum optimo animo, et sincerrima mente unanimiter et simul conveniunt cum his modo infrascriptis, pactis, capitulis, conventionibus, promissionibus et obligationibus pro conservatione sanctissime Christiane religionis, et amplificatione nominis Christi summi Creatoris nostri.

Illustrissimus dominus Dux et inclitum Dominium Venetiarum, cuius vice et nomine Magnificus et clarissimus Miles dominus Iohannes .... eius honoratus Orator presens, qui circa hec publicam auctoritatem, libertatem et potestatem habet, sicut clare patet per quoddam publicum instrumentum et sindacatum per me Stephanum Bontempo, notarium infrascriptum, coram Serenissima Regia Maiestate visum et lectum se offert, et promittit illos perfidos Turcos et communes hostes habere, et tenere una cum prefata Regia Serenissima Maiestate, et devenire ad apertum bellum cum Turco, et contra eum viribus suis guerram gerere, donec ipse Serenissimus dominus Rex in guerra erit, et hoc facere pro communi securitate ambarum partium.

Preterea Illustrissimus dominus Dux et inclitum Dominium Venetiarum, ac eius vice et nomine dominus Orator se offert, et promittit devenire ad hoc bellum contra Turcum ex parte maris cum triremibus quadraginta optime instructis hominibus, armis et instrumentis bellicis necessariis, et pro communi bono et securitate utriusque partis.

Item Illustrissimus dominus Dux et inclitum Dominium Venetiarum, et eius nomine et vice dominus Orator se offert, et promittit divenire ad hoc bellum contra loca et statum huius Turci, communis hostis, cum omnibus gentibus suis et armigeris equestribus et pedestribus, quas habet in Peloponnesso, et aliis hominibus et subditis suis, quos habet per loca et maritimas et terrestras terras suas et Dalmacie finitimas Turcis, et cum omnibus hiis bellum gerere, ut ipsi Turci a diversis partibus propulsati cogantur per diversa loca divertere vires suas, ita quod exercitus suus minuatur, et hoc pro communi bono regni Serenissime Regie Maiestatis et status Illustrissimi Ducalis Dominii.

Et hoc teneatur et debeat facere Serenissimus dominus Rex sepedictus hoc bellum gerere contra loca et statum huius Turci, communis hostis, a parte terre omni suo conatu pro communi bono, utilitate et favore regni sue Maiestatis Serenissime et status prefati Illustrissimi Ducalis Dominii.

Intelligendo in hoc, quod contra statum Serenissime Regie Maiestatis Illustrissimus dominus Dux et inclitum Dominium Venetiarum nihil debeat innovare, nec operari, et similiter Serenissimus dominus Rex contra statum Illustrissimi domini Ducis et incliti Dominii Venetiarum nihil debeat innovare, nec operari, pro conservatione presentis lige.

Item una pars sine altera non possit devenire ad pacem, concordiam aut treuguam cum Turco, et hoc pro communi bono. Item detur et servetur locus in hac presenti liga omnibus Regibus, Ducibus, Principibus, Comitibus et Dominis cum suis coherentibus, vasallis et subditis possendi ingredi in hanc presentem ligam et unionem contra hunc Turcum communem hostem.

Pro quorum omnium et singulorum observatione Serenissimus dominus Rex et dominus Orator nomine Illustrissimi Ducalis Dominii Venetiarum iusserunt, hec omnia predicta et singula per me notarium publicari iuxta mores et consuetudines solitas cum omnibus promissionibus, stipulationibus, obligationibus, clausulis et cautelis necessariis et opportunis, ac cum omnibus solemnitatibus

convenientibus, promittentes ipse Serenissimus dominus Rex et dominus Orator nomine et vice Illustrissimi Ducalis Dominii mihi notario infrascripto, uti publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice omnium singulorumque, quorum interest, seu quomodolibet interesse poterit, se perpetuo firma, rata et grata habituros quecumque tractata et conclusa in hac presenti intelligentia et liga, et omnia in predictis et circa predicta, et contra ea vel eorum aliquod ullo unquam tempore non facere, dicere vel venire per se vel alium aliqua ratione vel causa de iure vel de facto sub pena dupli totius eius, de quo vel in quo contrafieret, aut non servaretur, ratis et firmis nihilominus manentibus omnibus predictis et singulis predictorum sub ypotheca et obligatione omnium et singulorum bonorum suorum presentium et futurorum: et ad premissorum autem fidem et evidentiam pleniorem predicti mandaverunt fieri publicum instrumentum huius presentis intelligentie et lige, et quo ad maiorem efficaciam iusserunt bulla pendenti muniri.

Actum in Sirimio in Varadinopeta in aula Serenissimi et Excellentissimi domini Regis predicti Anno MCCCCLXIII. Indictione XI. die XII. Septembris, presentibus Reverendissimis et dignissimis dominis Stephano Archiepiscopo Colocensi et Iohanne Episcopo Waradiensi, ac magnificis et potentibus dominis Michaele dignissimo Comite palatino Regni Hungarie, Nicolao Waywoda bano Sclavonie, Comite Stephano de Frangipanibus bano Croatie, Pamano Comite Zagorie bano Sclavonie, ac magnifico domino Emerico Zapol Regio Thesaurario dignissimo, et aliis dominis presentibus et astantibus testibus ad hec vocatis et specialiter rogatis.

Et ego Stephanus Bontempo, quondam domini Bartholomei de Venetiis imperiali auctoritate notarius et Iudex ordinarius, ac prefati Illustrissimi Ducalis Dominii secretarius, predictis omnibus et singulis, dum sicut premittitur, agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens fui, eaque iussu ipsius Serenissimi domini Regis et magnifici domini Oratoris nomine Illustrissimi Ducalis Dominii Venetiarum ac rogatus scripsi et publicavi, signumque mei apposui consuetum.

Ex Bibl. Vallicellana Cod. Lit. B. Nro. 19 fol. 87 et 177.

DLXVII.

Concordiam inter imperatorem et regem Hungariae factam Pius II. approbat et confirmat.

PIUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Licet suscepti cura regiminis dictim nos innumeris, quibus distrahi conspicimur, negotiorum illidat incursibus, ad ea tamen summopere nostre dirigimus affectionis intuitus, ut nobis ex alto commissum implere possimus officium, et inter universos nostre vigilancie creditos iurgiorum contemptionumque semotis dispendiis, pacis eis et quietis presidia feliciter ministremus, illa rursus ampliori perstringentes apostolici muniminis adminiculo, que ad earumdem pacis et quietis solidationem gratis dissidentium mediis novimus processisse.

Sane pro parte Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti et Mathie Regis Hungarie Illustris, ac Venerabilium fratrum nostrorum Stephani Archiepiscopi Colocensis et Iohannis Episcopi Waradiensis, ac dilectorum filiorum nobilium virorum Nicolai de Wylack Wayvode Transilvani, et Ladislai Comitis de Palotz iudicis Curie, ac Emerici de Zapolya summi Thesaurarii ipsius Regis et Capitanei partium superiorum Regni Hungarie petitio continebat, quod cum olim inter ipsum Imperatorem ex una, et dictum Regnum, prelatosque, Barones, Nobiles, proceres ac incolas et inhabitatores eiusdem Regni ex altera partibus certe differencie et controversie suborte fuissent, et Venerabilis frater noster Ieronimus Archiepiscopus Cretensis nuntius et orator noster primo, et deinde dilectus filius Rudolffus Electus Laventinus, tunc Decanus ecclesie Wormaciensis, commissarius huiusmodi negotii ad hoc per nos specialiter deputatus, tam apud Imperatorem, quam Regnum, Prelatos, Barones, Nobiles et proceres huiusmodi pro sedandis differenciis et controversiis predictis diligenter laborassent, tandem Archiepus Colocensis, Episcopus Waradiensis, Wayvoda, Comes et Thesaurarius predicti pro pace super differenciis et controversiis huiusmodi tractanda et concludenda oratores Regis et Regni, prelatorum, Nobilium ac procerum eorundem ad dictum Imperatorem pro sedandis differenciis et controversiis predictis missi fuerint, et inter partes ipsas ad exhortationem nostram, medio Venerabilis fratris nostri Dominici Episcopi Torcellani et dicti Electi tunc decani amicabilis concordia successit, quam ipsi Imperator et Rex de consilio prelatorum, Baronum et Nobilium predictorum, necnon Archiepiscopus Colocensis, Episcopus Waradiensis, Wayvoda, Comes et Thesaurarius prefati tam suo, quam Regis et Regni eorundem nominibus ratificarunt et approbarunt, promittentes

illam irrefragabiliter observare, prout in litteris concordie ac Imperatoris et Regis eorundem ipsorum ac Archiepiscopi Colocensis, Episcopi Waradiensis, Wayvode, Comitis et Thesaurarii prefatorum sigillis munitis, et quarum tenorem presentibus inseri fecimus, perspicitur latius contineri.

Quam quidem concordiam dictus Electus tunc decanus ad Imperatoris ac Archiepiscopi Colocensis, Episcopi Waradiensis, Wayvode, Comitis et Thesaurarii nominibus predictis instanciam, ad hoc a nobis sufficienti mandato suffultus, auctoritate apostolica per suas litteras confirmavit et approbavit. Quare pro parte Imperatoris ac Regis, nec non Archiepiscopi Colocensis, Episcopi Waradiensis, Wayvode, Comitis et Thesaurarii eorundem nominibus predictis nobis fuit humiliter supplicatum, ut concordie huiusmodi, nec non singulis in ipsis litteris contentis pro illorum subsistencia firmiori robur apostolice confirmacionis adiicere, et alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, nec non concordiam et contenta huiusmodi ac quecunque inde secuta rata habentes et grata, illa eadem auctoritate apostolica et ex certa scientia confirmamus et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem: et nichilominus partibus ipsis in virtute sancte obedientie tenore presentium precipimus et mandamus, ut concordiam et contenta huiusmodi irrefragabiliter observent, nec contra ea vel ipsorum aliquod quovis quesito colore venire presumant, nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus contra partem concordiam et contenta predicta non servantem, quotiens oportunum fuerit, iusticia mediante procedendi, ac illam ad eorum observanciam per formidabiles, de quibus nobis vel eisdem successoribus videbitur, penas compellendi eadem facultatem auctoritate reservando, concordia predicta nichilominus rata manente.

Preterea volumus, quod prefatus Rex ad prestandum de conservandis et recuperandis libertatibus, iuribus et dominiis dicti Regni solitum iuramentum minime teneatur, quo ad ea dumtaxat, per que contra concordiam et contenta predicta quomodolibet venire posset; quin ymo concordia et contenta huiusmodi in iuramento predicto, quod idem Rex prestabit, omnino excipiantur, et pro exceptis haberi debeant. Non ostantibus contrariis quibuscumque. Tenores vero litterarum predictarum tales sunt.

Fridericus divina favente clemencia Romanorum Imperator semper Augustus, Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Rex ac Austrie, Stirie, Karinthie et Carniole Dux, Dominus Marchie Sclavonice et Portusnaonis, Comes in Habspurg, Tirolis, Ferrete et in Kyburg, Margravius Burgovie etc. recognoscimus: Cum alias occasione differenciarum et controversiarum inter nos ex una et inclitum Regnum Hungarie, Prelatosque, Barones, Nobiles, proceres, incolas et inhabitatores eiusdem Regni Hungarie partibus ex altera subortarum et vertentium ad nonnullos articulos et capitula pacis et concordie, in presencia Venerabilis Ieronimi Archiepiscopi Cretensis tunc apostolice sedis legati missi, deventum fuerit, quod nos ad exhortationem sanctissimi domini nostri pape Pii, in presentia et medio venerabilium Dominici Episcopi Torcellani apostolice sedis similiter legati missi cum potestate legati de latere, et Rudolfi de Rudeshaim prepositi Frisingensis et Wormaciensis ecclesiarum decani, eiusdem Sanctissimi domini nostri pape Referendarii et apostolici oratoris et nuncii in presenti causa Sanctitatis sue Commissarii, cum Venerabilibus et magnificis Stephano Colocensis et Bachiensis ecclesiarum Archiepiscopo, locique eiusdem Colocensis Comite perpetuo, Iohanne Episcopo Waradiensi, principibus Nicolao de Wylaktz Wayvoda Transilvano et Machoviensi ac Regni Sclavonie Bano, compatre nostro, Comite Ladislao de Palotz iudice Curie Regie et Emerico de Zapolia summo thesaurario Regio et Capitaneo partium superiorum Regni Hungarie, devotis fidelibus nostris dilectis, nomine Serenissimi principis domini Mathie prefacti Regni Hungarie Regis, filii nostri Carissimi, prelatorumque, baronum, procerum et nobilium eiusdem Regni ad finalem et ultimatam conclusionem eorundem articulorum sponte, libere, bona et sincera voluntate in hunc, qui sequitur, modum devenimus.

In primis ad finem optate pacis et concordie deliberatum et conclusum est, quod nos Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, Hungarie etc. Rex, Dux Austrie etc. prefatus et heredes nostri a nobis per rectam lineam descendentes infrascripta castra et oppida, que in metis et limitibus Regni Hungarie constituta possidemus, et in nostris manibus per nos et alios nostri nomine tenemus, videlicet Vorchtenstain et Kobelsdorff, cum suis pertinenciis omni imperio et iurisdictione possideamus, teneamus, ac illis libere utamur et gaudeamus pacifice et quiete absque Serenissimi principis Mathie dicti Regni Hungarie Regis, filii nostri Carissimi, ac heredum et successorum suorum,

prelatorumque, Baronum, procerum et nobilium eiusdem Regni, quorumcumque per se aut alios eorum nomine inquietatione, turbatione, exactione, gravamine et molestia quibuscumque de iure et de facto, ac cessione iuris eorum, presertim qui interesse ad loca prenominata se habere pretendunt, in favorem quorumcumque quovis quesito colore facta aut fienda, salvis autem decimis et causis ecclesiasticis, que in foro suo ventilari et agitari poterunt, prout iuris est et rationis; in foro vero seculari in personalibus actionibus et realibus contra et adversus nostros subditos et castrorum pretactorum quomodolibet motis aut movendis, coram iudicibus per nos Imperatorem prefatum in locis huiusmodi pro tempore deputatis actor iusticiam postulet et requirat, que ad requirentis instanciam expedite administrari debet, proviso, quod eo ordine ad requisitionem predictorum subditorum eorum et dictorum castrorum per Regem pro tempore et ipsum Regnum Hungarie eorumque officiales procedatur et procedi curetur.

Et si passagium generale contra Turcos pro defensione fidei et ipsius Regni fieri contigerit, in ea re requisitione previa a nobis iidem subditi maneant inclusi; sic tamen, quod in eum casum huiusmodi exactionis per nos supradictum Romanorum Imperatorem debita fiat dispositio, et adversus contravenientes, qui quomodolibet eciam pro suo interesse aliquid attemptarent contra ea, que pretacta sunt, aut nos et heredes nostros, tamquam contra violatores pacis et Rex ipse pro tempore et Regnum nobis potenter assistenciam faciant.

Adiectum etiam est et conclusum, quod post obitum nostrum Rex pro tempore et Regnum Hungarie facultatem habeant dicta castra Vorchtenstain, Kobelsdorff et eorum redditus, casu quo idem castrum Kobelsdorff per nos demolitum non fuerit, attento quod modice extimacionis et ruinosum existit, alias ipsius redditus reluendi ab heredibus nostris pro summa quadraginta millium florenorum Ungaricalium vel ducatorum boni auri et iusti ponderis.

Item quia nos supranominatus Fridericus Romanorum Imperator etc. bonis et honestis respectibus hucusque titulo et nomine Regis Regni Hungarie usi sumus, deliberatum est et conclusum, quod nos huiusmodi titulo Regis a Prelatis, Baronibus, proceribus, nobilibus et aliis regnicolis Regni Hungarie inantea libere et quiete in eorum litteris et ubilibet honorati et decorati, quoad vixerimus, remaneamus, et Rex dicti Regni Hungarie et aliorum Regnorum eidem Regno coherentium nominari et vocari et eo titulo uti et frui possimus et valeamus, impedimento, contradictione et turbatione Regis pro tempore, dominorum et inhabitatorum ipsius Regni prorsus amotis.

Item ut respublica et felix sancte Romane ecclesie christianeque religionis status augeri et promoveri eo salubrius et utilius possit, nos Fridericus Romanorum Imperator prefatus predictum serenissimum Mathiam Regem Hungarie pro filio nostro adoptivo habebimus et paterne amplectemur, et in presentiarum in filium recipimus et adoptamus, eique et Regno amicitiam, favores et promotiones paternas inantea faciemus, eundemque Regem Mathiam filium nostrum nominabimus: et in recognitionem tante clementie, que multis respectibus a nobis eidem Regi Mathie ad honorem et commoda cedet, ut digna vicissitudine gratitudinis debite se erga nos exhibeat, conclusum est, quod idem Rex Mathias adoptivus filius noster nos Imperatorem Romanorum pretactum ex adverso, quoad vixerimus, pro patre honorare, reputare, nominare, scribere et tenere debeat, pretactique Stephanus Colocensis etc. Archiepiscopus, Iohannes Waradiensis Episcopus, Nicolaus de Wylacktz Wayvoda, Ladislaus de Palotz et Emericus de Zapolia nomine prelatorum, Baronum, procerum, nobilium, incolarum et inhabitatorum dicti Regni Hungarie atque suo annuerunt, quod idem Rex Mathias nos Fridericum Imperatorem predictum patrem suum et Regem nominet, honoret, reputet et nobis patri suo et Regi Hungarie scribat.

Insuper cum prefati Stephanus Colocensis Archiepiscopus etc. Iohannes Episcopus Waradiensis, Nicolaus de Wylacktz Wayvoda, Ladislaus de Palotz et Emericus de Zapolia predictum Regem Mathiam, nec non Prelatos, Barones, proceres, nobiles, incolas et inhabitatores Regni Hungarie predicti ac ipsum Regnum vigore mandati ipsis traditi suis litteris obligaverint et astrinxerint ad servandum inconcusse perpetuo nobiscum et heredibus, ceterisque et dominiis nostris pacem inviolabilem, ligis et inscriptionibus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, ymo sublatis eisdem, nobisque et filio nostro Carissimo Maximiliano ad consilia, auxilia et consubsidia cunctis in adversis contra quoscumque, totiens quotiens oportunum fuerit, Sanctissimo domino nostro papa, sede apostolica et sancta Romana ecclesia duntaxat exceptis, efficaciter pro posse danda, facienda et prosequenda ad nostram et prefati filii nostri requisitionem, prefatorum Regni Hungarie et Regis pro tempore expensis, dum tamen in expeditione generali contra Turcos in hoc non fuerint prepediti, ac mora irra-

tionabili et contradictione quibusvis in hiis omnino cessantibus, libertatibus dicti Regni in aliis semper salvis: ob quod nos prefatus Fridericus Romanorum Imperator nos ac heredes nostros, terras et dominia nostra ac incolas et inhabitatores earundem vice reciproca obligamus et stringimus per presentes ad servandum similiter inconcusse perpetuo cum prefato filio nostro Rege Mathia, heredibus et successoribus suis, ac ipso Regno Hungarie, prelatisque, Baronibus, proceribus, nobilibus, incolis et inhabitatoribus eiusdem Regni Hungarie pacem inviolabilem, ligis et inscriptionibus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, ymmo sublatis eisdem.

Preterea grata vicissitudine, favoribus et promotionibus dictum filium nostrum Regem Mathiam et Regni Hungarie bonum statum, signanter contra Thurcum et infideles Christi hostes, apud Sanctissimum dominum nostrum Summum pontificem, Sedem apostolicam, principes sacri Romani Imperii et alias, ubi oportunum fuerit, sincere promovebimus: et si premissis signanter ad causam Castrorum, ut supra ordinatis, semper salvis, nos supradicti Fridericus Imperator et Mathias filius noster aut subditi nostri utrumque inter se, aut nos alter ad alterum querelas aut petitiones quascumque habere pretenderimus, illas ut de iure et non aliter prosequi debebimus, quorum occasione iusticia ad conquerentium requisitionem expedite erit administranda.

Item ad finem quod sincera affectio nostri Friderici Romanorum Imperatoris prefati, quam ad dictum Mathiam Regem filium nostrum et pretactum Regnum Hungarie gerimus, ab omnibus amplius cognosci valeat, nos Venerabilibus et Magnificis Stephano Colocensi etc. Archiepiscopo et Iohanni Waradiensi Episcopo, Nicolao de Wylacktz Wayvode, Ladislao de Palotz et Emerico de Zapolia prefatis sacram Coronam ipsius Regni Hungarie, nobis Imperatori Friderico pretacto per quondam Serenissimam Elizabeth Reginam una cum Serenissimo olim bone memorie Rege Ladislao ad fideles manus assignatam, et hucusque fideliter tentam et custoditam, ne ad alienas manus illata devenire contingeret, oppidumque Soproniense nomine dicti Mathie Regis filii nostri et ipsius Regni Hungarie gratiose assignavimus, et omnem obligationem super eodem remisimus.

Item ad maiorem solidationem paterni amoris, ac in retributionem clementissime affectionis nostre ad prefatum Mathiam Regem filium nostrum et ipsum Regnum Hungarie, quodque nos eo promptior et ad ipsius Regni commoda et boni status incrementa accuracius promovenda alliciamur, deliberatum et conclusum est, quod vacante Regno Hungarie, filiis seu nepotibus legitimis ex prefati Regis Mathie lumbis procreatis non extantibus, nos supradictus Fridericus Romanorum Imperator, aut filius noster, quem ad hoc deputandum duxerimus, et post nostrum decessum filius noster, quem reliquerimus, aut si plures a nobis fuerint relicti, alter ex istis, quem Regnum ipsum preelegerit in Regem, ipsi Regno Hungarie preficiamur aut preficiatur cum plena eiusdem Regni administratione.

Item si, ut prefertur, prefatum Regnum Hungarie vacaverit, provideri debet per prelatos, Barones, proceres, nobiles, incolas et inhabitatores eiusdem Regni, quod nos Fridericus Romanorum Imperator prenominatus aut filius noster, ut premittitur, consilio et potenti auxilio eiusdem Regni Hungarie, ut moris est, coronemur seu coronetur, et in administratione plena Regni in pace recognoscamur seu recognoscatur, et efficaciter pro Rege teneamur aut teneatur.

Item concordatum et conclusum est, quod omnes iniurie, differencie, dissentiones, impetitiones quecumque et actiones inter nos et partes prefatas eciam occasione felicis recordationis Regis Ladislai ac alias quomodolibet suborte, eciam nobis hinc inde et quacumque causa competentes, quoad nos et heredes et successores nostros utrinque penitus remisse et extincte esse debent, omnisque indignatio et displicencia, quas nos prefatus Fridericus Romanorum Imperator et dictus Mathias filius noster Reges contra quoscumque Prelatos, Barones, proceres, nobiles, incolas et inhabitatores dicti Regni et alios ecclesiasticos et seculares occasione adhesionis nobis utrinque hinc inde facte concepimus, in futurum minime ulciscantur, neque via facti, neque iuris, sed similiter remisse et extincte esse debent, pollicentes et promittentes in verbo Imperiali, nos omnia et singula in pretactis articulis et capitulis contenta et conscripta et per nos fieri debere acturos, facturos, prosecuturos et completuros, ac a prefato Commissario Sanctissimi domini nostri pape ad id potestatem habente, et nichilominus expost eciam a sua Sanctitate et sede apostolica confirmationes oportunas ex certa scientia petituros et obtenturos, quibus stabimus et parebimus realiter et cum effectu, dolo et fraude in hiis omnibus cessantibus quibuscumque. In cuius rei testimonium Imperialis nostre maiestatis Sigillum presentibus fecimus appendi. Datum in Novacivitate feria tertia ante festum beate Marie Magdalene, Anno Domini millesimo qua-

dringentesimo sexagesimo tertio, Imperii nostri duodecimo, Regnorum nostrorum Romani vicesimo-quarto, Hungarie etc. vero Quinto.

Nos Stephanus Colocensis et Bachiensis ecclesiarum Archiepiscopus, locique eiusdem Colocensis Comes perpetuus, Iohannes Episcopus Waradiensis, Nicolaus de Wylack Wayvoda Transilvanus ac Machoviensis et Regni Sclavonie Banus, Comes Ladislaus de Palotz Iudex Curie Regie, et Emericus de Zapolya summus thesaurarius Regius et Capitaneus partium superiorum Regni Hungarie, recognoscimus et notum facimus tenore presencium universis. Cum alias occasione differenciarum et controversiarum inter Serenissimum principem et dominum, dominum Fridericum Romanorum Imperatorem semper Augustum, Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Regem, ac Austrie, Stirie, Carinthie et Carniole etc. Ducem, dominum nostrum graciosissimum ex una, et Inclitum Regnum Hungarie Prelatosque, Barones, nobiles, proceres, incolas et inhabitatores eiusdem Regni partibus ex altera subortarum et vertentium ad nonnullos articulos et capitula pacis et concordie deventum fuerit, quod nos nomine Serenissimi principis et dñi, dñi Mathie pretacti Regni Hungarie etc. Regis, domini nostri graciosissimi, Prelatorumque, Baronum, nobilium, procerum, incolarum et inhabitatorum eiusdem Regni, quorum plena et omnimoda auctoritate, facultate et potestate ad infrascripta utimur et fulti sumus, atque nostro, ad exhortationem Sanctissimi domini nostri pape Pii medio Reverendorum patrum domini Dominici Episcopi Thorcellani apostolice sedis legati missi cum potestate legati de latere, et domini Rudolfi de Rudesheym prepositi Frisingensis ac Wormaciensis ecclesiarum decani, Sanctissimi domini nostri pape Referendarii et apostolici oratoris et Nuncii, in presenti causa Sanctitatis sue Commissarii, cum prefato domino nostro Imperatore ad finalem et ultimam conclusionem eorundem articulorum sponte, libere, bona et sincera voluntate in hunc, qui sequitur, modum devenimus.

In primis ad finem optate pacis et concordie deliberatum et conclusum est, quod Serenissimus Princeps et dñus dñus Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Austrie, Stirie etc. Dux, et heredes sui, ab eo per rectam lineam descendentes, infrascripta castra et oppida, que sua Imperialis sublimitas in metis et limitibus Regni Hungarie constituta possidet, et in suis manibus per se et alios suo nomine tenet, videlicet Vorchtenstain et Kobelsdorff, cum suis pertinenciis omni imperio et iurisdictione possideant et teneant, et illis libere utantur et gaudeant pacifice et quiete, absque Serenissimi principis et domini domini Mathie dicti Regni Hungarie Regis, domini nostri gratiosissimi, ac heredum et successorum suorum prelatorumque, Baronum, procerum et Nobilium eiusdem Regni quorumcumque per se aut alios eorum nomine inquietatione, turbatione, exactione, gravamine et molestia quibuscumque de iure et de facto, ac cessione iuris, eorum presertim, qui interesse ad loca prenominata se habere pretendunt, in favorem quorumcumque quovis quesito colore facta aut fienda, salvis tamen decimis et causis ecclesiasticis, que in foro suo ventilari et agitari poterunt, prout iuris est et rationis; in foro vero seculari in personalibus actionibus et realibus contra et adversus subditos sue Imperialis maiestatis et castrorum pretactorum, et quomodolibet motis aut movendis coram iudicibus per suam Imperialem maiestatem in locis huiusmodi pro tempore deputatis, actor iustitiam postulet et requirat, que ad requirentis instanciam expedite administrari debet, proviso quod eo ordine ad requisitionem subditorum predicte maiestatis imperialis et dictorum castrorum per Regem pro tempore et ipsum Regnum Hungarie eorumque officiales procedatur et procedi curetur.

Et si passagium generale contra Turcos pro defensione fidei et ipsius Regni fieri contigerit, in ea re requisitione previa a dicto domino Imperatore fienda, iidem subditi maneant inclusi; sic tamen, quod in eum casum huiusmodi exactionis per suam Imperialem maiestatem debita fiat dispositio, et adversus contravenientes, qui quomodolibet, eciam pro suo interesse aliquid attemptarent contra ea, que pretacta sunt, ac prefatum dominum Imperatorem et heredes suos, tamquam contra violatores pacis Rex ipse pro tempore et Regnum potenter assistenciam faciant.

Adiectum etiam est et conclusum, quod post obitum dicti domini Imperatoris Rex ipse pro tempore et Regnum Hungarie facultatem habeant dicta castra Vorchenstain et Kobelsdorff et eorum redditus, casu quo idem castrum Kobelsdorff per dictum dominum nostrum Imperatorem demolitum non fuerit, attento, quod modice extimacionis et ruinosum existit, alias ipsius redditus reluendi ab heredibus sue maiestatis pro summa XL. M. florenorum Hungaricalium et ducatorum boni auri et iusti ponderis.

Item quia prefatus dominus noster Imperator bonis et honestis respectibus hucusque titulo et

nomine Regis Regni Hungarie etc. usus est, deliberatum est et conclusum, quod eadem sua maiestas Imperialis huiusmodi titulo Regis a Prelatis, Baronibus, Nobilibus, proceribus et aliis regnicolis Regni Hungarie inantea libere et quiete in eorum litteris et ubilibet honorata et decorata, quoad vixerit, remaneat, et Rex dicti Regni Hungarie ac aliorum Regnorum eidem Regno coherentium nominari et vocari, et eo titulo uti et frui possit et valeat, impedimento, contradictione et turbatione Regis pro tempore, dominorum et inhabitatorum ipsius Regni prorsus amotis.

Item ut res publica et felix sancte Romane ecclesie christianeque religionis status augeri et promoveri eo salubrius et utilius possit, prefatus dominus noster gloriosissimus Imperator Serenissimum dominum Mathiam Regem pro filio suo adoptivo habebit et paterne amplectetur, et in presentiarum in filium recipit et adoptat, eique et Regno amiciciam, favorem et promotiones paternas inantea faciet, eundemque dominum nostrum Mathiam Regem filium suum nominabit; et in recognitionem tante clementie, que multis respectibus a sua sublimitate Cesarea eidem domino nostro Regi Mathie ad honorem et commoda cedet, ut digna vicissitudine gratitudinis debite se erga suam Imperialem maiestatem exhibeat, conclusum est, quod idem dominus noster Rex Mathias adoptivus filius sue Serenitatis prefatum dominum Imperatorem ex adverso, quoad vixerit, pro patre honorare, reputare, nominare, scribere et tenere debeat, annuentes, quod idem dominus noster Rex Mathias prefatum dominum nostrum Imperatorem patrem et Regem nominet, honoret, reputet et eidem patri et Regi Hungarie scribat. Insuper dominum nostrum Regem Mathiam ac prelatos, Barones, proceres, nobiles, incolas et inhabitores dicti Regni Hungarie, atque nos ipsumque Regnum supradictos vigore mandati nobis traditi obligamus et astringimus per presentes ad servandum inconcusse perpetuo cum eodem domino nostro Romanorum Imperatore et heredibus, terrisque et dominiis suis pacem inviolabilem, ligis et inscriptionibus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, immo sublatis eisdem, ad consilia, auxilia et subsidia sue Imperiali celsitudini, nec non Serenissimo principi domino Maximiliano sue Imperialis maiestatis filio cunctis in adversis contra quoscumque, tociens quociens fuerit oportunum, Sanctissimo domino nostro papa, sede apostolica et sancta Romana ecclesia duntaxat exceptis, efficaciter pro posse danda, facienda et prosequenda ad sue maiestatis Imperatorie et prefati filii sui requisitionem prefatorum Regni Hungarie et Regis pro tempore expensis; dum tamen in expeditione generali contra Turcos in hoc non fuimus prepediti, ac irrationabili mora et contradictione quibusvis in hiis omnino cessantibus, libertatibus dicti Regni in aliis semper salvis.

Ob quod Imperatoria maiestas grata vicissitudine, favoribus et promotionibus dictum Regem Mathiam et Regni Hungarie bonum statum, signanter contra Turcum et infideles Christi hostes, apud Sanctissimum dominum nostrum Summum pontificem, sedem apostolicam, principes Sacri Romani Imperii et alias, ubi oportunum fuerit, sincere promovebit: et si premissis tamen signanter ad causam castrorum, ut supra ordinatis, semper salvis, aliqua partium sive domini aut eorum subditi utrinque inter se ad alterum querelas aut petitiones quascumque habere pretenderint, illas prout de iure et non aliter prosequi debebunt, quorum occasione insticia ad conquerentium requisitionem expedite erit administranda.

Item ad finem, quod sincera affectio prefati domini nostri Imperatoris, quam ad dictum dominum nostrum Mathiam Regem, filium sue Imperialis maiestatis, et prefactum regnum Hungarie gerit, amplius ab omnibus cognosci valeat, sua Imperialis celsitudo nobis supradictis Stephano Colocensis et Bachiensis ecclesiarum Archiepo locique eiusdem Colocensis Comiti perpetuo, Iohanni Epo Waradiensi, Nicolao de Wylack Wayvoda Transilvano ac Machoviensi et Regni Sclavonie Bano, Comiti Ladislao de Palotz Iudici Curie Regie, et Emerico de Zapolya summo Thesaurario Regio et Capitaneo partium superiorum regni Hungarie sacram Coronam ipsius regni Hungarie, sue maiestati per quondam Serenissimam dominam Elizabet Reginam una cum Serenissimo olim bone memorie Rege Ladislao ad fideles manus assignatam, et hucusque fideliter tentam et custoditam, ne ad alienas manus illam devenire contingeret, oppidumque SopronienSe nomine dicti domini nostri Regis Mathie et ipsius regni Hungarie graciose assignavit, et omnem obligationem super eodem remisit.

Item ad maiorem solidationem paterni amoris, et in retributionem clementissime affectionis ipsius domini nostri Imperatoris ad dominum nostrum Mathiam Regem et ipsum Regnum Hungarie, quodque Imperialis maiestas eo promptior ad ipsius Regni commoda et boni status incrementa accuratius promovenda alliciatur, deliberatum et conclusum est, quod vacante Regno Hungarie, filiis seu nepotibus legitimis ex prefati domini nostri Regis Mathie lumbis procreatis non extantibus, sua Im-

perialis maiestas, aut filius sue Cesaree sublimitatis, quem ad hoc deputandum duxerit, et post sue Serenitatis decessum filius eiusdem sue maiestatis, quem reliquerit, aut si plures fuerint relicti, alter ex istis, quem Regnum ipsum preelegerit in Regem, ipsi Regno Hungarie preficiatur cum plena eiusdem Regni administratione.

Item si, ut prefertur, prefatum Regnum Hungarie vacaverit, provideri debet per prelatos, barones, proceres, nobiles, incolas, inhabitatores eiusdem Regni, quod Imperialis maiestas aut filius eius, ut premittitur, consilio et potenti auxilio eiusdem Regni Hungarie, ut moris est, coronetur, et in administratione plena Regni in pace recognoscatur, et efficaciter pro Rege teneatur.

Item concordatum et conclusum est, quod omnes iniurie, differencie, dissensiones, impetitiones quecumque et actiones inter partes ipsas, eciam occasione felicis recordationis Regis Ladislai, ac alias quomodolibet suborte et partibus ipsis ex quacumque causa competentes, quo ad se et heredes ac successores eorum penitus remisse et extincte esse debent, omnisque indignatio et displicencia, quas prefati serenissimi principes dictus Fridericus Imperator et dominus Mathias Reges contra quoscunque prelatos, Barones, proceres, nobiles, incolas et inhabitatores dicti Regni, ac alios ecclesiasticos et seculares occasione adhesionis ipsis dominis utrinque hinc inde facte conceperunt, in futurum minime ulciscantur, neque via facti, neque iuris, sed similiter remisse et extincte esse debent, pollicentes, promittentes et obligantes nos sub honore nostro et fide christiana acturos, facturos realiter et cum effectu, quod idem dominus noster Rex Mathias, ac prelati, barones, proceres et nobiles eiusdem Regni Hungarie, atque nos omnia et singula premissa per ipsos et nos agenda et facienda, ante coronationem dicti domini nostri Regis Mathie quantocius, et post huiusmodi coronationem infra duos menses eandem coronationem immediate sequentes, sigillis et litteris potiorum dicti Regni Hungarie atque nostris autenticis firmabimus, roborabimus atque renovabimus, prosequemurque implebimus et faciemus, et rata et firma habebimus, firmabunt, roborabunt atque renovabunt, prosequenturque, implebunt et facient, ac rata et firma habebunt; confirmationes quoque oportunas super premissis, nunc a prefato sanctissimi domini nostri pape in hac causa commissario, et nichilominus eciam ex post a Sanctitate sua et sede apostolica ex certa scientia petemus et petent, et eisdem stabimus atque parebimus, stabunt atque parebunt, dolo et fraude in hiis omnibus cessantibus quibuscunque.

In cuius rei testimonium nos Stephanus Colocensis et Bachiensis ecclesiarum Archiepiscopus locique eiusdem Colocensis Comes perpetuus, Iohannes Episcopus Waradiensis, Nicolaus de Wylack Wayvoda Transilvanus ac Machoviensis et Regni Sclavonie Banus, Comes Ladislaus de Palotz Iudex Curie Regie, et Emericus de Zapolya summus Thesaurarius Regius et Capitaneus partium superiorum Regni Hungarie prefati sigilla nostra presentibus fecimus appendi. Datum in Novacivitate feria tertia proxima ante festum beate Marie Magdalene Anno dñi millesimo quadringesimo sexagesimo tertio.

Mathias dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Notificamus universis presentes nostras litteras inspecturis vel audituris: Quod cum Serenissimus ac invictissimus princeps dominus Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, Austrie, Stirie, Carinthie, Carniole Dux etc. pater noster Carissimus, tanquam pacis amator et zelator in vim amicabilium tractatuum per Reverendum patrem dominum Iohannem Episcopum Waradiensem, in presentia Reverendissimi patris domini Ieronimi Archiepiscopi Cretensis, tunc apostolice sedis legati, cum sua maiestate inchoatorum et ex post per prelatos, barones et nobiles Regni nostri Hungarie in generali congregatione Regni in oppido nostro regali Budensi desuper celebrata sub certis modis approbatorum et acceptatorum, et nunc per Reverendissimos et magnificos Stephanum Colocensis et Bachiensis ecclesiarum Archiepiscopum locique eiusdem Colocensis Comitem perpetuum, Iohannem Episcopum Waradiensem, Nicolaum de Wylack Wayvodam Transilvanum ac Regni Sclavonie et Machoviensem Banum, Comitem Ladislaum de Palotz Iudicem Curie Regie nostre, et Emericum de Zapolya summum Thesaurarium nostrum et Capitaneum partium superiorum Regni nostri Hungarie, per nos et dictos Prelatos, Barones et Nobiles Regni ad hoc cum plena potestate specialiter deputatos, in presentia Reverendissimi patris domini Dominici Episcopi Torcellani, nunc sedis apostolice cum potestate legati de latere legati missi, et venerabilis Rudolfi prepositi Frisingensis et decani Wormaciensis, Sanctissimi domini nostri Referendarii, et in hac materia pacis Commissarii a sua Sanctitate specialiter deputati, conclusorum et in parte executioni demandatorum nos in sue maiestatis filium adoptaverit et receperit, nosque pro filio nominare, tenere, paternaliter prosequi, ac nos et Regnum nostrum maxime in facto Turcorum apud San-

etissimum dominum nostrum, principes Imperii et alibi fideliter promovere spoponderit. sacram Regni nostri Hungarie Coronam dudum apud suam maiestatem per genetricem quondam felicis recordationis Regis Ladislai predecessoris nostri depositam benigne restituerit, pacem inviolabilem pro se et heredibus ac successoribus, nec non dominiis suis cum Regno nostro inierit et constituerit, aliaque plura grata nobis ac Regno nostro fecerit: nos de consilio et consensu Prelatorum, Baronum, Comitum, nobilium Regni nedum in prefata congregatione Bude observata, sed et in alia congregatione novissime in Tolna tenta habitis et obtentis, omnia et singula per dictos Archiepiscopum, Episcopum, Nicolaum Wayvodam, Comitem Ladislaum de Palotz, et Emericum de Zapolya conclusa et acceptata, prout in litteris eorum desuper datis continetur, pro nobis et heredibus ac successoribus nostris ratificamus et approbamus, eaque rata et grata habebimus et prosequemur, et ultra ea, que in dictis eorum litteris continentur, de simili consilio et consensu prelatorum, baronum, comitum et nobilium Regni nostri similiter pro nobis, heredibus et successoribus nostris volumus, et ita cum sua maiestate ex parte Regni concordatum esse dicimus et profitemur, quod idem Serenissimus dominus Imperator pater noster Carissimus et heredes sui per rectam lineam ab eo descendentes, infrascripta castra et oppida, videlicet Vorchtenstain, Kobelsdorff, Ferreamcivitatem, Suns et Rechinez, cum suis pertinenciis ac omni imperio et iurisdictione possidere et tenere, et illis libere uti et gaudere debeant pacifice et quiete absque nostra, heredum et successorum nostrorum Regni, dominorum et inhabitatorum eius, et precipue eorum, qui ius ad dicta castra principaliter aut ratione cessionis iuris eorundem facte vel fiende habere pretendunt aut pretendere possent, videlicet Iob de Gara et Ladislai de Kamsa, et fratrum et heredum suorum, et aliorum quorumcumque inquietatione, turbatione, exactione, gravamine, impedimento vel molestia quibuscumque, quas per se vel alios directe vel indirecte, de iure vel de facto quovis quesito colore dicto domino Imperatori ac suis heredibus inferre possent, donec et quousque cum eadem sua Serenitate aut heredibus suis per rectam lineam ab eodem descendentibus amicabiliter fuerit concordatum et pacifice super eisdem, salvis tamen causis decimarum et aliis causis ecclesiasticis, que in suo foro ventilari et agitari poterunt et debebunt, prout iuris est et rationis; in causis vero prophanis aut secularibus actionibus tam realibus quam personalibus contra et adversus subditos Imperialis maiestatis ratione castrorum predictorum motis et movendis actor iustitiam queret et postulabit coram Imperatoria maiestate vel heredibus suis, aut iudicibus per eos in locis ad hoc constitutis pro tempore deputatis vel deputandis, prout et dicti subditi in prefatis causis et actionibus iustitiam coram nobis, aut officialibus seu iudicibus nostris contra subditos Regni querent et postulabunt, quibus hinc inde expedita iusticia ministrari debebit, salvo etiam, quod si passagium generale contra infideles pro defensione fidei et Regni fieri contingeret, in ea re requisitione previa a maiestate Imperiale facienda dicti subditi sint et maneant inclusi: sic tamen, quod in eum casum huiusmodi exactionis per suam maiestatem debita fiat dispositio, salvo denique, quod post obitum Serenissimi domini Imperatoris patris nostri Carissimi, et non ante nos aut successor noster et Rex pro tempore sive regnum facultatem habeamus et habeant, dicta castra Vorchtenstain et Kobelsdorff et eorum redditus, casu quo dictum castrum Kobelsdorff ruinosum et modici valoris per maiestatem Imperialem demolitum non fuerit, alias ipsius redditus reluendi ab heredibus sue maiestatis pro summa quadraginta milium florenorum Hungaricalium seu ducatorum boni auri et iusti ponderis. Ceterum in verbo regio pro nobis, heredibus et successoribus nostris, ac toto Regno eidem domino nostro Imperatori patri nostro carissimo addicimus, pollicemur et spondemus, quod si quispiam de Regno, cuiuscumque status, gradus aut conditionis existat, et precipue dicti Iob de Gara et Ladislaus de Kamsa, aut ipsius fratres vel heredes eorum, aut alii eorum nomine vel causa, seu cessionem ab eisdem habentes, suam Imperatoriam maiestatem, heredes eius ab ea per rectam lineam descendentes, aut officiales suos sive eos, qui dicta castra nomine sue Serenitatis tenent, vel in futurum tenebunt, contra premissa quocumque modo, eciam pro suo interesse, turbare, molestare, inquietare qualitercumque contingat, nos et heredes ac successores nostri et Regnum ipsum, atque ceteri Prelati, Barones, Comites et Nobiles Regni contra tales tanquam pacis violatores domino Imperatori, suis heredibus, officialibus et hiis, qui ab eis huiusmodi castra pro tempore tenent, potenter assistentiam faciemus, et eos in pacifica possessione castrorum predictorum, prout predictum est, manutenebimus et tuebimur, non obstante iuramento, quod in coronatione nostra de conservandis et recuperandis libertatibus, iuribus et dominiis Regni nostri Hungarie, seu ad Regnum pertinentibus prestare habebimus et prestabimus, in quo con-

cordiam et inscriptiones per nos et Regnum ipsum cum Imperiali maiestate factas expresse excipiemus, et pro exceptis haberi volumus, quas et post coronationem nostram innovabimus et innovari faciemus, denique a prefato Sanctissimi domini nostri Commissario primum, et demum eciam Sanctissimo domino nostro confirmationem omnium premissorum, ex certa scientia cum derogacione pro hac vice iuramenti per nos desuper prestari soliti cum omni diligencia petemus et peti faciemus, dolo et fraude, ac quacumque sinistra adinventione vel machinatione cessantibus quibuscumque. In quorum omnium fidem, robur et testimonium presentes nostras litteras appensione sigilli nostri fecimus communiri. Datum in oppido nostro Budensi feria tertia post festum beate Marie Magdalene Anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio. Regnorum nostrorum Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Quinto.

Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, ac Austrie, Stirie, Karinthie et Carniole Dux, Dominus Marchie Sclavonice et Portusnaonis, Comes in Habspurg, Tirolis, Ferrete et in Kyburg, Margravius Burgovie et Lantgravius Alsacie, notum facimus tenore presentium universis.

Cum Serenissimus princeps Mathias Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, filius noster Carissimus, in vim amicabilium tractatuum in presentia Venerabilis Ieronimi Archiepiscopi Cretensis, tunc apostolice Sedis legati, dudum nobiscum inchoatorum, omnia et singula per Venerabiles et magnificos Stephanum Colocensis ac Bachiensis ecclesiarum Archiepiscopum, locique eiusdem Colocensis Comitem perpetuum, Iohannem Episcopum Waradiensem, principes Nicolaum de Wylack Wayvodam Transilvanum ac Regni Sclavonie ac Machoviensem Banum, compatrem nostrum, Comitem Ladislaum de Palotz Iudicem Curie Regie et Emericum de Zapolia summum Thesaurarium Regium et Capitaneum partium superiorum Regni Hungarie, devotos fideles nostros, per dictum Regem Mathiam ac prelatos, Barones, proceres et nobiles Regni Hungarie ad hoc specialiter deputatos, in presentia Venerabilis dominici Episcopi Torcellani nunc sedis apostolice cum potestate legati de latere legati missi, et venerabilis Rudolfii de Rudeshaim prepositi Frisingensis et decani Wormaciensis, Sanctissimi domini nostri pape Pii Referendarii, in hac materia pacis Commissarii a sua Sanctitate specialiter deputati, in pretactis conclusa et acceptata, et in parte executioni demandata iuxta continenciam litterarum dictorum Archiepiscopi Colocencis, Episcopi Waradiensis, Nicolai de Wylack, Ladislai de Palotz et Emerici de Zapolia desuper emanatarum pro se et heredibus ac successoribus suis de consilio et assensu prelatorum, Baronum, Comitum, procerum et nobilium dicti Regni Hungarie ratificaverit et approbaverit, rataque et firma habere se litteris suis astrinxerit, adiiciendo expresse, quod nos Fridericus Imperator prefatus et heredes nostri per rectam lineam a nobis descendentes infrascripta castra et oppida Vorchtenstain, Kobelsdorff, Ferreamcivitatem, Sunse et Rechnitz cum suis pertinentiis ac omni imperio et iurisdictione possidere et tenere, et illis libere uti et gaudere debeamus pacifice et quiete, absque prefati Mathie Regis, heredum et successorum suorum Regni Hungarie ac dominorum et inhabitatorum eius, et precipue eorum, qui ius ad dicta Castra principaliter aut ratione cessionis iuris eorundem facte vel fiende habere pretendunt seu pretendere possent, videlicet Iob de Gara et Ladislai de Kamsa, et fratrum et heredum suorum et aliorum quorumcumque inquietudine, turbatione, exactione, gravamine, impedimento vel molestia quibuscumque, quas per se vel alios directe vel indirecte, de iure vel de facto, quovis quesito colore nobis et heredibus nostris inferre possent, donec et quousque nobiscumque, aut heredibus nostris per rectam lineam a nobis descendentibus amicabiliter et pacifice concordatum fuerit super eisdem, salvis tamen causis decimarum et aliis causis ecclesiasticis, que in suo foro ventilari et agitari poterunt et debebunt, prout iuris est et rationis; in causis vero prophanis aut secularibus actionibus tam realibus quam personalibus contra et adversus subditos nostros ratione Castrorum predictorum motis et movendis actor iusticiam queret et postulabit coram nobis, vel heredibus nostris aut Iudicibus per nos in locis ad hoc constitutis pro tempore deputatis vel deputandis, prout et dicti subditi in prefatis causis et actionibus iusticiam coram prefato Rege Mathia aut officialibus seu iudicibus contra subditos Regni petent et postulabunt, quibus hinc inde expedita iusticia ministrari debebit; salvo etiam, quod si passagium generale contra infideles et pro defensione fidei et Regni fieri contingeret, in ea re requisitione previa a nobis fienda dicti subditi nostri sint et maneant inclusi; sic tamen, quod in eum casum huiusmodi exactionis per nos debita fiat dispositio; salvo denique, quod post obitum nostrum et non ante prefactus Rex Mathias filius noster Carissimus, ac successor suus et Rex pro tempore sive Regnum facultatem habeant, dicta Castra Vorchtenstain et Kobelsdorff et eorum redditus, casu quo di-

ctum Castrum Kobelsdorff tanquam ruinosum et modici valoris per nos demolitum non fuerit, alias ipsius redditus reluendi ab heredibus nostris pro summa quadraginta millium florenorum Hungaricalium seu ducatorum boni auri et iusti ponderis, pollicendo et spondendo nobis in verbo Regio pro se, heredibus ac successoribus suis ac toto Regno, quod si quispiam de Regno, cuiuscunque status, gradus vel conditionis existat, et precipue dicti Ioh de Gara et Ladislaus de Kanısa aut ipsius fratres vel heredes eorum, aut alii eorum nomine vel causa, successionem ab eisdem habentes, nos, heredes nostros a nobis per rectam lineam descendentes, aut Officiales nostros sive eos, qui dicta Castra nomine nostro tenent vel in futurum tenebunt, contra premissa quocumque modo, etiam pro suo interesse, turbare, molestare aut inquietare contingat, se et heredes ac successores suos ac ipsum Regnum prelatosque, Barones, Comites, proceres et nobiles Regni, contra tales tanquam violatores pacis nobis et heredibus, officialibus et hiis, qui a nobis huiusmodi Castra pro tempore tenent, potenter assistenciam facturos, quodque nos in pacifica possessione Castrorum predictorum, ut predictum est, manutenebunt et tuebuntur, non obstante iuramento, quod ipse Rex Mathias in Coronatione sua de conservandis et recuperandis libertatibus, iuribus et dominiis Regni Hungarie seu ad Regnum pertinentibus prestare habebit atque prestabit, in quo concordiam et inscriptiones per eum et Regnum Hungarie nobiscum factas expresse excipere habebit, et pro exceptis habere vult, quas et post Coronationem suam innovabit et innovari facere debebit; denique a prefato Sanctissimi domini nostri pape Commissario primum, et deinde Sanctissimo domino nostro et sede apostolica confirmacionem omnium premissorum ex certa scientia et cum derogatione pro hac vice iuramenti per Regem desuper prestari soliti cum omni diligencia petendo, et peti faciendo iuxta continenciam prefati Regis Mathie filii nostri Carissimi litterarum super hoc emanatarum. Quod nos Fridericus Imperator pretactus pro nobis, et heredibus nostris in verbo imperiali pollicemur et promittimus, quod omnia et singula per nos in premissis fienda implebimus et prosequemur, ac rata et firma tenebimus et servabimus, confirmationemque primum a prefati domini nostri pape Commissario in hac causa, et nichilominus demum eciam a Sanctissimo domino nostro et sede apostolica ex certa sciencia similiter petemus, et peti faciemus, dolo et fraude in hiis cessantibus quibuscumque. In cuius rei testimonium nostre Imperialis maiestatis sigillum presentibus fecimus appendi. Datum in Novacivitate feria tertia ante festum beate Marie Magdalene anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio. Imperii nostri duodecimo, Regnorum nostrorum Romani vicesimo quarto, Hungarie etc. vero quinto.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, approbationis, communitionis, suppletionis, mandati, reservationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, undecimo Kal. Novembris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia lib. XXVI. fol. 178.

DLXVIII.

Dionysio card. S. Cyriaci super advocatione causae Martini de Frangipanibus comitis contra capitulum ecclesiae Zagrabiensis.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Dionisio tituli sancti Ciriaci in Termis presbitero Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Apostolica sedes cunctorum fidelium curam gerens, eos, qui pro fide catholica adversus infideles militant et personas ac statum suum omni periculo exponere non formidant, consuevit sub sua protectione suscipere et illis iniuriantes condigna punitione corripere, et ne litibus involvantur indebitis, eorum statui salubriter providere. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Martini de Francapanibus Comitis Segnie petitio continebat, quod quamvis olim ipse dilectis filiis Capitulo ecclesie Zagrabiensis pactum inter eos super fructibus certarum decimarum et locis sui temporalis dominii existentibus, et ad mensam Capitularem ecclesie Zagrabiensis spectantium temporibus debitis annuis singulis persolvisset, et nullam ipsi Capitulo iactantiam vel iniuriam intulisset, propter quam ipsi dicto Comiti aliquas infamie notas irrogare debeant; tamen ipsi Capitulum non advertentes, quod prefatus Comes adversus hostes christiane fidei, qui Regnum Bosne occupaverant et usque partes illas quotidie discurrebant, et ut certa dicti Comitis Castra et loca fortia ac natura munita capere possent, variis insidiis dictum Comitem persequebantur, sed innitentes laborem et anxietatem anxietatibus dicti Comitis addere, confingentesque licet falso, quod ipse Comes dictas

decimas usurpaverat, et quandam villam ad dictum Capitulum spectantem invaserat, et quosdam inibi eorum vassallos interfici fecerat, ipsum Comitem non citatum, nec vocatum, saltem legitime per quendam ipsis, ut dicebant, per Sinodum Basiliensem deputatum Conservatorem de facto excommunicatum publice nuntiari procurarunt et fecerunt, necnon quasdam cedulas excommunicationis publicationem, et confecta crimina huiusmodi continentes variis in locis publicis Civitatis Zagrabiensis et illarum partium affixerunt, necnon pulsatis campanis et facta quadam favea in dicta ecclesia seu illius Cimiterio cum feretro et cruce per traversum posita et cum decantatione psalmi, Deus laudem meam ne tacueris, seu aliis per eos adinventis solempnitatibus, eundem Comitem sepius ac sepius publicarunt, et eius famam contra deum et iustitiam in tota illa patria denigrare et lacerare conati fuerunt. Unde nos premissis vel eorum aliquibus nobis pro parte dicti Comitis cum querela expositis, Venerabili fratri nostro Blasio Episcopo Octociensi dedimus aliis nostris litteris in mandatis, ut vocatis Capitulo predictis et aliis, qui forent evocandi, prefato Comiti, si id humiliter petierit, recepta tamen prius ab eo cautione ydonea de parendo suis et ecclesie mandatis, absolutionis beneficium ad cautelam, prout iustum foret, impenderet; super aliis vero auditis hinc inde propositis, quod iustum foret, auctoritate nostra decerneret, prout in eisdem litteris plenius continetur; et quarum vigore prefatus Episcopus, constituto sibi dictum Comitem pretium fructuum decimarum huiusmodi eisdem Capitulo seu eorum procuratori persolvisse, et nullam ipsis Capitulo iacturam vel iniuriam ei appositam irrogasse, prefatum Comitem ab eadem sententia, prestita huiusmodi cautione, ad cautelam absolvit, eosdemque Capitulum propter diffamationem et iniuriam per eos dicto Comiti irrogatam, instante super hoc procuratore ipsius Comitis, in summa decem milium ducatorum auri, pro una videlicet Camere apostolice et alia medietatibus ipsius summe Comiti applicanda, necnon in expensis per dictum Comitem in huiusmodi causa legitime factis, quas ad certam pecunie summam taxavit, per suam definitivam sententiam, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, condemnavit: quare pro parte dicti Comitis fuit humiliter supplicatum, ut prefatam sententiam executioni demandari facere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ad quos pertinet tutela et defensio omnium procerum ac aliorum pro fide Catholica contra Turchos hoc presertim tempore dimicantium, de premissis certam notitiam non habentes, necnon omnes et singulas super premissis tam coram dilecto filio Magistro Sancio Rovicio Capellano nostro et causarum palatii apostolici Auditore, quam aliis quibusvis iudicibus in Romana Curia vel extra illam indecisas pendentes, quarum statum presentibus haberi volumus pro expressis, ad nos harum serie advocantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis Capitulo predictis et aliis, qui fuerint evocandi, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, de premissis omnibus et singulis auctoritate nostra te diligenter informares, et si per informationem huiusmodi, quod Capitulum predicti absque sufficienti et rationabili causa dicto Comiti premissam infamiam et iniuriam irrogaverint, tibi constiterit, ab eisdem Capitulo medietatem dicte summe decem milium ducatorum, que ad prefatam Cameram apostolicam pertinet, eadem auctoritate nostra exigas, et ad Cameram ipsam quamtocius destinari procures, necnon eidem Comiti de expensis predictis iuxta eandem taxationem satisfieri facias cum effectu: nos enim, ut premissa facilius et celerius perficere valeas, tibi omnibus et singulis tam decimarum, quam alios fructus, redditus et proventus ad Capitulum predictos in dominio prefati Martini ac dilectorum filiorum nobilium virorum aliorum Segne necnon Francisci Blagaya Comitum quoquomodo spectantes, tam presentes quam futuros, usque ad predictam summam tam dicte medietatis, quam earundem expensarum, illamque a quibusvis personis per te vel alium exigendi, et medietatem predictam Camere apostolice destinandi, summam vero expensarum earundem dicto Comiti consignandi, necnon ubi tibi expediens fuerit visum, easdem summas arrestandi, ac omnia et singula circa hec necessaria seu quomodolibet oportuna faciendi et exequendi, Contradictores quoque per censuram apostolicam, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Non obstantibus quibusvis per Capitulum prefatos aut alios quoscumque in premissis forsan imponendis, interponendis appellationibus et exceptionibus, ac felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, presertim quibus cavetur, ne quis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, et de duabus dietis in concilio generali ac personis ultra certum numerum ad iudicium non

vocandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus, necnon privilegiis apostolicis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXIII. decimo septimo Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia lib. XXVI. fol. 192.

DLXIX.

Thomas eps Zagrabiensis ad ecclesiam Nitriensem translatus, nisi ipsius ecclesiae pacificam possessionem adipiscatur, iterum ad ecclesiam Zagrabiensem redeat.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romanum decet pontificem sicut ecclesiarum presertim Cathedralium, ita et corporum suorum iura ubique protegere, et ne in pontificalis dignitatis opprobrium indebitis vexationibus ubilibet agitentur, sed eis iura sua firma remaneant, salubriter providere. Sane cum dudum ecclesie Zagrabiensi, tunc per obitum bone memorie Benedicti Episcopi Zagrabiensis pastoris regimine destitute, de persona Venerabilis fratris nostri Thome de Breneche Nitriensis, nuper vero Zagrabiensis Episcopi per felicis recordationis Nicolaum papam quintum, predecessorem nostrum, de fratrum suorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio provisum, ipseque Thomas illi in Episcopum et pastorem prefectus fuisset, Venerabili fratre nostro Demetrio Episcopo Tiniensi et Baltasare Rectore parrochialis ecclesie in Remesdorff Aquilegensis diocesis provisioni et prefectioni huiusmodi temere et de facto obsistentibus, ecclesiamque predictam seu illius castra et oppida occupantibus, ipse Thomas Episcopus dicte Zagrabiensis ecclesie regiminis et administrationis possessionem vel quasi assequi minime potuit, sed ipsa ecclesia interim proprii pastoris presentia et regimine destituta, quam plurima in spiritualibus et temporalibus passa fuit, prout de presenti patitur, detrimenta. Cum autem hodie nos pro dirigendo dicte ecclesie Zagrabiensis statu intendentes ipsi ecclesie alias providere, prefatum Thomam Episcopum a vinculo dicte ecclesie Zagrabiensis, quo tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine duxerimus absolvendum, eumque ad Nitriensem ecclesiam tunc pastore carentem transtulerimus, ac ipsi Nitriensi ecclesie de dictorum fratrum consilio providerimus, preficiendo eum illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: et sicut fide digna relatione in nostro secreto concistorio nobis facta nobis et eisdem fratribus nostris plene innotuit, ex castris et possessionibus ac bonis aliis ad dictam ecclesiam Nitriensem spectantibus nonnulla per quosdam occupentur, nonnulla vero impignorata, et quedam etiam a tempore clare memorie Sigismundi Romanorum imperatoris vendita vel alias alienata fuerint, in quorum recuperatione ac ipsius ecclesie Nitriensis regiminis et administrationis per dictum Thomam Episcopum adipiscenda pacifica possessione tam Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Waradiensis, quam dicti Demetrii Episcopi favor esse possit admodum fructuosus, eorumque contradictio etiam fructuosa. Nos igitur retroactam dicti Thome vexationem indigne ferentes, et ne sibi sicut in Zagrabiensi, ita in Nitriensi ecclesiis predictis similia detrimenta proveniant, providere intendentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera dispositione et voluntate ac ipsorum fratrum nostrorum consilio et de dicte potestatis plenitudine tenore presentium statuimus, decernimus et ordinamus, quod si quo casu sive Iohanne sive Demetrio Episcopis predictis vel eorum altero in premissis obsistentibus sive etiam in hiis effectualiter non cooperantibus contigerit, quod prefato Thome Episcopo infra unum annum a data presentium proxime venturum possessio pacifica prefate ecclesie Nitriensis, nec non tam castri Nitriensis, quam aliorum oppidorum, castrorum et villarum, ac etiam tredecim possessionum ipsius ecclesie in pignus, ut asseritur, cuidam Boemo consignatarum, nec non aliorum oppidorum, castrorum et villarum et possessionum ad ecclesiam ipsam pertinentium et a tempore dicti Sigismundi Imperatoris alienatarum et aliorum bonorum, nec non totalis regiminis et administrationis ipsius ecclesie Nitriensis, ac etiam monasterii beate Marie Virginis de Zeck Quinqueecclesiensis diocesis, quod nuper ipsi Thome Episcopo commendavimus, ac bonorum eiusdem vacua et ab omni impedimento penitus expedita realiter assignata non fuerit, omni dolo et fraude cessantibus, ipseque Thomas illorum possessionem pacificam assecutus non fuerit cum integra restitutione proventuum hactenus ex ipso monasterio beate Marie, quo post iter ad Romanam curiam arreptum spoliatus fuit, perceptorum, ex tunc absolutio et translatio de persona sua ad ecclesiam Nitriensem fa-

etc huiusmodi nullius sint roboris vel momenti, ipseque Thomas ex tunc pristinum ius in dictam Zagrabiensem ecclesiam iterum acquirat et in illius Episcopum et pastorem censeatur esse restitutus, sitque et reputetur verus Zagrabiensis Episcopus, possitque iterum quibuscunque sententiis et executorialibus ac aliis litteris apostolicis, nec non processibus earum vigore contra occupatores ipsius Zagrabiensis ecclesie et bonorum eiusdem ac quoscunque, qui ipsum Thomam Episcopum, quominus illius possessionem pacificam assequi potuerit ac possit, impediverunt vel impedirent, eorumque fautores et consultores hactenus fulminatis et promulgatis et de cetero fulminandis et promulgandis ex tunc, quoad usque dicte Zagrabiensis ecclesie possessionem pacificam assecutus fuerit, uti et se iuvare adversus occupatores, impedientes, consultores et fautores predictos, etiam perinde in omnibus et per omnia ac si absolutio et translatio sue huiusmodi per nos minime facte essent. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostrorum statuti, constitutionis et ordinationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXIII. Idibus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia lib. XXVIII. fol. 261.

DLXX.

Thomae olim Zagrab. nunc Nitriensi epo monasteria S. Martini de Pannonia et B. Mariae Virg. de Zeck in commendam dantur.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Nitriensi, salutem etc. Exigentibus meritis tue devotionis inducimur, ut in hiis, que tibi ad statum tuum congrue sustentandum oportuna fore conspicimus, favorem apostolicum liberaliter impendamus. Cum itaque hodie nos te nunc ecclesie Zagrabiensi presidentem, et monasterium sancti Martini Sacrimontis Pannonie ordinis sancti Benedicti Iauriensis diocesis dudum tibi auctoritate apostolica commendatum una cum dicta ecclesia, cuius tamen ecclesie possessionem non habebas, in commendam canonice obtinentem, a vinculo, quo eidem ecclesie Zagrabiensi tenebaris, de fratrum nostrorum consilio et apostolice sedis plenitudine absolventes, ad ecclesiam Nitriensem tunc pastore carentem eo dictorum fratrum consilio duxerimus transferendum, preficiendo te ipsi Nitriensi ecclesie in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, et sicut accepimus, fructus, redditus et proventus Nitriensis pro fructibus, redditibus et proventibus Zagrabiensis ecclesiarum predictarum valde tenues sint, tuque dudum monasterium beate Marie virginis de Zeck Cisterciensis ordinis, Quinqueecclesiensis diocesis, quod tunc certo modo vacans de manibus quorundam laicorum illius possessionem tunc occupantium eripueras, absque aliquo canonico titulo per duos annos vel circa detinueris et occupaveris, fructus interim quamvis de facto percipiens ex eodem: Nos tibi, qui, ut asseris, postquam iter ad Romanam curiam veniendi arripueras, a possessione monasterii eiusdem beate Marie per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Waradiensem in ipso monasterio beate Marie, vel ad illud nullum ius habentem eiectus fuisti, ut iuxta Episcopalis dignitatis decentiam statum tuum commode tenere valeas, de oportuno subventionis auxilio providere ac specialem gratiam facere volentes, nec non predictorum monasteriorum viros et ultimos vacationum modos, eorumque ac dicte ecclesie Nitriensis fructuum, redditum et proventuum veros valores annuos presentibus pro expressis habentes, ac omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam quam ratione detemptionis dicti monasterii beate Marie minus canonico titulo, ac perceptionis quorumcunque fructuum, reddituum et proventuum ex eodem quomodolibet incurristi, tenore presentium penitus abolentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut sancti Martini ?, et quod tibi quomodocunque vacet, etiamsi eius dispositio ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, per te, quoad vixeris, tenendum, regendum et gubernandum auctoritate apostolica commendamus, beate Marie monasteria predicta una cum eadem Nitriensi, aut alia quacunque Cathedrali vel Metropolitana ecclesia, cui te in posterum canonice prefici contigerit, in commodum etiam quoad vixeris retinere, ac de ipsorum monasteriorum fructibus, redditibus et proventibus, debitis et consuetis eorum supportatis oneribus, sicuti veri ipsorum monasteriorum Abbates, qui fuerunt pro tempore, de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tam quorumcunque bonorum immobilium et pretiosiorum mobilium eorundem monasteriorum tibi penitus interdicta, disponere et ordinare libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum et ordinum predictorum statutis et consuetudinibus iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis

quibuscunque. Volumus autem, quod propter commendam huiusmodi solitus monachorum et ministrorum numerus in eisdem monasteriis nullatenus minuatur, sed eorum congrue supportentur onera consueta. Et insuper Venerabili fratri nostro Episcopo Iauriensi et dilectis filiis de Zurch ac de Zuburio monasteriorum Abbatibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios te, vel procuratorem tuum nomine tuo in corporalem possessionem monasteriorum iuriumque et pertinentiarum predictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, faciantque tibi a dilectis filiis Conventibus obedientiam et reverentiam congruentes, nec non vassallis et aliis subditis eorundem monasteriorum consueta iura et servitia exhiberi, ac de illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, non obstantibus omnibus supradictis, aut si conventui, vassallis et subditis predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Nulli ergo etc. nostre abolitionis, commende, concessionis et mandati infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXIII. Id. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia lib. XXVIII. fol. 262.

DLXXI.

Thome epo Nitriensi olim Zagabriensi, ut sententias in Demetrium epm Tiniensem, Balthassarem et alios suos adversarios in ecclesia Zagabriensi exsequi faciat.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Nitriensi, salutem etc. Eximie devotionis obedientieque sinceritas, quam erga nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut petitiones tuas in hiis presertim, per que tuis indemnitatibus consuli valeat, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Dudum siquidem felicis recordationis Nicolaus papa V. predecessor noster de persona tua, sibi et fratribus suis sancte Romane ecclesie Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ecclesie Zagabriensi tunc per obitum bone memorie Benedicti Episcopi Zagabriensis extra Romanam Curiam defuncti pastoris regimine destitute, de eorundem fratrum consilio apostolica auctoritate providit, teque illi prefecit in Episcopum et pastorem, ac deinde per pie memorie Calistum papam III. etiam predecessorem nostrum accepto, quod Baldaxar Rector, plebanus nuncupatus parrochialis ecclesie sancti Petri in Radmandorff Aquilegiensis diocesis, provisioni et prefectioni huiusmodi contra iusticiam se opponens, regimini et administrationi dicte ecclesie de facto se ingesserat, prout ingerebat, ac impediverat et impediebat, ne tu possessionem regiminis et administrationis huiusmodi adipisci possis, quibusdam tam ecclesiasticis quam secularibus personis sibi quo ad hoc prestantibus auxilium, consilium et favorem prefatus Calistus predecessor noster dilecto filio nostro Berardo tituli sancte Sabine presbitero Cardinali, tunc Episcopo Spoletano, et certis suis in ea parte collegis suis dedit litteris in mandatis, ut ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios te in corporalem possessionem regiminis et administrationis predictorum inducerent et inductum defenderent, amoto dicto Baldaxare et quolibet alio detentore ab eisdem, quoscunque impedientes, quominus tu pacificam possessionem vel quasi regiminis et administrationis predictorum adipisci ac illa gerere et exercere valeres, eisque prestantes auxilium, consilium vel favorem per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super hiis per eos habendis servatis processibus illos, quotiens expediret, aggravare curarent. Postmodum vero cum prefatus Berardus Cardinalis tunc Episcopus ad ipsarum sibi dictarum litterarum executionem rite procedens, eundem Baldaxarem et alios te in premissis impedientes, eorumque fautores et consultores pro eo, quod monitioni et mandato huiusmodi parere contumaciter neglexerant, excommunicationis sententiam innodasset, ac processus contra eum et alios rebelles predictos legitime habitos aggravasset, per eundem predecessorem accepto, quod non solum ipse Baldaxar, sed etiam Demetrius Episcopus Tiniensis in vim cuiusdam pretense provisionis de persona sua ipsi ecclesie Zagabriensi per fraudem a bone memorie Eugenio papa IV. etiam predecessore nostro, quem dictus Demetrius mandatum asserendo dictum Benedictum ecclesiam Zagabriensem pro ecclesia Tiniensi permutare velle circumvenerat, obtente te variis modis impediverant et impediebant, quominus tu possessionem pacificam regiminis et administrationis predictorum adipisci posses. Prefa-

tus Calistus predecessor tunc per quasdam alias suas litteras lites et causas, sicut desuper inter te et dictos Demetrium et Baldaxarem indecise penderunt, ad se advocans et penitus extinguens, ex certa eius scientia decrevit et declaravit, regimen et administrationem ecclesie Zagabriensis huiusmodi tibi, non autem Demetrio vel Baldaxari predictis de iure competiisse et competere, illaque tibi adiudicavit, et super illis Demetrio et Baldaxari predictis perpetuum silentium imposuit, mandans eidem Demetrio et Baldaxari, et quibusvis aliis tam ecclesiasticis quam laicalibus personis, cuiuscumque status vel preheminencie forent, sub excommunicationis pena, quam contrafacientes absque alia declaratione incurrerent ipso facto, et a qua ab alio, quam a Romano pontifice, nisi in mortis articulo constituti, absolvi non possint, nec non super certis aliis tunc expressis penis, ut postquam dicte littere ad eorum notitiam deducte forent, possessionem bonorum mense Episcopalis Zagabriensis, nec non regiminis et administrationis predictorum, ac castrorum, oppidorum, villarum et aliorum bonorum ad ipsam ecclesiam spectantium tibi vacuam et expeditam demitterent, certis etiam tibi desuper executoribus deputatis. Successive vero nos etiam per certas alias nostras litteras, mature desuper discussione prehabita, prefatam ecclesiam Zagabriensem de fratrum nostrorum consilio tibi adiudicantes, et eam ad te de iure spectasse et spectare, ac Demetrio et Baldaxari predictis in ea vel ad illam nullus ius competiisse et competere declarantes, inter cetera quibusvis executoribus quarumcumque litterarum tam per Nicolaum et Calistum predecessores prefatos, quam etiam per nos tibi super dicta ecclesia Zagabriensi et illius occasione concessarum, eorumque subexecutoribus mandavimus, ut ad illarum executionem procederent, donec et quousque tam provisio et prefectio tua quam ipse littere finalem executionem, etiam quoad expensas per te post provisionem et prefectionem tuam preterea factas, in quibus Demetrium et Baldaxarem predictos condemnavimus, et tam contra Demetrium et Baldaxarem, quam contra Panian de Gereben et Henricum de Ruczesdorffen ac Gregorium Zupor de Monoslo, Nicolaum filium Andree, Paulum Nykezes, et Gregorium Fodorospy, ac alios castrorum et bonorum dicte ecclesie Zagabriensis occupatores et detentores, etiam si pontificali dignitate prefulgeant, haberent et executioni debite demandate forent, prout in singulis litteris predictis plenius continetur. Cum autem nuper nos ex certis arduis animum nostrum moventibus causis te a vinculo, quo eidem ecclesie Zagabriensi tenebaris, de eorundem fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad ecclesiam Nitriensem, tunc pastore carentem, duxerimus transferendum, teque illi prefecerimus in Episcopum et pastorem, volentes tamen et apostolica auctoritate decernentes, quod si tu ipsius ecclesie Nitriensis possessionem infra certum tunc expressum terminum assequi nequires, translatio huiusmodi nulla foret, tuque pristinum ius in eadem Zagabriensi ecclesia proinde, ac si absolutio et translatio huiusmodi facte non essent, sortireris. Et sicut accepimus, quamvis ipsi Demetrius Episcopus et Baldaxar tibi in expensis in huiusmodi causis et negotiis factis legitime condemnati fuerint, tamen ipsi Demetrius Episcopus et Baldaxar, nec non Panian de Gereben ac Henricus Ruczesdorffen et Gregorius Zupor, nec non Andreas et Christoforus Menus ad Affar Alamani laici, olim castellani seu capitanei castri Garigli ad ipsam ecclesiam pertinentis, qui castrum ipsum pro certo pretio prodiderunt, seu tuo adversario contra prohibitiones apostolicas dederunt, nec non Henricus Ruczesdorffen, qui castrum Benilecz ad ipsam ecclesiam pertinens pro certo alio pretio impignoravit seu alias alienavit, et nonnulli alii, qui interim, dum tu ipsi Zagabriensi ecclesie prefuisti, et illius possessionem pacificam non haberes, eius mense Episcopalis quam plura bona ac fructus, redditus ac proventus occuparunt et in suos usus converterunt, tibi de expensis, in quibus condemnati fuerunt, ac pretiis nec non fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi per eosdem indebite perceptis minime satisfecerint, et quamvis contra eos ad instantiam tuam excommunicationis alieque diverse pene ac censure ecclesiastice per eosdem predecessores late, et illorum ac nostra auctoritate promulgate, variique processus habiti extiterint, adhuc satisfacere non curent, animo indurato in suis censuris et penis predictis insordescentes in anime sue periculum, ac tuum non modicum preiudicium et iacturam, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut statui et indemnitati tue super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes devotionem et obedientiam erga nos tuam, et quod quamvis dicte Zagabriensis ecclesie fructus, redditus et proventus longe maiores sint, quam ecclesie Nitriensis predicte, tamen tu, ut nostre voluntati morem gereres et dicte Zagabriensi ecclesie pacem dares, quoad translationem tuam huiusmodi nostro te beneplacito non sine magna laude devotionis et obedientie conformasti, et propterea, ac etiam quia iustitia et equitas ita suadent, indemnitati tue consulere intendentes, huiusmodi supplica-

tionibus inclinati, omnia et singula iura et actiones tibi contra Demetrium et Baldaxarem ac Andream et Christoforum, nec non illos predictos super expensis, in quibus tibi condemnati sunt vel condemnandi veniant, ac pretiis castrorum et illorum deditionum ac impignorationum seu alienationum huiusmodi, nec non super fructibus, redditibus ac proventibus per eos ex dicta mensa Episcopali Zagabriensi a tempore, quo tu ipsi Zagabriensi ecclesie in Episcopum et pastorem prefectus fuisti, usque ad dicte translationis tue huiusmodi perceptis et habitis competencia, etiam post tuam translationem huiusmodi, et sive illa sortiatur effectum, sive non, tibi auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore presentium reservamus, nec non sententias, censuras et penas contra Demetrium et Baldaxarem ac alios predictos propterea latas eadem auctoritate confirmamus et approbamus, tibique prosequendi iura et actiones tibi competentia supradicta coram dictarum tibi concessarum litterarum executoribus, eorumque subexecutoribus ac aliis quibuscumque iudicibus, etiam de novo per te, si opus fuerit, a sede apostolica impetrandis, nec non ab eisdem executoribus, subexecutoribus aliisque iudicibus supradictis, ut ipsi eosdem processus legitime prosequantur, et quotiens opus fuerit, illos aggravent, requirendi, ipsisque executoribus, subexecutoribus et iudicibus eosdem processus publicandi et publicari faciendi, ac legitime aggravandi, nec non tibi cum Demetrio, Baldaxare, Panian, Andrea, Christoforo et Henrico ac aliis supradictis super eisdem expensis et pretiis, ac fructibus, redditibus et proventibus, si et prout tibi videbitur, componendi, concordandi, et predictos omnes, preter Demetrium et Baldaxarem predictos, postquam tibi congrue satisfecerint, si id humiliter petierint, ab eisdem sententiis, censuris et penis per aliquem eorundem executorum, iniuncta eis culpe penitentia et aliis que de iure iniungenda fuerint, auctoritate apostolica absolvi potendi et faciendi, auctoritate apostolica ac ex certa scientia tenore presentium concedimus facultatem, mandantes executoribus, subexecutoribus et iudicibus supradictis, ut ad earumdem eis directarum litterarum ac processuum desuper habitorum executionem in omnibus et per omnia perinde, ac si tu eidem ecclesie Zagabriensi adhuc preesses, iuxta illarum formam procedant, non obstantibus translatione tua huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus, que tam prefati predecessores quam nos in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre reservationis, confirmationis, approbationis, concessionis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Petrioli Sinensis diocesis Anno etc. MCCCCLXIIII. octavo Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia lib. XXIX. fol. 11.

EPISTOLAE PAULI PP. II.

DLXXII.

Hieronymo archiepo Cretensi per Hungariam et terras Turcis subiectas nuntio apostolico constituto, ut expeditionem contra Turcas promoveat.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Hieronimo Archiepiscopo Cretensi, per Regnum Hungarie et terras ac loca Turchis subiecta, regnique illius membra nostro ac apostolice sedis oratori, salutem etc. Cum primum fuimus, divina favente clementia, ad apicem summi apostolatus assumpti, illud prius venit in mentem, et precipue nobis cure fuit, ut iuxta pastoralem a deo nobis curam traditam fideles populos a Turchorum immanitate ac sevitia, quantum in nobis esset, defenderemus, et illorum audacia refrenari posset: repetentes itaque in animo nostro ea, que per fel. rec. Nicolaum V. et Calistum III. Romanos pontifices, predecessores nostros, in hoc communi excidio et calamitate acta fuerunt, qui uti optimi pastores et vigilantissimi gregem eis commissum preservarent, affectantes ex sublimi specula tempestatem et futuros casus formidantes, christianos, ut dei et fidei cause succurrerent, variis modis excitare ac voce domini commonere non cessarunt, et postremo predecessor noster immediatus Pius papa II. Turchorum successus ac potentiam, peccatis exigentibus, magis ac magis augeri prospiciens, ingenti zelo accensus supra vires etatis et valitudinis sue pro expeditione in Turchos, et classe preparanda se Anconam personaliter contulerit, et nisi mors eum de medio sustulisset, magna aggredi et adiutore domino prosequi erat sui propositi. Nobis vero in eiusdem Pii locum suffectis non minor voluntas ac ardor incessit. Metientes igitur hanc tantam rem, et viis ac remediis oportunis, maturo quoque consilio venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium incedere instituimus, etiam ea agere ac curare, per que saluti christianorum consultum sit, et nefandissimi hostis potentia fidelium auxiliis conteratur. Inter cetera vero, que disponenda videntur, inclitum illud et nobilissimum regnum Ungarie nobis occurrit, quod propugnaculum fidei inconcussum et antemurale ac scutum christianitatis merito censetur. Dignum igitur estimantes ad ipsum regnum et negocia fidei in illo tractanda, et feliciter, adiuvante domino, conducenda prelatum habere, qui voluntatem et conceptus nostros intelligat, et aliorum, qui nobis consulunt ac assistunt, sumentes in tua prudentia in arduis comprobata, et persona tua quam plurimis virtutibus insignita fiduciam in domino specialem, et tuum zelum animadvertentes, te ad prefatum regnum de eorundem fratrum nostrorum consilio, etiam cum potestate legati de latere duximus destinandum, iniungentes tue fraternitati, ut una cum carissimo filio nostro in Christo Mathia Ungarie Rege Illustri, et prelatis ac aliis principibus communices nostram mentem, que admodum propensa est ad fidei causam defendendam et rabiem Turchorum comprimendam: exploratis itaque rebus et mature ac digeste intellectis, consilia et auxilia,

que conferre possint ad hanc piam et necessariam dei causam, nobis quantocius significare procures. Certumque scimus, quod sede apostolica vacante, dilecto filio nobili viro Christoforo Mauro Duci Venetiarum per sacrum collegium dictorum Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, summa quadraginta milium et trecentorum quatuordecim florenorum auri de camera fuit assignata, que pecuniarum quantitas per dictum predecessorem nostrum Pium ex erario ecclesie pro expeditione in Turchos exacta fuerat, et ordinatum extiterat, ut per Ungariam exponeretur: receptis pecuniis huiusmodi et in tuam potestatem positis, preparandi et conducendi gentes armigeras tam equestres quam pedestres, et pro eo tempore et in eo numero iuxta conditiones et necessitates temporum, et prout qualitas huiusmodi negocii exegerit et requiret, prefatas gentes et alias, que tempore dicti predecessoris Pii occasione cruciate congregate fuerant, sub vexillo vivifice crucis dirigendi, viis et modis iuxta instructiones per nos tibi factas, et prout expediens visum fuerit, ac omnia et singula faciendi, gerendi, statuendi et exequendi, que ad executionem tibi commissorum vel quorumlibet eorum necessaria iudicaveris, seu etiam oportuna, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium tue fraternitati concedimus facultatem ac etiam potestatem, mandantes omnibus et singulis, quacunque dignitate, privilegio et exemptione prefulgeant, ut tibi in executione premissorum faveant et assistant, et ubi expediens fuerit, pareant et intendant, ut premissa et omnia et singula per nos tibi imposita et imponenda ad optatum finem deducere valeas. Nos enim quecumque circa premissa aut quodlibet premissorum mandaveris, et sententias, censuras sive penas, quas rite tuleris sive statueris in rebelles, ratas et gratas habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Tua igitur fraternitas iuxta commissionem per nos tibi factam ita prudenter, integre et magno animo se exercere studeat, ut sperati fructus proveniant, tuque apud nos et sedem apostolicam dignis laudibus valeas commendari. Datum Rome apud sanctum Petrum anno etc. MCCCCLXIIII. tertio Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. IV. fol. 150.

DLXXIII.

Guilielmo epo Ostiensi suisque collegis, ut Valentino de Capus monasterium S. Mauritii in Beel in commendam conferendum curent.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Guillermo Episcopo Ostiensi, et dilectis filiis Roderico sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, sancte Romane ecclesie vicecancellario, ac Abbati Monasterii sancte Marie in Szirtz Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Romani pontificis providentia circumspecta singulis monasteriis, ne diutine vacationis incommoda sustineant, sed utilium gubernatorum fulciantur presidiis, prospicit diligenter, ac religiosis personis grata sibi et apostolice devotionis obsequia impendentibus, ne temporalium rerum, sine quibus spiritualia diu subsistere non possunt, indigentiam patiantur, prout decens est, de subventionis auxilio providet oportune. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Valentini de Capus fratris monasterii sanctorum Pauli primi heremite et Laurentii martiris de Promontorio benedictini ordinis eiusdem sancti Pauli primi heremite Vesprimiensis diocesis, capellani nostri et in basilica principis apostolorum de urbe minoris penitentiarii, peticio continebat, quod pridem, cum bone memorie Gregorius Episcopus Milchoviensis, qui monasterium sancti Mauritii in Beel ordinis sancti Benedicti predicte Vesprimiensis diocesis ex concessione et dispensatione sedis apostolice in commendam, dum viveret, obtinebat, extra Romanam curiam diem clausisset extremum, et per eius obitum, cessante huiusmodi commenda, monasterium predictum illo, quo antea vacaverat, modo vacare censeretur, recolende memorie Dionisius tituli sancti Ciriaci in Termis presbiter Cardinalis et Archiepiscopus Strigoniensis, in partibus illis apostolice sedis legatus, monasterium sic vacans eidem Valentino, etiam tunc ordinem ipsum sancti Pauli primi heremite expresse professo, et nulla super hoc canonica dispensatione suffulto sue legationis auctoritate quamvis de facto commendavit. Cum autem commenda Valentino facta huiusmodi secundum premissa viribus non subsistat, et sicut accepimus, monasterium ipsum adhuc, ut prefertur, vacare censeatur: Nos eidem monasterio de gubernatore secundum cor nostrum utili et idoneo, per quem circumspecte regi et salubriter duci valeat, quam ipsi Valentino apud nos de religionis zelo, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque virtutum donis multipliciter commendato, et etiam propter grata devotionis obsequia, que nobis et predicte sedi hactenus impendit et adhuc solicitis studiis impendere non desistit, ut se commodius sustentare et statum suum decentius tenere possit, de

alicuius subventionis auxilio providere volentes, ac verum et ultimum ipsius monasterii vacationis modum, etiam si ex illo generalis reservatio resultet, presentibus pro expresso habentes, circumspectioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios monasterium predictum, cuius fructus, redditus et proventus centum florenorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Valentinus asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovismodo aut ex cuiuscumque persona, seu per obitum quondam Michaelis, olim ipsius monasterii abbatis extra Romanam Curiam defuncti, seu per liberam cessionem ipsius Michaelis, de illo in Romana curia vel extra eam etiam coram Notario publico et testibus sponte factam vacet, et ex quacumque causa eius provisio ad sedem predictam specialiter vel generaliter pertineat, et super illis regimine et administratione inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta curia vel extra eam pendeat indecisa, dummodo tempore dat. presentium ipsi monasterio de abbate canonice provisum non sit, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Valentino per eum, quoad vixerit, tenedum, regendum et gubernandum auctoritate nostra commendare curetis, prefati monasterii curam regimen et administrationem sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; ita quod idem Valentinus, debitis et consuetis ipsius monasterii supportatis oneribus, de illius fructibus, redditibus, proventibus disponere et ordinare libere et licite valeat, sicuti veri ipsius monasterii Abbates, qui pro tempore fuerunt, de eis disponere et ordinare potuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et preciosorum mobilium ipsius monasterii sibi penitus interdicta; facientes ipsi Valentino de predicti monasterii fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, ac a dilectis filiis conventu prefati monasterii, necnon vassallis et aliis subditis suis consueta servitia et iura exhiberi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita etc. Non obstantibus bone (memorie) Bonifacii pape VIII. etiam predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus, necnon monasterii et ordinum predictorum statutis et consuetudinibus iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscumque; aut si Archiepiscopo Strigoniensi et prefatis conventui, vassallis et subditis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis gratia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totalite non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; proviso, quod propter commendam huiusmodi in predicto monasterio solitus monachorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur, sed illius congrue supportentur onera consueta: nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXV. duodecimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. II. fol. 260.

DLXXIV.

Demetrius epus Zagrabiensis ab excommunicationis sententia, si ligatus existat, absolvitur.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Demetrio Episcopo Zagrabiensi, salutem etc. Romani pontificis copiosa benignitas de statu personarum quarumlibet, et presertim pontificali dignitate preditarum, quas in partem solicitudinis pastoralis evocavit altissimus, attente considerans, ad ea libentius intendit, per que persone predicte ecclesiis sibi commissis sana conscientia et integra mente valeant salubriter presidere. Nos igitur intendentes ecclesie Zagrabiensi, que per multa tempora variis perturbationibus afflicta extitit, hodie quantum in nobis est, pacem parare, necnon translationem dudum de persona tua per felicis recordationis Eugenium papam IV. predecessorem nostrum ad prefatam ecclesiam factam approbare et confirmare: et nichilominus pro potiori tui iuris adminiculo eidem ecclesie de prefata persona tua de novo providere, tuque propter deffensiones, vexationes, lites, sententias et penas interim habitas et promulgatas dubitas aliquibus forsan ex eisdem censuris te innodatum esse, tuis in hac parte supplicatibus inclinati, te ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, in te premissorum occasione aut alias quomodolibet a iure vel ab homine latis, inflictis et promulgatis, si quibus forsan innodatus existis, quo

ad effectum provisionis predicte dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore decernentes, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam penitus abolentes, tecum super irregularitate, si quam sententiis, censuris et penis ligatus huiusmodi missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut illis te immiscendo incurristi, auctoritate apostolica tenore presentium dispensamus. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, constitutionis, abolitionis et dispensationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo CCCCLXV. decimo octavo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. II. fol. 101.

DLXXV.

Idem Demetrius ab ecclesia Tiniensi ad Zagrabiensem transfertur, et ut moris est, commendatur.

PAULUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Demetrio Episcopo Zagrabiensi, salutem etc. De felici ecclesiarum presertim insignium cathedralium statu et personarum illis, auctore domino, presidentium pace et quiete cura pastoralis officii assidue nos cogitare compellit, ut per nostre operationis ministerium, subductis quibuslibet dissensionum fomentis et litigiorum anfractibus, ecclesie et persone predicte in pacis ubertate conquiescant, ac demum exinde fructus eterne salutis, deo propitio, valeant feliciter provenire. Sane felicis recordationis Eugenius papa IV. predecessor noster dudum te a vinculo, quo ecclesie Tiniensi, cui tunc preeras, de fratrum nostrorum, de quorum numero tunc eramus, consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvens, te ad ecclesiam Zagrabiensem tunc certo modo vacantem de eorumdem fratrum consilio duxit auctoritate apostolica transferendum, preficiendo te eidem ecclesie Zagrabiensi in Episcopum et pastorem, curamque, regimen et administrationem ipsiusque ecclesie Zagrabiensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: necnon pie memorie Nicolaus papa V. etiam predecessor noster translationem ac provisionem et prefectionem predictas per suas certi tenoris litteras auctoritate apostolica ratificavit et approbavit. Nos igitur eidem ecclesie Zagrabiensi, que exinde per multos annos variis dissensionum materiis et litigiorum incommodis graviter afflicta existit, prout ex suscepte servitutis officio nobis incumbit, denique pacem dare cupientes, necnon absolutionem a vinculo ac translationem, provisionem et prefectionem Eugenii, ac ratificationem et approbationem Nicolai predecessorum huiusmodi ratas habentes et gratas, illasque auctoritate apostolica tenore presentium ex certa nostra scientia approbantes et confirmantes, ac pro potiori premissorum omnium robore et stabilimento, ac tui iuris cautela dicte ecclesie Zagrabiensis verum et ultimum vacationis modum, etiam si ex illo generalis resultet reservatio, presentibus pro expresso habentes, de persona tua prefate ecclesie Zagrabiensi, etiam si illa per cessionem dudum per Venerabilem fratrem nostrum Thomam Episcopum Nitriensem in manibus felicis recordationis Pii pape II. similiter predecessoris nostri sponte factam, et per eundem predecessorem admissam vacet, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica de novo providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem prefate ecclesie Zagrabiensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, confidentes in illo, qui dat gratias et largitur premia, quod dirigente domino actus tuos, prefata ecclesia Zagrabiensis per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis et administrationis dicte ecclesie Zagrabiensis recipiens, reverenter sic te in eius cura salubriter et fideliter exercendo diligentem exhibeas ac etiam studiosum, quod prefata ecclesia Zagrabiensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium et humane laudis preconium, nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXV. decimo octavo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

PAULUS etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Zagrabiensis, salutem etc. Hodie translationem de persona Venerabilis fratris nostri Demetrii Episcopi Zagrabiensis de ecclesia Tiniensi, cui tunc preerat, per felicis recordationis Eugenium papam IV. predecessorem nostrum ad ecclesiam vestram Zagrabiensem tunc certo modo vacantem, necnon provisionem et prefectionem eiusdem factas ratificantes et approbantes, pro potiori dicti Demetrii Episcopi cautela de persona sua eidem ecclesie Zagrabiensi de venerabilium fratrum nostrorum consilio duximus de novo auctoritate apostolica providendum, pre-

ficiendo eum etiam de novo eidem ecclesie Zagrabiensi in Episcopum et pastorem, curamque, regimen et administrationem prefate ecclesie Zagrabiensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus predicto Demetrio Episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ei obedientiam et reverentiam debitas et devotas, eius salubria monita et mandata suscipiatis devote et efficaciter adimplere curetis; alioquin sententiam, quam idem Episcopus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

Paulus etc. Dilectis filiis Clero civitatis et diocesis Zagrabiensis, salutem etc. Hodie translationem de persona Venerabilis fratris nostri Demetrii Episcopi Zagrabiensis de ecclesia Tiniensi etc. ut supra etc. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Episcopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes affectu, ac exhibentes ei obedientiam et reverentiam debitas et devotas, eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis; alioquin sententiam, quam idem Episcopus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra etc.

Paulus etc. Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Zagrabiensis, salutem etc. Hodie translationem de persona Venerabilis fratris nostri Demetrii Episcopi Zagrabiensis etc. ut supra. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Demetrium Episcopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes ac debita honorificentia prosequentes, eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis devotos filios et vos in eo per consequens patrem invenisse benevolum gaudeatis. Datum Rome ut supra etc.

Paulus etc. Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Zagrabiensis, salutem etc. Hodie translationem de persona Venerabilis fratris nostri Demetrii Episcopi Zagrabiensis de ecclesia Tiniensi etc. ut supra. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Demetrium Episcopum debita honorificentia prosequentes, ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura a vobis sibi debita exhibere integre studeatis; alioquin sententiam sive penam, quam idem Episcopus rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. II. fol. 101.

DLXXVI.

Archiepo Colocensi idem Demetrius commendatur.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame, si per personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propitiationis intuitu oportuni presidii ac favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem translationem de persona Venerabilis fratris nostri Demetrii Episcopi Zagrabiensis etc. ut supra. Cum igitur, ut idem Episcopus in commissa sibi predicte Zagrabiensis ecclesie cura facilius proficere valeat, tuus favor sibi noscatur esse plurimum oportunum, fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eundem Episcopum et ecclesiam Zagrabiensem sibi commissam suffraganeam tuam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis eiusdem ecclesie Zagrabiensis iuribus sic eum tui favoris presidio prosequaris, quod ipse per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem Zagrabiensis ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et eiusdem sedis benevolentiam valeas exinde uberius promereri. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. II. fol. 101.

DLXXVII.

Mathiae regi Hungariae idem episcopus commendatur.

Paulus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Mathie Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum

prelatis presertim pontificali dignitate preditis appositum favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem translationem de persona Venerabilis fratris nostri Demetrii Episcopi Zagrabiensis etc. ut supra. Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari, Serenitatem tuam hortamur, ut prefatum Episcopum et ecclesiam sue cure commissam habens pro apostolice sedis et nostra reverentia propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem Episcopus tue celsitudinis fultus auxilio in commisso sibi cure pastoralis officio possit, deo propicio, prosperari, et tibi exinde adeo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. II. fol. 101.

DLXXVIII.

Iudicibus mandatur, ut Lucae canonico Strigoniensi archidiaconatum Hontensem conferendum curent.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Simoni Archiepiscopo Antibarensi in civitate Strigoniensi residenti, et dilectis filiis sancti Georgii de Viridicampo ac sancti Thome martiris de Promontorio Strigoniensium ecclesiarum prepositis, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius Lucas Sigismundi canonicus Strigoniensis, magister in artibus, apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Luce petitio continebat, quod cum olim commenda de archidiaconatu Hontensi in ecclesia Strigoniensi, quem bone memorie Gregorius episcopus Milchoviensis, dum viveret, in huiusmodi commendam tunc per obitum quondam Conradi de Praga, medici, in eadem ecclesia archidiaconi Hontensis, vacantem obtinebat, per obitum eiusdem episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, cessasset et expirasset, recolende memorie Dionisius tituli sancti Ciriaci in Termis presbiter Cardinalis et Archiepiscopus Strigoniensis, in partibus illis apostolice sedis legatus, archidiaconatum eundem dilecto filio Valentino de Capus fratri monasterii sanctorum Pauli primi heremite et Laurentii martiris de Promontorio Benedictini ordinis eiusdem sancti Pauli primi heremite Vesprimiensis diocesis, capellano nostro et in basilica principis apostolorum de urbe minori penitentiario, per eum, quoad viveret, tenendum, regendum et gubernandum commendavit. Nos, in quorum manibus hodie dictus Valentinus, cui dudum eundem archidiaconatum, sicut premittitur, vacantem gratiose concessimus commendari, commende nec non gratie concessionis sibi facte ac omni iuri sibi in dicto archidiaconatu, vel ad eum quomodolibet competenti illius per eum possessione non habita sponte et libere cessit, nosque cessionem huiusmodi duximus admittendam, et propterea dictus archidiaconatus adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, licet dilectus filius Dionisius de Dawoth, qui se gerit pro canonico dicte ecclesie, archidiaconatum eundem absque aliquo canonico titulo per aliquot mensium, citra tamen annum, detinuerit, prout detinet indebite occupatum, volentes dicto Luce premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, nec non omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dictus Lucas etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si vocatis dicto Dionisio et aliis, qui fuerint evocandi, archidiaconatum predictum, qui dignitas non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia existit, cuique cura imminet animarum, et cuius fructus, redditus et proventus sexdecim marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Lucas asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovismodo aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem alicuius de illo in dicta curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Iohannis PP. XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacare repereritis, illum, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipseque archidiaconatus dispensationi apostolice specialiter vel generaliter reservatus existat, et super eo inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore dat. presentium non sit in eo alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Luce auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes per vos vel alium

seu alios eundem Lucam, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem archidiaconatus iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde dicto Dionisio et quolibet alio illicito detentore, ac facientes Lucam vel pro eo procuratorem predictum ad archidiaconatum huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus pie memorie Bonifacii PP. VIII. etiam predecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus, nec non dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis et dignitatibus ipsius ecclesie speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus prefatum Lucam in assecutione dicti archidiaconatus volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem dignitatum, aut beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si Archiepiscopo pro tempore existenti, et dilectis filiis capitulo Strigoniensi aut quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de dignitatibus dicte ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; aut si dictus Lucas presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestet: Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MCCCCLXV. duodecimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. II. fol. 305.

DLXXIX.

Pontifex quamdam bullam a Pio II. monasterio monialium in insula Danubii ord. S. Aug. concessam, Mathia rege Hungariae et Elisabetha eius matre petentibus, confirmat.

PAULUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Hiis, que pro quorumlibet Monasteriorum, et in eis deo dedicatarum personarum, que mundanis abiectis illecebris et propulso mortalis viri thoro, devotum et sedulum student altissimo exhibere famulatum, comodo et quiete per Romanos pontifices predecessores nostros rite concessa sunt, ut firma perpetuo et illibata permaneant, libenter, cum a nobis petitur, nostri etiam roboris adiicimus firmitatem. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio papa II. predecessore nostro littere emanarunt tenoris subsequentis: Pius Episcopus servus servorum dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi, et Vesprimiensi ac Vaciensi Episcopis, salutem etc. Ut inter eterne beatitudinis amatrices etc. ut supra Nro. DXXXIII. pag. 352. Nos tam Carissimi in Christo filii nostri Mathie Ungarie Regis Illustris et Elizabeth eius genitricis, quam priorisse et conventus predictorum in hac parte supplicationibus inclinati, litteras Pii predecessoris preinsertas huiusmodi, ac omnia et singula in eis contenta, et quecumque inde secuta auctoritate apostolica et ex certa scientia presentium tenore confirmamus et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, nec non perpetuis temporibus inviolabiliter observari volumus et mandamus, supplentes singulos deffectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, que prefatus Pius predecessor in preinsertis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostrorum confirmationis, approbationis, communitionis, voluntatis, mandati et suppletionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno MCCCCLXV. sexto Nonas Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. secr. lib. II. fol. 116.

DLXXX.

Mathias rex Hungariae Paulo II. mittit solitum fidelitatis iuramentum, quod Georgius rex Bohemiae in sua electione Pragae die 6. Maii 1458. emiserat, et nunc in sua coronatione repetierat.

In nomine Domini, Patris scilicet et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Ego Georgius Electus Rex Bohemie in proximo coronandus promitto, spondeo, polliceor atque iuro coram deo et angelis eius, ac in manibus patrum in Christo venerandorum dominorum Augustini Iauriensis et Vincentii Vaciensis Episcoporum, ac in presentia Venerabilium Prothasii electi Olomucensis, Przibislai Abbatis Lucensis, item spectabilium et magnificorum ac egregiorum virorum Nicolai de Wylak Woyvode Transilvani, Osualdi de Rozyon Comitis Siculorum Hungarie, Zbinkonis Leporis de Hazenburg Iudicis Regni, Procopii de Rabenstein Cancellarii Regni Bohemie, Baronum, ac Michaelis de sancto Nicolao Archidiaconi Newgradiensis Waciensis et Thome de Kanthus Cantoris Iauriensis ecclesiarum Canonicorum, decretorum doctorum: Quod abhinc inantea et deinceps fidelis et obediens ero Sacrosancte Romane et Catholice ecclesie ac Sanctissimo domino nostro domino Calisto divina providentia pape tertio, eiusque successoribus canonice intrantibus, et eis obedientiam et conformitatem, more aliorum catholicorum et christianorum regum, in unitate orthodoxe fidei, quam ipsa sancta Romana catholica et apostolica ecclesia confitetur, predicat et tenet, fideliter observabo, ipsamque catholicam et orthodoxam fidem protegere, tueri et defendere volo toto posse, populumque michi subiectum secundum prudentiam a deo datam ab omnibus erroribus, sectis et heresibus, et ab aliis articulis sancte Romane ecclesie et fidei catholice contrariis revocare, et ad vere catholice et orthodoxe fidei observationem ac obedientiam, conformitatem, unionem ac ritum cultumque sancte Romane ecclesie reducere et restituere volo, et laborabo, daboque et adhibebo omnem diligentiam, ut omnia prescripta compleantur toto meo posse et conamine ad laudem, gloriam et honorem dei, et ad exaltationem sancte et catholice fidei, sic me deus adiuvet, et hec sancta dei evangelia manibus meis corporaliter tacta. In fidem autem et testimonium omnium prescriptorum ego Georgius electus Rex predictus hic infra sigillum meum bona et propria voluntate et ex certa scientia appendi mandavi. Datum Prage die sexta mensis Maii Anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo.

Ego Prothasius dei et Apostolice sedis gracia Electus Olomucensis interfui, et manu propria subscripsi ac signeto meo sigillavi.

Ego Przibislaus Abbas Lucensis interfui et manu propria subscripsi et sigillavi.

Ego Oswaldus Rozyon Comes Siculorum premissis personaliter interfui, et omnia premissa vidi et audivi, et sigillum meum appendi manu propria.

Ego Zbinko Lepus Iudex Regni Bohemie, quia scribere nescivi, rogavi dominum Cancellarium Procopium, ut pro me subscribat; sigillo tamen meo inferius consignavi et interfui.

Ego Procopius de Rabenstein domini Regis Cancellarius interfui, et manu propria subscripsi et signeto sigillavi.

Ego magister Michael de sancto Nicolao sacre theologie licenciatus ac decretorum doctor, ecclesie Waciensis Canonicus et Archidiaconus Kathedralis, premissis interfui et manu propria hic me subscripsi.

Ego Thomas de Kwthus Kanthus' decretorum doctor, Cantor et Canonicus ecclesie Iauriensis, premissis interfui et manu propria hic me subscripsi.

Et ego Petrus natus Pauli Forgach de Gara Clericus Quinqueecclesiensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, anno, mense, die et hora, quibus supra, indictione sexta, pontificatus autem Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Calisti divina providentia pape III. anno eius quarto, Prage in camera secreta Regali solite habitationis sue constitutus personaliter Serenissimus princeps dñs Georgius Electus Rex Bohemie prescriptus, sibi et ad latus eius corporali presentia assistente Serenissima domina Iohanna Conthorali sua, iurisiurandi et professionis formam prescriptam cum primo in latinum legi audiret, et tandem in Bohemicum translatam legeret, et ore proprio pronunciaret, ac in manibus supradictorum Reverendorum in Christo patrum dominorum Iauriensis et Waciensis Episcoporum, tandem manibus suis sacrosanctis evangeliis et charta professionis per eum lecta tactis, obedientiam, reverentiam, fidelitatem et conformitatem sacrosancte Romane ecclesie, ac Sanctissimo in Christo patri et domino nostro dño Calisto pape tertio, eiusque successoribus canonice intrantibus

observare iuravit, et professionem expressam fecit. Serenissima etiam domina Iohanna predicta Conthoralis sua formam prescripte professionis primum in manibus dictorum dominorum Episcoporum, et post, tactis manibus suis sacrosanctis evangeliis et charta professionis, omnia, que sibi per prenotatum dominum Iauriensem Episcopum proponebantur, ore proprio et voce intelligibili pronunciavit et expressit. Quia omnibus et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, fierent et agerentur, una cum suprascriptis testibus presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi: Ideo me manu propria hic subscripsi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus.

Nos Mathias dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Memorie commendamus omnibus presentes litteras inspecturis: Quod cum in Anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo dominus Georgius Rex, alias vero gubernator Regni Bohemie, post electionem ad regimen eiusdem Regni de se a regnicolis habitam, postularet a nobis certos Episcopos et Barones Regni nostri pro sua coronatione mitti, nos id bona ratione utile factu rati, certos idoneos Episcopos et Barones Regni nostri pro ea re misimus: ne tamen tamquam immemores christiane religionis cuipiam heresi faveremus, iniunximus et mandavimus ipsis Episcopis et Baronibus, ut priusquam dictus dominus Georgius Rex coronaretur, debitum iuramentum et litteras de observanda catholica religione et obedientia Romane ecclesie ab ipso domino Georgio Rege exigerent, quod et exactum est: quarum quidem litterarum tenorem una cum subscriptionibus testium idoneorum, et Notarii publici de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali, quo ad omnes continentias et clausulas suas ad mandatum Sanctissimi domini nostri summi pontificis superius inseri fecimus ac fideliter conscribi, ut et forma iuramenti huiusmodi et testificationes desuper facte, etiam ipsis litteris absentibus, cunctis quorum interest liquido pateant; originale autem propter viarum pericula et alias rationabiles causas apud nos retinemus. In quorum omnium premissorum fidem presentes litteras nostras secreto sigillo nostro impendi, ac subscriptionibus et signis duorum idoneorum Notariorum publicorum in evidens testimonium veritatis consignari fecimus. Datum in descensu nostro exercituali in oppido nostro Samaria decimo die mensis Novembris, Anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, Regni nostri Anno nono, Coronationis vero tertio.

Ad mandatum domini Regis.

Et ego Michael Iwsch natus Iodoci de civitate Quinqueecclesiensi, Clericus ipsius Quinqueecclesiensis diocesis, sacra Imperiali auctoritate Notarius publicus, quia ipsas litteras prefati domini Georgii Regis Bohemie, formam iuramenti prescripti in se continentes, cum appensionibus sigillorum tam ipsius domini Georgii Regis, quam testium inibi tempore Coronationis constitutorum, et subscriptionibus eorundem testium, et etiam Notarii publici, de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali, in forma prescripta, et vere superius copiatas et transumptas vidi et manibus gestavi ac legi: Ideo hic me propria mea manu cum signeto meo solito subscripsi in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus.

Et ego Benedictus natus Georgii de Gara, Clericus, sacra Imperiali auctoritate Notarius publicus, diocesis Quinqueecclesiensis, quia ipsas litteras prefati domini Georgii Regis Bohemie, formam iuramenti prescripti in se continentes, cum appensionibus sigillorum tam ipsius domini Georgii Regis, quam testium inibi tempore coronationis constitutorum, et subscriptionibus eorundem testium, et eciam Notarii publici, de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali, in forma prescripta, et vere superius copiatas et transumptas vidi et manibus gestavi ac legi: Ideo hic me propria mea manu cum signeto meo solito subscripsi in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus.*)

Orig. exstat Arm. II. Caps. VIII. Nro. 11.

DLXXXI.

[illegible] Ferrariensis [illegible] haeresim constituitur nuntius apost. in Regno Hungariae cum facultatibus legati a latere.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Laurentio Episcopo Ferrariensi, refferendario et datario, ac cum potestate legati de latere per Germaniam et Ungariam nuntio nostro, salutem etc. Consideran-

*) [illegible] Mathiae [illegible] Hungariae sericis filis [illegible] coloris pendet.

tes prestantissimum Carissimi in Christo filii nostri Mathie Ungarie Regis Illustris ad extirpandas Hussitarum et Viclevistarum hereses animum, quem sua regali presentia et victricibus copiis patefecit, ac adversus obstinatissimum heresiarcham iusto dei et sancte Romane ecclesie iudicio maturaque deliberatione damnatum Georgium partis Regni Bohemie occupatorem, et complices quotidie demonstrat, iustis suadentibus causis expediens fore censemus, prout etiam rationibus evidentibus ad rem christianam contra earundem heresum pertinaces alumnos conferentibus liquere potest, utile futurum esse, ut pro occurrentibus negotiis fidei fraternitas tua omnibus facultatibus per nos tibi alias concessis, et quibus quoad Germanie partes suffultus es, etiam per totum Ungarie Regnum ac illi pertinentes provincias et partes plenarie uti possis. Eapropter de probitate eiusdem tue fraternitatis, integritate fidei, providentia, ingenii claritate, doctrina, aliisque virtutibus plurimis, quibus te altissimus insignivit, fiduciam gerentes in domino specialem, ac sperantes, quod ea, que tibi duxerimus committenda, ad dei laudem et gloriam, totiusque rei publice christiane profectum, ac nostrum et sancte sedis apostolice honorem exequi procurabis, quod tu omnibus et singulis per nos tibi in Germanie partibus predictis quomodolibet concessis facultatibus, quarum necnon litterarum illas continentium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, presentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, cum potestate legati de latere etiam in Regno, provinciis et partibus Ungarie supradictis, ut prefertur, pariformiter uti libere et licite possis et valeas in omnibus et per omnia, ac si in ipsis litteris de Regno, provinciis et partibus huiusmodi expressa mentio facta esset, auctoritate apostolica tenore presentium et ex certa scientia concedimus pariter et indulgemus, tibique similiter in illis crucem contra Bohemos hereticos sub eisdem modo et forma, quibus tibi concessum est pro antedictis Germanie partibus, predicandi et predicari faciendi, necnon ubilibet tam in Germania quam Regno, provinciis et partibus supradictis, quorumcumque ad Tricesimam partem contribuentium facultates iuxta valorem rerum, non autem censum suorum taxandi et limitandi, ac circa premissa et quevis alia tibi per nos commissa faciendi, disponendi, concedendi, intepretandi, ordinandi, mandandi et exequendi, prout cum et sine cruce pugnantibus pro tempore seu ad id contribuentibus utilius et commodius discretioni tue, presertim in hiis, que ad rem christianam contra Hussitarum heresum huiusmodi sectatores (conferunt), secundum datam tibi a domino gratiam videbitur expedire, et insuper pro exigendis decimis in expeditione committendis aliquas in in nostris desuper confectis litteris appositas clausulas aut factas ordinationes, ubi et quando tibi expediens videatur et eiusdem fidei negotio conferre censueris, auctoritate nostra mutandi ac ad profectum eiusdem fidei coaptandi, dirigendi et reformandi, proponendi quoque, et proposita declarandi, et declarata executioni debite mandandi, obligatis ad solutionem decime antedicte super quota per eos solvenda, non tamen circa dimidiam, componendi, ipsam quoque decimam ubilibet, etiam a quibusvis ecclesiasticis non solum secularibus, verum etiam quorumcumque ordinum, quatuor tamen mendicantium dumtaxat exceptis, regularibus utriusque sexus personis, cuiuscumque dignitatis, gradus, preheminentie aut conditionis existant, dicta auctoritate exigendi, et personas idoneas ad id exigendum deputandi, ipsasque personas ad illius vel in parte desuper pro tempore forsan facte compositionis solutionem integram per censuram ecclesiasticam et alia oportuna iuris remedia, appellatione postposita, compellendi, ac omnia alia et singula circa predicta necessaria ex aliis per nos tibi, ut premittitur, concessis facultatibus, quas etiam in sua volumus firmitate persistere, et etiam tibi quo ad hoc suffragari debere, faciendi, disponendi, ordinandi, mandandi et exequendi plenam, liberam atque omnimodam facultatem et potestatem auctoritate et scientia supradictis concedimus per presentes, non obstantibus constitutionibus etc. necnon omnibus illis, que in singulis predictis per nos tibi concessis litteris ac facultatibus non obstare voluimus, ceterisque contrariis quibuscumque, Contradictores etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXVIII. septimo Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia lib. II. fol. 44.

DLXXXII.

Ioanni epo Agriensi conceditur facultas septimam decimarum partem ab omnibus beneficiatis suae dioecesis pro ecclesia cathedrali reparanda exigendi.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Agriensi, salutem etc. Iniunctum nobis desuper apostolice servitutis officium, quo de universis orbis ecclesiis solicitam curam gerimus, nos excitat et inducit, ut circa prosperum illarum, presertim cathedralium, que temporum et guerrarum

malignitate causante miserabilis ruine minantur incommoda, statum, coadiuvante domino, in melius reformandum oportune reparationis auxilia impendamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Ungarie illustris petitio continebat, quod ecclesia tua Agriensis guerrarum turbinibus, que superioribus temporibus in partibus illis viguerunt, et aliis sinistris eventibus causantibus, necnon propter incursiones, predas et varios impetus Boemorum hereticorum, qui usque ad civitatem Agriensem superioribus temporibus penetraverunt, illamque incenderunt et partim combusserunt, adeo in suis edificiis deteriorata et conquassata remansit, quod nisi illius reparationi per sedis apostolice providentiam de celeris reparationis auxilio provideatur, de proximo, ut verisimiliter creditur, corruet, et miserabilem ad presens ac maiorem in dies minatur ruinam, quodque propter ipsius ecclesie magnitudinem ingentisque operis molem absque maximis laboribus et expensis restaurari et rehedificari non posset. Quare pro parte eiusdem Regis asserentis, quod dextera domini sibi assistente propicia, ipsorum hereticorum vires magna ex parte attrivit, ipsosque a toto Regno Ungarie expulit, quodque tu propter subsidia, que eidem Regi ad fugandum huiusmodi hereticos et alios infideles prestitisti, et magna expensarum onera, que Regi ipsi assistendo illumque sequendo pertulisti, reparationem huiusmodi tuis sumptibus et expensis solus tollerare non posses, et ad obviandum tanto ipsius ecclesie dampno et periculo, septimam partem omnium decimarum civitatis et diocesis tue Agriensis, quarum Episcopus Agriensis pro tempore existens, certam partem sibi retinere, et illarum residuum inter alias personas ecclesiasticas, canonicatus et prebendas ac dignitates, et alia beneficia ecclesiastica in ecclesia ac civitate et diocesi predictis obtinentes, et iuxta morem patrie et ecclesie predicte statuta et consuetudines secundum beneficiorum, que obtinent, qualitatem dividi consueverunt, usque ad quinquennium ad huiusmodi reparationis opus contribuere paratus existis, dummodo alie persone predicte septimam partem decimarum, quas similiter percipere consueverunt ac percipiunt, ad opus huiusmodi etiam contribuerent, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis et circa ea providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, quibus ex debito pastoralis officii nobis ex alto commissi incumbit ecclesiarum omnium providere necessitatibus, attendentes, quod onera in plures divisa facilius perferuntur, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue ab omnibus et singulis personis ecclesiasticis in civitate et diocesi predictis beneficia ecclesiastica obtinentibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, usque ad nostrum dumtaxat beneplacitum, septimam partem decimarum huiusmodi, quas percipiunt annis singulis, exigendi, colligendi et levandi, necnon etiam penes te retinendi, et in huiusmodi reparationem convertendi apostolica auctoritate tenore presentium facultatem concedimus et etiam potestatem Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon in synodalibus et provincialibus conciliis editis, statutis quoque et consuetudinibus dicte ecclesie Agriensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, necnon litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta presentium effectus retardari valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si personis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, pridie Kal. Februarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. lib. VII. fol. 178.

DLXXXIII.

Universis, qui per trimestre ad defendendum comitatum Metlicensem ibunt, confessor indulgentiam plenariam elargiri possit.

Paulus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Pastoris eterni vices licet immeriti gerentes in terris, id totis nostre mentis visceribus exoptamus, ut Turchorum contra christianum populum multis victoriis iam longo tempore exultantium effrenata rabies a christianarum gentium finibus arceatur, et ut nostri desiderii votivus succedat effectus, fideles ipsos, qui se in ea re fidelium protectores virilesque pugiles esse profitentur, libenter remissionum prosequimur rependiis, eorumque pericula et pios labores spiritualium gratiarum muneribus compensamus. Sane pro parte Carissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti nobis nu-

per exhibita peticio continebat, quod cum iidem immanissimi Turchi christiani nominis hostes et persecutores, ceteris sibi propinquioribus locis et dominiis subactis, fere usque ad comitatum Metlicensem Marchie Sclavonie dicto Imperatori subiectum suos conatus extenderint, et hostiles per dictum comitatum incursus facere, eiusque incolas variis dannis afficere et ipsum comitatum suo truci dominio subigere continue machinentur, ac ipsius comitatus incole propter diuturnam superiorum temporum pacem bellice discipline minus experti ad resistendum ipsorum Turchorum viribus non sufficiant, et valde formidandum sit, ne subacto comitatu predicto dietim citerioribus christianis nationibus appropinquent: unde pro tutela et defensione ipsius comitatus aliorum fidelium suffragia petere expedit, sine quibus forsan ipse comitatus et eius incole predicti in dictorum Turchorum deditionem incidere et durum ipsorum servitutis iugum subire cogerentur. Nos igitur cupientes, ut christifideles presertim eidem comitatui finitimi prefatis incolis ad tutandum ipsum comitatum et reprimendum dictorum hostium conatus nepharios opem ferant, et eo maioribus animis excellentiorique virtute cum eisdem Turchis dimicare parati sint, quo per defensionem ipsam non solum humana laudum preconia et digna retributionis merita pro tam piissimis actibus et caritatis officiis, sed etiam celestia munera per amplius se conspexerint adipisci, omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, qui quotiens oportunitate suadente pro parte dicti Imperatoris, vel eius ad hoc deputati capitanei ad defendendum atque tutandum comitatum predictum, ad resistendum etiam Turchis predictis, ne illi suos conatus nepharios tandem etiam ad cetera christiane ditioni subiecta dominia extendere et hostiles in ea incursus facere presumant, requisiti atque commoniti fuerint, seque cum equis et armis ad loca ipsis per Imperatorem predictum aut eius capitaneum nominanda et deputanda contulerint, et ibidem saltem per tres menses suis sumptibus militaverint, aut alios ad bellandum habiles per idem trimestre tempus sumptibus suis transmiserint, aut transeuntibus ipsis pia erogaverint subsidia caritatis, unusquisque iuxta vires facultatum sibi a deo collatarum, super quo cuiusque conscientiam oneramus, ut sacerdotem ydoneum secularem vel regularem in suum possint, et quilibet eorumdem possit eligere confessorem, qui confessione eorum diligenter audita pro commissis per eos criminibus, excessibus et peccatis, etiam in singulis sedi apostolice reservatis casibus, preterquam offense ecclesiastice libertatis, criminum heresis et cuiusvis offensionis, inobedientie seu rebellionis aut conspirationis in personam vel statum Romani pontificis, quem duxerint eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, plenariam eis remissionem in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra et successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus; sic enim, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam ipsis per eos, si supervixerint, vel per alios, si forte tunc transierint, faciendam iniungat, quam ipsi vel illi facere teneantur, ut prefertur; et ne qui, quod absit, propter huiusmodi gratiam sint aut reddantur procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si aliqua ex confidentia remissionis huiusmodi forte committerent, quoad illa predicta remissio eis nullatenus suffragetur; et quod presens nostra commissio et indulgentia sub generali per felicis recordationis Pium papam II. predecessorem nostrum, et deinceps per nos de quibusvis indulgentiis et remissionibus durante expeditione contra eosdem Turchos facta, aut sub quibusvis aliis imposterum per nos vel quemcumque ex successoribus nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus premissa aut alia quavis causa faciendis suspensionibus nullatenus comprehendantur, nisi de ista ac toto tenore presentium de verbo ad verbum specialis et expressa mentio facta fuerit, ac si suspensiones huiusmodi nullatenus emanassent. Non obstantibus suspensionibus predictis et aliis contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXIX. sexto Nonas Maii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. lib. VIII. fol. 70.

DLXXXIV.

Universis archiepiscopis, episcopis, abbatibus etc. ut vicariam et fratres minores provinciae Bosniae in calicibus, libris etc. recuperandis adiuvent.

Paulus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus monasteriorum, prioribus prioratuum aliisque in dignitatibus ecclesiasticis constitutis, et cathedralium ecclesiarum canonicis, necnon eorundem Archiepiscoporum et Episcoporum Vicariis in spiritua-

libus generalibus, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Sacre religionis, sub qua dilecti filii Vicarius et fratres vicarie Bosne ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum in humilitatis spiritu devotum et sedulum exhibent altissimo famulatum, promeretur honestas, ut in hiis, per que domorum suarum pro divino presertim peragendo cultu indemnitatibus consulitur, eorum votis favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Vicarii et fratrum predictorum peticio continebat, quod cum Regnum Bosne retroactis temporibus per Turchos crebris invasionibus agitatum fuisset, multi ex libris, calicibus, crucibus aliisque ornamentis ecclesiasticis, et rebus domorum predictarum, que nunc sunt sub regimine principum christianorum, paulatim reportati fuerunt: eo vero tempore, quo Regnum ipsum ab eisdem Turchis occupatum fuit, fratres dicte provincie metuentes periculum perditionis librorum, calicum, paramentorum aliorumque ornamentorum et rerum predictarum, necnon privilegiorum, indultorum et litterarum apostolicarum ipsis domibus et Vicario ac fratribus concessorum, illa fere omnia de domibus predictis ad diversas alias domos dicti ordinis detulerunt, et earum guardianis et fratribus et quedam illorum etiam diversis personis secularibus in custodiam dederunt, quedam videlicet in Regno Ungarie et quedam in Dalmatia, alia vero in Sclavonia aliisque partibus, que ab eorundem Turchorum invasionibus tute existimabantur. Verum ubi Vicarius et fratres predicti libros, calices, cruces et alia bona predicta ad ipsas domos Vicarie Bosne reportanda ab illis, in quorum custodia deposita erant, repetierunt, quidam ex eis deum pre oculis non habentes bona ipsa occultarunt, illaque Vicario et fratribus supradictis ad easdem domos, ut premittitur, referenda restituere recusarunt hactenus et recusant. Preterea nonnulli merchatores alieque persone tempore occupationis dicti Regni ab eisdem Turchis varia ex libris ceterisque bonis et rebus ad ipsas domos spectantibus, et illis per eosdem Turchos per rapinam ablatis, pro parvo pretio, ut inde postmodum ea vendendo lucrarentur, emerunt, eaque dictis domibus, ad quas pertinent, restituere contradicunt in animarum suarum periculum ac dictarum domorum, quibus bona ipsa magno tempore et cum non modica difficultate acquisita fuerunt, preiudicium non modicum et detrimentum. Quare pro parte Vicarii et fratrum predictorum asserentium se propter dictorum librorum, calicum aliorumque bonorum carentiam circa impensionem divini servitii in domibus supradictis non modicum impedire, nobis fuit humiliter supplicatum, ut earundem domorum statui et indemnitatibus super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ad quos spectat super hiis adhibere diligentie nostre curas, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et vestrum quilibet per vos vel alium seu alios omnes et singulos huiusmodi librorum, calicum, paramentorum, crucum, iocalium, aliorumque ornamentorum, rerum et privilegiorum a quovis tempore citra detentores, necnon omnes illos, qui de premissis aliquam noticiam habent, exceptis fratribus dicti ordinis provincie Dalmatie, ac illos merchatores et alios, qui aliqua ex libris aliisque bonis predictis ab eisdem Turchis, ut prefertur, emerunt, cuiuscumque preeminentie, dignitatis, status vel conditionis existant, et quacunque spirituali vel temporali prefulgeant dignitate, ut infra certum, quem eis ad hoc duxeritis prefigendum peremptorium terminum competentem, detentores videlicet, illa omnia et singula, que detinerent, Vicario et fratribus vicarie Bosne prefatis, aut ab eis deputatis vel pro tempore deputandis plenarie et cum effectu restituant, ad Iayza Iezero, Greben et Glas in temporali dominio Venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Quinqueecclesiensis, necnon ad Bistrice, Cethine, Varchrioc, Tinini, Vissbuacz, Carini, Corbavie, Bihigy, Othoc, Cethyn, Tersati, Stinizuach, Iim dicti ordinis domos in Spalatensi, Tinniensi, Novensi, Corbaviensi, Segnensi et Zagrabiensi diocesibus consistentes, prout eidem Vicario et fratribus videbitur, deferenda et in illis reponenda consignent, scientes vero detentores predictos, ut illos et bona ab eis detenta huiusmodi Vicario et fratribus vicarie eiusdem aut deputatis predictis infra eundem terminum revelent; illos autem, qui taliter a se empta ex bonis predictis revendiderint, ut res ipsas, si haberi poterunt, vel saltem pretium inde a se habitum, deducto dumtaxat pretio, quod pro illorum emptione exposuerunt, ipsis Vicario et fratribus vicarie, vel deputatis pro tempore restituant cum effectu, sub excommunicationis pena auctoritate nostra moneatis, et mandetis eisdem: alioquin si infra eundem terminum id non adimpleverint cum effectu, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis, eos excommunicatos publice nuntietis, ac ab aliis in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo convenerit ad divina, faciatis usque ad satisfactionem condignam solempniter publicari. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Et nihilominus illos ex detentoribus et occupatoribus supradictis, quos bona huiusmodi, vel eorum aliqua

detinere per testes aut alia documenta legitima summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, vobis legitime constiterit, quod res et bona ipsa, que detinent, Vicario et fratribus aut deputatis pro tempore predictis cum effectu restituant, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, eadem auctoritate compellatis; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXIX. Quinto Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. lib. IX. fol. 171.

DLXXXV.

Fabiano de Ygal ministro prov. ord. Minor. Convent. in Hungaria quaedam inter ipsum et fratres de Observ. concordia facta confirmatur.

Paulus episcopus servus etc. Ad futuram rei memoriam. Cum ea, que inter religiosas personas geruntur, sive concordie opera sive dissensiones sint, de facili sumi soleant a secularibus in exemplum, iis, que ad sedandas contentiones inter personas ipsas rite gesta et composita extiterunt, ne de cetero in scandalum eorundem secularium revivisceant, sed perpetuo illibata permaneant, libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane pro parte dilecti filii Fabiani de Ygal ministri provincialis ordinis fratrum minorum provincie Ungarie iuxta morem dicti ordinis nobis nuper exhibita peticio continebat, quod cum olim inter conventuales ex una, et de observantia nuncupatos ordinis et provincie predictorum professores ex altera partibus, occasione domus fratrum dicti ordinis opidi Zechensis Strigoniensis diocesis, quem patres conventuales prefati ex concessione sibi de illa ab antiquo facta ad eos spectare, de observantiaque nuncupatos fratres predictos illam contra iustitiam occupasse, contra vero iidem fratres de observantia illam tunc religiosis vacuam sibi auctoritate apostolica concessam fuisse asserebant, varie dissensiones, controversie ac lites aliquandiu viguissent, et deteriores imposterum exoriri formidarentur: demum dictus Fabianus et dilectus filius Valentinus de Zygeth, vicarius eorundem fratrum de observantia in provincia supradicta, cupientes earundem litium amputare materiam, ac inter universos fratres predictos bonam concordiam perpetuo stabilire, nec non certas sancte memorie Eugenii PP. IV. predecessoris nostri super talibus concessas litteras inviolabiliter observare, ad huiusmodi concordiam devenerunt, quod videlicet prefatus vicarius in presentia dilecti filii Zancti generalis ministri ac universorum dicti ordinis professorum, in eorum capitulo generali Venetiis nuperrime celebrato congregatorum, medio iuramento promisit, quod quamprimum ad partes Ungarie perveniret, dictam domum eisdem fratribus conventualibus restitueret, et liberam, vacuam et expeditam eis dimitteret. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ab aliquibus asseratur, dictum vicarium promissionem suam huiusmodi observare non posse propter quasdam litteras, que a nobis emanasse dicuntur, quibus eisdem fratribus de observantia, ut dictam domum retinere et inhabitare, ac in ea sub regulari dicti ordinis observantia domino famulari deberent, et tam irritantis oppositione decreti et huiusmodi litis extinctione dicimur iniunxisse, pro parte dicti Fabiani asserentis, quod ipsi fratres de observantia dicte provincie prefato et pro tempore existenti generali dicti ordinis subiecti sunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut dicte concordie pro illius subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, et pro illius effectu, quod vicarius et fratres de observantia supradicti ad precepti litterarumque nostrarum predictarum observationem quoad hoc minime teneantur, eis licentiam concedere, ac alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui inter religiosos quoscumque, presertim dicti ordinis, pacem et quietem ab intimis exoptamus, attendentes, quod iuxta quandam concordiam inter conventuales et de obser-

vantia dicti ordinis professores nostro tempore initam, ac statuta et ordinationes per nos desuper edita, prout in certis nostris litteris desuper confectis plenius continetur, non licet fratribus de observantia recipere loca fratrum conventualium, eis invitis, nec econtra, et quod prout nobis per prefatum generalem et alios fidedignos, qui in eodem capitulo interfuerunt, plena fides facta extitit, dictus vicarius, celebrato prius suo provinciali capitulo, promissionem predictam de aliorum eiusdem provincie de observantia fratrum predictorum scientia et voluntate fecit, et quod id de utriusque partis assensu processit ac procedit, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam predictam ratam et gratam habentes, illam auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, ac plenum robur obtinere decernimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, nec non quascumque causas et lites super premissis inter partes ipsas coram quibuscumque iudicibus ordinariis a sede apostolica, vel aliis delegatis ubilibet indecisas pendentes, quarum status presentibus haberi volumus pro expressis, ad nos harum serie advocantes, lites ipsas penitus extinguimus. Et nichilominus predicto et pro tempore existenti dicte provincie vicario ac fratribus de observantia prefatis, quod ad effectum concordie huiusmodi precepto litterisque nostris predictis, si que sunt, parere minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti valeant cohartari, eadem auctoritate concedimus per presentes. Et insuper, ut presentes nostre littere perpetuo inviolabiliter observentur, venerabilibus fratribus nostris Colocensi et Strigoniensi Archiepiscopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios easdem presentes litteras, ubi et quando expedire viderint, et super hoc pro parte provincialis ministri eiusdem provincie moderni vel pro tempore existentis, seu guardiani et fratrum dicti ordinis fuerint requisiti, auctoritate nostra solempniter publicantes et effectui demandantes, faciant concordiam supradictam effectum sortiri et perpetuo inviolabiliter observari, nec permittant contra illam ministrum seu guardianum et fratres domus huiusmodi quomodolibet molestari, aut eis gravamina vel iniurias aliquas desuper irrogari. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis statutis et consuetudinibus iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis, constitutionis, suppletionis, voluntatis, advocationis, extinctionis, concessionis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum anno etc. MCCCCLXVIIII. Quinto Id. Iulii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. secr. lib. IX. fol. 97.

DLXXXVI.

Epo Zagabriensi, ut inquirens de permutatione certarum possessionum ab epo Quinqueecclesiensi et monasterio S. Spiritus extra muros Quinqueecclesienses facta decidat.

PAULUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Episcopo Zagabriensi, salutem etc. Hiis, que pro ecclesiarum ac monasteriorum omnium, nec non in illis divinis laudibus, studio pie vite, presertim fragilis sexus feminei, vacantium personarum commodo et utilitate conspicimus processisse, ut firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici mandamus adiici muniminis firmitatem. Dudum a nobis emanarunt littere tenoris subsequentis. Paulus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus iudiciis sit rectitudo iusticie etc. lib. I. de Curia d. Pauli primo folio. Et deinde pro parte Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Quinqueecclesiensis, nec non dilectarum in Christo filiarum priorisse et conventus monasterii Sancti Spiritus extra muros Quinqueecclesienses ordinis fratrum predicatorum peticio continebat, quod alias ipse Episcopus portionem possessionariam nuncupatam cuiusdam possessionis Pathach nuncupate prope civitatem Quinqueecclesiensem consistentem, et ad mensam suam Episcopalem pertinentem, que eisdem priorisse et conventui valde accommoda erat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, nec non decimis vinorum, bladorum, et frugum decimari solitarum eidem mense dumtaxat reservatis, ac priorissa et conventus prefati quandam aliam portionem soli possessionariam in civitate predicta consistentem, et ad monasterium ipsum legitime pertinentem, eidem mense magis accommodam, pro eorumdem Episcopi et mense ac monasterii et conventus predictorum maiori commodo et utilitate invicem presentarunt, sive excambiarunt, ipseque Episcopus dictis priorisse et

conventui quamdam villam et possessionem Megyer nuncupatam prope dictam civitatem situatam, eisdem priorisse et conventui valde utilem et accommodam, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis pro pretio mille florenorum Ungaricalium vendidit, quos in emptionem alterius ville Nadasd nuncupate Quinqueecclesiensis diocesis, dicte mense longe utilioris convertit, reservata quadam possessonaria portione ad capellam sancti Mauritii iuxta ecclesiam Quinqueecclesiensem sitam legitime pertinentem, prout in quibusdam patentibus dilectorum filiorum Capituli dicte ecclesie desuper confectis litteris dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, permutatio seu excambium, ac venditio et emptio huiusmodi in monasterii et mense predictorum evidentem cesserint utilitatem, pro parte Episcopi, priorisse et conventus predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut permutationi, venditioni et emptioni predictis, ac omnibus et singulis in litteris Capituli huiusmodi contentis pro illorum consistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aliasque statui ipsorum in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, ac bona predicta per eorum designationes, vocabula et confines, eorumque verum valorem presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te ipsum de premissis diligenter informes, et si per informationem huiusmodi, servata forma premissarum litterarum nostrarum, ea vera esse, et permutationem seu excambium, ac venditionem et emptionem huiusmodi in mense Episcopalis ac monasterii predictorum utilitatem cessisse et cedere reppereris, permutationem seu excambium ac venditionem et emptionem huiusmodi, et prout illas . . . . omnia et singula in litteris Capituli huiusmodi contenta auctoritate nostra approbes et confirmes, suppleasque omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Laterani Anno etc. MCCCCLXX. Non. Iulii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. lib. XVI. fol. 157.

DLXXXVII.

Praeposito et capitulo ecclesiae Quinqueecclesiensis confirmatur, ut bona canonicorum ab intestato decedentium ad utilitatem ipsius ecclesiae convertantur.

Paulus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que pro commodo et utilitate ecclesiarum omnium presertim Cathedralium, ac in eis altissimo famulantium personarum provide facta conspicimus, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici adiicimus firmitatem muniminis. Sane pro parte dilectorum filiorum Prepositi et Capituli ecclesie Quinqueecclesiensis nobis nuper exhibita peticio continebat, quod bone memorie Iohannes Episcopus Portuensis, tunc sancti Angeli Diaconus Cardinalis, ac in Germanie et nonnullis aliis adiacentibus partibus apostolice sedis legatus, habens ad hoc, ut dicebat, specialem ab eadem sede per eius litteras facultatem, illius vigore inter alia statuit et ordinavit, quod omnia et singula bona canonicorum dicte ecclesie ab intestato decedentium pro reformatione structurarum et edificiorum, ac conservatione et manutentione ornamentorum divino cultui necessariorum, seu alias pro commodo et utilitate dicte ecclesie, ad prefatos Capitulum devolverentur, ac per ipsos Capitulum ad usum vel utilitatem ipsius ecclesie et non alias converterentur, non obstante, quod ante huiusmodi statutum et ordinationem bona huiusmodi ab intestato decedentium ad manus Episcopi Quinqueecclesiensis pro tempore existentis de consuetudine ipsius ecclesie devolvi deberent, bone memorie Andree Episcopi Quinqueecclesiensis ad hoc expresso accedente consensu, primo, et deinde bone memorie Iuliani tituli sancte Sabine presbiteri Cardinalis, qui antea in illis partibus dicte Sedis legatus existens voluerat et ordinaverat, quod omnes et singuli canonici, ac presbiteri, Clerici et ministri dicte ecclesie tunc presentes et futuri de quibuscunque eorum bonis tam de peculio Castrensi acquisitis, quam etiam aliis ad eorum personas spectantibus, etiam intuitu ecclesie vel altaris, ac alias ubicunque et quomodocunque licite habitis et habendis, in eorum ultima voluntate secundum iuris communis dispositionem testari et ordinare, illaque legare et donare libere et licite valerent, non obstante etiam antiquissima consuetudine, qua olim Episcopi Quinqueecclesienses et alii inferiores prelati, qui pro tempore fuerant et tunc existebant, bona ipsa accipere consuevissent, vestigiis inherendo, similiter voluit et ordinavit, prout in litteris ipsorum legarum desuper confectis, eorum sigillis munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prepositi et

Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut statuto, voluntatibus et ordinationibus prefatis pro illorum consistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum, voluntates et ordinationes huiusmodi auctoritate apostolica tenore presentium ratificamus, confirmamus et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus dicte ecclesie, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis, communitionis et suppletionis infringere etc. Si quis etc. Datum Laterani Anno etc. Millesimo quadringentesimo septuagesimo, Nonis Iulii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. secr. lib. XVI. fol. 155.

DLXXXVIII.

Ep. Vesprimiensi, ut de decimis ecclesiae S. Mathiae ab Elisabetha regis Hungariae matre aedificatae appropriandis statuat.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi, salutem etc. Iustis petentium votis, illis presertim, per que ecclesiarum, quibus cura imminet animarum, honestas et illarum rectorum, ex qua se sustentare valeant, commoditas procurantur, libenter annuimus, eaque favoribus, quantum cum deo possumus, prosequimur oportunis. Sane pro parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Elsabeth, genitricis carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Ungarie Illustris vidue, Vesprimiensis diocesis, nobis nuper exhibita peticio continebat, quod postquam ipsa certa loca oppido Vivaras Agriensis diocesis circumvicina ad ipsam Elisabeth legitime spectantia et pertinentia, et sub eius proprietate et iurisdictione temporali consistentia, que a tanto tempore citra, quod de eius contrario memoria hominum non existit, inculta, sterilia et inhabitata fuerant, habitari mandaverat, volens etiam circa salutem animarum habitantium, colonorum et aliarum personarum dicti oppidi providere, de licentia loci ordinarii quandam parrochialem ecclesiam sub vocabulo sancti Mathie apostoli de bonis propriis structuris congruentibus in dicto oppido fundari, erigi, construi et edificari fecit, et sicut eadem peticio subiungebat, si decime seu ius decimandi in dictis terris et locis de novo habitatis et ad culturam reductis, ex quibus decimas aut ius decimandi clerici vel laici nunquam percepisse reperiuntur, eidem parrochiali ecclesie applicarentur et appropriarentur, ac quod ipsi habitantes et coloni illas moderno, et qui fuerit pro tempore, rectori dicte parrochialis ecclesie de cetero solvere tenerentur et deberent, statueretur et decerneretur, id profecto cederet ad divini cultus augmentum et sustentationem dicti moderni, et qui erunt pro tempore dicte parrochialis ecclesie rectores. Quare pro parte dicte Elisabeth asserentis, quod rector prefatus vix habet sufficientes redditus, de quibus se commode sustentare valeat, nobis fuit humiliter supplicatum, ut decimas et ius decimandi in terris de novo habitatis et ad culturam reductis huiusmodi, eidem parrochiali ecclesie sancti Mathie de novo fundate et constructe huiusmodi applicare et appropriare, et quod ille per rectorem prefatum tantummodo percipi debeant, diocesani loci et cuiusvis licentia super hoc minime requisita, statuere et decernere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam noticiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, decimas et ius decimandi in terris tantummodo olim incultis et locis de novo inhabitatis huiusmodi provenientes, et que antea per clericos sive laicos nunquam percepte fuerunt, reperiuntur, ut refertur, eidem parrochiali ecclesie sancti Mathie per dictam Elisabeth de novo erecte et fundate auctoritate nostra applicare et appropriare, et quod modernus, et qui fuerit pro tempore dicte parrochialis ecclesie rector, illas percipere et levare, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, libere et licite possit et valeat, quodque coloni oppidi de Vivaras predicti et habitatores ad ipsas terras de novo introducti huiusmodi, et qui fuerint pro tempore, illas eidem moderno et pro tempore existenti dicte parrochialis ecclesie rectori solvere, dare et exhibere teneantur et debeant, statuere et decernere eadem auctoritate nostra procures. Contradictores per censuram etc. non obstante, si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXX. XI. Kal. Septemb. Anno VI.

Ex Reg. orig. An. IV. secr. lib. XIV. fol. 194.

DLXXXIX.

Mathiae regi Hungariae negotium comitis Segniae commendatur.

Mathie Hungarie Regi Illustri.

Paulus PP. II Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Mittimus ad Maiestatem tuam dilectum filium Baltasarem de Piscia decretorum doctorem, presentium ostensorem, nuntium nostrum pro nonnullis negotiis dilecti filii nobilis viri Stefani Comitis Segnie et aliorum de Frangiapanibus, prout ab eo intelliges. Hortamur igitur Serenitatem tuam in domino, velis eum benigne audire et exaudire, et etiam votive expeditum ad nos remittere, ac in referendis fidem adhibere, prout Maiestatem tuam nostra contemplatione facturam speramus et firmiter confidimus. Datum Rome apud Sanctum Petrum vii. Novembris 1470. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 29.

DXC.

Mathiae regi Hungariae de victoria ab haereticis relata gratulatur.

Paulus episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Mathie Hungarie Regi illustri, salutem etc. Non sine ingenti gaudio nos et Venerabiles fratres nostri s. Rom. eccl. Cardinales intelleximus felicem illam victoriam, quam Celsitudo tua divino sibi assistente presidio contra illos perfidos hereticos nuper adepta est. Nam etsi maluissemus cuperemusque semper eorum ad rectam fidem et sancte matris ecclesie gremium ac sedis apostolice obedientiam conversionem, sicut et quorumcunque aliorum errantium, ipsis tamen in perfidia obstinatis contingit, ut non omissa caritate, eorum nos ruina letificet. Gratias proinde egimus clementissimo deo, qui in manu tue Serenitatis iam pluries humiliavit impios illos: speramus in eius misericordia, quod in brevi, nisi resipuerint, et ipsi, quod reliquum debitarum penarum superest, dabunt, tua Maiestas, cui soli ab ipso omnipotente deo nostro huiusmodi palmam delatam esse cernimus, reportabit gloriosum optatumque triumphum: ad quem consequendum, licet hortatore apud te minime opus esse censeamus, tamen pro offitio nostro pastorali, proque singulari desiderio nostro, quo tenemur, ut castigatis hereticis illis, Maiestas tua, cui ex divino munere id precipue donatum est, pugnare semper adversus homines pravos et catholice fidei persecutores, ac vincere adversus quosque impiissimos Theucros, qui nostris temporibus crudelius in christianos grassati sunt, grassarique cotidie non cessant, fortitudinem et fortunatissimum gladium suum convertat, quanto possumus studio, tuam Celsitudinem hortamur in Domino, ac etiam precibus facimus exoratam. Post hec, quod nos non mediocriter perturbavit, ex litteris Venerabilis fratris L. Episcopi Ferrariensis nostri in partibus et regnis illis cum potestate legati de latere oratoris, et ex dilectis filiis tue Serenitatis oratoribus, qui modo apud nos sunt, accepimus, nonnullos, qui se etiam oratores carissimi in Christo filii nostri Kasimiri Regis Polonie esse dixerunt, tractatus quosdam prope oppidum Radicz paucis ante diebus habuisse cum illo damnato heretico Georgio Poyebrath, in non parvum catholice fidei, honoris nostri ac expeditionis per tuam Celsitudinem assumpte detrimentum: super quibus etsi latissime eidem L. Episcopo Ferrariensi rescripsimus, tuam nichilominus Celsitudinem hortamur in domino, ut una nobiscum huiusmodi insipientium hominum ineptias stultosque furores forti animo tolleret, nec propterea aut quibusvis aliis de causis a decreto sibi minime perpetue laudis et salutis deficiat. Nos enim, quantum cum deo poterimus, circa expeditionem ipsam, que nobis admodum cordi est, et circa ea omnia, que honorem et utilitatem tue Maiestatis quovis modo concernere poterunt, semper vigiles et promptissimos invenies, tanquam erga Regem et principem, qui de hac sancta sede apostolica omni tempore benemeritus sit: nec mirari debet Maiestas tua, si plura in hunc effectum circa negotium illud Bohemicum hactenus non monstravimus, quia si quid facere, quod forte Maiestas tua aut catholici ipsi optaverint, distulimus, non quia noluerimus, aut cum ratio et tempus expostulaverit, nolimus, supersedimus, sed quia ita rebus ipsis conducere, ac tue Maiestati expedire rati sumus de his aliisque reipublicae christianae negociis, proptereaque Oratores ipsos tue Celsitudinis diutius detinuimus, cum eisdem latius contulimus, a quibus atque etiam a dilecto filio Gabriele de Verona Nuntio nostro plenius poteris informari. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo septuagesimo, pridie Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 64.

DXCI.

Casimiro regi Poloniae, ut in oratores suos, qui clandestina quaedam pacta in Poloniae et Hungariae detrimentum cum asseclis Georgii Podebrad regis Bohemiae inierant, animadvertat.

Paulus episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Cazimiro Poloniae Regi illustri, salutem etc. His proximis diebus pervenit ad auditum nostrum, quod non sine magna cordis displicentia accepimus, quosdam, qui se tue Serenitatis oratores dixerunt, nuper ad damnatum hereticum Georgium de Poyebrat, cum adversus Christifideles et presertim Carissimum in Christo filium nostrum Mathiam Hungarie Regem illustrem in castra exiisset, prope opidum Radiez Moravie fuisse contra decreta sanctorum patrum, et emanatas a nobis etiam sub gravissimis censuris litteras, cum eodem heretico et complicibus suis publica commertia, et quod damnabilius est, etiam tractatus et conventiones habuisse, ex quibus cum dicti transgressores, sicuti fide digna relatione percepimus, eisdem hereticis inter alia promiserint, quod nos medio tuo et nonnullorum aliorum principum, quos tunc nominabant, compactata eorum per apostolicam sedem damnata etiam faciliter confirmaremus, et censuras latas penitus tolleremus, perfidorum hereticorum illorum animi non parum confortati, et catholicorum deiecti sunt, maximumque negotiis catholice fidei detrimentum illatum, ut taceamus, quod honorem apostolice sedis, nostrum ac etiam tue Serenitatis vehementer offenderunt. Nos autem, Carissime fili, etsi firmiter credamus, homines illos aut tuos non fuisse, vel a tua Serenitate nichil talium in commissis habuisse, quem non dubitamus veluti catholicum regem et principem hereticorum commertia abhorrere, et potius, ut nos ad extirpandos obstinatos illos pro sua virili aliquando iuvet, quam ut eos in sua perfidia confirmemus, cogitare: voluimus tamen hec tue Serenitati significare, ut tu, si ad te pertinent huiusmodi tantorum malorum fabricatores, tanquam excommunicatos et anathemate innodatos ac rei publice christiane hostes debita castigatione cohereeas, et ita cohibeas, quod ipsos de sua temeritate peniteat, et ne talia presumant, sint ceteris ad exemplum. Hortamur etiam Serenitatem tuam, quatenus pro divina reverentia et fidei catholice professione, ac honore suo contra ipsos hereticos insurgere velit, et fidelibus catholicis taliter assistere, quod Serenitas tua ab omnipotente deo premia meritorum, et ab hac sancta sede uberiores commendationes, atque a tota republica christiana laudem et honorem deportet, idque ut citius faciat ipsa Serenitas tua, etiam obnixe requirimus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mccccLxx. Pridie Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 64.

DXCII.

Epo Ferrariensi nuntio apostolico super eodem.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri L. Episcopo Ferrariensi nuntio et oratori nostro cum potestate legati de latere, salutem etc. Scribimus impresentiarum Carissimo in Christo filio nostro Mathie Hungarie Regi illustri, congratulantes eidem de victoria, quam nuper adversus illos perfidos hereticos in manu ipsius omnipotens deus fecit, atque etiam qualiter econtra nos plurimum, cum intelleximus, turbaverit, tam ex litteris tue fraternitatis, quam ex oratoribus suis, quosdam, qui se oratores Carissimi in Christo filii nostri Casimiri Polonie Regis dixerunt, cum impio illo Georgio Poyebratio, suis demeritis et heresibus exigentibus, per nos iure mediante ab omni dignitate, si quam habuisset, deposito et privato, publice contra emanatas a nobis etiam sub gravissimis censuris litteras apud opidum Radiez in Moravia superioribus diebus convenisse, tractatus plures cum eodem habuisse, ac inter alia heretico illi sive eo consentiente sectariis ipsius, qui tunc secum aderant, quedam nedum execranda, verum etiam persone nostre, et huius sancte sedis honorem et fidem non mediocriter ledentia obtulisse, videlicet quod si illi filium Regis ipsorum oratorum in Regem eligerent et assumerent, tria per ipsos hereticos optata et postulata ante omnia medio ipsius Regis Polonie, et quorundam aliorum principum, quos tunc nominabant, a nobis faciliter consequerentur, damnatorum scilicet et tam sepius ab apostolica sede reprobatorum articulorum, quos ipsi complectuntur, confirmationem sublationemque censurarum contra ipsos latarum, et huiuscemodi electionis per eosdem hereticos faciende confirmationem. Ex quibus quidem oblationibus et promissis animi hereticorum multum confortati, et multorum catholicorum in suspitiones varias et falsas, ac ut ipsi oratores et littere significabant, isti sancte expeditioni plurimum nocivas deducti sunt: hoc ergo firmiter credamus, nuntios

illa ab ipso Rege Polonie, quem veluti catholicum Regem hereticorum et infidelium consortia et amicitias abhorrere non dubitamus, super commentis et detestandis oblationibus illis in commissis nichil habuisse, non potuimus tamen non vehementer dolere, dum presertim pensamus, quantis nos et apostolicam sedem afficiant iniuriis, qui asserere presumunt, nos illa etiam faciliter concessuros, que, ut diximus, et honorem nostrum et fidem graviter offendunt, atque etiam propter ea, que intelligimus ex talibus fictionibus pessimis, que sunt artes hereticorum et Georgii, presertim quoad sanctam fidem et catholicam veritatem, arma consueta, errores, scandala, et impedimenta circa dictam expeditionem provenire. Verum quia impossibile est, ut omnibus scandalis occurramus, ultionem illi, qui ait, Ve autem illi, per quem scandalum venit, relinquentes, hortati sumus Celsitudinem suam, ut una nobiscum huiusmodi hominum insipientiam, atque etiam malitiam constanti animo ferat, nec propter eas aut quascunque alias causas a destinato sibi e celis munere, quo et laudem perpetuam et salutem consequetur, deficiat, polliciti etiam, quod quantum cum deo poterimus, neque in negotiis illis Bohemicis, neque in ceteris omnibus rebus, quas ad honorem et gloriam sue Maiestatis facere conspexerimus, unquam deerimus, quod etiam, ut eidem nostro nomine suadeat et polliceatur, tue fraternitati singulariter committimus. De his autem aliisque rei publice negotiis plura tue fraternitati referenda commisimus dilecto filio Gabrieli de Verona nuntio nostro, cui fraternitas tua fidem poterit adhibere. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXX. pridie Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 65.

DXCIII.

Ioanni archiepo Strigoniensi, ut regi in reducendis Bohemis continue assistat.

Iohanni Archiepiscopo Strigoniensi.

Paulus PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Quamvis Carissimus in Christo filius noster Mathias Hungarie Rex Illustris et nuntiis et litteris nobis supplicare non cesset pro hiis rebus, que ad honorem tue fraternitatis conducunt, nosque ad eam et pro complacentia dicti Regis et pro meritis tuis ita inclinati simus, ut neque hortatore nedum supplice opus esset, multis tamen ac maximis intercedentibus causis, que nostram mentem movere merito debuerunt, votis sue Celsitudinis ac nostris hactenus satisfacere non potuimus. Quod eam ob causam tue fraternitati significare voluimus, ut intelligat, nos sui memoriam etiam singularem habere, atque etiam, si opus sit, ut te hortemur in Domino, ne animo deficias, quin pro tua virili circa expeditionem Bohemicam tuis hactenus consiliis et ope in manu ipsius Regis feliciter deductam, partes tue sollicitudinis apponas, donec, quod futurum brevi speramus, consummatam Rex ipse adversus impios hereticos illos victoriam deportet: certior quod ab hac sancta sede ac nobis labores tue fraternitatis merito gratissimi vices accipient. Super his aliisque reipublice christiane negotiis dilecto filio Gabrieli de Verona, nuntio nostro, plura loqui cum tua fraternitate commisimus, que eidem Gabrieli fidem indubiam poterit adhibere. Datum Rome apud S. Petrum etc. die VIII. Ianuarii MCCCCLXXI. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 79.

DXCIV.

Epo Ferrariensi nuntio apost. ut regi Hungariae pro bello contra haereticos Bohemos certas pecunias collectas assignet.

Episcopo Ferrariensi.

Paulus PP. II. Venerabilis frater, sal. etc. Videbis per alias nostras litteras sub bulla plumbea, dari tibi a nobis facultatem exigendi pecunias debitas Camere apostolice in regno Polonie et Bohemie, non solum a collectoribus nostris ratione annatarum, communium censuum, sive denarii S. Petri, verum etiam a quibuscunque aliis debitoribus dicte Camere in ipsis regnis existentibus. Non dubitamus, quin pro solita tua probitate atque prudentia opportunam diligentiam in huiusmodi exactione adhibiturus sis. Quamvis autem in prefatis litteris nostris sub bulla plumbea expressa mentio fiat, atque mandetur, ut pecunias exactas ad presidentes Camere ipsius mittere debeas, nichilominus considerantes, pluribus opus esse pecuniis ad debellandum perditionis filium Georgium de Podiebrath regni Bohemie occupatorem, damnatum hereticum, contentamur, volumus et mandamus, quod ex dictis pecuniis, quas vigore litterarum ipsarum exacturus es, Carissimo in Christo filio nostro Mathie Hungarie etc. Regi Illustri, necnon Venerabili fratri P. Episcopo Wratislaviensi et tibi subvenias, prout

necessarium visum fuerit et opportunum. Id cum feceris, et ab illis quietantiam acceperis, et de pecuniis, quas pro te retinebis, computum miseris, in tuis computis per gentes Camere admitti mandamus. Dedimus autem hoc mandatum ad partem, ne ad notitiam collectorum et aliorum debitorum deveniat, fiantque propterea in solvendo remittentes propter factum Bohemie: tue prudentie erit hoc secretum apud te retinere. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XI. Ianuarii MCCCCLXXI. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 77.

DXCV.

Mathiae regi Hungariae quaedam subsidia contra Bohemos et Turchos mittuntur.

Mathie Hungarie Regi etc.

PAULUS PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Si nostre apostolice camere facultates animo, quem erga te et expeditionem illam Bohemicam gerimus, responderent, profecto sentiret tua Serenitas, quantum nostro cordi insideat, ut oportunis, sicuti etiam optat, subsidiis fulciatur, et negotia illa quantocius desideratum finem accipiant. Verum cum et facultates ipse pertenues sint, et nos oneribus et expensis maioribus in dies gravemur, condolere possumus, subvenire iuxta desiderium nostrum sufficienter non valemus, hoc presertim tempore, quo furori immanissimi Turchorum principis maiori quam nostre vires suppetant, occurrere cogimur. Voluissemus quidem, Carissime fili, ad idque perficiendum multos labores subivimus, ut non solum ad occurrendum infideli illi crudelissimo, quod utinam facere satis possimus, sed etiam ad comprimendum eius rabiem conterendamque superbiam omnes pariter consurrexissemus, et mari terraque obviassemus. At peccatis hominum exigentibus, id obtinere non potuimus, quamquam speremus in clementia divina, quod pro futuro anno, presenti namque tantum, ut diximus, ad resistendum impiis illius conatibus nos disponimus: qua in re quia intelligimus tuam operam tuumque fortunatissimum gladium pernecessarium fore, cuperemus, expeditio illa Bohemica interea conficeretur. Verum etsi multa facere non possimus, quantum tamen valemus, etiam nunc facere conati sumus. Mittimus namque Venerabili fratri L. Episcopo Ferrariensi oratori nostro decem et octo millia ducatos tue Maiestati consignandos, dedimus quoque eidem Episcopo instructiones quasdam, per quas, uti firmiter credimus, etiam aliquid subsidii poterit comparare. Providimus etiam eidem Episcopo Ferrariensi sufficienter: invigilabimus et nos, si forte Altissimus nobis donet, ut et maiora facere in dies possimus, certificantes Maiestatem tuam, quod nichil possibile omittemus, donec expeditio illa in manu tua feliciter absolvatur. Quapropter eandem Maiestatem tuam in domino hortamur, ut cepta bono animo prosequatur, et nostrum animum intercedente sola impotentia plusquam aliquem censum penset, certior, quod preter eternum premium, quod ab omnipotenti deo veluti fidelissimus christiane religionis pugil expectare merito debes, ab hac sancta sede favores continuos et gratias uberiores, et a tota republica christiana immortales laudes consequetur. Datum Rome apud Sanctum Petrum die XIII. Ianuarii. MCCCCLXXI. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 76.

DXCVI.

Eidem Pontifex ensem et pileum benedictos transmittit.

Mathie Hungarie etc. Regi.

PAULUS PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Consueverunt Romani Pontifices predecessores nostri, patrum more, piorum merita fidelium, et eorum precipue principum, quos pro sancta fide catholica egregium aliquid facere conspexissent, debita circumspectione pensare, illisque preter celeste munus, quod a clementissimo deo nostro consecuti sunt, etiam apostolice sedis benignitatem et favores libenter impendere, necnon diversa pro gestorum varietate laudum et commendationis testimonia prestare. Cum itaque diebus his proximis, instante scilicet festivitate Nativitatis Salvatoris mundi, domini nostri Iesu Christi, mentis nostre oculos direxissemus ad considerandas tue Celsitudinis virtutes optimas, contra sancte fidei hostes fortissime gesta, et eam potissimum obedientiam et reverentiam, quam ad hanc sanctam sedem semper gessit et gerit, accedente ad hoc etiam consilio Venerab. fratrum nostrorum s. Rom. eccl. Cardinalium, ensem et pileum, quos Romanus Pontifex in eadem solemnitate benedicere, et alicui ex precipuis christiane religionis defensoribus Regibus sive principibus transmittere consuevit, dilectis filiis Ladislao de Zara Notario apostolice sedis et no-

stro Prepositoque Budensi, ac Nicolao Lectori Vaciensi oratoribus apud nos tuis cum presentibus tradere decrevimus atque tradidimus, postmodum per dilectum filium Gabrielem de Verona ordinis Minorum, Nuntium nostrum, ad te deferendos, sperantes in eiusdem Salvatoris clementia, quod in pileo illo gratiam protectionis et tantam in ense virtutem, que per eos designantur, tua Maiestas accipiet, quod absque suo et fidelium catholicorum periculo felicem de cunctis hostibus reportabit victoriam gloriosumque triumphum. Suscipiat igitur dextera tua, Carissime fili, munus apostolicum celesti benedictione preditum ea, qua decet, reverentia, promptusque animus tuus in bella domini eo magis ardescat, quo certius sibi non humana, sed divina cernit adesse presidia; vincens enim vinces et cunctos superabis hostes: pro tuisque demum meritis maximis a tota re publica christiana immensas laudes, ab hac sancta sede commendationes plurimas et gratias uberiores, atque imprimis, sicuti pro immaculata fide tu studiose magis feliciusque pugnas, ab omnipotenti deo immarcescibilem glorie coronam consequeris, quam ut tue Celsitudini post multa bene acta annorum curricula reddat ipsius Redemptoris nostri misericordia, humiliter supplicamus. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XIV. Ianuarii MCCCCLXXI. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 79.

DXCVII.

Ferdinando imp. Romanorum de foedere cum rege Hungariae contra Turcas inito pontifex gratulatur.

Ferdinando Imperatori Romanorum.

Paulus PP. II. Carissime etc. Intelligentes his proximis diebus quorumdam relatione, quod tua Maiestas cum carissimo in Christo filio nostro Hungarie Rege illustri federa pacis et mature amicitie tractatus conclusisset: nam cum vestra utriusque concordia et sincera intelligentia non solum dominiis et regnis vestris, verum etiam toti reipublice christiane plurimum conducat, nichil fuit, quod nobis gratius significari hoc tempore potuisset, sperantes, quod divina gratia mediante, et quod ipsa benevolentia vestra et magnum fidelibus catholicis adiumentum, et adversariis sancte fidei tam immanissimis Turchis, quam perfidis hereticis non mediocre illatura sit detrimentum. Meminit tua Maiestas, quanto studio ad hoc ipsum perficiendum eandem Maiestatem pluries et nuntiis et litteris hortati fuerimus, in qua re, Deum testem invocamus, nichil aliud quam ad utriusque vestrum utilitatem, et ut debita provisio contra dictos infideles fieret, quesivimus, ne scilicet capitibus christiane religionis, quod perdolendum foret, aut non curantibus, aut inter se dissidentibus, infideles ipsi gravius in Christifideles, quod in dies facere conantur, grassarentur. Si itaque, prout nobis significatum est, dicta inter vos concordia conclusa est, deo agimus gratias, tueque Maiestati ac Serenitati dicti Regis pro vestro communique bono gratulamur in domino. Si vero, quod absit, nondum illa perfecta est, hortamur et Maiestatem tuam, ut ex parte sua omne possibile studium ad ipsam concordiam conficiendam adhibeat; itidem ab ipso Rege expostulamus, et quod cum eodem et aliis principibus pro resistentia facienda infidelibus ipsius, priusquam graviora christianis populis inferant damna, deliberationem aliquam faciant, obnixius requirimus et quam maxime possumus, obsecramus: nos etiam quantum in nobis est, in nullo deficimus, nec desistimus a continua sollicitatione potentatuum Italie, quos etiam, divina clementia iuvante, in pacis et unionis renovationem, que tempore sancte memorie Nicolai pape V. predecessoris nostri conclusa fuerat, paucis ante diebus induximus. De his omnibus rebus latius cum tua Maiestate dilecto filio fratri Gabrieli de Verona nuntio nostro loqui commisimus, cui eadem Maiestas fidem indubiam noverit adhibere. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XIV. Ianuarii millesimo quadringentesimo septuagesimo primo. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 75.

DXCVIII.

Stephano archiepo Colocensi annunciat nuper eum cardinalem creavisse, monetque, ut regi in Turcis debellandis assistat.

Stephano tituli SS. Nerei et Achillei presbytero Cardinali et Archiepiscopo Colocensi.

Paulus PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Dudum siquidem tibi, quem pro tuis meritis et virtutibus cum singularis cordis nostri letitia, deque etiam Venerabilium fratrum nostrorum s. Rom. eccl. Cardinalium consilio pariter et assensu ad apicem Cardinalatus assumpsimus, eiusdem s. Rom. eccl. Cardinalem creavimus, Capellum illius dignitatis insigne, nisi plurima nos ratio detinuisset, transmisis-

senus, atque etiam inter cetera, prout moris esse consuevit, quod te presentem, cui semper affecti plurimum fuimus, cernere volebamus, licet non diu retinere. Verum quia carissimus in Christo filius noster Mathias Hungarie etc. Rex iam pluries et nuntiis et litteris suis apud nos institit, ut dictum Capellum tibi transmitteremus, ea potissimum ratione usus, quod presentia tua propter infidelium Turchorum incursiones, et alias necessarias provisiones contra infideles ipsos hereticosque faciendas admodum necessaria in partibus illis existat, precibus dicti Regis annuentes, cui pro singulis benemeritis erga apostolicam sedem, quantum cum Deo possumus, semper morem gerere parati sumus, tueque persone et meritorum tuorum intuitu, atque etiam ut eo ferventius adversus fidei catholice et huius sancte sedis impugnatores intendas, quo maioribus fueris a nobis gratiis et benevolentie muneribus affectus, Capellum ipsum tibi per dilectum filium Gabrielem de Verona ordinis Minorum, nuntium nostrum, impresentiarum transmittimus, quem posteaquam susceperis, ita te in cunctis rebus exhibere curabis, ut quemadmodum decet precipuum s. Rom. eccl. membrum, coram Deo et hominibus valeas commendari: nos enim divinam imploramus clementiam, quatenus dilectionem tuam tanto celestis benedictionis dono preveniat, quod dignitas ipsa tibi ad salutem, totique reipublice christiane ad optatum proveniat incrementum. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XIV. Ianuarii MCCCCLXXI. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 77.

DXCIX.

Excit. de missione Cardinalis legati ad conventum Ratisbonensem.

Episcopo Ferrariensi.

Paulus PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Cum propter imminentes fidei catholice necessitates et gravissima pericula, que Christifidelibus a crudelissima Turchorum gente quotidie ingeruntur, Carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum Imperator semper Augustus generalem principum et prelatorum nationis Germanice conventum ad diem sancti Georgii proxime futurum in civitate Ratisponensi indixerit, in qua Imperator ipse cum prelatis et principibus predictis de communi salute rei publice christiane contra Turchos tractaturus personaliter conveniret, ut scilicet nefandissimis Turchorum conatibus obviari, et gravissimis damnis et crebris excursionibus, quas Turchi cum in diversis orbis christiani partibus, tum etiam in terris et dominiis hereditariis ipsius Imperatoris inferunt, provideri possit, et ob hoc Imperator ipse per dilectum filium Thomam de Cilia oratorem suum ad nos missum a nobis instanter petierit, ut nos pro faciliori et efficaciori expeditione huiusmodi negotii fidei contra Turchos legatum aliquem de latere nostro ad conventum predictum mitteremus: nos igitur volentes omnia undique auxilia cogere, quibus immanissimi hostes a christianorum finibus pelli et penitus conteri possint, ac requisitionibus dicti Imperatoris moti, presertim fidei catholice necessitate et periculis imminentibus consideratis, deliberatione cum Venerabilibus fratribus nostris s. Rom. eccl. Cardinalibus super his habita, dilectum filium nostrum Fr. S. Eustachii diaconum Cardinalem Senensem nostrum et apostolice sedis de latere legatum ad conventum predictum et universam Germaniam mittimus, qui nostro et eiusdem sedis nomine cum Imperatore et principibus predictis in negotio fidei contra Turchos ea tractet, concludat et exequatur, que ad felicem eiusdem negotii processum et exitum quomodolibet oportuna videbuntur. Verum quia non dubitamus, famam huius nostre missionis legatum ipsum preventuram, ne quisquam huius legati missionem et causam missionis apud fraternitatem tuam, aut Carissimum in Christo filium nostrum Mathiam Regem Hungarie etc. illustrem aliter fortassis interpretetur, voluimus fraternitatem tuam de causa missionis huius legati, et ad quid ille mittitur, certiorem facere, ut fraternitas tua mentem nostram in hac re plene cognosceret, nec fortassis crederet, nos in negotio fidei contra hereticos Regni Bohemie novam aliquam deliberationem cepisse, aut illi per premissa suspensionem aut moram aliquam afferri velle: nos enim, si fortassis in ipso Ratisponensi conventu de negotio fidei contra hereticos Bohemie mentio fiet, volumus, et ita deliberate intentionis nostrae est, ut in ipso negotio cum intelligentia et communicatione tue fraternitatis et Regis predicti omnia tractentur et fiant. Quapropter fraternitatem tuam hortamur atque monemus, ut hoc commissum sibi contra hereticos fidei negotium solita diligentia prosequatur et dirigat, et Regem predictum de causa missionis huius et necessitate nostra plene informet, ipsumque hortetur et moneat, ut hoc fidei negotium contra hereticos Bohemie, quod felicissimis auspiciis incepit, felicissimis etiam successibus hactenus gessit, ad finem optatum usque perducat; quod erit omnipotenti deo, cuius causa agitur gra-

tissimum, Regie Serenitati gloriosum, nobis et apostolice sedi in primis acceptum. In ceteris autem fraternitas tua legato predicto deferat reverenter, quod eam pro sua prudentia ultro facturam non dubitamus: eritis enim prout confidimus concordes. Datum Rome apud S. Marcum etc. die XIII. Februarii MCCCCLXXI. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 105.

DC.

Epo Ferrariensi nuntio apost. ut conventui Ratisbonensi pro negotio Bohemico et Turcis debellandis interesse curet.

Episcopo Ferrariensi.

Paulus PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Nuper dilectus filius frater Gabriel de Verona ordinis Minorum, dum de negotio fidei contra Turchos cum eo loqueremur, nobis inter alia asseruit, se a carissimo in Christo filio nostro Mathia Hungarie etc. Rege illustri habuisse, quod si aliqua contra Turchos expeditio fieret, Rex ipse modum haberet, quo facile huic contra Turcos intendere posset, et nichilominus negotium fidei contra hereticos Bohemie non omitteret, si modo subsidia per Italie potentatus sibi administrarentur ad eiusdem negotii contra Turchos prosecutionem. Nunc vero quia nos ad dictam Ratisponensem mittimus dilectum filium nostrum Franciscum S. Eustachii diaconum Cardinalem Senensem, nostrum et apostolice sedis legatum de latere, prout per alias litteras nostras fraternitati tue significavimus, et ample pro illo a nobis facultates in negotio fidei petantur, consideravimus, quod si Rex predictus huiusmodi diete personaliter intererit, talis in ea, dante domino, rerum agendarum conclusio capietur, ut negotio Bohemico Turchorum negotium non preiudicet, sed Rex predictus et illud, prout hactenus, strenue prosequatur, et expeditio contra Turchos feliciter procedat. Quod si fortassis Rex ipse ad dictam personaliter non veniret, et ob hoc etiam fraternitas tua ad illam non accederet, verendum est, ne talis aliqua inibi conclusio fiat, per quam negotio Bohemico vel dilatio quelibet, vel impedimentum aliquod afferatur, quominus Rex ipse illud libere prosequi possit, quod nobis molestum foret. Nos igitur, quibus hoc negotium fidei contra hereticos Bohemie precipue cordi est, considerantes, quod Rex ipse in negotio fidei contra Turcos pro hoc anno a potentatibus Italie subsidium habere non poterit; nam si quid expositur sunt, id in classe maritima consumetur, nec ad illius impensas omnes hactenus contribuunt, ut de his Maiestas sua debet esse plene per eius oratores informata, et per principes Germanie, etiam si dieta feliciter, ut speramus, eveniat, propter temporis brevitatem hoc anno vix aliquid contra Turchos fieri possit; laudaremus plurimum, et id rebus bene agendis convenire videretur, quod fraternitas tua huic Ratisponensi diete omnino interesset, etiamsi ad eam Rex predictus qualibet fortassis de causa non veniret, quia cum legatus predictus sit de intentione nostra circa premissa iam plene instructus, et tua fraternitas, ut premittitur, avisata, non dubitamus, quin vobis in dieta convenientibus, modus accommodus inveniri possit, per quem et expeditio contra Turchos fiat, et Rex ipse, quod nos maxime desideramus, susceptum contra hereticos Bohemie negotium feliciter prosequatur. Datum Rome apud S. Marcum etc. die XXIV. Februarii millesimo quadringentesimo septuagesimo primo. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 105.

DCI.

Gabrieli de Verona nuntio apost. dolorem de inopinato cardinalis Colocensis obitu exprimit.

Dilecto filio Gabrieli de Verona ordinis Minorum de observantia nuncupatorum professori, Nuntio nostro.

Paulus PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Reddite nobis fuerunt bine littere tue, altere ex Ferraria, altere ex Venetiis, obitum bone memorie Cardinalis Colocensis significantes, de quo multum ac vehementer dolemus, cum honorabile et utile membrum s. Rom. eccl. fuerat, et circa rem fidei maxime Bohemorum hereticorum diligens et studiosus. Scribis autem proposuisse in animo res illas usque ad Viennam tecum allaturum fore. Laudamus propositum tuum, ut tecum afferas in consolationem superstitum affinium et amicorum, ut cognoscant Regios favores honori et decori ipsius Cardinalis, sueque domui et familie non defuisse, nosque etiam ipsius Regis intuitu eiusdem Cardinalis meritis exigentibus libenter illa fecisse. Poterit etiam in maiorem consolationem Capellus ille, quemadmodum plerumque fieri solet, super monimentum et sepulturam ipsius Cardinalis in signum et memoriam habite di-

gnitatis appendi. Quod si futurum erit, non improbabimus, sed etiam laudamus. Datum Rome apud S. Marcum etc. die XXVI. Februarii MCCCCLXXI. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 101.

DCII.

Elisabethae regis Hungariae matri commendat Radichum, ut in bonorum suorum possessionem restituatur.

Dilecte in Christo filie Nobili mulieri Helizabeth Carissimi in Christo filii nostri Mathie Hungarie etc. Regis Illustris (matri).

PAULUS PP. II. Dilecta in Christo filia, salutem etc. Sua nobis nuper expositione monstravit dilectus filius Radych quondam Radeslai Bani miles Bosnensis, se a suis offitialibus deturbatum atque eiectum possessione suburbiorum atque locorum, que sibi Carissimus in Christo filius noster Mathias Hungarie etc. Rex natus tuus illustris in recompensam aliorum locorum in Bosna, ac in remunerationem fidei et strenuitatis donaverat et concesserat, tuo quoque ad id, ut littere quedam sub nomine tue nobilitatis edite testantur, accedente consensu. Supplicavit proinde humiliter, ut pro solita benignitate huius apostolice sancte sedis, sub cuius protectione tempore sancte memorie Pii II. immediati predecessoris nostri cum familia loci et rebus suis omnibus recipi promeruit, oportune super hoc sibi dignaremur adesse. Moti sumus super eum pietate paterna, et eo magis, quia asseruit, maximas calamitates in Bosna ab infidelibus Turchis perpessus, nunquam desperavit, aut a recto tramite fidei orthodoxe deflexit, sed in rebus perditis et afflictis fortem animum gessit, Regi prefato nato tuo adherens fidelitatemque servans. Quocirca etsi credimus nobilitatem tuam pro sua modestia, pietate et prudentia nichil iniuste et violenter, sed potius omnia clementer atque benigne erga ipsum Radych et suos facturam esse, aut fieri permissuram, tamen pro nostra in te paterna charitate hortamur plurimum in domino, ut etiam huius sancte sedis contemplatione et nostri eundem Radych benevolentia et charitate complecti velis, ipsum in possessione suburbiorum et locorum omnium huiusmodi pacifice retinendo, ac bona omnia mobilia, que multa et pretiosa per eosdem offitiales sibi ablata dicuntur, restitui sibi integre faciendo: erit dignum laude et merito ac nobis gratissimum, honorique prefati Regis ac tuo convenientissimum. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XVIII. Maii MCCCCLXXI. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 153.

DCIII.

Eps Ferrariensis nuntius apost. pontificem de electionis regis Hungariae in regem Bohemiae confirmatione certiorem reddit.

Beatissime Pater et Clementissime domine, post humillima pedum oscula beatorum etc.

Ex solicitudine facta per oratores Serenissimi dñi Regis, quotiens ad Beatitudinem vestram missi sunt circa negotium confirmationis electionis sue ad hoc regnum, intelligere potuit Sanctitas vestra, quod apud me plures non defuerunt instantie. Ut igitur rei huius seriem intelligat Sanctitas vestra, per has speciales indicare decrevi. Postquam dñus Rex ex Wienne infectis rebus malorum hominum opera in Ungariam discessit, et ad opidum Trincinium, unde dominus Nicolaus eius orator ad vestram Sanctitatem transmissus fuit, Rex ipse devenisset, mutato scilicet regimine in ipso regno Ungarie, me per plures nuntios e Wienna, ubi non parum valetudinarius existens passiones quoque animi calcabam, ad se vocavit. Ad quem etsi absque periculo corporis mei etiam certo tam ex infirmitate quam ex hostibus devenire me non posse cernerem, intelligens tamen res fidei cum honore sancte sedis apostolice et vestre Sanctitatis in magnis periculis versari (nam hereticus, ut alias significavi, et venerabilis pater frater Gabriel latius postea retulit, locum nactus ad ultimam deceptionem, cum ipso Rege convenire pluribus cautelis instabat), magna cum festinatione ad predictum locum descendi, ipsumque Regem cum his, qui secum erant, non parum turbatum repperi, quod ad tantum opus requisitus et excitatus tam per vestram Sanctitatem, quam per Cesarem, pro cuius salute et defensione non modo regnum et regni incolas, sed proprium corpus exposuisset, a nullo subsidii aliquid ad rem tantam posset habere, imputare barones catholicos, quod neque de confirmatione, neque de corona aliquid factum esset. Que duo si fuissent obtenta, magna pars eorum, qui Georgium sequebantur, de ipso desperati ad partem Regis se convertissent. Quibus perceptis, metuens, ut dixi, de eminentibus periculis, ac ut eum ad plenam confidentiam excitarem, hortatus sum eum, ut bono animo esset, nec diffideret, quin res ille adessent sibi et baronibus ipsis, cum locus requireret, aut necessi-

tas urgeret. Tunc etsi non parum confortatus extitit, animumque ad ulteriorem prosecutionem acceperit, certior factus, quod a vestra Sanctitate, etiam si ceteri deessent, nunquam relinqueretur, voluit tamen dictum Nicolaum ad pedes vestre Beatitudinis mittere. Cui inter alia singulariter commisit de dictis confirmatione et corona instantiam facere, allegatis ipsorum baronum rationibus, quemadmodum Sanctitas vestra per eundem Nicolaum, et postea per prefatum fratrem Gabrielem, ac demum per dominum Ladislaum ultimum sue Maiestatis oratorem clarius accepit. Dum itaque hac spe per totam illam estatem tanta adversus ipsos hereticos, quanta prius nunquam experti sunt, fecisset, regressusque ad Ungariam, non obstantibus multis impedimentis, de quibus alias significavi vestre Sanctitati, firmo et magno animo teneretur revertendi in Bohemiam cum exercitu, cuius magnam partem iam etiam hiemali tempore coadunaverat, convenissemusque in Iaurinum, ubi et oratores Caesaris erant, cum quibus nichil sperabatur preter bonam pacem et concordiam, supervenere tandem prefati oratores sui diu expectati a vestra Sanctitate cum eodem fratre Gabriele: qui cum multam fidem facerent, considerans ego, quod omnia ad vota transirent, ne perturbarem tranquilla, certificavi eum auctoritatem confirmationis adesse, si urgeret necessitas et rebus ceptis expediret. Post paucos autem dies heretici mors nuntiata est, ex qua etiam, ut alias scripsi, magna est celebrata letitia: sed utinam inde graviora non sequantur. Cum itaque nuper huc pariter post dicti heretici mortem convenissemus, et Rex exercitum ad preces multorum tam catholicorum quam hereticorum retro in diversis locis, prout nuper scripsi, reliquisset, baronesque cum prelatis et plurium civitatum et opidorum oratoribus convenisset, auditis etiam illis non solum indignis, sed etiam execrandis, que in Praga loqui et agi dicebantur, cepere catholici ipsi instare, Rexque rogare, ut electionem prefatam confirmarem, demonstrantes quod si hoc facerem, magno adiumento rebus fidei et Regis futurum esset. Postea vero cum inter deliberandum considerassent, melius esse, ut re indicata confirmatio huiuscemodi suspenderetur, quo ad cerneretur, quid in dieta Montium Cuthnis concluderetur (sperabant enim hereticos in suam sententiam et electionem iam Olomucii factam levius, si differretur, adducere posse), sic ad dietam perrexerunt. Ubi vero e dieta eo quo in allegatis modo significavi, regressi sunt, illico magis institerunt cum Rege, ut electionem eorum confirmarem, asserentes, quod non dubitarent plurimum rebus conducere, si fieret, omnemque moram ulteriorem plurimum nocituram fore, plurimaque scandala parituram, quod nostrorum animi terrerentur, hereticorum vero in varia scinderentur, et in perfidia sua firmarentur ex confictis de vestra Beatitudine mendaciis, quibus nil iam magis obsistere poterat, quam electionis ipsius ex vestra Sanctitate confirmatio. Propter que et multa alia, que deducta sunt, et maxime quod etiam in alleviationem Beatitudinis vestre non mediocrem foret, quocunque alio modo, si etiam postea heretici declinarent, premissis orationibus et missarum placationibus, dictam confirmationem iudicio etiam fratris Gabrielis non ulterius prorogandam esse visum est. Ad quod etiam accessit, quod orator Serenissimi dñi Imperatoris inter alia, que proposuit, dum huc advenit, coram Rege et omnibus, qui aderant, asseruit se ad hoc missum esse, ut ex eodem dño Imperatore Regi assisteret, ut Bohemie coronam assequeretur, omnibusque et Bohemis et aliis, quibus opus esset, eam esse mentem et voluntatem imperialem declararet, et ut ipsum in Regem et dominum Bohemi omnes assumerent, et ei tanquam vero Regi Bohemie parerent. Que res etsi hereticos aliquos a sua iam concepta etiam pro libito opinione suasione predictorum non removerit, cum postea, ut in perfidia sua remaneant, qua re nil magis desiderant, aliud fecerint; satisfactum est tamen ex debito et equo, et catholicis ac Sanctitatis vestre fidelibus, nec non periculis pluribus obviatum. Datum Iglavie III. Iunii 1471.

Eiusdem Beatitudinis Vestre

humillima factura

L. EPISCOPUS FERRARIENSIS.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 172.

DCIV.

Archiepiscopo Colocensi, ut Vincentium epm Vaciensem, eo quod contra Turcas et haereticos Bohemos ivit, ab excessibus et censuris absolvat.

PAULUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Apostolice sedis indefessa clementia lapsis ad eam post excessum cum humilitate recurrentibus, presertim Cathedralium ecclesiarum prelatis, quos in partem solicitudinis evocavit altissimus, se propiciam exhibet et benignam.

Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Vincentii Episcopi Waciensis peticio continebat, quod dudum ipse, antequam clericali caractere foret insignitus et munus consecrationis recepisset, et etiam postquam eodem caractere insignitus et consecratus extitit, pro defensione ecclesiarum obsessarum, pro fide et republica christianorum defendenda pluribus et diversis vicibus atque temporibus in bellis interfuit, contra Turcos et alios malos et hereticos Boemos pugnavit, et vim vi contra eosdem repulit, egit et provocavit in illos veluti fidelium Christi immanissimos hostes, et a christianis etiam in eum confligentibus se defendit, ac secum in eisdem locis et bellis existentibus sociis suis consilia dedit, communivit, ut etiam ex sua hortatione alii socii acrius dimicarent: in quibus quidem locis et bellis multe sanguinis effusiones, mutilationes diverse membrorum et cedes plurime facte fuerunt, et diversa homicidia subsecuta. Cum autem, sicut eadem peticio continebat, licet idem Vincentius Episcopus ab omni sanguinis effusione, mutilatione et cede predictis se abstinuerit, et nullum homicidium fecerit, nichilominus pro exoneratione conscientie sue et ad obstruendum ora obloquentium cupit statui suo in premissis oportune providere: quare pro parte dicti Vincentii Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum ab excessibus huiusmodi, necnon excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, si quas premissorum occasione incurrit, absolvere, ac secum super irregularitate, quam propterea contraxit, dispensare, omnemque inhabilitatis et infamie maculam per eum dicta occasione forsan contractam, penitus abolere de benignitate apostolica dignaremur. Nos vices in terris gerentes illius, cui proprium est misereri et parcere delinquentibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus prefatum Vincentium Episcopum, si hoc humiliter petierit, ab eisdem excessibus, nec non excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, si quas premissorum occasione incurrit, auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpe penitentia salutari, et aliis que de iure fuerint iniungenda; et nichilominus secum super irregularitate quam propterea contraxit, quodque in susceptis per eum etiam presbiteratus sacris ordinibus ministrare, ac predicto munere uti, necnon ecclesiam suam Waciensem in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare libere et licite valeat in omnibus et per omnia, ac si idem Vincentius Episcopus bellis ipsis non interfuisset, nec ipsos socios exhortatus extitisset, ac hostes non provocasset, nec cedes, mutilationes et effusiones sanguinis huiusmodi subsecute fuissent, ut prefertur, eadem auctoritate dispenses, omnemque aboleas inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum dicta occasione contractam, non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie Waciensis, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXI. decimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. secr. lib. XVI. fol. 240.

DCV.

Mathiae regi Hungariae de prospero contra Bohemos successu gratulatur.

PAULUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio nostro Mathie Regi Hungarie Illustri, salutem etc. Cepimus magnam animo voluptatem ex litteris Maiestatis tue, quibus nobis nuper significasti optimum rerum successum in expeditione Bohemica. Deo igitur sit honor et gloria, qui te pro orthodoxa fide sua iuvit atque iuvabit: nos illi assidue supplicamus, ut cause sue faveat et adsistat. Ceterum ardenti desiderio expectamus proprium nuntium, quem te missurum scribis cum significatione progressus istarum rerum, quem speramus et optamus felicissimum fore. Circa vero nonnulla, que a quibusdam conficta et falso iactata referuntur, abunde scribimus Venerabili fratri Laurentio Episcopo Ferrariensi, oratori nostro, qui tue Maiestati palam faciet, nos habuisse in premissis optimam considerationem et advertentiam. Datum Rome apud S. Petrum etc. VII. Kal. Iulii MCCCCLXXI. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 163.

DCVI.

Ep. Ferrariensi nuntio pontifex mandat, ut figmenta contra se in negotio Georgii Podiebrad sparsa refellat.

PAULUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Laurentio Episcopo Ferrariensi, Referendario, Nuntio et oratori nostro, salutem etc. Ex litteris tuis nuper ad nos datis intelleximus, et quo statu res Bo-

bemice sunt, et quam spem nobis circa res ipsas pollicceris, demum et figmenta nuntiorum dilecti filii nobilis viri Alberti Saxonie Ducis per eos adinventa in eorum reditu. Reportarunt enim, ut asserebant et tu scribis, confirmationem compactorum et quosdam articulos concludentes pacem et unionem cum dannate memorie Georgio de Pogiebrat per id tempus invente nostra subscriptos manu, quamquam illum in Regem restituimus, et quod misimus Gregorio Hemburgh absolutionem. Sed omnia hec sunt ab omni veritate aliena et omnia falsa. Nam cum primum hi venerunt, intellecto, que peterent, ea Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus communicavimus, et secum diligentissime examinavimus: quibus visum est, quod nequaquam essent concedenda, et illi statim remittendi essent. Et ita in consistorio responsum est hiis nuntiis, atque dimissi sunt: ita neque pro Georgio dannato aliquid reportaverunt: atque Georgio fidendum non erat, qui sepenumero, ut nosti, deceperit. Verum hiis habitis, confestim ad te scripsimus, ut res sese habebat, qua cognita, conatus es illorum mendatia litteris nostris ad te datis confutare: in quo prudentiam tuam in domino collaudamus: sic enim oportebat, ut mendaces confunderentur. At vero existimantes quod una cum dilecto filio nostro F. Cardinali Senensi, apostolice sedis legato, Ratispone esses, ad eius Circumspectionem misimus eiusmodi articulos, et nonnullas informationes advisamentaque cum litteris ad eum nostris significantibus omnem rei seriem, ut se habuit, et mandantibus, ut si ibi fueris, ut verisimiliter esse debebas, prout nobis scripseras, cuncta tue fraternitati ostenderet: et iam credimus per ipsum tibi significata esse. Verum enim vero si quid fidei subdolorum illorum hominum mendatiis vel tu vel Regia Maiestas prestitisset, et miraremur quidem et doleremus, quod tam repente hec de nobis crederetis: non enim adeo instabiles, adeo varii fuimus, aut erimus, ut nosse potuisti in tanta dei re, et que tantum nobis cordi est, et quam pre ceteris magni facimus, ut mutaremus sanctum institutum nostrum, aut cum illis aut cum aliis quicunque sint. Nec unquam mens fuit nobis, neque erit aliquid agere, quod alienum foret ab honore omnipotentis dei, sedis apostolice, nostroque et carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Hungarie etc. illustris, ac nisi accedente consensu ipsius Regis et consulta fraternitate tua: ita persuasum et Maiestati Regie et tibi esse volumus. Ceterum his presentibus litteris nostris accludi iussimus antedictos articulos et alia, ut si per Cardinalem aut alium eidem fraternitati nondum innotuissent, huiusmodi notitia diutius tibi non retardetur. Vellemus autem, ut has plumbatas nostras litteras patefacias et promulges omnibus tanquam testes veritatis, et eorum que gesta sunt, ut iniquitas malorum et vulgetur et confundatur: ceteri quoque omnes hoc exemplo edocti discant non mentiri, et cohorreant tam male presumere. Postremo hunc Regem hortari atque excitare non desines ad prosequendum perficiendumque tam sanctum, tam laudabile, tam gloriosum opus, quod allaturum est tibi sempiternam apud deum et apud homines immortalem gloriam. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominice MCCCCLXXI. septimo Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 163.

DCVII.

Archiepõ Strigoniensi, ut epm Nitriensem iuribus suis frui permittat.

Archiepiscopo Strigoniensi.

Paulus PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Cum annis superioribus ex querela Venerabilis fratris Thome Epi Nitriensis intellexissemus, Episcopum ipsum in multis difficultatibus constitutum, propterea quod tua fraternitas non permittit eum frui et gaudere fructibus sui Episcopatus et Abbatie B. Martini Sacrimontis Pannonie Episcopatui ipsi unite: etsi pastoralis officii nostri debitum pietatisque ratio admonebat, ut indemnitati ipsius Episcopi remediis oportunis consuleremus, credentes tamen fraternitatem tuam aliqua probabili causa id ad certum tempus fecisse, restituturamque fore brevi integram Episcopatus Abbatieque huiusmodi possessionem ipsi Episcopo, supersedimus scribere et aliud remedium circa hoc concedere. Cum vero videamus rem in longum trahi, prefatique Episcopi nostram opem et iustitiam implorantis precibus excitemur, non putavimus pretermittendum, quin tuam fraternitatem caritate paterna admoneremus ad restitutionem huiusmodi faciendam. Sane et equum iustumque videtur et ad honorem tuum in primis spectare, ne si secus fieret, vel cupidi vel impii in huiusmodi re subeas nomen: hortamur igitur ipsam tuam fraternitatem in domino, ut pro tua prudentia hoc tecum diligenter reputans, ita provideas, ut omnis iuste querele occasio adimatur: quod si egeris, ut

confidimus, rem tue sapientie et virtuti consentaneam, ac nobis vehementer gratam feceris. Datum Rome apud S. Petrum etc. die ultima Iunii MCCCCLXXI. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 286.

DCVIII.

Episcopo Vesprimiensi negotium episcopi Nitriensis commendatur.

Venerabili fratri Vesprimiensi Episcopo.

Paulus PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Ex copia introclusa presentibus fraternitas tua intelliget, quid scribamus Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi in favorem Nitriensis Episcopi. Etsi autem non dubitamus, quin ipse Archiepiscopus nostris paternis hortationibus sit pro sua prudentia pariturus, quia tamen tua suasio plurimum ad id conferre posse videtur, te quoque in domino exhortamur uti oportunis suasionibus. Vides enim rem iustam esse, et ad honorem eius non mediocriter pertinere, ipsum Archiepiscopum ad hoc cures inducere, facturus rem piam ac laudabilem, nobisque pergratam. Datum Rome apud S. Petrum etc. die ultima Iunii MCCCCLXXI. Anno Septimo.

Simile Electo Colocensi etc. mutatis mutandis.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 287.

DCIX.

Cardinali Senensi legato in Germania de rebus Bohemiae, et de electione et confirmatione regis Hungariae agendis in comitiis Ratisbonensibus.

Cardinali Senensi Legato.

Paulus PP. II. Dilecte fili noster, salutem etc. Scripsisti ad nos quedam de rebus Bohemie, et presertim de dilecto filio Alberto Duce Saxonie, quo videlicet pacto Venerabilis frater Laurentius Episcopus Ferrariensis in eum procedere comminetur, ad quem hortatu principum, qui ad dietam Ratisponensem convenerant, aliquid pro tua modestia de ea re scripsisti. Significavit et ipse aliqua, que quantum ad negotium hoc attinent, presentibus introclusa videbis, ut plane intelligas, ipsum non inconsulte motum; nam heretici Bohemi ex mora dicti Ducis in Praga ultra modum pertinaciores facti sunt. Et quoniam de electione per catholicos Barones dudum facta et electionis confirmatione, quam idem Venerabilis frater de persona Carissimi in Christo filii Mathie Hungarie Regis in Bohemie Regem fecit, in ista Ratisponensi dieta sermo fortassis habebitur, rationes, que eum ad id excitarunt, prout nobis suis significavit litteris, nec non quae ex superiori tempore ad eiusdem Regis electionis et confirmationis iustificationem colligi possunt, per modum instructionis his quoque annexa transmittimus. Ea igitur, si quando opus fuerit, depromere, et que tue dilectioni pro eius prudentia occurrent, poteris ex te in medium afferre, atque obiectiones et contraria queque refellere: ita ut cuncti intelligant, ad electionem in primis dicti Regis Hungarie, et confirmationem ex summa necessitate deventum esse, cum in tanto periculo fidei christiane aliter illis rebus consuli non potuerit. Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. die XIII. Iulii MCCCCLXXI. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 171.

DCX.

Ep̄o Ferrariensi nuntio, ut regem Hungariae de rebus Bohemicis edoceat et adhortetur.

Venerabili fratri L. Ep̄o Ferrariensi nuntio et oratori nostro cum potestate legati de latere.

Paulus PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Fraternitatis tue littere, quas die tertia Iunii Iglavie de multis isthic occurrentibus diligenter scripsit, quarta presentis mensis nobis assignate fuerunt. Earum lectione plene accepimus ea, que de persona dilecti filii nobilis viri Ladislai, primogeniti Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie Regis illustris, illorum acclamantium studio acta fuerunt in dieta in Cuthnarum montibus proxime celebrata: et que deinde fraternitas tua hortatur, et que Carissimus in Christo filius noster Mathias Hungarie Rex illustris, ac dilecti filii catholici Barones magnopere cupere videntur, ut scilicet propterea Polonie Regem prefatum super his paterne moneamus, pariter intelleximus. Igitur presentium latorem, nuntium nostrum specialem, dilectum filium Fabianum de Montepolitiano, nostre apostolice Camere Clericum, ea de re ad ipsum mittimus, qui Regem ipsum Hungarie, fraternitatem tuam et dilectum filium Gabrielem ex nostro nomine prius conveniat,

et vos de cunctis, que sibi mandavimus, faciens certiores, a vobis quoque instructus illuc deinde perveniat. Et ne deinceps astu malorum in vulgus figmenta spargantur, qualia presertim illi, de quibus superioribus litteris scripsisti, et de istis, de quibus nunc scribis, multorum decipiendorum causa iactarunt, firmiter teneat fraternitas tua, Abbatem Montis sancte Crucis et Iacobum de Dompno eiusdem Regis oratores, qui a nobis novissime recesserunt, quidquid ipsi fortassis dicturi sunt, nichil circa rem Bohemicam nobiscum egisse, quamvis primo eorum adventu aliquid dixerint: nam Iersici mors de his eorum intercepit mandata, quem precipue reconciliare volebant. Tractarunt de Prutenorum pace confirmanda, deque absolutione Venerabilis fratris Vincentii Episcopi Culmensis, qui se in Warmiensem ecclesiam intruserat, et quorundam aliorum: quos denique de Venerabilium fratrum nostrorum s. Rom. eccl. Cardinalium consilio absolvi mandavimus, cum per insignes oratores ob hoc quater supplicatum fuisset; Prutenorum vero negotia, quantum ad eiusmodi pacem attinet, quo erant statu, dimisimus. Et demum cum oratores predicti recessuri equos conscendissent, essentque ex ipso fere itinere revocati, propterea que in tuis tunc acceptis litteris continebantur, idem Iacobus ad nos concessit, que a tua fraternitate prolata erant, ei aperuimus, eisdem Venerabilibus fratribus nostris presentibus, et iustas admirationis causas, cur dilectus filius prefatus Regis sui primogenitus, quem paterne diligimus, eodem genitore suo paciente, voluerit in ea dieta, hereticorum turba acclamante, Bohemie Regem sic tumultuarie dici; indignum videri Mathiam Hungarie Regem a catholicis electum et de fide benemeritum iis incommodis affici, melius fore pacem, quam armis decernere, aut id diffinire iustitia mediante, quam nos administraturos ultro polliciti sumus. Acceptavit ille tantum, que pro Rege suo voluit, reliqua non: ex cuius quoque ore sive de industria, sive de improviso excidit hoc, videlicet optimum esse suo iure possidere, quod quisque hoc tempore in istis partibus tenet: pacis insuper media laudavit, rogans, ut super ea tractatus aliquis haberetur et modus. Videt itaque fraternitas tua, quomodo acceptis litteris tuis, ea que in eis continebantur, opere illico complentes, proposito bono firmamur atque constantia, et ut omnia bene succedant, vigorem animi non intermittimus. Tu etiam Carissimum in Christo filium nostrum Hungarie Regem prefatum, sicut consuevisti, adhortari debes, ut in sententia persistens, que cepta sunt, semper bono animo prosequatur, neque ab instituto desistat. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XIV. Iulii MCCCCLXXI. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 178.

DCXI.

Mathiae regi Hungariae, ut audaciae haereticorum resistat.

Paulus episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Mathie Regi Hungarie Illustri, salutem etc. Que in ista dieta proxime in montibus Cathne, hereticis acclamantibus, acta fuerunt, et que deinceps usque ad diem datarum litterarum tuarum sequuta sunt, per eas accepimus: plenius tamen de iis rebus Venerabilis frater L. Episcopus Ferrariensis scripsit, et ea etiam aliunde dolenter audivimus. Igitur tua Celsitudo plene cognoscat, nos diligenter attendere, quod res iste votive succedant, presentiumque latorem dilectum filium Fabianum de Montepoliciano, nostre apostolice Camere clericum, nuntium nostrum specialem, istuc designavimus, qui posteaquam tecum ac cum eodem Venerabili fratre et dilecto filio fratre Gabriele loquutus fuerit, ad Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Polonie Regem, inde instructior factus, iter suum maturet, sicut idem Episcopus nobis hortatur, et te ac catholicos Barones magnopere cupere intelleximus: super quibus quoque latius scribimus prefato Episcopo, cum quo poterit Serenitas tua habere sermonem. Tu denique, Carissime fili, sis semper animo bono, et nos, que cepta sunt, ut divino auxilio feliciter terminentur, continuantes, possibili studio paterne assistemus, atque adesse curabimus pro fidei tue fervore et proposito bono. Datum Rome apud S Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXI. Idibus Iulii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. brev. lib. XII. fol. 174.

EPISTOLAE SIXTI PP. IV.

DCXII.

Marcus card. S. Marci mittitur Apost. Sedis legatus in Germaniam, Hungariam et Poloniam.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Marco tituli sancti Marci presbitero Cardinali in Alamanie ac totius Germanie, necnon universis et singulis provinciis, comitatibus, terris et locis eiusdem Germanie sacro Romano imperio subiectis, ac Hungarie et Polonie regnis apostolice sedis legato, salutem etc. Pro humani generis redemptione de summis celorum ad yma mundi descendens, mortem tandem unigenitus dei filius Ihesus Christus subiens temporalem, ne gregem sui precio sanguinis redemptum, ascensurus post resurrectionem ad patrem, absque pastore desereret, ipsius curam beato Petro apostolo, ut sue stabilitate fidei ceteros in christiana religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera sue accenderet devotionis ardore, commisit. Unde nos licet immeriti eiusdem apostoli, disponente domino, successores effecti et ipsius redemptoris locum, quamquam indigni, gerentes in terris, circa gregis eiusdem custodiam, ne lupus rapax obrepat, illumque sua versutia ac dolo et fraude dissolvat, necnon a rectitudinis tramite deviare comprimat, solicitis vacare vigiliis et animarum saluti iugis attentione cogitationis intendere, submovendo noxia et agendo profutura, debemus, ut excusso a nobis negligentie somno nostrique cordis oculis sedula diligentia vigilantibus animas deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Cum itaque, sicut prohdolor oculi cunctorum christifidelium possunt luce clarius intueri, immanissimus Turchorum princeps, qui adversus dominicam crucem, in qua salvati et redempti sumus, sathane vexillum reprobo ausu et vasta temeritate erexerit, et fundendi christiani sanguinis ardore nimis extuans, quam plurima et innumerabilia fidelium milia cruentissima strage afflixerit, ac proximis defluxis annis insulam Euboyam et civitatem Nigropontis in propria persona invadens, sue tirannidi subiugavit, omnemque sexum nulla usus humanitate inibi crudelissime extinxit, et incepta elata cervice continuans in dominiis Carissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum imperatoris semper augusti, necnon Foroiulio, quod in prima Italie provincia eiusque limitibus situm est, et pluribus aliis christianitatis partibus atrocissimas incursiones peregit, pluraque christianorum milia in predam miserabilem turpemque servitutem redegit, ex quibus et pluribus victoriis per eum, christianis in domibus torpentibus, obtentis in tanta superbie et arrogantie flamma elatus est, ut terra marique reliquas fidelium regiones invadere et debellare, sibique, si possit, universe christianitatis imperium tirannice usurpare presumat in maximam divine maiestatis offensam, nostram et catholicorum regum et principum, aliorumque fidelium ignominiam, dedecus et iacturam: et quod molestissimum nobis est, et maxime sedet cordis amaritudini, nec aliter quam cum lachrimis referre possumus, occasione regni Boemie inter Carissimos in Christo filios nostros Mathiam Hungarie etc. qui expeditioni adversus

ipsos truculentissimos Turchos vacare, ac inimicos, exercitus gentemque belligeram parare, ac ipsorum Turchorum ferocitatem reprimere consuevit, necnon Kazimirum Polonie Reges graves belli moles, dissidiaque et disceptationes suborta sunt, nec facile spes instaurandi exercitus illis in oris pro reprimendis ipsorum nefandorum Turchorum temerariis ausibus polliceri potest, nisi prius discordie ac guerrarum turbines inter eosdem Reges vigentes pacate et sedate, ipsique ad pacis et quietis dulcedinem reducti fuerint. Nos igitur etiam repetentes animo non sine ampliori cordis merore, quot sacratissime patriarchales, metropolitane, cathedrales alieque insignes ecclesie pene innumere, ac utriusque sexus regularium personarum monasteria, cenobia et pia loca prophanata deformi ruine subacta, illorum ornamenta, cruces et calices aliaque divinis deputata misteriis conflata, destructa, ac quod lamentabilius est, sanctorum veneramde reliquie conculcate, et innumeri sexus utriusque fideles ad damnatam Machometicam sectam sub dura servitute recipiendam fuisse compulsos, et nisi per catholicos principes tante temeritati tantoque furori celeriter occurratur, maiora semper detrimenta videntur verisimiliter propediem futura. Et cum nos ad huiusmodi necessitates explicandas, regesque, principes, potentatus, communitates et dominia hortandum, requirendum et monendum, ut semotis quibusvis dissidiis huic sancto operi vacent, ac se ad reprimendum ipsius perfide Turchorum gentis elatos conatus accingant, personaliter progredi non valeamus, ad huiusmodi presentes necessitates, quas et maiores in foribus et prope futuras, nisi protinus obvietur, cernimus, declarandas, de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio nonnullos ex eis legatos de latere ad diversa mundi partes regnaque et dominia transmittendos duximus: igitur ad circumspectionem tuam, quam in agendis providam et in arduis nostris ac Romane ecclesie negotiis experientia comprobatam, ac litterarum et scientiarum doctrinis eminentem cognovimus, direximus oculos nostre mentis, de eadem circumspectione sumentes in domino fiduciam specialem, quod ea, que tibi duxerimus committenda, ad laudem omnipotentis dei et sedis apostolice ac nostrum honorem, necnon communem christiani populi salutem cura ac diligentia pervigili adimplere curabis, ad Alamanie ac totius Germanie, necnon universas et singulas provincias, civitates, terras et loca eiusdem Germanie sacro Romano imperio subiecta, necnon Hungarie et Polonie regna tamquam pacis angelum nostrum et apostolice sedis legatum de latere transmittimus. Tu igitur munus hoc pro dei honore et nostro, ac sedis apostolice reverentia prompta devotione suscipiens, iuxta exquisitam tibi a domino datam prudentiam rebus in discrimine positis providere, et oportune consulere, facere et exequi non differas, que necessaria et expedienda cognoveris. Nos autem, ut fructus, quos inde futuros expectamus, quantocius eveniant, tibi omnes et singulas differentias tam inter memoratos reges, quam quosvis alios, quacumque ecclesiastica vel mundana sint prediti dignitate, occasione regni Bohemie huiusmodi et quorumvis aliorum dominiorum subortas, et que forsan suboriri poterunt, audiendi, illasque sedandi et quietandi, necnon quosvis pacis tractatus et confederationes inter eosdem reges et principes ineundi, et si oportunum tibi visum fuerit, treugas ad tempus vel tempora, de quo vel quibus inter se concordaverint, indicendi, ac huiusmodi pacem, si ad illam tua accurata solicitudine induci poterint, vel treugas ipsas etiam cum censurarum exaggeratione observari faciendi et mandandi, ac etiam ad hoc unam vel plures dietam seu dietas in loco utrique partium tuto, in quo Reges ipsi ac persone, quas presens potest tangere negotium, per se vel oratores suos legitimos comparere possint, alias prout tibi visum fuerit expedire, similiter indicendi et statuendi, excitandique tam eosdem Reges, quam omnes et singulos catholicos principes et populos, ut adversus eundem nefandissimum Turchorum principem pro deffensione fidei, pro salute patrie et propria, ac aliorum christianorum tuitione se ardenter opponant, ipsiusque reprobos conatus reprimere studeant: insuper cruciatam contra eosdem Turchos predicandi et ab aliis predicari faciendi, et crucesignatis contra eosdem Turchos pugnantibus, vel ad id contribuentibus, non solum semel in vita, sed etiam in mortis articulo iuxta ordinationem tue circumspectionis, ut indulgentiam plenariam consequantur, concedendi, precipiendi quoque in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis late sentencie pena quibuscumque ydoneis verbi dei predicatoribus secularibus seu cuiuscumque ordinis regularibus, ut fideles excitare et inflammare debeant ad huiusmodi insolentes ausus vi et armis reprimendos, et ut suis viribus ac facultatibus occurrant ad commune periculum propinquius repellendum; absolvendi insuper sic crucem assumentes, pugnantes vel contribuentes et conferentes ab omnibus ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, quibus forsan qualitercumque ligati sint, preterquam ab homine specialiter latis, nisi prius satisfactum fuerit, aut pars ad hoc suum prestiterit consensum, nec-

non cum eis dispensandi super irregularitate divinis se immiscendo vel ex apostasia quomodolibet contracta, et super occulte vel male perceptis ac bonis indebite acquisitis, in expugnationem dictorum Turchorum dumtaxat convertendis, concordandi et componendi; preterea super ipsa cruciata et congregando exercitu in ducem belli ac capitaneum unum vel plures conveniendi, ac nostro et ecclesie Romane nomine eligendi, deputandi et confirmandi, ut onus hoc ad laudem et defensionem fidei suscipere et fideliter gerere velit, et ut reliqui omnes ei obediant pariter et intendant, iniungendi ac precipiendi, necnon contra omnes et singulos tam salutaris negotii executionem impedientes, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, procedendi, et transgressores excommunicationis et alias sententias, censuras et penas tam spirituales, quam temporales in illis contentas incurrisse declarandi, penitentes et reverti volentes ad ecclesie gremium, si id humiliter petierint, in forma ecclesie consueta absolvendi;

Verum cum ad tante rei molem nostre et dicte Romane ecclesie minime suppetant facultates, ut res tam salutifera ad votivos et felices exitus deduci possit, alieno opus est auxilio, Unam integram decimam omnium fructuum, reddituum et proventuum secundum verum valorem annuum quarumcunque cathedralium, etiam metropolitanarum, aliarunque ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum secularium et quorumcunque ordinum regularium, etiam militarium, infra limites tue legationis existentium, ab omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis administratoribus, commendatariis et abbatibus, ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, ordinum etiam Cartusiensis et militiarum quorumlibet, exemptis et non exemptis, preterquam a dilectis filiis magistro, priore, preceptoribus et fratribus prioratuum, preceptoriarum et domorum hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui iugiter adversus infideles et ipsos Turchos bella gerunt, et se suaque exponunt, huiusmodi fructus, redditus et proventus infra metas dicte legationis habentibus, cuiuscumque preeminentie, dignitatis, status, gradus, religionis, ordinis vel conditionis existant, quibus aut eorum alicui nulla privilegia vel indulta sub quacumque verborum forma vel expressione concessa quo ad hoc volumus suffragari, pro defensione eiusdem fidei atque christifidelium exponendam, ut prefertur, solvendam et exigendam, modo, quo tue circumspectioni ac discretioni magis ac convenientius videbitur conducere, bonam in hoc devotionem omnium et singulorum contribuentium conservando, necnon (per) collectores et succollectores, viros utique providos, quos ad id deputandos duxeris, colligendam imponendi, non obstantibus, si archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus et commendatariis, abbatibus, prelatis et aliis personis ecclesiasticis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod ad solutionem huiusmodi decime minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, eiusque toto tenore ac propriis ipsorum ordinum, locorum et personarum nominibus et cognominibus mentionem, et quibusvis aliis privilegiis, exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis dignitatibus seu ordinibus supradictis generaliter vel specialiter, etiam sub quacumque verborum forma concessis, etiamsi de eis eorumque totis tenoribus ac de verbo ad verbum in presentibus habenda foret mentio specialis, et contentis in eis clausulis specialiter foret derogandum; ceterum omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, etiamsi pontificali prefulgeant dignitate, qui de huiusmodi exigendis decimis aliquod usurpare vel detrahere, aut in exigendo, colligendo vel conservando illas fraudem vel deceptionem aliquam committere malitiose presumpserint, maioris excommunicationis sententia innodandi, omnibusque et singulis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, que obtinent, privandi, et ad obtenta inhabilitandi, illosque tamen debita satisfactione previa absolvendi et rehabilitandi, nec non omnia et singula ad premissum salutare negotium necessaria seu quomodolibet oportuna, etiam si talia essent, que mandatum exigerent magis speciale, et in generali commissione non caderent, gerendi, disponendi, exercendi, faciendi, statuendi, ordinandi, mandandi et exequendi, necnon contradictores quoscumque per censuras ecclesiasticas et alia opurtuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, plenam et liberam tenore presentium facultatem, licentiam et auctoritatem concedimus et impartimur. Tu igitur, dilecte fili, tam acceptum tamque meritorium negotium devota mente suscipiens, te in illius executione sic sollicitum ac verbo, opere et sermone studiosum et diligentem exhibeas, quod ex tuis laboribus, divina tibi fa-

vente gratia, sperati fructus adveniant, tuque per sollicitudinem tuam, que pias causas gerentibus pro retributione impenditur, palmam glorie sempiterne consequi merearis. Et cum difficile admodum foret, presentes litteras ad singula, ubi ille necessarie forent, loca transferre, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod earum transumpto manu alicuius publici notarii subscripto fides adhibeatur, et illi stetur firmiter, sicuti originalibus litteris, si forent exhibite vel ostense. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, decimo Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. bul. div. lib. II. fol. 30.

DCXIII.

Eidem legato facultas conceditur excommunicandi Casimirum regem Poloniae eiusque primogenitum et omnes fautores haereticorum in Bohemia, et benedicendi omnibus faventibus Mathiam regem Hungariae.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Marco tituli sancti Marci presbitero Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Pastoris eterni, qui pro salute humani generis se in precium immolari non abnuit, vices quamvis immeriti gerentes in terris, partes nostre solicitudinis adhibemus, ut ovibus nostre custodie commissis pacis commoda adveniant, et errantes ad semitas iustitie redeant, per quas gradientes vitam consequantur eternam. Circa illos vero, qui dei timore ac apostolice sedis reverentia eiusque salutiferis monitis postpositis a rectitudinis tramite deviare moliuntur, veritatis sententiam amplectimur, quasi nos manus, oculus vel pes dexter scandalizaverit, a compage corporis prescindi mandatur, cum melius sit hiis membris in seculo carere, quam cum illis eterna supplicia introire. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Paulus papa II. predecessor noster damnate memorie Georgium, alias Iersicum de Pogiebrat, tunc occupatorem Regni Bohemie, longa patientia et previis quam plurimis salutaribus exortationibus et monitis, ut resipisceret, expectatum, de Venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum sancte Romane ecclesie Cardinalium, necnon Archiepiscoporum, Episcoporum et aliorum tam divini quam humani iuris peritorum sibi assistentium unanimi consilio et assensu, in publico consistorio hereticum pertinacem, hereticorum fautorem, damnatarum iam heresum defensorem, periurum et sacrilegum, dignitateque regia et quavis alia, si qua prefulgeret, bonisque et dominiis privatum, posterosque suos ad successionem inhabiles fore et esse pronuntiaverat, decreverat et declaraverat, necnon omnes barones, civitatenses, vasallos et subditos in dicto regno et alibi existentes ab omni subiectione, iuramento et quavis obligatione, qua tunc astricti essent, ac omnia federa, pacta, intelligentias cum principibus, dominis et populis quibuscumque habita dissolverat, ac viduitati dicti regni providere volens, omnes et singulos catholicos, ad quos Regis Bohemie electio, cum Regnum ipsum vacaret, spectare censebatur, ut ad futuri Regis electionem omnes devenire et in illum vota dirigere deberent, quem ydoneum et aptum, omnipotentique deo gratum, ac Regno et regnicolis utilem optimumque defensorem fore crederent, eligerent, moneri et suaderi fecerat. Congregatisque in unum electoribus catholicis huiusmodi, ac eorum votis in Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie regis illustris primogenitum, quem, ut premittitur, ydoneum et aptum, necnon tante Regalis dignitatis culminis acceptatorem arbitrabantur, directis, primogenitum ipsum, dummodo hereses eliminaret, hereticorum et fautorum nomen deleret, ac electoribus ipsis et regnicolis catholicis adversus ipsos hereticos presidio et auxilio esset, elegerunt: prefatusque primogenitus, per quem etiam ab oppressione absque more dispendio liberari, et hereses celeriter extirpari crederentur, etiam post debitam requisitionem electionem ipsam de eo, ut premittitur, factam acceptare et sponte suscipere noluit, quin ymo ipsis hereticis favit. Unde electores ipsi ulteriori dicti regni viduitati, ampliori regnicolarum predictorum discrimini, ac etiam ut facilius hereses, que in dies, suadente satore zizanie, plus ac plus inibi pullulabant et diffundebantur, celerius exterminarentur, Carissimum in Christo filium nostrum Mathiam Hungarie Regem unanimiter et concorditer in Regni Bohemie, ac eorum et regnicolarum, necnon vasallorum et subditorum Regem elegerunt. Que quidem electio tanquam sancte, iuste et canonice celebrata per Venerabilem fratrem nostrum Laurentium Episcopum Ferrariensem, apostolice sedis cum potestate legati de latere nuntium, auctoritate apostolica extitit confirmata, ipseque Mathias Rex tanquam catholicus athleta, premissis in se benigne susceptis, ut hereses et hereticos, qui ingi studio gregem dominicum labefactare et inficere conabantur, ad rectitudinis et vere fidei catholice tramitem reduceret, aut penitus exterminaret atque deleret, ingentes exercitus gentemque belligeram, non sine gravibus laboribus et magna expensarum

mole, Regnique Hungarie detrimento, adversus que Turchorum princeps suas acies indefesse munivit, in prefatum Bohemie Regnum eiusque adiacentes partes traduxit, causam fidei egit et indefesse tutatus est, nec desinit, quin fidem orthodoxam tueatur, et infidelium insolentias alacri studio et pervigili cura reprimat. Et licet premissa omnia et singula ita vera sint, ut nulla possint tergiversatione celari, nichilominus quia admodum facti notorietas demonstrat, quod tamen cum gravi cordis amaritudine referre cogimur, postquam idem Georgius, alias Iersicus, diem suum clausit extremum, idem primogenitus per nonnullos hereticos se in Regem Bohemie acclamari procuravit, acclamationem de eo factam suscepit, ubi veram et legitimam electionem etiam per catholicos factam antea recusaverat, seque pro Bohemie Rege, quantum potuit, gessit, et ut idem Kazimirus Rex venenum iam diu animo conceptum evomeret, premissis non contentus, dominia ipsius Mathie Regis in ipso fidei negotio etiam in propria agentis, ut ipsos hereticos dimittere et ipsum regnum Hungarie repetere cogeretur, ausu temerario invasit. Ac tam Kazimirus quam primogenitus predicti ipsis hereticis, etiam pro talibus publicatis, favere, ac eos receptare, necnon auxilium, consilium et favorem pro posse dare non verentur, in gravem dei offensam, ac universalis ecclesie detrimentum et iacturam, necnon singulorum christifidelium scandalum non modicum. Nos igitur nolentes, prout nec velle debemus, aut salva conscientia possumus, tantam offensam tamque nefarios et odibiles excessus relinquere impunitos, sed providere volentes, ut alii timore perterriti prosilire ad similia pertimescant; et cum nos te ad nationem Alamanie ac totius Germanie, necnon universas et singulas provincias, civitates, terras et loca eiusdem Germanie sacro Romano Imperio subiecta, ac huiusmodi Hungarie et Polonie Regna pro predictis et nonnullis aliis arduis orthodoxe fidei, atque nostris negotiis legatum nostrum de latere, tanquam pacis Angelum, de fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio presentialiter destinemus, circumspectioni tue tam Cazimirum quam primogenitum predictos, ac eis dantes auxilium, consilium et favorem apostolica auctoritate et per viscera misericordie domini nostri Iesu Christi, necnon sanctam et catholicam fidem, quam in sacro regenerationis baptismate devoverunt, et tandem sub excommunicationis, interdicti ac quibusvis sententiis, censuris et aliis penis tam a iure, quam Romanis pontificibus in faventes hereticis, illos receptantes, seu dantes auxilium, consilium vel favorem latis seu promulgatis, et aliis, quibus tibi videbitur, monendi, hortandi et accurate requirendi, quatenus ipsum Mathiam Regem, cui animus et fides adesse perhibetur, hereses et prefatos hereticos reducendi aut exterminandi et penitus delendi tam in Hungarie, in quo iugiter adversus perfidissimos et truculentissimos Turchos bella gerere oportet, quam Bohemie regnis huiusmodi infra certum competentem terminum, de quo tibi videbitur, quem eis duxeris assignandum, in pace et quiete dimittant, nichil molestie, nichilque impedimenti aut iniurie sibi in tam sancto et deo glorioso et universali ecclesie accepto negotio, in quo pro fide certatur, ac veri et indubitati catholici ostenduntur, impendant; sed exercitus suos, currus et quevis bellorum instrumenta ad se revocent, et ne amplius hereticis predictis faveant, eos receptent, nec illis auxilium, consilium vel favorem prebeant, sed pro viribus ipsi Mathie Regi, ut catholicos decet principes, ad ipsas hereses penitus enervandas hereticorumque nomen funditus evellendum assistant. Quod si tuis salutaribus monitis et exhortationibus acquiescere noluerint, sed suadente diabolo in sua obstinata perversitate indurati fuerint, Kazimirum et primogenitum, necnon faventes et adherentes huiusmodi omnes et singulas sententias, censuras et penas, ac etiam in faventes hereticis, eos receptantes, necnon dantes auxilium, consilium et favorem, tam a iure, quam a Romanis pontificibus latas et promulgatas, et alias, quas, ut premittitur, adieceris, incurrisse, ubicumque tibi visum fuerit expedire, declarandi; et cum crescente contumacia crescere debeat et pena, si declarationem huiusmodi per te fieri contigerit, ut prefertur, omnes et singulos, cuiuscumque nobilitatis, et si ducalis, comitalis, vel baronalis status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, omnesque et singulos Prutenos et quosvis alios, undecumque originem traxerint, iure homagii, vasallagii ac iuramento fidelitatis, etiam ratione feudorum vel alias quomodolibet, seu ratione pacti pacis inite aut confederationis, etiam si de illis expressa mentio fieri deberet, et apostolica auctoritate vallata forent, Kazimiro et primogenito prefatis, eorumque adherentibus obligatos, ab huiusmodi prestatione homagii, vasallagii et omni vinculo pacte pacis et confederationis tam reali quam personali, necnon a quacumque sententia et penarum adiectione liberandi; preterea dilectis filiis Magistro et fratribus hospitalis beate Marie Theutonicorum et quibusvis aliis, ne deinceps ipsis Kazimiro, primogenito et adherentibus, etiam si ad hoc ex quavis causa astricti seu obligati forent, assistant, seu auxilium, consilium vel favorem prebeant,

inhibendi, quodque eos, tanquam heresum fautores, hereticorumque receptatores vitent, et vitari, quantum in eis fuerit, studeant, precipiendi: ceterum ipsis Magistro et fratribus, necnon eorum hospitali, personis, domibus, locis, bonis, rebus, vasallis et subditis, ubicunque consistant, prefatum Mathiam Regem in protectorem et perpetuum defensorem assignandi et deputandi, ipsique Regi, ut Magistrum, fratres, personas, domos, loca, res, bona, vasallos et subditos huiusmodi sub sua protectione et defensione benigne suscipiat, iniungendi: barones vero, milites et alias personas dicti regni Bohemie, necnon Marchionatus et dominiorum, quibus prefatus Iersicus privatus extitit, ipsum Mathiam in Regem, principem et dominum recognoscentes laudandi, ipsosque, ut in sua fidelitate, vasallagio, homagio et iuramento sub eodem Mathia tanquam Bohemie vero et indubitato Rege maneant et ei subsint; alios vero barones, milites, vasallos et subditos, ut ipsum Mathiam in Regem et principem adhuc non recognoscentes, nec ut talem profitentes, ut eum in eorum Regem, principem et dominum benigne suscipiant, fidelitatis debite iuramentum, homagium et vasallagium absque more dispendio prestent, et se ei tanquam catholico Regi et optimo protectori submittant, monendi et hortandi: premissa quoque necnon omnia et singula circa ea necessaria seu quomodolibet oportuna, etiam per edicta publica locis affigenda publicis, partibus illis circumvicinis, ex quibus sit verisimilis coniectura, quod ad ipsorum monendorum notitiam monitiones, requisitiones, exhortationes et alia premissa omnia et singula pervenire poterunt, felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra suam civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, et de duabus dietis in concilio generali, quibus et aliis in contrarium facientibus, quatenus opus sit, derogamus, faciendi, gerendi, ordinandi, exequendi, statuendi et ordinandi, etiam si mandatum exigerent speciale, et in generali commissione non venirent, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium facultatem elargimur et et etiam potestatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, Kalendis Martii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. bul. div. lib. II. fol. 57.

DCXIV.

Magister et fratres hospitalis S. Mariae Theutonicorum absolvuntur a iuramento regi Poloniae praestito, ut regi Hungariae faveant.

Sixtus episcopus etc. Dilectis filiis Magistro et fratribus hospitalis beate Marie Theotonicorum, salutem etc. Provisionis nostre debet provenire subsidio, ut persone, presertim sacre religioni dedite, ab excessuum patrationibus se abdicent: et ne propterea iacturis et incommodis afficiantur, convenit de protectore oportuno providere. Cum itaque, sicut facti evidentia demonstrat, quod dolenter referimus, Kazimirus Rex Polonie ac eius primogenitus perfidis et damnatis hereticis Bohemis adherere, eosque receptare, ac ipsis auxilium, consilium et favorem prestare, necnon dominia Carissimi in Christo filii nostri Mathie Hungarie et Bohemie Regis Illustris, adversus eosdem hereticos pro tutela fidei, pro salute patrie ac heresum illarum partium, que iampluribus annis prohdolor partes ipsas irrepserunt, enervatione in propria bella gerentis et similiter tunc absentis, invadere, fortilitia obsidere ac persequi non desinit, in grandem dei offensam ac universalis ecclesie grave scandalum et iacturam non levem, que tam publica atque notoria sunt, ut nulla possint tergiversatione celari. Unde nos cupientes, ne ad suos perversos et damnatos fines etiam cum alieno subsidio devenire possint, providere, sed, ut tanta exigunt demerita, rectitudinis tramite et animarum salute pretermisso turpiter dominandi gratia eos digne correctionis verbere castigare, vobis omnibus et singulis sub excommunicationis pena, quam quilibet vestrum contrafaciendo ipso facto incurrat, mandamus, quatenus deinceps etiam si per viam pacis, pacti initi seu concordie inter vos et eos introducte et forsan apostolica auctoritate confirmate astricti aut obligati essetis, que omnia et singula, etiam si iuramento vallata forent, vobis et cuilibet vestrum remittimus, et ab eis absolvimus et absolutos decernimus, ipsis Kazimiro ac primogenito nullum auxilium, consilium vel favorem quoquomodo prestetis seu prestare presumatis, sed eos et eorum quemlibet tanquam heresum fautorem hereticorumque receptatorem et defensorem vitetis, ac ab omnibus, quantum in vobis fuerit, vitari faciatis, processuri aliter adversus vos prout delicti qualitas exigeret. Et nichilominus, ut premissa liberius et commodius peragere, et monitiones necnon suasiones suas reprimere et repellere possitis, singulis personis, necnon locis, re-

bus et bonis, vassallis et subditis vestris quibuscumque, cuiuscumque qualitatis sint, prefatum Mathiam Regem, qui vi et armis, ut assolet, vos et vestra proteget et defensabit, in protectorem et defensorem ex certa scientia auctoritate apostolica tenore presentium damus et assignamus, iniungentes sibi in virtute sancte obedientie, ut personas vestras, res, bona, loca, vassallos et subditos huiusmodi sub sua protectione et defensione suscipiat, et ab aggressoribus, persecutoribus et invasionibus defenset, vosque benigne pertractet. Nulli ergo omnino etc. nostrorum mandati, remissionis, absolutionis, constitutionis et assignationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, Kalendis Martii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. bul. div. lib. II. fol. 61.

DCXV.

Declarantur excommunicati Casimirus et eius filius et fautores in regno Bohemiae.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoris eterne, qui pro salute humani generis se in precium imolari non abnuit, vices quamvis immeriti gerentes in terris, partes nostre solicitudinis adhibemus, ut ovibus nostre custodie commissis commoda pacis adveniant, et errantes ad semitas iustitie redeant, per quas gradientes vitam consequantur eternam, circa illos vero, qui dei et sedis apostolice mandatis et reverentia prorsus abiectis, hereses et hereticos ac eorum fautores perfidis damnatisque eorum conatibus amplecti et recipere moliuntur, sententiam veritatis amplectimur, quasi nos manus, oculus vel pes dexter scandalizaverit, a compage corporis prescindi mandatur, cum melius sit hiis membris carere in seculo, quam cum illis eterna suplicia introire. Sane sicut, quod tamen cum gravi cordis amaritudine et cum turbatione referimus, facti demonstrat notorietas, et id luce clarius existit, Kazimirus Rex Polonie ac Wladislaus eius primogenitus animarum suarum salutis, statusque et honoris immemores, perfidis et damnatis Bohemis hereticis, necnon ut tales legitime declaratis et publicatis adherere, eosque receptare, et consilium, auxilium vel favorem prebere et impendere, graviaque bella similiter in eorum subsidium et manutentionem, etiam adversus christifideles et catholicos, precipue Carissimum in Christum filium nostrum Mathiam Hungarie Regem Illustrem, iugi studio ac acuratissima indefessaque solicitudine iam etiam multis elapsis annis pro defensione fidei, pro truculentissimorum Turchorum reprobis ausibus comprimendis graves bellorum moles gerentem, inferre non desinunt in animarum suarum damnum et precipitium, fidei catholice obprobrium et lesionem, pernitiosumque exemplum et scandalum plurimorum. Nos igitur prohdolor scientes premissa ita fore vera, quod nulla possint tergiversatione celari, ac nolentes, prout nec velle debemus aut salva conscientia possumus, tam nefarios et odibiles excessus, temerariosque et detestabiles ausus relinquere impunitos, sed providere volentes, ut alii timore perterriti prosilire ad similia pertimescant, premissis facinoribus, delictis et sceleribus exigentibus, tam Kazimirum quam Wladislaum primogenitum predictos, necnon omnes et singulos eis et eorum cuilibet in premissis dantes auxilium, consilium vel favorem, seu qui dabunt quoquomodo imposterum, omnes et singulas sententias, censuras et penas in tales tam a iure, quam a Romanis pontificibus, predecessoribus nostris, sub quacumque verborum forma latas et promulgatas incurrisse, illosque irretitos et illaqueatos fore et esse, ex certa scientia auctoritate apostolica tenore presentium decernimus et declaramus. Nulli ergo etc. nostre constitutionis et declarationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum anno etc. MCCCCLXXI. Kalendis Martii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. bul. div. lib. II. fol. 60.

DCXVI.

Epo Zagrabiensi, ne Robertum de Claramonte Romam venire impediat.

Venerabili fratri Episcopo Zagabriensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Gravi cum querela nobis nuper fuit expositum, quod tua fraternitas dilectum filium Robertum de Claramonte ad Romanam Curiam venientem iniuste capi fecit et detineri, detinetque adhuc cum eius gravi incommodo et iactura. Quod si verum sit, laudabile non est, sed magna dignum reprhensione. Quocirca in virtute sancte obedientie expresse tibi per presentes mandamus, ut si ita sit, visis presentibus, eum libere relaxare debeas, ut suum iter

perficere possit. Nulli iter ad Curiam nostram, uti omnibus patet iustitia, est precludendum. Datum Rome apud S. Petrum etc. die VII. Martii MCCCCLXXII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. XIV. fol. 176.

DCXVII.

Nicolao electo Tiniensi indulgetur, ut a quocunque epo catholico consecrari possit.

Venerabili fratri Nicolao Electo Tiniensi.

SIXTUS PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Cum ad Carissimum in Christo filium nostrum Mathiam Hungarie etc. Regem illustrem, cuius orator apud nos fuisti, sis inpresentiarum reversus, et munus consecrationis cupias posse suscipere: nos tuis commoditatibus consulere cupientes, et supplicationibus, quas super hoc nobis porrexisti, in domino inclinati, ut a quocunque catholico antistite, gratiam et communionem apostolice sedis habente, munus consecrationis huiusmodi suscipere possis, auctoritate apostolica concedimus per presentes, constitutionibus apostolicis et ceteris in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XII. Martii MCCCCLXXII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. XIV. fol. 186.

DCXVIII.

Archiepo Colocensi et epo Quinqueecclesiensi Hieronymus Gandulfi civis Ianuensis enixe commendatur.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Collocensi et Episcopo Quinqueecclesiensi.

SIXTUS PP. IV. Venerabiles fratres, salutem etc. Cum dilectus filius Hieronymus Gandulfi civis Ianuensis, presentium exhibitor, familiaris noster, pro nonnullis suis negotiis isthuc se conferat, et ut nobis exposuit, sine vestro iusto presidio et favore ea peragere nequeat timore quorumdam inimicorum suorum, nos, qui dictum Hieronymum paterne amamus, cupientes eius securitati in domino providere, fraternitatem vestram hortamur attente, ut eidem Hieronymo familiari nostro efficacis favoris presidio adsistentes, non permittatis eum in locis vestris aliqua iniuria affici: quod nobis gratissimum fuerit. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XIII. Martii MCCCCLXXII. Pont. nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. XIV. fol. 186.

DCXIX.

Blasio de Glauniaza plebano S. Trinitatis de Moranza Zagab. dioec. indulgetur, ut post tres annos ad sacerdotium promoveri possit.

Dilecto filio Blasio de Glauniaza decretorum doctori, plebano plebis S. Trinitatis de Moranza Zagabriensis diocesis.

SIXTUS PP. IV. Dilecte fili, salutem etc. Devotionis tue sinceritas, vite ac morum honestas, aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno testimonio commendaris, merito nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Tuis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, ut occasione plebis S. Trinitatis de Moranza Zagabriensis diocesis, quam obtines, aut alterius cuiuscunque ecclesie beneficii per te imposterum assequendi, infra triennium, a data presentium computandum, ad ordinem presbiteratus promoveri non tenearis, dummodo infra annum; ab eadem data computandum, ad ordinem subdiaconatus promotus sis, auctoritate apostolica tenore presentium dispensamus; proviso tamen, quod plebs ipsa S. Trinitatis et alia beneficia, que te interim assequi contigerit, debitis propterea non defraudentur obsequiis, et animarum cura, si qua illis immineat, nullatenus negligatur, contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XIX. Martii MCCCCLXXII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. brev. lib. XIV. fol. 193.

DCXX.

Marco card. S. Marci legatio extenditur usque ad Daniae, Norvegiae et Svetiae regna.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Marco tituli sancti Marci presbitero Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Cum te ad nationem Alamanie ac totius Germanie, nec non singulas provincias, terras et loca eiusdem Germanie s. Romano Imperio subiecta, ac Hungarie et Polonie Regna pro nonnullis orthodoxe fidei, universalis ecclesie atque nostris arduis negotiis legatum nostrum, tamquam

pacis Angelum, de fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio presentialiter destinemus: nos attendentes, quod dilecti filii prelati, principes, barones, milites, nobiles et communitates Datie, Norvegie et Svetie Regnorum ad premissa peragenda, nec non in felicem et prosperum statum deducenda quam plurimum utiles esse poterunt, legationem tuam huiusmodi ad omnia Regna predicta, illarumque provincias, civitates, terras et loca extendimus et ampliamus per presentes, tibique ad illorum singulas partes, si opus fuerit et tibi videbitur, personaliter accedendi, et inibi cum prelatis, principibus, baronibus, militibus, nobilibus et communitatibus predictis quecumque ad fidei, ecclesie atque nostra negotia huiusmodi necessaria vel utilia tractandi, gerendi, faciendi ac disponendi, nec non singulis per nos in favorem legationis predicte tibi concessis, et imposterum forsan concedendis facultatibus, prout secundum deum ipsorumque Regnorum et partium predictarum statum et honorem videris expedire, libere utendi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXII. Quarto Nonas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. bul. div. lib. II. fol. 29.

DCXXI.

Eidem legato, ut omni, quo possit, modo inter reges Poloniae et Hungariae et magistrum fratresque hosp. S. Mariae Teutonic. componat pacem, et defectus iuris suppleat.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Marco tituli sancti Marci presbitero Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Cum te ad nationem Alamanie ac totius Germanie, nec non universas et singulas provincias, civitates, terras et loca eiusdem Germanie sacro Romano Imperio subiecta, ac Hungarie et Polonie Regna pro nonnullis arduis universalis ecclesie nec non orthodoxe fidei atque nostris negotiis legatum nostrum de latere, tanquam pacis Angelum, de fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio presentialiter destinemus, ac inter Carissimos in Christo filios nostros Mathiam Hungarie etc. ac Kazimirum Polonie Reges Illustres, dicti Regni Bohemie ac partium illi adiacentium occasione graves disceptationes, dissensiones et guerrarum turbines suborti sint, et nisi celeriter occurratur, maiora litium dispendia ac hominum strages in gravem catholice fidei lesionem, christianique populi iacturam et detrimentum non modicum cernantur prope futura: nos, ut pacis et quietis media inter eosdem Reges, ut premittitur, dissidentes adinvenire, iurgiaque et contentiones eo facilius et commodius sedare, ac infandas hereses, que iam pluribus annis Regnum et adiacentes partes huiusmodi labefactarunt atque infecerunt, extirpare et penitus extinguere valeas, quo fueris maiori facultate munitus, si idem Kazimirus Polonie Rex alicui honeste concordie tuo medio aut interventu condescendere, ac prefatum Mathiam Regem quietum et pacificum in ipsis Bohemie et Hungarie Regnis dimittere voluerit, et id tibi visum fuerit expedire, Circumspectioni tue omnes et singulos pacis tractatus, obligationes, astrictiones et federa inter prefatum Kazimirum Regem ac dilectos filios Magistrum ac fratres et milites hospitalis beate Marie Theotonicorum certorum civitatum, terrarum, fortilitiorum, locorum et dominiorum pretextu inita, et forsan iuramento, obsidibus et aliarum penarum adiectionibus vallata, quo ad temporalia dumtaxat specialiter in sua firmitate permanentia, nostro et sancte Romane ecclesie nomine ratificandi, approbandi et confirmandi, et omnes et singulos defectus tam iuris quam facti, si qui in illis forsan intervenerint, supplendi, nec non omnibus et singulis, quorum interest, sub adiectis et quibusvis aliis, de quibus tibi videbitur, etiam sententiis, censuris et penis, quas etiam aggravare et reaggravare, nec non brachii secularis circa id auxilium invocare possis, ut pacis tractatus, obligationes et fidem huiusmodi districte teneant et observent, mandandi, ceteraque omnia et singula circa premissa necessaria seu quomodolibet oportuna faciendi, pertractandi, gerendi, exercendi, ac etiam disponendi plenam et liberam tenore presentium facultatem elargimur et etiam potestatem. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXII. Kal. Maii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. bul. div. lib. II. fol. 70.

DCXXII.

Instructio pro eodem cardinali legato ad pacem et concordiam inter reges Hungariae et Poloniae reconciliandam.

Sixtus PP. Quartus.

Imprimis accedet Maiestatem Imperialem, cui post salutem et apostolicam benedictionem communicabit et exprimet desiderium Sm̃i D. N. Summi Pontificis tam circa factum Turchorum, quam Bo-

hemorum, videlicet ut expeditio in Turchos locum habeat, ad quod totis viribus intendit sua Sanctitas, et quod factum Bohemorum non impediat rem istam; declarabit insuper, quantum et quem apparatum faciat sua Beatitudo per mare contra hostes fidei, et in quo concurrant tam Serñus D. Rex Ferdinandus, quam Illñum Dominium Venetorum, et quod sit bene sperandum, dehortetur Maiestatem suam, ut det summo studio operam, quod conclusiones facte diligentia et vigilantia Maiestatis sue in dieta Ratisponensi habeant optatum effectum, et propter honorem Maiestatis sue et potius nationis Germanice, ne videantur verbis duntaxat insistere propter necessitatem incumbentem. Quod si Maiestas sua forte opponat dietam, quam petunt a Sño D. N. respondebit, ut sibi notum est, dietam Italicam nullius esse utilitatis, quod per dietam Italicam fieri potuisset, iam factum esse, armatam scilicet classem, que iam paratur, ideo non esse necessariam, neque utilem rem, talem dietam habere, nisi cum tempore aliqua universalis dieta in aliquo loco communi constitueretur communi Principum consensu, in qua pro negotio fidei omnes convenirent: et quia propter nimiam hostis potentiam hec etiam non sufficiunt, nec commode potest terrestris exercitus instrui, nisi Serñus Rex Hungarie sit in pace cum Serño D. Rege Polonie, et ob eam causam mittit precipue suam Dom. Sñus D. N. hortabitur in primis suam Maiest. ut velit esse in hoc bonus adiutor, sicut est sancte sedis apostolice constitutus advocatus, et circa hanc rem dignetur dare aliqua avisamenta, quia hec negotia multo tempore per se et suos tractavit ac practicavit, et quia vicinus est, singula novit; ad que non solum debet trahi, sed quibus potest modis ultro intendere et studere, cum ut videt, nisi in facto Turchorum aliquod adhibeatur remedium, nullus Princeps, nullum dominium in maiori constituetur periculo, quam sua Maiestas: ita tamen petet consilia sue Maiestatis, ut non sit obligatus ad sequendum ea, nisi quatinus videret bona esse, nec se offerre meliora.

In facto autem Bohemorum meminisse debet sua Serenitas, alias se scripsisse sancte memorie dño Paulo predecessori suo, cum Victorinus Austriam ingredi contenderet, ymo ingressus fuerat, ut sua Sanctitas scriberet omnibus Regibus et Principibus in Germania, et signanter Regi Hungarie, ac requireret, ut illi Victorino occurreret: alias autem dicebat, actum esse de Dominiis suis. Hortata fuit apostolica sedes eundem Hungarie Regem ad preces sue Celsitudinis, quod occurreret illi Victorino, prestaretque omnia que posset auxilia sue Maiestati, fecit, ut requisivit sua Sublimitas, idem Hungarie Rex. Nunc ergo, quando et fortuna non omnino arridet sibi, consulendum est aliquo bono medio, et per quem tam ecclesie Romane, quam Maiestati sue, et utrique Regi Hungarie et Polonie sit bene provisum, et tandem rebus inter eos compositis, illorum viribus unitis, intendatur contra communem hostem. Quod si Maiestas sua petat quid facturus sit Sanctissimus dominus noster pro sua Sublimitate, respondebit primo tempore Romanorum Cardinalium Sanctitatem suam creandorum rationem habituram honoris Germanice nationis.

Auditis avisamentis Maiestatis Imperialis, si concordant cum infradicendis, bene erit: servet tunc Instructiones sequentes, videlicet quod consistat in aliquo loco utrique Regi ad conveniendum per se aut oratores suos apto et idoneo, vel utrumque personaliter visitet, prout melius iudicaverit expedire. Quod si utilius iudicaverit eos accedere, procurabit mox caute vocare discretum Gabrielem de Verona ad Curiam Imperialem, et proponet ei causas et rationes, propter quas videtur magis conducere rebus Serenissimi domini Regis Hungarie, ut primo conferat se ad Regem Polonie, sciscitabitur mentem Regis Hungarie, et si fieri poterit, cum scientia illius et sine displicentia ibit prius ad Regem Polonie; si vero hoc displiceret dño Regi Hungarie, ibit primo ad eum, brevem moram cum ipso facturus.

In congressu cum Rege Hungarie declarabit sue Serenitati dilectionem et amorem, quo summus Pontifex et reverendissimi domini Cardinales eum amplectuntur, dolereque omnes de his adversitatibus suis, causamque sue missionis exponet, eam esse, ut bene consulatur sue Serenitati et rebus Bohemicis, aget preterea illi gratias de bene gestis per eum, audietque quid dicet, qui, ut verisimiliter creditur, conqueretur graviter de sede apostolica, de domino Imperatore et Rege Polonie: de primis duobus, quia fuerint causa, ut ipse hoc bellum Bohemorum aggrederetur, et nunc eum deserunt; de alio quod Christianus Princeps sine causa, imo contra ius et honestatem pro hereticis contra catholicos bellum sibi movet.

Ad que omnia respondendum est, eum non deseri: nam is, pro quo mittitur legatus, non videtur derelinqui, nec esse conquerendum de sede apostolica aut summis Pontificibus, quia felicis memorie dñus Paulus, quoad potuit, usque ad extremum vite sue diem eum iuvit, favit et pro viribus subvenit;

modernus quoque summus Pontifex usque in hanc diem pro sua Serenitate semper fecit; nam cum multa sint a sua Beatitudine contra eum petita, nichil hactenus concedere voluit, esseque sapientis et prudentis Principis omnia metiri secundum tempora et secundum illa distinguere et non sequi voluntatem.

Considerandam in primis in facto Bohemorum austeritatem et desperationem hereticorum, ut eum in Dominum nisi vi non recipiant, eorum potentiam auctam precipue ex assistentia Regis Polonie, debilitatem Catholicorum, inconstantiam multorum ex eis, de quibus habetur coniectura, ut partem suam deserant, et ad eius adversarium inclinent, discordiam intestinam in Regno suo, ingens periculum Turchorum toti Christianitati, sed sibi et Regno suo precipue imminens, nec est tutum hoc periculoso tempore bellis involvi, sed amplecti pacem, et hoc suadet apostolica sedes, hoc consulit summus Pontifex, nec existimet esse confidendum in treguis aut pace cum Turcho quesitis vel ultro oblatis, quia nulli unquam fidem servavit, minus sibi servaret, si faceret, quem capitalem habet hostem propter victorias contra eum per se et suos progenitores habitas propter iniurias illi sepenumero irrogatas.

Per ista et similia verba demulcendus est Regius animus, cavendum tamen, ut hec ita exponantur, ne videatur sedes apostolica ideo pacem suadere, ut nolit eum contra Bohemos iuvare; sed ita agendum, ut vel Rex sponte sua id petere incipiat, vel Paternitas sua per modum consilii et quasi querendo, quid magis expediat, huiusmodi sermonem introducere videatur, et si tandem ad pacem inducetur, poterunt media aperiri, que inferius sequuntur.

Item conabitur totis viribus pacare dñm Regem Hungarie cum suis prelatis et baronibus, ac omnes eorum dissensiones et intestina odia ac simultates de medio tollere, cum in hac re maxima pars propositi consistat; hinc enim precipue dependet vel pax vel victoria domini Regis Hungarie: et quia in hac re auctoritas dñi Archiepiscopi Strigoniensis plurimum valet, et in quamcumque partem iste inclinaverit, maximum afferet momentum, ideo animus eius in primis est demulcendus, et suis conqueratur de dignitate et honore suo: si vero dñs Rex hoc modo speret eum ad se allicere, et peteretur a Dom. sua dignitas Cardinalatus pro eo, respondebitur, ut supra Serño dño Imperatori, hac tamen conditione addita, ut remaneat fidelis et obsequens domino Regi suo. Ad hec omnia etiam avisamenta et consilia reverendi patris dñi Episcopi Ferrariensis Paternitati sue multum conferre poterunt.

Deinde visitabit serenissimum dominum Regem Polonie, illique declarabit statum verum christianitatis, et quantum sit periculosum hoc bellum, quod gerit cum Rege Hungarie, quantum doleat Sanctissimum dominum nostrum, quod sua Maiestas, quando ad regnum Bohemie fuit vocatus per catholicos et rogatus per sedem apostolicam, noluit attendere. Nunc autem, instantibus hereticis, arma assumpserit contra Regem Hungarie, esseque dubium belli eventum; propterea sapientis principis esse magis pace et concordia hanc differentiam componi, quam armis dimicare. Quod si poterit suaderi, ut concordia res terminetur, aperientur media pacis inferius recitanda, et illis deficientibus, et a partibus non acceptatis, offeratur aliud medium iustitie ministrande per Sanctissimum dominum nostrum, aut per viam arbitrii, ut infra in ultimo medio. Media autem, que tempori et necessitati convenire videntur, sunt hec, videlicet: Primo, quod fiant Treuge et Inducie ad aliquod bonum et longum tempus inter eos, cessent offensive omnes, interea retineant omnes, que hactenus ceperunt: dummodo vero durantibus Treugis, etiam volentes se ultro tradere ex obedientibus et parentibus neuter acceptet.

Aliud medium, quod per viam alicuius matrimonii fieret pax et unio inter eos, ut quod dominus Rex Hungarie duceret unam filiam domini Regis Polonie in coniugem cum retentione etiam tituli Regni ad vitam, si fieri posset, assignareturque id, quod idem Rex Hungarie obtinet in Moravia et Slesia, pro dote, et eo moriente, data certe pecunie quantitate eidem coniugi vel filiis eius, prout posset conveniri, eadem dominia debeant reintegrari cum regno Bohemie.

Si ex his duobus neutrum posset locum habere, queratur aliud, vel per avisamenta domini Regis, et domini Episcopi Ferrariensis, qui de his omnibus est informatissimus, et quem consulent in omnibus, dum ibi erit, aut per industriam eiusdem domini legati, dummodo de voluntate ipsorum duorum Regum fiat.

Et si ad hanc concordiam conficiendam pro aliqua recompensa facienda alteri ex eis essent necessaria bona temporalia, que fuerunt ecclesiarum in regno Bohemie, placet Sanctissimo domino nostro, ut idem dominus legatus possit de illis aliquam partem aut cum censu et recognitione aliqua, aut etiam sine aliquo censu donare: si vero fieri non posset, ut habeat facultatem disponendi de omnibus huiusmodi rebus, que olim fuerant ecclesiarum, nunc vero per laicos detentis.

Ceterum, quia multum institit serenissimus Rex Polonie pro conservatione concordie inter eum ac Magistrum et conventum religionis sancte Marie Theutonicorum inite, in qua sunt multi articuli valde preiudiciales eidem religioni, et per consequens sedi apostolice, sub cuius protectione est religio ipsa, et de cuius proprietate est totum ipsius patrimonium; nichilominus pro pace consequenda, et ut melius contra Turchum expeditio fiat, in eventum pacis, et non alias, contentatur Sanctissimus dñus noster, ut dictam pacem inter Regem et Magistrum et religionem antedictam, quoad temporalia dumtaxat, confirmet, et auctoritate sedis apostolice approbet: hoc tamen non faciat nisi ultimo, et post desperationem omnium aliorum mediorum, hoc est cum forte videtur, pacem predictam alias concludi non posse, et cum hac iustificatione, ut dominus Rex Polonie propter hoc prestet favores suos contra Turcos.

Ultimo, si omnia media deficient, quod Deus avertat, tractet dominus legatus, quod hec omnis contentio ponatur in manu et facultate Sanctissimi domini nostri terminanda iure vel concordia, quod si fieri non posset, ad minus deputentur, arbitri communi voluntate partium electi duo, in quos simul partes conveniant, aut si convenire non poterunt, una partium eligat unum, et quod ipsi duo statuent, id firmum maneat: quod si ambo non poterunt concordare, summus Pontifex det tertium, cum quo si duo aut unus ex duobus convenerint et sententiaverint, ratum habeatur.

Et tandem omnibus predictis deficientibus, declaret dominus legatus domino Regi Polonie, Sanctissimum dominum nostrum et apostolicam sedem non debere, nec posse pati, ut duo Reges tam potentes et infidelibus vicini ac tempore tam periculoso sese mutuo offendant et impetant, ex quorum bellis posset maximum damnum christianis provenire; interesseque apostolice sedis, summum pontificem eos a bellis prohibere etiam invitos, et per censuram et alia iuris remedia providere. Erit finaliter necessarium, ut eis et similibus remediis utatur contra eum, per quem stabitur, quo minus pax locum habeat modo et forma, quibus eidem domino legato domini Regis Hungarie videbitur.

Insuper, ut dum pax inter Reges christianos queritur opera summi Pontificis, etiam salus christianorum a sancta matre ecclesia aberrantium non omittatur, studebit pro viribus suis idem dominus legatus, quando aliqua pax vel concordia cum domino Rege Hungarie etiam de Regno Bohemie debeat fieri, ut et dominus Rex Polonie et filius eius, qui se pro Rege Bohemie gerit, obliget se, ut dictos hereticos omnibus modis, tam predicationibus, quam exhortationibus et aliis, quibus poterit, ad veram fidem et ritum Romane ecclesie reducat: catholicis autem favebit, nec prestabit iuramentum, aut promissionem aliquam, ut dictos hereticos velit in suis ritibus defendere, et cum eis promissionibus poterit dominus legatus eam acceptare et remittere ad sedem apostolicam. Ea hec et alia cum eo per reverendissimam dominationem suam tractata, ut puta de ecclesiis cathedralibus erigendis, et dotibus earum restituendis, et prelatis preficiendis et aliis similibus, denuo promittat solemniter, et recipiatur in Regem.

Ex Reg. orig. An. I. var. instr. lib. CXXII. fol. 51.

DCXXIII.

Regi Hungariae, ut, semotis inter suos discordiis, Turcas repellat.

Carissimo in Christo filio nostro Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Putamus Serenitatem tuam persuasum habere, maxime ad nos pertinere, ut ubique inter christianos bona pax vigeat, presertim in his locis, et apud eos, penes quos intersit tutele et securitatis adversus nefandos conatus Turchorum, qui ex pessima...ut iamiam ad latera Italie videantur. Audimus inter dilectos filios comites Crovatie diuturnam discordiam eo iam crevisse, ut occasionem non modicam prebeant, ne per Turchos maiora scandala oriantur: itaque occurrendum huic discrimini deliberantes, mittimus ad eos dilectum filium Prosperum Camulium, notarium nostrum apostolicum et familiarem ac continuum commensalem nostrum, quem putamus etiam Serenitati tue fidum esse. Mandamus ei, ut hanc curam toto studio suscipiat, donec tua Serenitas, ut decet, aliud remedii invenerit: propterea hortamur ipsam tuam Serenitatem, ut iis nostris acceptis, et pro eo, quod putamus etiam ad te pertinere, de pace inter tuos, et intercludendis omnibus viis hostibus Christi, etiam intuitu nostro velis aliquem eo mittere, qui hanc operam sanctam et salutarem adiuvet et perficiat; habet enim ipse Prosper a nobis in mandatis tantum ibi in hoc moram facere, donec tu illi scribas, quod videtur de ipso, an ibi usque ad opus perfectum maneat, an ad nos relicto in manibus tuorum opere rever-

tatur. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxx. Augusti 1472. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. brev. lib. XIV. fol. 368.

DCXXIV.

Marco card. S. Marci legato facultas concordiam inter reges Hungariae et Poloniae ineundam auctoritate apostolica approbandi conceditur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio nostro Marco etc. ut supra Nro. dcxxi. usque s. Rom. eccl. Cardinalium consilio et assensu destinaverimus, ac inter Carissimos in Christo filios nostros Mathiam Hungarie etc. ac Kazimirum Polonie Reges Illustres, dicti regni Bohemie ac partium illi adiacentium occasione, graves dissensiones ac guerrarum turbines suborti sint, et nisi celeriter occuratur, maiora dispendia ac hominum strages in gravem fidei catholice lesionem, christianique populi iacturam et detrimentum non modicum cernantur prope futura: Nos, ut pacis et concordie media inter eosdem Reges, ut premittitur, dissidentes adinvenire, discordiasque eo facilius et commodius sedare, ac damnatas hereses, que iam pluribus annis Bohemie regnum et adiacentes partes huiusmodi labefecerunt atque infecerunt, extirpare et penitus extinguere valeas, quo maiori fueris a nobis facultate munitus, Circumspectioni tue, cuius industria, prudentia et sollicitudine pacem et concordiam huiusmodi, cohoperante domino, ad optatum finem perduci, turbationesque predictas e medio tolli non ambigimus, si pro tanta bellorum mole sedanda Reges ipsi, consentientibus ad hoc Bohemie regni prefati baronibus catholicis, ad talem concordiam deveniant, quod Carissimus in Christo filius noster Wladislaus, prelibati Kazimiri Regis Polonie primogenitus, regnum Bohemie predictum insolidum aut pro parte retineat, eoque pacifice potiatur, omnes et singulos pacis et concordie tractatus inter prefatos Reges negotium predictum concernentes, iam forsan initos vel ineundos, nostro et sancte Romane ecclesie nomine ratificandi, approbandi, confirmandi, ac defectus omnes et singulos tam iuris quam facti, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplendi, necnon omnibus et singulis, quorum interest, sub adiectis et quibusvis aliis, de quibus tibi videbitur, etiam sententiis, censuris et penis, quas etiam aggravare et reaggravare, necnon brachii secularis circa id auxilium invocare possis, ut pacis et concordie tractatus huiusmodi districte teneant et observent, mandandi, ceteraque omnia et singula circa premissa necessaria seu quomodolibet oportuna faciendi, pertractandi, gerendi et exercendi, ac etiam disponendi plenam et liberam tenore presentium elargimur et concedimus facultatem. Datum Rome apud sanctum Petrum anno etc. mccccLxxii. quinto Id. Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. bul. div. lib. II. fol. 71.

DCXXV.

Eidem de pace inter praedictos reges reconcilianda.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio nostro Marco tituli sancti Marci presbitero Cardinali, in partibus Germanie, Hungarie et Polonie nostro et apostolice sedis legato, salutem etc. Veniens a Circumspectione tua ad nos dilectus filius Leonardus de Perusio, sacri nostri palatii magister, retulit, ipsam tuam Circumspectionem preter indutias, quas inter Carissimos in Christo filios nostros Hungarie et Polonie Reges Illustres diligenter ac sapienter feceral, indixisse etiam Nisse dietam, ut convenientibus ibi Regum ipsorum et aliorum principum oratoribus, de pace perpetua inter eos componenda tractari, tranquillitati Regnorum consuli, christiane reipublice defensioni commode prospici posset. Supervenerunt postmodum littere tue, que totius rei seriem latius et manifestius explicabant: eas nos cum iucunditate legimus et in concistorio recitari fecimus. Omnibus vehementer placuit consilium factumque tuum, omnes uno ore prudentiam magnanimitatemque tue Circumspectionis magnopere laudarunt: nos vero imprimis eo pacto pacem ipsam tam optatam, tam utilem, tamque necessariam inter Reges ipsos sanciri posse speramus. Quare te, dilectissime fili, in domino benedicimus, pro nostro ardenti future pacis desiderio hortamur, ut toto pectore ad celebrandam dietam, ad pacem conficiendam incumbas, nichil monendo et suadendo omittas, pericula tam privata, tam publica ante oculos omnium ponas: quantum boni in pace, quantum in discordia mali sit, explices, obtesteris per dei et apostolice sedis reverentiam, ut concordiam, seposita omni contentione, servent. Maximum nobis ex pace gaudium, maximum emolumentum rebus ipsis, maxima christianitati utilitas, non mediocris honos Circumspe-

etioni tue accedet. Si vero, quod misericors deus sua pietate avertat, tua opera effici pax non posset, volumus Reges eosdem auctoritate nostra moneas, ut ad nos suos oratores sufficienti mandato suffultos intra trimestre a die mandati facti eis mittant, et usque ad ipsorum oratorum reditum ab armis belloque cessent: in nullo enim, domino auctore, deesse volumus Regum ipsorum tranquillitati et reipublice christiane saluti. His peractis poteris ad nos cum dei et nostra benedictione redire, presentia enim tua sedi apostolice utilis et necessaria est. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXXII. (Duodecimo Kal. Februarii.) Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. bul. div. lib. II. fol. 29.

DCXXVI.

Eidem legato quaedam facultates conceduntur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Marco tituli sancti Marci presbitero Cardinali, in Alamania ac totius Germanie, nec non universis et singulis provinciis, civitatibus, terris et locis eiusdem Germanie sacro Romano Imperio subiectis, ac Hungarie et Polonie Regnis apostolice sedis legato, salutem etc. Cum nos pridem pro nonnullis arduis christiane religionis negotiis ad Germaniam ac Hungarie, Polonie et Boemie Regna legatum de latere duxerimus destinandum, nos cupientes, ut tu, qui pro munere legationis huiusmodi adimplendo iam ad partes illas te contulisti, et in illis resides de presenti, erga personas benemeritas te possis reddere gratiosum, Circumspectioni tue cum quibusvis personis ecclesiasticis infra limites tue legationis consistentibus secularibus, ut quecumque duo secularia curata seu alias invicem incompatibilia, et regularibus, ut quecumque duo regularia beneficia ecclesiastica, et cum hiis, qui etatis defectum paterentur, ut cum primum vicesimum tertium eorum etatis annum attigerint, ad presbiteratus ordinem alias rite se promoveri facere, et in illo etiam altaris ministerio ministrare, ac beneficium ecclesiasticum seculare, si seculares, et sui ordinis regulare, si regulares fuerint, cum cura etiam, si secularia, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, et dignitates ipse in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, aut collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, seu parrochiales ecclesie vel earum perpetue vicarie, regularia vero, prioratus, preposituare, administrationes vel officia fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si eis alias canonice conferantur, eligantur, presententur, vel alias assumantur ad illa, seu instituantur, in eis recipere, et seculares secularia in titulum, regulares vero persone predicte ex regularibus beneficiis huiusmodi unum in titulum, et cum eo reliquum in commendam quoad vixerint retinere, illaque omnia simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, totiens quotiens eis placuerit, dimittere, et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia, beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica huiusmodi etiam recipere, et etatis defectum patientes unum, relique vero persone predicte duo dumtaxat, quoad vixerint, ut prefertur, secularia in titulum, et ex regularibus unum in titulum et reliquum in commendam, dummodo in commendam retinendum beneficium huiusmodi prioratus conventualis aut officium claustrale non existat, quoad vixerint, retinere libere et licite valeant, etatis premisse defectu, ac Lateranensis et generalis conciliorum et aliis apostolicis constitutionibus, nec non ecclesiarum, in quibus secularia, et monasteriorum vel aliorum religiosorum locorum, in quibus regularia beneficia huiusmodi forsan fuerint, et a quibus illa dependere contigerit, ac illorum ordinum iuramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, dispensandi auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXII. Duodecimo Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. bul. div. lib. II. fol. 28.

DCXXVII.

Archiepõ Colocensi indulgetur, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum retinere possit.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Gabrieli Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque, sicut

exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, fructus, redditus et proventus mense tue archiepiscopalis Colocensis in confinibus Turchorum existentes propter guerras, que in partibus illis iamdiu viguerunt, prout vigent de presenti, adeo diminuti existant, quod tu castra ecclesie ad ecclesiam Colocensem, cui preesse dignosceris, pertinentia, que etiam Turchis sunt finitima, defendere et iuxta exigentiam tui status ex dictis fructibus te decenter substentare, ac gentibus armorum, quas pro defensione regni Hungarie contra Christi nominis inimicos cum exercitu Carissimi in Christo filii nostri Mathie Hungarie Regis illustris tuis propriis sumptibus de necessitate tenere cogeris, satisfacere minime valeas: Nos tibi de alicuius subventionis auxilio providere, teque gratioso favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut una cum dicta ecclesia quodcunque beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, seculare vel cuiusvis ordinis regulare, etiam si seculare, dignitas in cathedrali, etiam metropolitana, post pontificalem maior, seu in collegiata ecclesia principalis, regulare vero, monasterium seu Abbatia, prioratus, prepositura, dignitas, personatus, administratio vel officium, ac prioratus seu dignitas conventualis et officium huiusmodi claustrale fuerit, et ad illum, illam vel illud consueverit quis per electionem assumi, eique cura immineat animarum, si tibi alias canonice conferatur aut commendetur, seu eligaris, presenteris vel assumaris ad illud, recipere et in commendam quoad vixeris retinere, nec non eidem commende simpliciter vel ex causa permutationis, quotiens tibi placuerit, cedere, et loco dimissi aliud simile vel dissimile beneficium ecclesiasticum seculare vel regulare, aut monasterium seu Abbatiam similiter recipere, et eandem in commendam etiam quoad vixeris retinere, ac beneficii seu monasterii sive Abbatie huiusmodi debitis et consuetis supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicuti illud pro tempore obtinentes de eis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti beneficii seu monasterii sive Abbatie tibi penitus interdicta, libere et licite valeas, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesie, in qua seculare, necnon monasterii seu regularis loci, in quo regulare beneficium huiusmodi forsan fuerit, seu a quo illud dependere contigerit, et ordinis, cuius fuerit, statutis et consuetudinibus iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia dispensamus; proviso, quod beneficium seu monasterium sive Abbatia huiusmodi debitis propterea non defraudetur obsequiis, et animarum cura, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, sed eis congrue supportentur onera antedicta. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, pridie Id. Aprilis. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. bull. div. lib. III. fol. 383.

DCXXVIII.

Sixtus archiepiscopo Patracensi in Urbe, ut Ioannem Renechey presbytero Cenadiensis dioec. absolvat, et super irregularitate cum eo dispenset

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Symoni Archiepiscopo Patracensi in Urbe commoranti, salutem etc. Solet sedes apostolica pia mater recurrentium ad eam cum humilitate personarum statui benigne consulere, et cum id devote petierint, erga illas pietatis gremium apperire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Ladislai Renechey, presbiteri Cenadiensis diocesis, petitio continebat, quod elapsis iam quinque annis vel circa ipse Iohannes fervore devotionis accensus, cum ad visitandum limina beatorum apostolorum Petri et Pauli Romam venisset, et deinde suscepta indulgentia ad partes pro nonnullis negociis suis rediret, et dilectum filium Iohannem de Pankotza, tunc Vicarium Archiepiscopi Batiensis et Episcopi Cenadiensis in spiritualibus generalem visitasset, ac deinde iter versus domum suam continuaret, cum ad villam Appathfalva nuncupatam prefate diocesis applicuisset, et inibi noctis tempore in certo hospitio pernoctaret, nonnulli latrones, qui eundem Iohannem pecunias et vestimenta et alia ornamenta habere antea notaverant, furtive domum et locum, in quibus ipse Iohannes Ladislai quiescebat, intrarunt, et subito raptis bonis, que ipse Iohannes secum tunc habebat, ac eo in lecto nudo existente evaginatis ensibus, quos tunc secum deferebant, unus ad caput, alter ad pedes usque ad habundantis sui sanguinis effusionem, a planta pedis usque ad verticem capitis eundem Iohannem Ladislai vulnerarunt, ac hostium camere, in qua ipse Iohannes Ladislai conquiescebat, ut prefertur, catena ferrea vecta nuncupata, ut nemo eum iuvare posset, clauserunt; sed tandem magno facto clamore dictus Iohannes Ladislai nudus evasit, quidam vero laici et officiales ville

de Latorian latrones predictos cum rebus ablatis huiusmodi apprehenderunt, et illos carcerari et detineri, ac prefatum Iohannem ad recognoscendum res et bona sua predicta vel negandum vocari fecerunt, qui cum res et bona huiusmodi sua esse dixisset, mox tunc dominus temporalis dicte ville ipsum Iohannem capi et detineri iussit, ut iuxta consuetudinem illius patrie, que corruptela dici potest, et que eidem Iohanni incognita erat, latrones predictos manibus suis previa sententia iudicis suspenderet, vel si recusaret, et illos dimitteret, aut iudicis sententiam infringeret, ipse tunc manibus latronum eorundem suspenderetur: ipse vero Iohannes homicidio huiusmodi se immiscere renuens, prefatum dominum temporalem ac officialem maximis precibus lamentabiliter rogavit, et a multis aliis personis inibi presentibus rogari fecit, quod cum ipse Iohannes presbiter esset, eum ad homicidium huiusmodi committendum non arctaret, sed ipse iudex nec ipsius Iohannis, nec pro eo rogantium preces admittere, nec a suo mandato predicto desistere voluit; ipse vero Iohannes gentibus iudicis predicti mixtim paganis et christianis circumdatus, et pro redimenda vita coactus, predictos latrones sententialiter morti iudicatos laqueo suspendit, irregularitatem contrahendo, et exinde a divinorum celebratione et immixtione cessavit, donec et quousque bone memorie Laurentius Episcopus Ferrariensis, tunc in partibus Bohemie apostolice sedis nuntius cum potestate legati de latere, habens ad hoc, ut asserebat, a sede predicta specialem per illius litteras facultatem, illius vigore eundem Iohannem a reatu predicto absolvit, et secum super irregularitate predicta certo modo dispensavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipse Iohannes facultatem predictam dicto Episcopo concessam ad absolutionem et dispensationem huiusmodi minus sufficientem esse, et ad illas se non extendere intellexerit, ac de premissis ab intimis doleat, nec in illis aliter quam, ut premittitur, culpabilis fuerit, cupiatque in suis ordinibus, etiam in altaris ministerio, altissimo famulari, pro parte dicti Iohannis, qui, ut asserit, magna paupertate laborat, nobis fuit humiliter supplicatum, ut statui suo, ne in obprobrium sacerdotalis ordinis, in quo constitutus existit, mendicare cogatur, oportune consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sedis predicte clementia non consuevit penitentibus veniam denegare, ac volentes dictum Iohannem, alias apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictum Iohannem, si id humiliter petierit, a reatu predicto ac penis, quas propterea forsan incurrit, auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, ac secum super irregularitate, quam premissorum occasione contraxit, ut ea non obstante, in susceptis per eum ordinibus et post biennium in dicto altaris ministerio ministrare, ac quecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura invicem compatibilia, etiam si fuerint dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, dummodo dignitates ipse in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, aut collegiatis ecclesiis principales non sint, et ad illa consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si sibi alias canonice conferantur, aut eligatur, presentetur vel assumatur ad illa, seu instituatur in eis, recipere et retinere, illaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quotiens sibi placuerit, dimittere et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia, beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica invicem compatibilia etiam recipere et retinere libere et licite valeat, premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesie vel ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, eadem auctoritate dispenses, aboleasque omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum premissorum occasione contractam. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice MCCCCLXXIV, octavo Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. bul. div. lib. XIX. fol. 277.

DCXXIX.

Epo Vesprimiensi committitur, ut privilegia fratrum Minorum in regno Hungariae hactenus observata confirmet.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi, salutem etc. De benignitate sedis apostolice provenire consuevit, ut iis, que ab ea processerunt, auctoritas maneat inconcussa, illa,

quociens expedit, approbare, et viribus perpetuo subsistere debere decernere, prout locis, temporibus et causis id conspicit in domino salubriter expedire. Hinc est, quod nos Carissimi in Christo filii nostri Nicolai Regis Bosne Illustris, ac dilectorum filiorum vicarii et fratrum ordinis Minorum de observantia in Regno Hungarie in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnia et singula privilegia eisdem fratribus per Romanos pontifices predecessores nostros concessa, illis coram te prius exhibitis, si et prout iusta et honesta ac hactenus inviolabiliter observata fuerint, auctoritate nostra approbes et confirmes, ac viribus perpetuo subsistere debere decernas, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, tertiodecimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. bul. div. lib. XI. fol. 104.

DCXXX.

Epo Albensi, ut causam Emerici de Zapolya comitis Scepusiensis contra Iob de Gara sine strepitu iudicii debito fine decidat.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Albensi, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Emerici de Zapolya Comitis Scepusiensis Strigoniensis diocesis peticio continebat, quod cum alias ipse Comes et dilectus filius nobilis vir Iob de Gara domicellus Quinqueecclesiensis diocesis inter se quamdam compositionem inter alia continentem, quod ipsi se hinc inde ipsorumque familiares in omnibus et singulis tam prosperis quam adversis agendis negociis et factis congruis et honestis, illis duntaxat exceptis, que honori Regie Maiestatis et sacre corone Regni Hungarie derogarent, aut factum et utilitatem dicte Regie Maiestatis, Regnique publicum et commune bonum impedirent, contra et adversus quosvis ipsorum emulos et adversarios, in detrimentum personarum et bonorum ipsorum machinantes, non parcendo laboribus et expensis in iudicio et extra iuvare, protegere et tueri, ac se vicissim in honore et honestate ac bonorum augmentatione, distractorumque et alienatorum recuperatione omni favore et subventione prosequi et sustentare deberent ac tenerentur, se ipsos fide christiana media sponte et libere obligarunt, et in huiusmodi obligationis seu confederationis efficacissimam evidentiam ambe partes voluerunt, ut si aliquam earundem partium prius ab hac luce sine heredibus masculis decedere contingeret, ex tunc omnia Castra, loca, bona, iura et res alie ad illam spectantes ad partem superviventem et eius heredes devolvi et pertinere deberent, inivissent, et deinde quibusdam Polonis et aliis ipsius comitis emulis Terras eiusdem comitis obsidentibus et devastantibus ac agros et villas depopulantibus, idem Iob per dictum comitem, ut sibi super hiis opem, auxilium et favorem iuxta composicionem huiusmodi ferret et exhiberet, requisitus, contra fidem a se prestitam temere veniendo, id facere recusasset, et propterea idem comes damna gravia passus fuisset, idem comes, prefatum Iob super hoc inter alia petendo, eum condemnari et compelli ad observationem compositionis huiusmodi, et alias sibi in premissis iusticie complementum exhiberi, coram Venerabili fratre nostro Michaele Episcopo Milchoviensi, Vicario Capituli ecclesie Strigoniensis, illa tunc pastore carente, cum Archiepiscopus Strigoniensis pro tempore existens in partibus illis apostolice sedis legatus natus existat, legationis huiusmodi vigore traxit in causam, et idem Michael Episcopus in causa ipsa, reiectis quibusdam frivolis exceptionibus pro parte ipsius Iob propositis, rite procedens causam ipsam ad forum ecclesiasticum spectare per suam sententiam declaravit, a qua dictus Iob ad sedem appellavit antedictam, et super appellatione huiusmodi apostolicas ad Episcopum Vesprimiensem et lectorem ecclesie Albeeregalis Vesprimiensis diocesis, eorum propriis nominibus non expressis, sub certa forma litteras impetravit, et deinde dictum comitem coram dilectis filiis Iohanne de Milen et Benedicto de Chepel canonicis ecclesie Vesprimiensis, quibus Venerabilis frater noster Albertus Episcopus Vesprimiensis et dilectus filius Mathias Bodo lector dicte ecclesie Albeeregalis super hoc commiserant vices suas, litterarum et commissionis earundem pretextu fecit in causa dicte appellationis ad iudicium evocari. Et quia Iohannes et Benedictus prefati in causa ipsa rite procedentes, illam ad forum ecclesiasticum spectare per suam sententiam declararunt, eamque, prout debebant, ad dictum Michaelem Episcopum Venerabilis fratris nostri Iohannis Archiepiscopi Strigoniensis in spiritualibus Vicarium generalem remiserunt, idem Iob ad sedem predictam appellavit, et ut creditur, per eamdem sedem causa appella-

tionis huiusmodi in Curia Romana committi obtinuit, licet, cui commissa sit, idem comes noticiam adhuc non habeat. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ipse comes in Regno predicto ac expedicione contra Turchos fidei christiane immanissimos inimicos, ac partes illas non mediocriter devastantes viceregia utatur, et cum numeroso exercitu eisdem Turchis resistere intendat ac paratus existat, et si causa ipsa in dicta Curia agitaretur, ipse comes aut illam deserere, aut ut illius defensioni assistere posset, a sancto proposito ac tam necessaria expedicione contra Turchos huiusmodi averteretur, illaque propterea retardaretur, pro parte eiusdem comitis nobis fuit humiliter supplicatum, ne ipse dictam causam deserere cogatur, aut propositum et expedicio huiusmodi impediantur sive retardentur, ut appellacionis predicte et omnes alias et singulas, quas ? premissorum occasione ipse Iob contra dictum comitem, quibuscunque palacii nostri causarum auditoribus, prelatis sive aliis commissariis in dicta Curia per sedem prefatam forte commissas, ad nos advocare, et attento, quod iidem Iohannes et Benedictus appellacioni huiusmodi tamquam frivole non detulerunt, et ut creditur, per procuratores dicti comitis in principali negocio coram dicto Michaele Episcopo contra prefatum Iob procedatur, et forte iam diffinitiva sententia lata extiterit, casu quo diffinitiva sententia tempore presentacionis harum litterarum faciende lata non fuerit ultime appellationis predicte, sive in dicta Curia commissa sit, ut prefertur, sive non, alicui prelato in partibus illis committere, ita quod si ei constiterit, causam ipsam ad forum ecclesiasticum spectare, illam ad prefatum Michaelem Episcopum remittat, et eo casu eidem Michaeli Episcopo, ut apostolica auctoritate in causa ipsa ad ulteriora procedat, illamque debito fine decidat, mandare; casu vero quo per dictum Michaelem diffinitiva sententia, ut prefertur, in causa ipsa lata, et ab illa sive per Iob sive per comitem predictos appellatum foret, causam appellationis huiusmodi prefato prelato in partibus illis audiendam et fine debito terminandam committere, aliasque ei in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque prefatum comitem a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus forsan quomodolibet innodatus vel irretitus extitit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, omnesque et singulas causas per predictam sedem ad instantiam dicti Iob contra prefatum comitem premissorum occasione in dicta Curia quibusvis palacii predicti auditoribus, prelatis sive commissariis forsan commissas, habentes illarum statum presentibus pro sufficienter expresso, ad nos advocantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem auditoribus, prelatis sive commissariis, et aliis, quibus fuerit inhibendum, et ne in causis predictis ad ulteriora procedant, sub censuris ecclesiasticis inhibeas: nos enim ex nunc decernimus irritum et inane quicquid per auditores, prelatos sive commissarios aut alios predictos post inhibitionem eis per te factam scienter vel ignoranter in dictis causis contigerit attemptari. Et si tempore presentacionis litterarum tibi faciende per prefatum Michaelem Episcopum diffinitiva sententia lata non fuerit, statu cause coram illo forsan pendentis etiam habito pro sufficienter expresso, vocato dicto Iob et aliis, qui fuerint evocandi, si causa dicte appellacionis sive in Curia predicta iam commissa sit, sive non, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, procedas. Et si tibi principale negocium huiusmodi ad forum ecclesiasticum constare legitime constiterit, illud, appellatione remota, ad prefatum Michaelem Episcopum remittas, cui dicto casu, ut in eo ad ulteriora etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, auctoritate nostra procedat, illudque fine debito terminet, mandamus; si vero per Michaelem Episcopum prefatum in dicta causa diffinitiva sentencia, ut premittitur, lata fuerit, et ab illa sive per Iob sive per Comitem prefatos appellatum extiterit, causam appellationis huiusmodi etiam summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audias, et appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Non obstantibus, si citatio et inhibitio per auditores, prelatos sive commissarios, quibus dicta causa in eadem Curia ante litterarum huiusmodi presentacionem tibi factam processum extiterit, nec non felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iuditium evocetur, seu ne iudices a sede prefata deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra

quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere presumant, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac concilii generalis de duabus dietis, aut si Ioh prefato vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iuditium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, decimo septimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. bull. div. lib. XIX. fol. 475.

DCXXXI.

Indulgentia fidelibus visitantibus et adiuvantibus ecclesiam B. Mariae Virg. in oppido Corona alias Brascho Strigon. dioec. conceditur.

Sixtus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Virgini gloriose etsi nequeamus debitas condignasque reimpendere gratiarum actiones, cum ad eius magnitudinem meritorum vox humana non pertingat, nec etiam angelica suis ineffabilibus meritis equalia laudum referre preconia sufficiat, cupimus tamen eandem Reginam celi super choros angelorum exaltatam, que unigenitum dei filium salvatorem nostrum dominum Iesum Christum concepit, in utero baiulavit atque peperit, omni amplitudine et integritate devotionis venerari atque ad ipsius iugem reverentiam, presertim locis sue commemorationi dedicatis, tanto frequentius et ferventius Christifideles incitare, quanto se noverint uberioris spei munimine copiosiorisque gracie prerogativa communitos. Cum itaque, sicut accepimus, in diocesi Strigoniensi sit quoddam insigne et notabile opidum Corona alias Brascho nuncupatum, quod temporali ditioni Carissimi in Christo filii nostri Mathie Ungarie Regis Illustris subditum, ac in confinibus christianitatis et in metis infidelium terre Valachie situatum est, in quo quidem opido tam Valachorum, Armenorum, Bulgarorum et Grecorum, quam aliorum infidelium copia una cum ipsis christianis in ipso opido degentibus morari solet, quorum nonnulli plerumque, prout sepius contingit, gratia divina inspirati, ad Baptismi gratiam ac fidem catholicam, a veteri sorde et macula lavari cupientes, concurrunt, fueritque dictum opidum sepenumero, etiam ab ipsis sevissimis Turchis crucis Christi inimicis, totaliter combustum, desolatum et annichilatum, omnibusque fere bonis temporalibus spoliatum, ac sit etiam in eodem opido quedam parrochialis ecclesia in honorem et sub vocabulo beate Marie Virginis, opere magnifico et non modicum sumptuoso de lapidibus quadratis construi incepta, que sine magno Christifidelium suffragio nullatenus valet perfici, nec libris, clenodiis, calicibus et paramentis, quibus etiam aliquando per dictos infideles spoliata extitit, condigne fulciri et ornari: Nos cupientes, ut ecclesia ipsa in huiusmodi suis structuris et edificiis debite perficiatur, conservetur et manuteneatur, ac libris, clenodiis, calicibus et paramentis ornetur et fulciatur, et Christifideles ipsi eo libentius devotionis causa ad ipsam ecclesiam confluant, et ad illius conservationem, ornamentum et fulcimentum manus liberalius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis utriusque sexus Christifidelibus undecunque venientibus, qui ecclesiam ipsam in festo visitationis eiusdem beate Marie Virginis et duobus precedentibus ac duobus aliis festivitatem ipsam immediate sequentibus diebus devote visitaverint annuatim, et ad eius constructionem, reparationem, manutentionem, ornamentum et fulcimentum huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quotiens et pro singulis vicibus, quibus id fecerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus, et nichilominus, ut ipsi fideles ad ecclesiam ipsam confluentes conscientie pacem et animarum salutem, deo propitio, consequantur, necnon indulgentie huiusmodi facilius participes esse valeant, benignius agere volentes, dilecto filio Iohanni Rivdel moderno et successoribus suis dicte ecclesie plebanis pro tempore existentibus quindecim confessores idoneos seculares vel regulares, qui eorundem fidelium ad ecclesiam predictam causa indulgentie huiusmodi consequende diebus predictis, aut altero eorum confluentium confessiones audire, eisque diligenter auditis pro commissis per eos excessibus et peccatis, etiam in singulis casibus episcopalibus, debitam absolutionem eadem auctoritate in forma ecclesie consueta impendere et penitentiam salutarem iniungere valeant, deputandi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem, presentibus perpetuis futuris temporibus va-

lituris. Volumus autem, quod si alias ecclesiam ipsam visitantibus et ad constructionem, reparationem, manutentionem, ornamentum et fucilmentum huiusmodi manus adiutrices porrigentibus, aut inibi pias elemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, tertiodecimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. bul. div. lib. VI. fol. 424.

DCXXXII.

Stephanus Iztro lector Bachiensis a reatu homicidii absolvitur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Stephano de Iztro Lectori ecclesie Bachiensis, salutem etc. Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum libenter se propitiam exhibet et benignam. Nuper siquidem nobis, presente Carissimo in Christo filio nostro Nicolao Rege Bosne Illustri, cuius Cancellarius existis, exposuisti, quod cum alias quondam Benedictus Werwgatz laicus et Nobilis Colocensis diocesis quandam piscaturam in flumine Danubii consistentem, et certa iura ad mensam Capitularem ecclesie Bachiensis et illius Lectoratum, quem tunc obtinebas, pertinentia minus iuste et indebite occupasset, tu, cuius intererat, prefatum Benedictum sepius rogaveras, et per alios probos viros rogari feceras, ut piscaturam et iura predicta eisdem mense et Lectoratui libere et pacifice dimitteret, et quod ipse tamen animo pertinaci id facere denegans te ad duellum provocaverat, et tibi comminatus extiterat, ac deinde quod, dum tu post festum Nativitatis domini nostri Ihesu Christi penultimo preteritum, in die videlicet beati Thome martiris, a prefato Rege ad eius servitia evocatus cum tua comitiva, quo Rex ipse vixerat, proficiscereris, idem Benedictus casu post te in quodam curru licet diverso itinere venit, quem tu in publica via expectans de predicta occupacione iurium et bonorum ecclesie huiusmodi allocutus fueras, ex quo hinc inde multa verba iniuriosa ex causa dictorum bonorum tuo et illius animo perturbatis emissa fuerunt, propter que tu ita commotus familiares tuos ad arma exhortatus fuisti, et deinde te ac prefato Benedicto ex curribus, in quibus vehebamini, desilientibus et arma capientibus, ac etiam te prope illius currum accedente, prefatus Benedictus tibi grave in capite vulnus inflixit; et insuper quidam famulus ipsius Benedicti in te similiter armatis manibus impetum fecit, intereaque predictus Benedictus unum ex familiaribus tuis usque ad mortem vulneraverat. Et licet Benedictus ipse a te peteret, ut eum ire dimitteres, tamen tu ob tui servitoris mortem et vulnus capiti tuo inflictum commotus, ac etiam expavescens similiter interire, ad arma tuos familiares fuisti iterum exhortatus, propter quod unus ex familiaribus tuis, cuius consanguineum prefatus Benedictus interfecerat, ipsum Benedictum lancea transfixit, tuque etiam eundem insuper vulnerasti, qui parvo post tempore expiravit. Cum autem, sicut in eadem tua expositione subiungebas, tu de premissis ab intimis doleas, et discordias cum prefato Benedicto pro defensione iurium dicte ecclesie habueris, et ipse Benedictus non ex vulnere per te ei inflicto, ut creditur, sed pocius ex transfixione familiaris predicti mortuus fuerit, tuque velis pro anima ipsius Benedicti Altissimum exorare, et tam prefatus Rex, quam tu, qui presbiter es, et Lectoratum, Canonicatum et prebendam Bachiensem ac Archidiaconatum de Baronia, ac Canonicatum et prebendam in ecclesia Quinqueecclesiensi tunc obtinebas, nobis humiliter supplicaveritis, quatinus premissis attentis, que pro tuendis iuribus dicte ecclesie processerunt, te a reatu huiusmodi homicidii absolvere, ac super irregularitate propter premissa contracta, quam propterea incurristi, et quod in susceptis per te ordinibus ministrare, etiam in altaris ministerio, dispensare, sententias, processus quoscunque seu etiam privaciones occasione predicta tam in Curia quam extra, si qui forsan hactenus facti fuerint annullare, aliasque tibi in premissis oportune providere de benignate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui illius in terris vices gerimus, cui proprium est misereri semper et parcere, tui ac dicti Regis etiam considerione, qui te alias de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis apud nos multipliciter commendavit, supplicationibus inclinati, propositum et voluntatem tuam ac causas homicidii huiusmodi paterna caritate considerantes, et tibi pastorali officio premissis attentis providere volentes, teque ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quacunque occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac premissa

omnia et singula et eorum circumstantias pro expressis habentes, te a reatu homicidii huiusmodi auctoritate apostolica absolvimus, iniuncta tibi penitentia salutari, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam propter premissa contractam abolemus, ac tecum super irregularitate, quam propterea incurristi, et quod in omnibus per te susceptis ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrare libere et licite valeas, nec non Lectoratum, Canonicatum et prebendam Bachiensis, ac Archidiaconatum de Baronia ac Canonicatum et prebendam Quinqueecclesiensis ecclesiarum predictarum retinere, ac cum illis quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, etiam si Canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia etiam curata et electiva in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis ecclesiis fuerint, si tibi alias canonice conferantur, aut eligaris, presenteris vel assumaris ad illa, recipere et tam prius obtenta predicta, quam obtinenda simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutacionis, quociens tibi placuerit, dimittere, et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica recipere, similiter eciam retinere de speciali gracia dispensamus, processusque et sententias seu privaciones predictas et omnia inde secuta, illorumque tenores et compendia pro sufficienter expressis habentes, cassamus et annullamus et viribus evacuamus, ac pro infectis haberi debere decernimus, tibique, quod lectoratu et aliis beneficiis predictis privari premissorum occasione non possis, proinde ac si premissa huiusmodi minime commisisses, concedimus, ac te in pristinum statum restituimus, reintegramus et plenarie reponimus, molestaciones, inquisiciones, et quicquid contra tenorem presentium forsan attemptari contigerit, ex nunc irrita et inania nulliusque roboris vel momenti existere decernimus per presentes, non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Bachiensis et Quinqueecclesiensis aut aliarum ecclesiarum, in quibus alia beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, Sexto Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. bul. div. lib. XIX. fol. 608.

DCXXXIII.

Dominico epo Reatino nuntio apost. in Hungaria, Germania etc. quaedam facultates conceduntur.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Dominico Episcopo Reatino ad nonnullas Germanie, Hungarie, Polonie et Bohemie, ac alias illis adiacentes partes atque regna nostro necnon sancte sedis apostolice Nuntio et Oratori cum potestate legati de latere, salutem etc. De fraternitatis tue persona, quam altissimus magnitudine consilii, doctrine claritate, exemplaribus vita et moribus, eximia quoque integritate et probitate, necnon diutina rerum gerendarum experiencia nobis commendabiliter probata, ac plurimis aliarum virtutum donis multifarie insignem reddidit, specialem in domino fiduciam habentes, quod ea, que tibi duxerimus committenda, ad laudem et gloriam omnipotentis dei, et catholice fidei exaltationem, ac christiani populi salutem, nostrumque et huius sancte sedis apostolice honorem studiosa solicitudine fideliter ac prudenter exequeris. Hac itaque fiducia moti, te pro quibusdam arduis orthodoxam fidem et christianam rem publicam concernentibus negotiis promovendis ad nonnullas Germanie, Hungarie, Polonie et Bohemie ac alias illis adiacentes partes atque regna nostrum prefateque sedis nuntium et oratorem cum potestate legati de latere presentialiter destinamus, confidentes per hoc, ut firma est spes nostra, quod dextera domini assistente propitia, ex solicitis operibus tuis universo christiano populo desiderata proveniant commoda, fructusque exinde succedant salutares. Idcirco fraternitati tue presentium tenore sub virtute sancte obedientie iniungendo mandamus, quatinus pro nostra et dicte sedis reverentia onus hoc prompta devotione suscipiens, necnon partes et Regna predicta cum benedictione nostra accedens, in eis iuxta datam tibi a domino prudentiam et providentiam tam publicis, quam privatis rebus, sicut presentis temporis qualitas exigit ac communis necessitas exposcit, auctoritate nostra fideliter consulas, necnon adhibitis provisionibus oportunis, debitam executionem inpendi facias atque procures: in quibus ut iuxta cor nostrum facilius proficere valeas, maxime si forsan tuo illic tempore contingeret inter prelatos, Reges, Duces, Marchiones, principes, Comites, Barones, proceres, communitates et personas alias cuiuscumque ecclesiastice vel mundane dignitatis, excellentie, status, gradus, ordinis vel conditionis, aliquas esse vel

quod absit, oriri discordias seu differentias, eidem fraternitati tue pro illis sedandis, amovendis et tollendis vice et auctoritate nostra ubique interveniendi, et illas sine personarum acceptione fideliter ac benigne intelligendi, necnon quanto facilius, honestius et commodius licebit, amicabilem compositionem solicitandi et procurandi, seu de partium consensu huiusmodi discordias et differentias audiendi ac equa lance decidendi, necnon pacis et concordie media cogitandi, ac super hoc habendos tractatus proponendi et promovendi, ac ad effectum illorum seu etiam alias, prout oportunum cognoveris, perpetuas seu temporales inducias vel treugas indicendi, ac convenientibus modis et formis persuadendi et laudandi, ac simili auctoritate nostra firmandi, necnon per censuram ecclesiasticam et sub quibus videbitur penis observari faciendi atque mandandi, observantes illas commendandi, contra eos vero venientes aut ipsas impedientes seu perturbantes memorata auctoritate nostra procedendi, et si opus fuerit, dietas et conventiones instituendi, in illisque seu aliis positis et indictis conveniendi, ac que ad commune bonum spectabunt, inibi concludendi, necnon prelatos, Reges, principes et potentatus convenientes in eisdem ad deponendum, si que sint inter se, privata rancores et odia, ac ad suscipiendum et magno animo prosequendum christiane rei publice defensionis negocium adversus immanissimos Turchorum impetus, paterna voce nostra requirendi, hortandi et animandi, ac super hoc cruciatam contra eosdem Turchos predicandi, et ab aliis ydoneis predicari faciendi in favorem ac commodum Crucesignatorum et adversus ipsos Turchos pugnantium, ipsisque sic pugnantibus ac ad id contribuentibus, seu subsidium vel presidium prestantibus de oportunis absolutionum beneficiis et plenariis remissionibus ac indulgentiis, necnon habilitationibus et dispensationibus, sicut cum deo expedire cognoveris, prefata auctoritate nostra providendi, ac super occulte et male perceptis necnon bonis indebite acquisitis, in huiusmodi tamen expugnationem et non alium usum convertendis, concordandi et componendi, salutarem et necessariam hanc expeditionem quomodolibet impedientes, seu retardantes aut perturbantes censuras et penas contra tales per nos ac alios Romanos pontifices predecessores nostros latas eo ipso, quo contrafecerunt, incurrisse, illisque ligatos esse declarandi et publicandi, ac ad executionem penarum contra ipsos procedendi, necnon penitentes inde ac ad ecclesie gremium redire cupientes, si hoc humiliter petierint, in forma ecclesie consueta per te vel alium seu alios absolvendi, penas remittendi, et in pristinum statum restituendi et reponendi, omniaque aliaque et singula in premissis, et circa ea necessaria seu quomodolibet oportuna, etiam si talia sint, que mandatum de iure exigant magis speciale, specificum et expressum, quam presentibus est insertum, et que sub generali commissione dicuntur non venire, gerendi, disponendi, exercendi, faciendi, statuendi, ordinandi, mandandi et exequendi, Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris oportuna remedia, appellatione postposita, compescendi, necnon, si opus fuerit, auxilium brachii secularis super hoc invocandi plenam et liberam facultatem, auctoritatem et potestatem concedimus per presentes, gratum et ratum habituri totum id et quicquid pro communi bono christiane rei publice, ac nostro predicteque sedis honore in premissis et circa ea feceris et procuraveris, concessionibus, privilegiis et indultis contrariis non obstantibus quibuscumque. Tu igitur, Venerabilis frater, in huius tam meritorii negotii executione tam studio quam verbo et opere sic diligentem te exhibeas, ut ex commendabilibus laboribus et actionibus tuis christiana res publica merito letetur, tu exinde ultra humane laudis preconium etiam eterne vite premium, nostramque et huius sedis gratiam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXV. Kalendis Martii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. legat. lib. I. fol. 13.

DCXXXIV.

Ecclesiae Moldaviensi, petentibus Stephano voyvoda, Petro epo et aliis, in subsidium fidei conceditur iubilaeus.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Pastoris eterni, qui pro salute gregis dominici in pretium se immolari non abnuit, vices quamvis immeriti gerentes in terris, circa gregem ipsum nobis commissum, quem indefessa solicitudine cupimus in loco pascue collocari, extendentes paterne considerationis intuitum, eo celerius singulorum fidelium occurrimus animarum periculis, eosque apostolicis prosequimur indulgentiarum et remissionum favoribus, quo veluti nostros et Romane ecclesie filios in visceribus gerimus caritatis. Dudum siquidem Bonifacius pp. VIII. predecessor noster de fratrum suorum consilio etc. prout est registrata quinterno quarto libri XXII. bullarum Sanctissimi domini Sixti pp. IV. usque ibi plenius continetur. Cum autem, sicut fidedigna relatione accepimus,

dilectus filius Stephanus Voyvoda, terrarum Moldavie princeps, et Venerabilis frater noster Episcopus Moldaviensis, ac dilecti filii Duces, Comites, Barones, Nobiles et quamplures alii utriusque sexus persone incole et habitatores terrarum Moldavie, ecclesiastici etiam religiosi et seculares, devotissimi quidem et affecti, ac cupidi salutis suarum animarum et indulgentiarum huiusmodi, tam qui Anno huiusmodi Iubilei durante Basilicas et alias de Urbe predictas ecclesias pro consequenda indulgentia et confessione huiusmodi ab eodem Paulo predecessore concessa et a nobis innovata libenter visitarunt, si senio, debilitate corporis, inopia, impotentia, divinorum humanorumque obsequiorum vel aliorum negociorum occupatione non detinerentur, et guerrarum turbines, viarum discrimina, longam itineris distantiam, maris pericula, aeris intemperiem, aliosque sinistos eventus non formidarent, quam etiam qui multo impedimento detenti Basilicas et ecclesias ipsas visitare hactenus non proposuerunt, nec proponere intendunt, cupiant alias indulgentiarum Iubilei huiusmodi fieri participes: Nos, qui cunctorum Christifidelium animarum salutem intensis desideriis affectamus, consideratione etiam prefati Stephani nobis super hoc humiliter supplicantis, ut tam eorumdem Episcopi, Ducum, Comitum et Baronum, quam aliorum utriusque sexus personarum, incolarum et habitatorum predictarum terrarum et aliorum ad illas confluentium, quos idem Stephanus Vayvoda caritatis et devotionis fervore prosequitur, ut aliorum Christifidelium animarum saluti salubrius consulatur, providere volentes, prefati Stephani Vayvode consideratione huiusmodi inducti, ipsos Stephanum Vayvodam, Episcopum, Duces, Comites, Barones, Nobiles, incolas et habitatores terrarum huiusmodi, et alios quoscunque forenses et extraneos ad dictas terras Moldavie confluentes, quos eorum exigentibus sincere devotionis affectu et integra fide, quibus eamdem Romanam ecclesiam revereri ostenderunt, gerimus in visceribus caritatis, favoribus gratiosis ac indulgentiarum remissionibus prosequi cupientes, volumus et auctoritate apostolica presentium tenore statuimus et ordinamus, quod illi ex Stephano Vayvoda, Episcopo, necnon Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, incolis et habitatoribus predictis, et aliis ad dictas terras confluentibus Christifidelibus utriusque sexus tam ecclesiasticis, quam secularibus earumdem terrarum et cuiusvis alterius ibidem confluentes, qui vero penitentes et confessi a vigilia festi sanctorum Petri et Pauli apostolorum usque ad annum extunc immediate sequentem, a dicta vigilia proxime futura inchoandum, in eisdem terris et dominiis se reppererint, vel ex quavis causa ad ipsas terras et dominia interim declinaverint, et maiorem ecclesiam Moldaviensem, si cives Civitatis Moldaviensis, per tres continuos vel interpolatos, si vero forenses fuerint, per unum dies saltem devote visitaverint, et ibidem ter septem psalmos penitentiales cum letaniis, aut sexagies dominicam orationem cum angelica salutatione devote dixerint, ac in subsidium sancte Cruciate et pro fidei catholice exaltatione iuxta eorumdem et singulorum aliorum Christifidelium, etiam utriusque sexus, cuiuscunque status, dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis et preeminentie fuerint, qualitates et exigentiam, videlicet quorum bona ad valorem trecentorum florenorum auri hungaricalium, quinque, et quorum ad ducentos, tres, et quorum ad quinquaginta florenos, unum, et quorum non ad quinquaginta ascendunt, medium florenum dent; et qui aliquam summam predictarum solvere non poterunt, iuxta facultatum suarum possibilitatem et conscientie arbitrium elemosinam, sive certam pecuniarum quantitatem, sive summam in archa sive capsa per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Moldaviensem, et alios ad hoc deputandos in eadem ecclesia Moldaviensi ponenda, realiter et cum effectu in pecunia numerata pie erogaverint, vel etiam qui adeo pauperes extiterint, quod nichil penitus erogare possint, dummodo semel dumtaxat dictam ecclesiam iuxta formam superius datam, ut premittitur, devote visitaverint, eamdem prorsus plenariam anni Iubilei predicti indulgentiam et peccatorum remissionem, ac cum altissimo reconciliationem omnimodam consequantur, quam consecuti fuissent, si predicto anno Iubilei proxime preteriti Romam venissent, et statuto quindecim dierum tempore apostolorum basilicas et Lateranensem ac beate Marie Maioris ecclesias Urbis predictas, iuxta Pauli predecessoris prefati et nostram ordinationem predictam visitassent: et ut fideles ipsi huiusmodi indulgentie possint fieri participes, Episcopo predicto Moldaviensi in hac parte plenam et liberam facultatem concedimus deputandi auctoritate nostra in dicta ecclesia Moldaviensi eum numerum presbiterorum secularium vel religiosorum idoneorum, de quo sibi videbitur, ad audiendum eorumdem Christifidelium pro indulgentia huiusmodi consequenda ad ecclesiam ipsam Moldaviensem, in qua deputati fuerint, confluentium confessiones, et illos amovendi, ac loco illorum alios ponendi, et numerum primum augendi ac diminuendi, secundum quod ei videbitur expedire, et eisdem presbiteris secularibus et religiosis, qui per eumdem Episcopum ad id deputati fuerint, aut

quos deputari contigerit, durante dicto anno a dicta apostolorum vigilia inchoando, eorum Christifidelium confessione diligenter audita, pro commissis per ipsos fideles excessibus, criminibus et peccatis quibuslibet, etiam censuris ecclesiasticis tam a iure quam ab homine latis et inflictis, etiam si talia forent, propter que esset sedes apostolica merito consulenda, eis absolutionem iniungendi. necnon vota per eos emissa quecunque in alia opera pietatis, aut in opus sancte Cruciate predicte commutandi plenam et liberam auctoritate predicta tenore presentium concedimus facultatem. Et ut illi, qui peregrinari et ecclesiam predictam Moldaviensem pro assequenda indulgentia huiusmodi commode et honeste visitare non poterunt, utpote infirmi, decrepiti, divinisque et humanis servitiis penitus mancipati, effectu non careant indulgentie memorate, volumus, quod huiusmodi aut aliis quibusvis impedimentis ecclesiam ipsam Moldaviensem visitare impediti, vere tamen penitentes et confessi ubilibet psalmos et orationes predictas dicentes, et elemosinam sive pecuniarum summam et quotam huiusmodi iuxta formam predictam in capsa sive archa predicta, ut prefertur, poni facientes, eandem anni Iubilei huiusmodi indulgentiam consequantur, ac si ecclesiam ipsam Moldaviensem personaliter visitarent; liceatque prefato Episcopo Moldaviensi pro talibus impedimentis in singulis locis, de quibus sibi videbitur, confessores deputare idoneos, qui erga impeditos eosdem eadem, qua alii confessores predicti erga visitantes dictam ecclesiam Moldaviensem, auctoritate fungantur. Rursus quia facile contingere posset, aliquos dubitare, in quo genere personarum, de quibus supra expressum fuit, pro consequenda indulgentia predicta sint, et nonnullos esse dubios et incertos, an eorum impotentia vel infirmitas seu servitii occupatio sit a deo excusabilis, notabilis et legitima, quod iuxta premissa ad predictam visitationem faciendam astringi non debeant, ut indulgentiam huiusmodi consequantur, sed pro illa consequenda sufficiat eis, quantitatem aliquam ex premissis iuxta eorum conditionem in dicta capsa seu archa poni facere, volumus et auctoritate prefata eidem Episcopo Moldaviensi concedimus per presentes, quod tam ipse, quam cui vices suas super hoc in genere vel specie duxerit committendas, quam confessor, qui tales dubios et incertos predictos, ut prefertur, audierit, possint eis huiusmodi dubietates, prout eorum statui et indemnitati animarumque saluti, et conscientie quieti ac paci salubrius expedire cognoverint, dilucidare et declarare, ac si super visitanda ecclesia Moldaviensi huiusmodi dubitarent, eosdem ad visitandum huiusmodi ecclesiam penitus impotentes existere etiam declarare; ita quod ipsi dubii et in eorum animis incerti iuxta declarationem huiusmodi certiores effecti quoad effectum consequutionis indulgentie memorate pro vere penitentibus et visitantibus, solvendo tamen prius aliquam ex summis sive taxis predictis modo premisso, habeantur, proviso quod confessor prefatus eisdem impeditis loco visitationis huiusmodi alia iniungat opera pietatis. Et ut oblationes huiusmodi fideliter conserventur in fidei prefate subsidium huiusmodi et non in aliam causam convertende, volumus, quod Episcopus Moldaviensis et alii deputandi per dictum Stephanum Vayvodam predicti capsam sive archam predictam cum tribus clavibus clausam teneant, quarum quilibet eorundem unam ab alia diversam penes se habeant: et quicquid ex dicta capsa sive archa extrahi continget, illud prefato Stephano Vayvode pro eius exercitu contra immanissimum Turchum Christi nominis inimicum manutenendo, ac in premissam sancte Cruciate causam dumtaxat convertendum, sub pena excommunicationis late sententie, quam quascunque personas ipsas pecunias in alios, quam supradictos usus convertentes ipso facto incurrere volumus, fideliter consignare procurent. Et si forsan super premissorum executione et litterarum presentium interpretatione aliqua dubia exorirentur, eiusdem Epi Moldaviensis, qui de mente et intentione nostra in premissis plene informatus existit, declarationi stari debere decernimus. Preterea quia difficile esset, ipsas presentes litteras ad loca quecunque, in quibus expediens foret, deferre, volumus, quod earum litterarum transumpto duorum Notariorum publicorum subscriptione et dicti Epi sigillo munito eadem prursus fides detur, que daretur presentibus litteris, si essent exhibite vel ostense. Presentibus post dictum annum ab Apostolorum vigilia inchoandis, ut prefertur, minime valituris. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXXVI. quinto Id. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. bul. lib. XXVIII. fol. 279.

DCXXXV.

Litterae Nicolai V. super vicariatum diversis fratribus ordinis Minorum in Hungariae et Bosniae regnis confirmantur.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Sedis apostolice gratiosa benignitas piis quarumlibet et presertim sublimium personarum, ac aliarum sub regulari castimonia domino militantium

votis libenter annuit, et illis, que ab ea pro huiusmodi religiosis personis processisse comperit, uberioris interdum apostolici munimis vinculum adiicit, ut eo firmius illibata persistant, quo frequentiori suo fuerint presidio pro tempore stabilita. Dudum siquidem felicis recordationis Nicolaus papa V. predecessor noster quasdam litteras pie memorie Eugenii pape IV. etiam predecessoris nostri, per quas tunc Vicario ministri generalis et fratribus ordinis minorum Vicarie Bosne secundum morem dicti ordinis presentibus et futuris certa privilegia, facultates, gratie et indulta concedebantur, et nonnulla aliorum Romanorum pontificum etiam predecessorum nostrorum innovabantur, et ad Vicariam Bosne extendebantur, eisdemque Vicario Bosne et fratribus, quod illis uti possent, concedebantur, ad fratres dicti ordinis de observancia in Regno Ungarie consistentes extendit, ac voluit dictus Nicolaus predecessor, quod fratres Ungarie huiusmodi illis pariformiter et absque ulla differencia uti et gaudere possent et deberent in omnibus et per omnia, prout dicti fratres Bosne utebantur et gaudebant, necnon Vicariam Ungarie a Vicaria Bosne totaliter divisit et separavit, ac inter eos certos limites pro Vicaria Ungarie deputavit, et nonnulla alia fecit, constituit et ordinavit, prout in litteris dicti Nicolai plenius continetur: quare pro parte Carissimi in Christo filii nostri Nicolai Regis Bosne et Vicarii fratrum Ungarie huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteras dicti Nicolai predecessoris quoad metas et divisiones dictorum fratrum Ungarie et Bosne innovare, confirmare et approbare, ac viribus perpetuo subsistere debere statuere et decernere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras dicti Nicolai predecessoris huiusmodi cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, quo ad metas et divisiones in dictis litteris contentas, auctoritate apostolica et ex certa scientia innovamus, confirmamus et approbamus, ac viribus perpetuo subsistere debere decernimus et declaramus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, que dictus Nicolaus predecessor in suis litteris non obstare voluit, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre innovationis, confirmationis, approbationis, constitutionis et declarationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, pridie Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. bul. div. lib. X. fol. 96.

DCXXXVI.

Iubilaeus in ecclesia Moncastri Stephano voyvodae in subsidium contra Turcas conceditur.

Sixtus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Redemptor noster Iesus Christus in excelsis tenens imperium Romanum, pontificem in terris super universum gregem dominicum vicarium suum constituit, qui militanti ecclesie sibi comertio copulate preesset, illamque et catholicam fidem ab omnibus protegere studeret adversis: unde nos, qui huiusmodi pontificatus officio ab eodem Redemptore vocati licet immeriti fungimur, pugiles, coadiutores et propugnatores nostros, ipsius ecclesie ac fidei defensores libenter remissionum prosequimur impendiis et spiritualium, prout conveniens est, gratiarum muneribus decoramus, ut tandem perfidorum sevi cohibeantur impetus, et eis malignandi occasio precludatur. Cum itaque, sicut cunctis palam est orbis nationibus, impia Turchorum gens adversus orthodoxam fidem, et qui tam in sacro regenerationis baptismate devoverunt, et presertim adversus dilectum filium nobilem virum Stephanum Wayvode ducem Moldavie eiusque dominia, que in finitimis ipsorum Turchorum oris sita sunt, ut tandem ipsis sue spurcissime tirannidi subiectis facilior sibi pateat ad cetera christianorum loca progressus, moliri non desinat, et quamvis prefatus Stephanus tanquam verus christiane fidei athleta proni sit animi ad resistendum ipsorum Turchorum et perfidie et incursionibus, tamen ad tante rei perferendam sarcinam debitoque effectui mandandam proprie ad hoc non suppeterent facultates, sed sunt ad ea christicolarum opes et subsidia non mediocriter necessaria, aut qui de bonis a deo sibi collatis contribuant, aut personaliter pugnaturi ad exercitum per ipsum Stephanum instaurandum proficiscantur, ut tandem ipsorum Turchorum canina rabies reprimi et de christifidelium finibus eiici possit, adimaturque ipsis tam nepharie temeritatis in alios christicolas seviendi audacia: unde nos, cui universalis christianorum cura est credita, animo revolventes, quod si ipsius Stephani dominia ab eisdem Turchis opprimi contingeret, facilis sibi nedum ad Ungarie, verum etiam ad quam plurima alia christianorum regna et dominia pateret descensus, et per amplius sibi inhereret, christianorum sanguinem, quem sitiunt, debaccari presumptio, ut igitur Stephanus ipse gentem armigeram agere ac ipsorum Turchorum furori et de-

mentie resistere, et tandem ipsos profligare valeat, necnon ipsi fideles ad premissa eo libentius confluant aut manus porrigant adiutrices, quo fuerint remissionum impendiis et indulgentiarum muneribus premuniti, igitur de omnipotentis dei, cuius causam et iura Stephanus ipse inter ceteros christifideles tuetur pro viribus, misericordia et eorundem beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, universis cuiuscumque conditionis christifidelibus utriusque sexus, tam de dominiis dicti Stephani, quam undecumque originem duxerint, et tam laicis quam ecclesiasticis, etiam religiosis quorumvis ordinum, etiam mendicantium, vere penitentibus et confessis, qui hoc presenti anno dumtaxat in celebritate pentecostes, ac duobus diebus immediate sequentibus Moncastri ac duas ecclesias cathedrales vel saltem insignes ecclesias per venerabilem fratrem nostrum Episcopum Moncastri, prout sibi videbitur, deputandas devote visitaverint, et de bonis sibi a deo collatis, prout eis videbitur, quod eorum arbitrio relinquimus, in christiane fidei subsidium et illius immanissimorum hostium expugnationem convertendis erogaverint, aut personaliter una cum ipso Stephano in prefate Turchorum gentis debellationem se contulerint, seu aliquam personam ad conterendam ipsorum Turchorum immanitatem militaturam destinaverint, illam eandem prorsus et omnimodam plenariam anni Iubilei indulgentiam et peccatorum remissionem consequantur, quam ad Romanam curiam eo durante Iubileo venientes et ecclesias tunc assignatas visitantes consequebantur, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et elargimur. Et ut Stephanus et alii prefati ad aliquam predictarum ecclesiarum pro consequenda indulgentia predicta confluentes conscientie pacem et animarum salutem deo propitio consequantur, et indulgentiam ac peccatorum remissionem huiusmodi liberius valeant adipisci, presbiteris secularibus vel regularibus ydoneis, quo usque ad sufficientem numerum Episcopus ipse, aut eo absente vel ipso impedito, eius locumtenens seu illius in spiritualibus vicarius generalis duxerit assumendos, in altera prefatarum ecclesiarum et illi adiacentibus edificiis fidelium eorundem confessionibus diligenter auditis, pro commissis per eos excessibus et peccatis, etiamsi talia forent, propter que sedes apostolica esset merito consulenda, et quorum absolutio eidem sedi foret specialiter reservata, debitas ipsis absolutionem impendendi et penitentias iniungendi salutares, necnon vota per eos emissa quecumque, preterquam ultramarina ac sancti Iacobi in Compostella et religionis, in alia pietatis opera commutandi, prout animarum suarum saluti viderint expedire, ipsisque Episcopo, et eo absente vel impedito, eius locumtenenti vel eius vicario eosdem presbiteros, cum sibi videbitur, ammovendi, et alios eorum loco surrogandi plenam et liberam eadem auctoritate concedimus facultatem, decernentes auctoritate predicta, quod diocesani et ordinarii locorum ac parochialium ecclesiarum rectores, et quorumcunque mendicantium ordinum fratres, tam per dominia Stephani huiusmodi quam alias ubilibet constituti, presentium litterarum publicationem, notificationem, insinuationem in sermonibus et aliis divinis officiis, que celebrari contigerit, libere et gratiose absque exactione qualibet facere teneantur, quotiens super hoc fuerint requisiti, sub excommunicationis pena eo ipso, si contrafecerint, incurrenda. Volumus autem, quod oblationes huiusmodi et alii proventus, quos indulgentie predicte occasione obvenire continget, per eosdem Episcopum seu ad hoc deputatos ab eo colligantur et fideliter conserventur, prefato Stephano et quibus ipse iusserit in eiusdem fidei et christiane religionis contra eosdem Turchos defensionem, et non aliam causam modis omnibus convertendi ministrentur et exsolvantur, quodque prefati Episcopus seu Vicarius de pecuniis et proventibus huiusmodi computum per se vel alias personas ydoneas tenere, et sedem apostolicam de earum quantitate et summa certiorem reddere, et quod in aliam quam premissam causam nullatenus exponantur, modis omnibus procurare, et de illis, cum fuerint requisiti, fidelem computum et rationem bonam etiam in Camera apostolica reddere teneantur, districtius inhibentes eidem ac quibusvis aliis quavis ecclesiastica vel mundana dignitate preditis, etiam tali, que in generali inhibitione huiusmodi alias de iure non comprehenderetur, ne in premissis proventibus exponendis dolum seu fraudem quomodolibet committere, aut proventus ipsos in aliam quam premissam causam exponere, seu quod exponantur aliter, quam ut prefertur, aut circa illos fraus aliqua committatur, auxilium, consilium vel favorem directe vel indirecte per se vel alios prestare presumant, sub excommunicationis late sententie pena per eos, qui contrafecerint, incurrenda, a qua, preterquam in mortis articulo constituti, nequeant ab alio quam Romano pontifice absolutionis beneficium obtinere, super quo eorundem Stephani et Episcopi conscientiam oneramus. Datum Rome apud sanctum Petrum anno etc. MCCCCLXXVI. Idibus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. bul. lib. XXXIII. fol. 91.

DCXXXVII.

Praelatis in regno Hungariae et alibi constitutis, ut certos christianos, qui ritu Graeco baptizati sunt, benigne mansueteque ab aliis christianis tollerandos curent, et in coemeteriis sepeliri permittant.

Sixtus episcopus etc. Universis et singulis Episcopis, prelatis et ordinariis in Regno Hungarie et alibi constitutis, salutem etc. Relatione dilecti filii nobilis viri Stephani Iakcyta Carissimi in Christo filii nostri Mathie Ungarie et Bohemie Regis Illustris oratoris, percepimus, quod in ea parte Hungarie, que Servie est contermina, multi christiani ritu Greco baptizati inter catholicos habitant, illisque sunt permixti, quos ipsi catholici evitare, et ut male baptizatos apud populum in predicationibus asserere solent. Quo fit, ut iidem christiani affligantur plerumque et scandalum in suis conscientiis patiantur, id quod pocius reipublice christiane obsit, quam fidei orthodoxe commodum vel emolumentum importet. Nos ergo paterno affectu considerantes, quod hii, qui christianam fidem sectantur, pocius sunt humanitate et mansuetudine ab erroribus, si quibus imbuti sunt, revocandi, quam acerbe affligendi aut reiiciendi, quodque sancte recordationis Romani pontifices predecessores nostri alias super hoc providerunt, duximus pro cura pastoralis officii huic rei provide occurrendum, ut quo isti humanius habiti et tractati fuerint, eo libentius, qui teterrimo dominatu Turchorum premuntur, et sub eorum ritu sunt baptizati, ad alios transeant christianos. Quocirca vobis tenore presentium iniungimus, et apostolica auctoritate mandamus, quatenus huiusmodi christianos in vestris diocesibus constitutos non permittatis clam vel palam a predicatoribus, vel aliis quibuscumque prefata occasione vexari, sed eos benigne, mansueteque tolerantes, in vestris cimiteriis et ecclesiis, dum ad hoc fueritis requisiti, humari sepelirique permittatis, deficienteque ritus eorum sacerdote, in confessionibus audiri, absolvique facere in forma Romane ecclesie debeatis, nec sacramentum baptismatis ritu Romano, dum requisiti fueritis, denegetis, ut sic presentes et futuri ad amplectendum ritum catholicum alliciantur et incitentur. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, Quinto Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. bul. div. lib. VIII. fol. 182.

DCXXXVIII.

Instructio pro epo Aleriensi nuntio apostolico ituro ad partes Germaniae pro pace vel treuga cum rege Hungariae ineunda.

Sixtus PP. Quartus.

Primo dñus Nuntius ibit ad serenissimum Imperatorem, quem visitabit, impartiendo salutationem et benedictionem nomine Sanctissimi domini nostri.

Secundo exponet eidem causam sue profectionis, videlicet quod sua Sanctitas, que a die assumptionis sue continue studuit paci et tranquillitati christianitatis, et semper laboravit per suos legatos pro tollendis differentiis existentibus inter principes christianos, et maxime inter suam Maiestatem et Regem Hungarie, ut unione facta, posset aliqua notabilis expeditio fieri contra Turcos, nunc intelligens differentias et bella urgentia inter suam Maiestatem et dictum Regem Hungarie, ad obviandum tam presentibus malis, quam futuris, tribulationibusque, que verisimiliter sequi possent, si inter eos durarent dicta bella, mittit ipsum Episcopum Aleriensem, domesticum et refferendarium suum, ad eius Maiestatem pro ineunda pace et concordia, aut saltem bonis treuguis inter eos.

Et quod Sanctissimus dominus noster hortatur et rogat pro bono et quiete regnorum illorum et dominiorum ac subditorum suorum, et etiam ad tollendam occasionem Turcis invadendi partes illas, si ipsi inter se dimicarent, ut velit amore dei Maiestas sua concordare et venire ad pacem cum ipso Rege Hungarie, si sit possibile, et si non erit possibile de pace agi, saltem quod fiant treugue, et ee quanto longiores fieri poterunt, quo interim cessent arma, nec eorum subditos vexent iniurie aliave hostilia.

Item quod pro faciendis concordia et pace, vel treuguis predictis videat sua Maiestas, que media sint bona et expedientia, et si medium aliquod expediens habet, velit communicare cum ipso domino Aleriensi, qui curet illud tractare, et ad effectum perducere, si videat illud expediens esse, et tale quod bona concordia, pax vel treugue ex eo sequi possint.

Item si Maiestas suas nullum remedium haberet, tunc proponat sibi Episcopus Aleriensis me-

dium iustitie, quam nemo damnare debet, et quod omnes differentie eorum committantur ad iuditium Sanctissimi domini nostri et apostolice sedis, que iustitiam administrabit, vel eos componet.

Item advertat dominus Aleriensis, ut si fiat concordia vel treugua, ita fiat, ut servetur semper honor apostolice sedis.

Tertio tractet dñus Aleriensis concordiam ecclesie Constantiensis inter provisum apostolicum et illic electum, et quanto instantius poterit, ut concordia fiat que esse debet, ut electus cedat proviso apostolico, attento quod provisus iustitiam fovet, electus vero non habet ius contra eum provisum, vel saltem fiat concordia, quod unus ipsorum habeat ecclesiam, et alter pensionem vel aliquem alium modum convenientem.

Quarto ibit ad serm̃um Regem Hungarie, visitabit eum predictis salutatione et benedictione nomine Sanctissimi domini nostri. Deinde exponit similiter sue Maiestati causam, propter quam mittitur a Beatissimo domino nostro, et quantum sue Sanctitati doleat intelligendo differentias, bella et tribulationes existentes inter suam Maiestatem et serenissimum Imperatorem, tam propter afflictiones illorum regnorum et dominiorum christianorum, quam propter Turcos, de quibus timendum est, ne illa regna invadant, si inter se bella gerant; et quod amore dei velit concordiam aut pacem, si possibile est, vel ad minus treuguas, quanto fieri poterunt longiores, inire cum Maiestate Imperiali, ut cessent omnes iniurie et hostilia inter eos et eorum subditos, et tunc si habebit dominus Aleriensis aliquod medium a Maiestate Imperiali pro dictis concordia et pace, vel treuguis fiendis, tractet illud cum domino Rege Hungarie, et hortetur et roget, ut pro pace et quiete ac intuitu sedis apostolice acceptare velit, dummodo sit medium expediens, et tale quod sequi ex eo posset bona concordia, pax vel treugua; et omnia fiant cum honore apostolice sedis, et sine eius preiudicio et damno.

Item si non habuisset aliquod a Maiestate Imperiali, tunc proponat similiter medium illud, quod omnia illa, videlicet differentie et controversie remittantur ad iuditium Sanctissimi domini nostri et apostolice sedis; et sic fiat dicta concordia, pax vel treugua ut supra.

Quinto diligenter requiret dñus Aleriensis, et se informabit de vita et moribus reverendi domini Archiepiscopi Strigoniensis, et de iis, que fecisse dicitur tam contra Regem Hungarie, quam apud Maiestatem Imperialem, ut omnia, postquam vera invenerit, possit Sanctissimo domino nostro referre. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xx. Septembris 1477. Pontificatus Sanctissimi domini nostri Sixti divina providentia pape quarti Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. var. instr. lib. CXXII. fol. 17.

DCXXXIX.

Monasterium S. Crucis in Wertes domui S. Margaritae extra oppidum Albaeregalis ord. fratrum Praed. petente Mathia rege, unitur.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex superne providentia maiestatis in suprema militantis ecclesie specula constitutus Romanus pontifex, circa monasteriorum et aliorum religiosorum locorum quorumlibet sue cure commissorum, ac in eis sub sacre religionis iugo degentium personarum profectum et utilitatem, ut in ipsis monasteriis et locis divinus cultus augeatur, prout ex debito pastoralis officii sibi iniuncti incumbit, et catholicorum principum exposcit devotio, diligenter prospicit et intendit, cognoscitque id in domino salubriter expedire. Sane pro parte carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Ungarie illustris nobis nuper exhibita peticio continebat, quod licet monasterium sancte Crucis in Wertes ordinis sancti Benedicti Vesprimiensis diocesis in sui primeva fundatione sumptuosis structuris et edificiis constructum, et competentibus redditibus dotatum fuerit, nichilominus causantibus temporum malitia et aliis sinistris eventibus, ac bellorum strepitibus, quibus prohdolor Regnum Ungarie retroactis temporibus oppressum extitit, monasterium ipsum in suis structuris et edificiis huiusmodi, que solo equata existunt, plurimum deformatum, illiusque fructus, redditus, bona et possessiones hinc inde distracta et occupata fuerunt, adeo quod nullus monachus sive alia religiosa persona a pluribus annis citra in illo residere curavit, prout nec residet de presenti, inibi quoque misse et alia divina officia minime celebrantur non sine divini cultus et christifidelium animarum salutis grandi detrimento; verum si monasterium ipsum, suppressis prius in eo et extinctis abbatiali dignitate et ordine predictis, domui sancte Margarite extra muros oppidi Alberegalis ordinis fratrum predicatorum diete diocesis perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, profecto prior et fratres dicte domus in prefato monasterio divina officia celebrare, et populo christiano predicare, ac quam plurima alia pia

et spiritualia opera exercere curarent, divinus quoque cultus inibi maximum susciperet incrementum: quare pro parte dicti Regis asserentis, quod ipse ad domum et ordinem predicatorum huiusmodi specialem gerit devotionis affectum, et quod monasterium predictum conventu caret, nobis fuit humiliter supplicatum, ut monasterium ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefate domui perpetuo unire, annectere et incorporare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem secundum communem extimationem tam beneficii uniendi quam illius, cui unio fieri peteretur, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, domus ac monasterii predictorum fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem presentibus pro expressis habentes, necnon abbatialem dignitatem et ordinem sancti Benedicti huiusmodi in dicto monasterio harum serie supprimentes et extinguentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, monasterium predictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefate domui auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; ita quod liceat ex nunc modernis et pro tempore existentibus priori et fratribus dicte domus corporalem monasterii iuriumque et pertinentiarum predictorum possessionem auctoritate propria libere apprehendere, eisque per unum ex fratribus dicte domus deserviri, ac illius parrochianorum animarum curam exerceri ac ecclesiastica sacramenta ministrari facere, necnon ipsius monasterii fructus, redditus et proventus in suos ac monasterii et domus predictorum usus utilitatemque convertere et perpetuo retinere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus priori voluntate nostra ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii, domus et ordinum predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, specialibus et generalibus, quoruncumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem predictas, si ille vigore presentium effectum sortiantur, ecclesia dicti monasterii ad profanos usus veluti hereditas minime reducatur, sed in ea interdum misse et alia divina officia celebrentur, et insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre suppressionis, extinctionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Brachiani Sutrinensis diocesis Anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, Idibus Iulii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. bul. div. lib. XLIII. fol. 314.

DCXL.

Epo Zagrabiensi causa super certis decimis inter epm Iauriensem et communitatem oppidi Civitatisferreae nuncupati committitur.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Zagabriensi, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Demetrii Episcopi Iauriensis petitio continebat, quod olim postquam ipse dilectos filios magistros civium, iudicem, iuratos, totamque communitatem ac homines oppidi Civitatisferree nuncupati, nec non habitatores et incolas litis consortes territorii et districtius eiusdem oppidi Iauriensis diocesis tunc expressos, super solucione quarumdam decimarum tunc expressarum et ad mensam episcopalem Iauriensem legitime spectantium et pertinentium, ac modo illas solvendi sub certis penis ecclesiasticis tunc expressis moneri, et ipsos monitos et decimas huiusmodi solvere recusantes excommunicatos publice nuntiari fecerat, ipsique magistri civium et alii supranominati ac litis consortes predicti asserentes, licet falso, ex hoc indebite se gravari, ad sedem apostolicam appellaverant, nec non felicis recordationis Paulus papa II. predecessor noster causam appellationis huiusmodi una cum negotio principali bone memorie Bartholomeo tituli sancti Clementis presbitero Cardinali ad magistrorum civium et aliorum supranominatorum, ac litis consortium predictorum instanciam audiendam commiserat et fine debito terminandam, ipseque Cardinalis in causa ipsa ad nonnullos actus, citra tamen illius conclusionem, processerat. Nos postmodum, dicto predecessore, sicut domino placuit, rebus humanis exempto, ad apicem summi apostolatus divina favente clemencia assumpti, propter ipsius

Cardinalis a Romana Curia absentiam causam huiusmodi Venerabili fratri nostro Oliverio tunc tituli sancti Eusebii presbitero Cardinali, nunc vero Episcopo Albanensi, in eo statu, in quo antequam dictus Bartholomeus Cardinalis a dicta Curia se absentaret, remanserat primo, et deinde postquam ipse Olivierius Episcopus et Cardinalis in causa ipsa similiter ad nonnullos actus, citra illius conclusionem, inter partes ipsas processerat, dilecto filio Ausie tunc Archiepiscopo Montisregalis, nunc vero tituli sancte Sabine presbitero Cardinali, de ipsarum partium consensu resumendam, et ulterius audiendam et fine debito terminandam commisimus, et dictus Ausias Cardinalis in ea rite procedens diffinitivam pro dicto Demetrio Episcopo, et contra magistros civium et alios supranominatos ac litis consortes predictos cum expensarum condemnatione sentenciam promulgavit: a qua quidem sententia magistri civium et alii supranominati ac litis consortes predicti, illam iniquam fore falso asserentes, ad sedem appellarunt eandem. Nos vero causam posterioris appellationis eorum huiusmodi Venerabili fratri nostro Simoni tunc Antibarensi, nunc vero Patracensi Archiepiscopo similiter commisimus audiendam, ipseque Archiepiscopus in causa ipsa similiter rite procedens, prefati Ausie Cardinalis sentenciam per suam etiam diffinitivam cum simili expensarum condemnatione sentenciam confirmavit, que postea nulla provocatione legitima suspensa in rem transivit iudicatam, et propterea dictus Archiepiscopus litteras de et super dicta eius sentencia et in ea contentis decrevit executoriales: nichilominus tamen nos causam huiusmodi postmodum ex certis causis tunc expressis quondam Iohanni de Cesarinis primo, et eo vita functo, dilecto filio magistro Antonio de Grassis, Capellanis nostris et causarum sacri palatii auditoribus, sub certis modo et forma tunc similiter expressis successive audiendam inter alia commisimus et fine debito terminandam, ipsique Iohannes et Antonius auditores in ea ad nonnullos actus, citra tamen illius conclusionem, dicuntur processisse, ac dictus Antonius ex commissione desuper per nos sibi facta ad instantiam dictorum magistrorum civium et aliorum supranominatorum ac litis consortium predictorum remissoriam ad partes decrevisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, magistri civium et alii supranominati ac litis consortes predicti, et dilectus filius nobilis vir Iohannes Sybenherter in eadem diocesi commorans, dictasque decimas seu earum maiorem partem usurpans, et in suos damnabiles usus convertens, que dei sunt, deo reddere nolentes, causam huiusmodi in longum protrahere ac ipsum Demetrium Episcopum variis litibus involvere ac expensis fatigare conentur, pro parte dicti Demetrii Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut causam huiusmodi una cum toto negotio principali ad nos advocare, et alias ei in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, consideratione Carissimi in Christo filii nostri Mathie Hungarie Regis Illustris nobis humiliter super hoc supplicantis, statum et merita cause huiusmodi pro expressis habentes, illasque harum serie ad nos auctoritate apostolica advocantes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si vocatis magistris civium et aliis supranominatis ac litis consortibus et Iohanne predictis ac aliis, qui fuerint evocandi, de expositis et assertis legitime constiterit, prefatis magistris civium et aliis supranominatis ac litis consortibus predictis terminum ad deliberandum de solutione dictarum decimarum, prout alii nobiles et eorum circumvicini, et presertim in comitatu Soproniensi dicte diocesis, in quo degunt, solvere soliti sunt et solvunt, ac prefato Iohanni ad restituendum decimas per eum usurpatas, prefigas competentem. Et nichilominus si magistros civium et alios supranominatos, ac litis consortes prefatos super solutione decimarum huiusmodi et modo illas solvendi, et dictum Iohannem super restitutione decimarum per eum usurpatarum huiusmodi deliberare, et predictas decimas solvere, Iohannemque usurpatas per eum decimas, ut premittitur, restituere minime curare contigerit, seu illas solvere et Iohannem usurpatas decimas restituere recusaverint, ipsos et eorum quemlibet ad dictarum decimarum solucionem, ac Iohannem ad usurpatarum decimarum huiusmodi restitutionem, prout in actis cause huiusmodi deducitur et continetur, sub excommunicationis late sententie aliisque sententiis et censuris ecclesiasticis, ac aliis, de quibus tibi videbitur, penis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, cogas atque compellas, cum potestate sententias, censuras et penas predictas aggravandi, reaggravandi, et eosdem magistros civium et alios supranominatos ac litis consortes et Iohannem predictos interdicto ecclesiastico supponendi, ac prefatis magistris civium et supranominatis ac litis consortibus et Iohanni predictis de et super decimis huiusmodi perpetuum silencium imponendi, ac litem penitus extinguendi, et alia faciendi, que in premissis et circa ea fuerint quomodolibet necessaria sive oportuna, ac cum potestate prefatos magistros civium et alios supranominatos ac litis consortes et Iohannem predictos

etiam per edictum publicum, si fuerit necesse, citandi, et inhibendi hiis, quibus tibi inhibendum visum fuerit, totiens quotiens opus erit, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, veritati compellas testimonium perhibere, Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non posteriori commissione et aliis premissis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, aut si dictis magistris civium et aliis supranominatis ac litis consortibus et Iohanni predictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quo ad hoc ipsis nolumus aliquatenus suffragari. Datum Brachiani Sutrinensis diocesis Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, septimo Idus Augusti. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. bul. div. lib. X. fol. 385.

DCXLI.

Epo Zagrabiensi, ut causam super certis decimis inter epm capitulumque Iauriensis et Nicolaum de Zeech domicellum dirimat.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Zagrabiensi, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Demetrii Episcopi Iauriensis et dilectorum filiorum Capituli ecclesie Iauriensis petitio continebat, quod lite, causa et controversia dudum inter ipsos, et dilectum filium nobilem virum Nicolaum de Zeech domicellum Iauriensis diocesis exortis, de et super certis decimis frugum et vini, ac aliorum fructuum excrescentium in districtu et territorio de Belmura dicte diocesis, rebusque aliis tunc expressis, coram dilecto filio Ladislao preposito ecclesie sancti Thome martiris de Promontorio Strigoniensi, cui venerabilis frater noster Iohannes Archiepiscopus Strigoniensis, totius regni Ungarie primas et in partibus illis apostolice sedis legatus natus, illas sue legationis auctoritate audiendas et fine debito terminandas commiserat, pendentibus, dictus prepositus in illis sive causa huiusmodi rite procedens, diffinitivam pro Episcopo et Capitulo predictis et contra prefatum Nicolaum sententiam promulgavit, a qua dictus Nicolaus, illam iniquam fore falso asserens, ad sedem appellavit eandem, et super appellatione sua huiusmodi apostolicas ad abbatem monasterii de Borsmonstra dicte diocesis, eius proprio nomine non expresso, et certos alios ipsius in ea parte collegas tunc expressos sub certa forma litteras impetravit. Cumque dictus Nicolaus litteras ipsas dilecto filio Leonardo abbati dicti monasterii presentasset, idem abbas venerabili fratri nostro Georgio Episcopo Segoviensi super hoc commisit totaliter vices suas, dictusque Nicolaus Demetrium Episcopum et Capitulum prefatos, ut coram Georgio Episcopo predicto in loco Leybenicz Salzburgensis diocesis non insigni, et ubi copia peritorum non habetur, et ad quem propter guerras in illis partibus tunc vigentes Demetrio Episcopo et Capitulo predictis tutus non patebat accessus, in causa huiusmodi comparerent, citari fecit, unde pro parte Demetrii et Capituli predictorum sentientium ex hoc indebite se gravari ad sedem predictam fuit appellatum, et successive, quia dictus Georgius Episcopus, Demetrio Episcopo et Capitulo predictis aliter non vocatis seu citatis, in eodem loco litterarum et commissionis earundem pretextu in causa ipsa procedebat, quamprimum id ad eorum notitiam pervenit, sentientium etiam ex hoc indebite se gravari ad sedem fuit pro eorum parte denuo appellatum antedictam, et super appellationibus eorum huiusmodi apostolicas ad venerabilem fratrem nostrum Episcopum Vesprimiensem, et dilectum filium prepositum ecclesie Alberegalis Vesprimiensis diocesis litteras impetrarunt, earumque vigore fecerunt dictum Nicolaum in causa appellationum huiusmodi coram dilectis filiis Benedicto de Chepel Custode, et Iohanne Millerii Archidiacono Zaladiensi ecclesie Vesprimiensis, quibus venerabilis frater noster Albertus Episcopus Vesprimiensis super hoc vices suas commiserat, ad iudicium evocari, et iidem custos et archidiaconus in causa ipsa rite procedentes, sententiam dicti prepositi inter cetera per eorum etiam diffinitivam sententiam confirmarunt, a qua quidem posteriori sententia prefatus Nicolaus, illam similiter iniquam fore falso asserens, ad sedem appellavit eandem. Nos posterioris appellationis huiusmodi causam quondam Iohanni de Cesarinis, tunc capellano nostro et palatii apostolici causarum auditori audiendam et fine debito terminandam, sub certis modis et forma

tunc expressis commisimus, et postquam Iohannes auditor interim fuerat vita functus, Nos causam posterioris appellationis huiusmodi dilecto filio magistro Antonio de Grassis, similiter capellano nostro et causarum dicti palatii auditori ulterius audiendam et fine debito terminandam commisimus, et deinde ad instantiam dicti Nicolai asserentis, appellationem suam posteriorem huiusmodi inter alia ex certis causis tunc expressis vicio desertionis subiacere seu fore desertam, per quandam commissionem nostram eidem Antonio dedimus in mandatis, ut desertionis vicio huiusmodi non obstante, refectis tamen prius expensis in causa huiusmodi pro parte Demetrii Episcopi et Capituli predictorum factis, in causa ipsa ad ulteriora inter partes predictas procederet. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, decime prelatis de iure divino et humano debeantur, pro parte Demetrii Episcopi et Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut litem, causam et controversiam huiusmodi unacum toto negotio principali advocare, et alias eis in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, consideratione Carissimi in Christo filii nostri Mathie Ungarie Regis Illustris nobis super hoc humiliter supplicantis ac cupientis, ut decime prelatis solvantur, statum et merita litis, cause et controversie huiusmodi presentibus pro expressis habentes, illasque ad nos auctoritate apostolica advocantes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vocatis dicto Nicolao et aliis, qui fuerint evocandi, si de expositis et assertis huiusmodi tibi legitime constiterit, eidem Nicolao terminum ad deliberandum de solutione dictarum decimarum, prout alii nobiles in regno Ungarie solvere consueverint et soliti sunt, prefigas competentem; et nichilominus si Nicolaum predictum super huiusmodi decimarum solucione deliberare et illas solvere minime curare contigerit, ipsum Nicolaum ad dictarum decimarum solutionem, prout in actis litis, cause et controversie huiusmodi latius continetur, sub excommunicationis late sententie aliisque sententiis et censuris ecclesiasticis, ac pecuniariis et aliis, de quibus tibi videbitur, penis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, cogas atque compellas, cum potestate sententias, censuras et penas predictas aggravandi, reaggravandi, et eundem Nicolaum interdicto ecclesiastico supponendi, ac prefato Nicolao de et super decimis huiusmodi silentium perpetuum imponendi, ac litem ipsam penitus extinguendi et alia faciendi, que in premissis et circa ea fuerint quomodolibet necessaria et oportuna, ac cum potestate prefatum Nicolaum et quoscumque alios, etiam per edictum publicum, si necesse erit, citandi ac inhibendi hiis, quibus tibi inhibendum visum fuerit, totiens quotiens opus erit. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac posteriori commissione predicta, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, aut si dicto Nicolao vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quo ad hoc ipsis nolumus aliquatenus suffragari. Datum Brachiani Sutrinensis diocesis anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, septimo Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. bul. div. lib. X. fol. 388.

DCXLII.

Conceditur exemptio quibusdam monasteriis ord. S. Benedicti Colocensis, Vesprim. et Zagrab. dioecesium.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ad apostolice solicitudinis culmen, meritis licet insufficientibus, divina dispositione vocati, etsi singulorum fidelium cure nostre commissorum pacem et quietem procurare teneamur, de illis tamen, qui se voto religionis altissimo astrinxerunt, propensius cogitare nos convenit, ut semotis perturbationibus universis, illi, cui se sponte devoverunt, quietius et liberius valeant famulari. Sane pro parte dilectorum filiorum Eustachii Abbatis et Conventuum sancte Margarite de Sarab et sancti Nicolai de Babolza ac eiusdem sancte Margarite de Bela monasteriorum invicem canonice unitorum ordinis sancti Benedicti Colocensis, Vesprimiensis et Zagrabiensis diocesium nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim felicis recordationis Eugenius

papa IV. predecessor noster congregationem monachorum sub regulari disciplina viventium sancte Iustine Paduane, et nonnullorum aliorum monasteriorum ordinis sancti Benedicti diversarum civitatum et diocesium provida consideratione instituit, ipseque Eugenius ac pie memorie Nicolaus V., Calixtus III., Pius II. et Paulus etiam II. Romani pontifices predecessores nostri congregationem eorundem monachorum, ac eorum monasteria diversis etiam exemptionum et aliis privilegiis, concessionibus, indultis, prerogativis, gratiis, immunitatibus, indulgentiis et decretis in perpetuum muniverunt et decorarunt, propter que singuli monachi eiusdem congregationis in continua regulari observantia cum devotionis augmento extunc vixerunt, prout vivunt de presenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Eustachius Abbas et Conventus predicti, ac singuli monachi sancte Margarite et sancti Nicolai et de Bela monasteriorum predictorum, qui sub regula sancti Benedicti devotum altissimo exhibent famulatum, cupiant pro illorum pace et quiete, ac ut liberius altissimo famulari valeant, exemptionibus, privilegiis, concessionibus, indultis, prerogativis, gratiis, immunitatibus, indulgentiis et decretis eidem congregationi ac illius monasteriis et personis, ut prefertur, concessis gaudere, pro parte Eustachii Abbatis et Conventuum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut exemptiones, privilegia, concessiones, indulta, prerogativas, gratias, immunitates, indulgentias et decreta predicta ad Eustachium et pro tempore existentem dictorum monasteriorum Abbatem et Conventus predictos ac illorum singulos monachos extendere et ampliare, eisque alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui etiam congregationi et illius monasteriis ac personis predictis diversa exemptiones, privilegia, gratias, immunitates et decreta concessimus, exemptionum, privilegiorum, gratiarum, immunitatum et decretorum predictorum tam per nos, quam predecessores prefatos concessorum ac litterarum desuper confectarum tenores, ac si de verbo ad verbum presentibus inserti forent, pro expressis habentes, ipsosque Eustachium Abbatem et singulos monachos et personas dictorum Conventuum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, exemptiones, privilegia, concessiones, indulta, prerogativas, gratias, immunitates, indulta et decreta predicta, ac tam nostras quam eorumdem predecessorum litteras desuper confectas cum omnibus et singulis in eisdem litteris contentis clausulis, ad sancte Margarite, sancti Nicolai et de Bela monasteria, necnon Eustachium et pro tempore illorum Abbatem, ac Conventus et singulos eorum monachos et personas huiusmodi auctoritate apostolica tenore presentium imperpetuum ex certa scientia, durante regulari observantia, extendimus et ampliamus, ac volumus et eadem auctoritate decernimus, quod sancte Margarite et sancti Nicolai ac de Bela monasteria, necnon Eustachius et pro tempore Abbas et Conventus et monachi ac persone predicti exemptionibus, privilegiis, concessionibus, indultis, prerogativis, gratiis, immunitatibus, indulgentiis et decretis ac litteris sub quacumque verborum forma desuper confectis predictis perpetuo utantur et gaudeant, ac uti et gaudere possint et debeant monachi etiam quoad omnia, perinde ac si exemptiones, privilegia, concessiones, indulta, prerogative, gratie, immunitates, indulgentie et decreta huiusmodi eis nominatim, specifice et expresse concesse fuissent, ipsaque sancte Margarite, sancti Nicolai et de Bela monasteria eidem congregationi unita, annexa et incorporata forent, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus congregationis predicte iuramento, confirmatione vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, extensionis, ampliationis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXVIII. sexto Kal. Novembris. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. bul. div. lib. XLVI. fol. 124.

DCXLIII.

Concordia inter Mathiam regem Hungariae et Wladislaum regem Bohemiae inita.

Pactum concordie inter Regem Bohemie Wladislaum et Regem Ungarie Mathiam sancite, quo imprimis conventum est, quod uterque princeps in suo iure acquisito permaneat, et quilibet eorum titulo Regis integro Bohemie utatur; item quod prefatus Rex Mathias durante vita sua provincias et patrias Moravie, utriusque Silesie, et Lusatie, et sex civitatum cum omnibus pertinentiis libere et pacifice teneat. Datum in civitate Olomucensi die Lune in octava sancti Andree 1478.

In primis conclusum est, quod uterque princeps in suo iure acquisito permaneat tanquam dominus hereditarius, et quilibet eorum titulo Regis integro Bohemie, prout alii Reges Bohemie consueverunt, utatur, ita ut dominus Rex Mathias dominum Regem Wladislaum scribat Bohemie Regem, et dominus Rex Wladislaus ipsum dominum Mathiam Regem similiter nominet, et scribat Bohemie Regem: similiter subditi utriusque Regis erga utrumque facere debebunt.

Item conclusum est, quod Rex Mathias condescendat Regi Wladislao barones, militares, terras, civitates, et provincias quascumque tenet in Bohemia; similiter etiam Rex Wladislaus omnes civitates, terras, provincias, duces, barones, et militares quoscumque tenet in Moravia, et utraque Silesia, Lusatia et sex civitatibus prefato Regi Mathie condescendat.

Item conclusum est, quod postquam Rex Wladislaus terras, civitates, castra, oppida et provincias, duces, barones, militares in provinciis Moravia, utraque Silesia, Lusatia et sex civitatibus sub ditione sua existentes prefato Regi Mathie condescendat, statim et incontinenti omnes de Moravia et utraque Silesia, Lusatia ac sex civitatibus teneantur communiter prestare homagium Regi Mathie tanquam vero domino eorum et hereditario Bohemie Regi, et barones ac nobiles secundum consuetudinem erga dominos suos et Reges Bohemie ab antiquo observatam ipsum pro tali Rege suscipiant et teneant, sibique, et nulli alteri, tanquam eorum vero et hereditario Regi obediant, et postquam dominus Rex Mathias barones, militares, civitates, terras et provincias, quas in Bohemia tenet, prefato domino Wladislao condescenderit, illi in terra et corpore Regni Bohemie eundem dominum Wladislaum Regem similiter suscipiant, eique promittant, et secundum consuetudinem Regni ab antiquo observatam facere teneantur, sibique, et nulli alteri, tanquam eorum vero et hereditario Regi obediant: e converso autem Reges dictos subditos conservare in iuribus Regni et illarum terrarum, et privilegiis ab antiquo consuetis promittent, in quantum presenti dispositioni non obsistant.

Item conclusum est, quod prefatus Rex Mathias durante vita sua provincias et patrias Moravie, utriusque Silesie, Lusatie, et sex civitatum cum omnibus pertinentiis libere, quiete, pacifice, et absque omni impedimento, et conditione prefati Wladislai Regis, et regni Bohemie ac subditorum corone eiusdem teneat, possideat et utatur tanquam eorum verus et hereditarius dominus: similiter Rex Wladislaus provincias, barones, militares, civitates et loca in Bohemia libere, quiete et pacifice et absque omni impedimento prefati Regis Mathie teneat, possideat et utatur tanquam eorum verus Rex et dominus hereditarius.

Item conclusum est ad confirmandum pacem et amicitiam utrorumque Regum, et ne propter diversitatem successorum diversa mala et nove differentie oriantur, ut et quandocumque post obitum Regis Mathie dominus Rex Wladislaus, aut sui successores, seu Regnum Bohemie prefatas terras et provincias Moravie, utriusque Slesie, Lusacie et sex civitatum recipere, et reunire corpori Bohemie voluerint, illud facere possint libere, et sine ullo impedimento Regis Hungarie pro tempore existentis vel Regni Hungarie, modis et conditionibus infrascriptis.

Prima conditio est, quod quandocumque post obitum Regis Mathie Rex Wladislaus, vel eius successores voluerint dictas patrias et provincias ad Bohemiam recipere et unire, dare debeat ante omnia Regi Hungarie pro tempore existenti vel ipsi ducatorum seu florenorum hungaricalium bonorum quadringenta milia, et hoc pro iuris sui cessione.

Secunda conditio est, quia in illis terris Moravie, utriusque Slesie et Lusacie, et sex civitatum multa bona ad coronam pertinentia sunt varie impignorata, obligata, et variis modis alienata et distracta, si contingeret dominum Mathiam Regem aut successores eius ante solutionem predictorum quadringentorum milium florenorum in dictis terris Moravie, utriusque Slesie, Lusacie et sex civitatum, vel in aliqua earum aliquas terras, civitates, castra, oppida vel provincias, aut officia, thelonia, census et redditus quoscumque ad prefata dominia sua, et terras ab antiquo et de iure spectantia et pertinentia quibuscumque obligata et impignorata, aut alias alienata et distracta redimere, acquirere, et ad prefata dominia reducere et incorporare, ex tunc dicta summa illarum pecuniarum, quas in huiusmodi redemptionem, liberationem et acquisitionem darent, ultra summam quadringentorum florenorum milium computetur, et tempore solutionis ipsorum quadringentorum milium florenorum successores prefati domini Regis Mathie vel Regno Ungarie integraliter et sic persolvatur; si autem contingeret, ut aliquos remittere nolentes et satisfactionem iuxta inscriptionem ipsorum accipere renuentes iure belli prefatus Rex Mathias, aut aliquis successorum suorum cogeret ad remittendum, aut alias quocumque modo ter-

ras et bona acquirerent, ex nunc conclusum est, quod si huiusmodi renuentes tenebant bona impignorata ad cameram Regiam pertinentia, qualitercumque ipse dominus Rex Mathias, aut aliquis successorum suorum illa bona redimet, et ad manus suas Regias reducet sive bello, sive aliquo quocumque modo, nichilominus tempore solutionis summe capitalis non debebit maior summa pro illis bonis dari, quam prius fuerint impignorata et obligata, etiam si maior summa fuisset acquisita: de his autem bonis que reperientur, que etiam ad cameram Regiam pertinerent, et impignorata non essent, sed aliis modis occuparentur, qualitercumque dominus Rex Mathias vel eius successores ad manus suas reducerent, si tempore solutionis capitalis summe illa voluerit ad manus suas Regias dominus Rex Wladislaus, vel eius successores habere, tunc debet solvere expensas in illis acquirendis factas ad valorem ipsorum bonorum; vel si neutrum illorum voluerit facere, tunc huiusmodi et talia bona manebunt prefato domino Mathie, aut successoribus, aut illis, quibus ipse dominus Rex Mathias vel eius successores dederint, commiserint aut donaverint, et illa bona huiusmodi libere et quiete possidere debebunt pleno iure penes ius ipsorum bonorum, in quo ab antiquo sita sunt sub corona Bohemie. De bonis vero ad cameram Regiam non pertinentibus, que dominus Rex Mathias vel eius successores quomodolibet acquirerent, conclusum est, quod absque ullo impedimento domini Regis Wladislai et successorum suorum, aut Regni Bohemie libere remaneant ipsis, vel quibus ipse dominus Rex Mathias vel sui successores dederint, commiserint vel donaverint, in illo iure et libertate, in quo ab antiquo fuerunt sub corona Bohemie.

Tertia conditio est, quod dicte patrie et provincie Moravie, utriusque Slesie, Lusacie, et sex civitates integre cum omnibus pertinentiis suis post mortem prefati domini Mathie Regis remanebunt subiecte successoribus suis Regibus vel Regno Hungarie, et sub corone obedientia tanquam sub veris dominis suis, ipsique Reges successores, vel Regnum Hungarie plenum in eis utile et directum dominium habere debebunt, donec et quousque dicte summe tam capitalis, videlicet quadringentorum milium florenorum, quam redemptorum, prout dictum est, acquisitorum bonorum integre persolute fuerint, et supradictis articulis et conditionibus plene satisfactum erit, quibus adimpletis ex tunc et illico prefate provincie reincorporate et reunite erunt Regno et corone Bohemie, prout ab antiquo fuerunt: prefati tamen successores Hungarie Reges propter dominium predictum se Bohemie Reges scribere non debebunt, sed illarum terrarum domini erunt, donec et quousque dicta solutio fiet; cum autem dicte provincie homagium domino Mathie Regi uti vero et hereditario Bohemie Regi prestabunt, tunc et dictis successoribus Hungarie Regibus et Regno Hungarie etiam homagium prestabunt, non tanquam Regibus hereditariis, sed tamquam veris et directis eorum dominis usque ad integram solutionem prefate summe capitalis et redemptorum; et insuper his dominis dicte provincie cum pendentibus sigillis suis utrique Reges litteras dare tenebuntur in prefatorum Regum conventionem secundum minutas desuper conceptas.

Item conclusum est, quod quandocumque Rex Wladislaus vel eius successores prefatas pecuniarum summas reponere vellent, tunc significare suam huiusmodi voluntatem debent uno integro anno, antequam reponantur, et hoc per quattuor personas notabiles et litteras patentes ad Castrum Budense, vel ad aulam Regalem, ubi moris est Reges Hungarie coronari, et tales personas cum salvo conductu sufficienti provise esse debent, ut eo securius possint suam legationem peragere.

Item conclusum est, quod per medium annum antequam dicta pecuniarum repositio fiat, sex Prelati et Barones ex principalioribus Regni a Rege, vel Regno, vel solo Regno sede vacante, electi ex utraque parte ex Regnis Hungarie et Bohemie conveniant in oppidum Bruniense, et si aliqua difficultas vel differentia prefatarum summarum foret, concordent, ne postmodum aliquis error circa dictam repositionem pecuniarum posset evenire.

Item conclusum est, quod locus depositionis dictarum summarum pecunie sit campus aptus inter Shaitz et Straguitz in metis Regni Hungarie et Moravie, ad quem locum Prelati et Barones electi ex utraque parte compari modo et cum salvoconductu conveniant: qui Prelati et Barones ante omnia mutuo sibi invicem sub fide et honore promittant, quod illa negocia sine dolo et fraude sincere perficiant, prout presentes inscriptiones continent, ibique se honorifice honorantes Prelati et Barones Hungarie pecunias, Prelati vero et Barones Bohemie litteras suas recipiant. Ubi vero altera partium propter maiorem securitatem conduci optaret, ab altera per partem conducetur, et invicem cum omni humanitate, pure et fideliter, ut probos et fideles homines decet, tractare debent.

Item conclusum est, quod si contingat dictum Wladislaum Regem, vel aliquem ex suis successoribus facere mentionem de reponenda pecunia solemniter, ut premissum est, et postmodum in termino prefixo, scilicet unius anni spacio non reposuerit, totiens quotiens illud fecerit, ipso facto incurret penam centum milium florenorum hungaricalium simul cum capitali alia summa solvendorum: similiter si aliquis domini Regis Mathie successor vel Regnum Hungarie, postquam dictam solemnem avisationem acceperit, si termino prefato unius anni pecunias non levaverit, et litteras non restituerit, totiens quotiens hoc facto incurrat penam similiter centum florenorum milium de predicta summa capitali defalcandorum.

Item conclusum est, quod si Rex Mathias aut eius successores deinceps aliquas impignorationes facerent de bonis Regalibus in prefatis provinciis, quia illa summa defalcari debebit de summa capitali, hoc tamen salvo, quod si alique possessiones, castra vel oppida prius impignorata vel donata ad suam Maiestatem, vel successores suos per mortem, vel quemcumque alium modum devolverentur, illa possunt rursum impignorari, etiam eadem summa, sicut prius fuerant, aut donare, cui vult, et per hoc de summa capitali nichil detrahatur, que etiam ad cameram Regiam non pertinent. Et ad eum vel successores suos qualitercumque devenirent, devolverentur vel acquirerentur, de illis poterit tam ipse quam successores sui facere, disponere et donare, prout voluerint, ut supra positum est; que tamen bona teneri debebunt in illo iure, prout ab antiquo fuerunt sub corona Regni Bohemie.

Item conclusum est, quod si Rege Mathia vivente Regem Wladislaum sine heredibus legitimis decedere contigerit, et Barones ac communitates Regni Bohemie ex libera eorum voluntate ipsum dominum Mathiam Regem ad corpus Regni Bohemie in Regem acceptarent, sive eligerent, vel aliquem ex successoribus eius Regibus Hungarie in Regem similiter eligerent, et sua Maiestas, vel aliquis successorum eius similiter ex libera voluntate electionem ipsam susciperet, ex tunc coronatione facta statim omnes ille provincie Moravie, Slesie, Lusacie et sex civitates ad coronam Bohemie redigi, et sine aliqua solutione readiungi debent eo facto.

Item conclusum est, quod si qui ausu temerario domino suo Regi, in cuius sortem venient, se opponere, nec prout debent, obedire vellent, illos Rex ipse, cui obedire tenentur, corrigere poterit sine impedimento alterius Regis, et eos cogere ad obedientiam supra faciendam, signanter vero illos, qui domino, in cuius sortem venerunt, subiectionem facere nollent iuxta dispositionem pronunciatam, ad ipsam autem subiectionem faciendam si qui venient, fuerint, tunc domini Reges amice et fraternaliter se invicem adiuvare debebunt, ut illi ad subiectionem et obedientiam illius, cui cesserint, reducantur.

Item conclusum est, quod Episcopus Olomucensis et Marscalcus faciant ad Bohemiam domino Regi Wladislao, et quibus tenentur, id quod ex officio ab antiquo facere de iure consueverunt, absque tamen preiudicio subiectionis et obedientie, quam domino Regi Mathie et successoribus eius exhibere tenentur.

Item conclusum est, quod si quis circumpositorum Principum vel Baronum contra Regnum Bohemie aliquid attemptare, vel contra quemcumque dominorum Regum dictorum minus iuste et indebite, ac sine culpa ipsius Regis aliquid moliretur, ex tunc alter Rex alteri Regi contra talem auxilium ferre teneatur cum effectu iuxta exigentiam et conditionem ipsius negocii, hoc est pro magno maius, pro minore minus.

Item conclusum est, quod quia sunt aliqui inhabitatores Regni Bohemie, qui sub utroque Rege possessionem habent, ut faciant utrique Regum, quod de bonis suis facere debent, secundum consuetudinem patrie, in qua talia sita sunt; similiter etiam quoad subiectionem proprie persone.

Item conclusum est, quod malefactores nullibi foveri debeant, sed uterque dominorum Regum suis capitaneis et officialibus committant, quod se contra tales gerant secundum consuetudines provincie, que consuetudines in unaquaque provincia bene cognoscuntur, isto addito, quod si quis malefactor de Regno unius Regis in Regnum alterius, et de subiectione unius ad subiectionem alterius confugeret, ex tunc talis malefactor ad requisitionem capitanei illius provincie, unde confugit, teneatur per Regem illum, ad quem vel ad quod confugisset, extra dari, ut fiat de eo iustitia secundum consuetudinem illius patrie, ubi malefactum perpetravit.

Item conclusum est, quod si in prefatis pertinentiis ex una in alteram, videlicet ex Bohemia in Moraviam, vel econverso, aut in Slesiam, et ex altera predictarum vel econverso discordiam moveri, vel aliquod hostilitatis oriri contigerit, ex tunc capitanei vel alii officiales alterius partis in locis com-

petentibus, videlicet in metis, convenire teneantur, et providere, ne quis talium pullulare possit; sed unicuique sine dilatione iustitiam ministrare debebunt, ex parte Bohemorum in Bohemia, in Moravia Moravorum et sic de aliis, ita quod unaqueque provincia suis consuetudinibus et iure possit uti, sicut ab antiquo consuevit.

Item conclusum est, quod in die sancte Catherine Virginis proxime ventura celebretur una solennis dieta in Civitate Olomucensi, ad quam uterque Rex mittat solennes oratores suos cum plenissimo mandato ad publicandum solenniter istos articulos, confirmandum, ac etiam ad disponendum et ordinandum alia, que imposterum agenda erunt, et specialiter ad componendum immunitatis salvum conductum super conventione personali Regum ipsorum.

Item conclusum est, quod in prefata dieta Olomucensi eligantur per ipsos oratores Regum quatuor probi viri ex utraque parte, qui discernent et distinguent metas Regni Hungarie et Bohemie, et presertim metas Moravie, et quod oppida, castra, ville vel possessiones unius Regni non trahantur ad iura alterius Regni; sic conserventur in suis iuribus et consuetudinibus, prout ab antiquo tenta fuerunt.

Item conclusum est, quod pro ampliori certitudine mutue benevolentie et amicitie ambo Reges conveniant super festo Purificationis beate Virginis proxime venturo, dominus Rex Mathias intrare debebit ad civitatem Olomucensem, dominus vero Rex Wladislaus in Vinzom. Cum autem in ipsis duobus locis fuerint constituti, tunc de eorum voluntate super certo die in medio itinere inter ipsas civitates personaliter debebunt convenire, et de rebus utriusque opportune conferri. Quo facto uterque in suam civitatem redibit. In crastino vero, secundum quod ipsi duo principes convenient et inter se ordinabunt, dominus Rex Wladislaus venire debebit ad locum per maiestates eorum ordinatum.

Item conclusum est, quod salvi conductus utriusque Regis, super eorum conventione iuxta copias in prefata dieta Olomucensi conficiendi, debent poni super die trium Regum Epiphanie Domini salvusconductus domini Regis Mathie et Prelatorum et Baronum suorum apud Capitaneum Moravie in Thovivagonyn, salvus vero conductus domini Regis Wladislai, Ducum et Baronum suorum in pretorio Bruniensi.

Item conclusum est, quod super prefata die domini Reges convenient, etiam convenire debent subditi principales utriusque partis ex omnibus terris et dominiis ambarum partium sub corona Regni Bohemie in bono numero, et omnes cum pleno mandato et potestate previa virorum suorum, et presentem dispositionem et articulos conclusionum rata habeant atque firment, appositioneque sigillorum suorum roborent et confirment.

Item conclusum est, quod in illa conventione uterque Regum suis subditis litteras patentes dare teneatur, quibus recognoscat se unicuique, cuiusque status et conditionis existat, qui forsan stantibus guerris contra suam maiestatem aliquid hostiliter attemptaverit, omnia gratiose indulsisse et pepercisse, et quod de talibus nunquam amplius reminiscetur ad vindictam, neque aliquid innovabit directe vel indirecte, et nichilominus de securitate facienda super idemptitate et confirmatione civitatum Wolsernensis, Pilsne et Buverasser in Bohemia, Radisus et Vnzebu sive Nove Civitatis in Moravia.

Item conclusum est, quod illa fiant, que dominis Regibus videbuntur in eorum conventione, et prout ipse civitates optabunt.

Item conclusum est, quod cum Reges conveniant, tunc subditi utriusque partis istos tractatus et articulos sive dispositionem acceptare debeant et confirmare, prout conclusum fuerit.

Item conclusum est, quod ibidem in electione et conventione Principum inter Maiestates eorum fedus, obligatio et fraternitates firmari debent, ita ut invicem se diligant, alter alterius onera et commoda promoveat: et si imposterum qualiscunque dissensio inter eos orietur, unus contra alium arma movere propterea non debet, sed ad locum competentem et differentie deputatum uterque duorum Regum quatuor ex Baronibus suis mittat, que octo persone talem dissensionem componendi plenam habeant facultatem. Si vero isti octo per aliquam discrepantiam differentias inter se huiusmodi componere non possunt, propterea ab invicem non discedant, sed unum in arbitrum spiritualem vel secularem eligent, qui infra lapsum duorum mensium, postquam fuerit sententiatum, ferendi sententiam plenam habeant facultatem, et pars utraque, quod per eundem arbitrum diffinitivum fuit, inviolabiliter ac inconcusse observare teneantur.

Item conclusum est, quod super differentiis et dissensionibus, si que forte sunt inter dominum Mathiam Regem et dominum Casamirum Regem Polonie pro quibuscunque rebus, Rex Wladis-

laus sub suo salvoconductu consiliarios domini Regis Polonie secum adducere poterit; quin cum domino Rege Mathia conveniet, ubi etiam talis discordia inter Maiestates eorum componi poterit, ita ut omnium trium voluntates omnino sint unite. Si vero consiliarii Regis Polonie ab ipso domino Mathia Rege specialem salvumconductum habere optarent, tunc eis Maiestas sua dare et observare debebit: si vero ipse dominus Rex Polonie personaliter in dicta conventione Regum interesse voluerit, sibi dicto salvoconductu a Rege Mathia provideri debebit, ut partium presentium constantior amicitia et benivolentia inter ipsos firmetur. Poterit etiam dominus Rex prefatus Polonie ad proximam dietam inter oratores utriusque partis nichilominus celebrandam oratores suos mittere, si ei placuerit.

Item conclusum est ex parte obligationis ferendi auxilium contra eos, qui a corona Bohemie aliqua possident, ut ista res differatur quousque Maiestates eorum personaliter convenient, que sole de hac re inter se clarius conferent.

Item conclusum est, quod pro amicitia et perpetua confederatione inter duas coronas Hungorie similiter et Bohemie ineunda tractetur, et finaliter concludatur; similiter in conventione Regum.

Item conclusum est, quod ex parte differentiarum inter sedem apostolicam et Bohemos, postquam Maiestates eorum convenient, debebunt hoc negocium similiter pertractare, et videre de modo, quo tales differentie possint complanari, similiter et diligentiam facere et sollicitare, quod quidam Archiepiscopus in Regno ordinetur, qui ab omnibus decenter et honorifice honoretur, suscipique debebit et teneri, et ut sententia excommunicationis per dominum Paulum pontificem pie memorie promulgata tam a vivis, quam a mortuis auferatur, apud dominum Pontificem laboretur.

Item conclusum est, quod in eadem conventione Regum uterque ipsorum dominorum Regum duos ex subditis eligere et dare tenebitur, qui quatuor plenam auctoritatem habeant dietam indicere, et diem nominare ad tractandum de dannis utrique parti per alteram post confectas treugas, et post tractatus in Vradislavia conclusos illatis; et quod illi quatuor occasione talium damnorum unicuique decreverint, inviolabiliter hoc quilibet observet, et uterque dominorum Regum suos subditos, eos scilicet, qui talibus decretis parere recusaverint, ad hec faciendum compellat.

Item conclusum est de restitutione castrorum expugnatorum et satisfactione damnorum, que aliquis pro fideli servitio suo incurret. Quod in conventione Regum ponatur una generalis steura, ita quod dominus Rex Mathias ponat in provinciis suis, et dominus Wladislaus ponat in Bohemia, et uterque duos collectores vel plures secundum necessitatem, qui ipsam steuram colligant. Exinde eligantur quatuor probi viri ex utraque parte, duo qui habeant videre iura et causas damnorum, et illa prout equum est taxare, et tunc unusquisque Regum de steura sua reddat illos contentos, qui pro eo legitime passi sunt; additoque si quis maluerit castra sua quam pecunias, que redimantur pro tanto, quanto sunt inscripta, vel prout poterunt concordare partes, in quibus rebus quatuor electi se taliter habere debebunt, ac si res unius domini ageretur. Qui autem potius pecunias suas, quam castra habere vellent, teneantur iura et privilegia illorum dare his, qui nunc tenent, nec isti ulterius de iure respondere tenebuntur. Qui autem sic huic dispositioni stare nollent, sive ex his, qui damna passi sunt, sive ex his, qui inscriptionem habent, ipso facto a iure suo cadunt, nec ultra quemque sive de iure, sive de facto molestare possint.

Item conclusum est, prout in dieta Bononessoniensi (?) concordatum erat, quod omnia bona occupata, et non vi aut gladio acquisita, simpliciter sine aliqua solutione restituantur.

Item conclusum est, quod captivi omnes ex utraque parte libere et absque ulla taxatione in dieta proxima inter oratores Regum celebranda, omnibus perfectis et confirmatis, dimitti debeant: qui autem taxati erant, solvere teneantur.

Item conclusum est, quod in conventione Regum dominus Rex Wladislaus manumittat omnes et singulos cuiuscumque conditionis et status homines, ac civitates, qui intra limites Moravie, utriusque Slesie, sex civitatum et Lusacie eidem quomodolibet obligati essent, et eos liberos dicat, ex tunc debere pertinere ac subesse domino Regi Mathie primitus cum fideiussione accepta per Prelatos et Barones, qui cum ipso domino Rege Mathia essent, quod et ipse incontinenti obligatus sit intra corpus Bohemie, similiter manumittat idemque statim facta predicta manumissione per dominum Regem Wladislaum et complebit, et liberos dicet, et ex tunc libere pertinere ac subesse dño Regi Wladislao.

Item quamvis inter priores articulos inter serenissimos dominos Reges conclusos hic expresse caveatur, quod ipsi serenissimi domini Reges una cum eorum presentibus subditis ad festum Purifica-

tionis Marie proxime adfuturum convenire debeant, prout hoc in eorum presentibus articulis continetur: tamen nos considerantes pretactum terminum ad tam solemnem conventionem esse brevem, ex eo potissime, ut et serenissimus dominus Rex Polonie et plures alii principes convenire possent, ac etiam ut eo commodius ipsi et alii conveniant, vigore litterarum mandati nobis per prefatos serenissimos Reges datarum hoc expresse concludimus, quod prescripta conventio serenissimorum dominorum Regum ad medium quadragesime nunc future proxime fieri debeat. Quod si serenissimo domino Mathie Hungarie et Bohemie Regi hospitalitatis, aut alterius rei gratia ipsam conventionem adhuc ulterius differre placet, utpote ad festum sancti Sigismundi Regis, quod erit prima die mensis Maii xx. die prima pasce: nos oratores serenissimi Regis Wladislai domini Bohemie et consentimus, dummodo ipse serenissimus Rex Mathias serenissimum dominum nostrum Regem Wladislaum ad festum Epiphanie proxime futurum de hoc faciat certiorem; alioquin ipsa conventio ad medium quadragesime fiat, et quocumque illorum terminorum convenient, debebunt convenire ea firmitate, et cum illis modis et conditionibus, prout in eorum et presentibus nostris litteris clarius continetur. Nos igitur oratores prefati tum vigore prefati articuli, et ceteros articulos superscriptos per serenissimos dominos Reges conclusos, tum etiam vigore litterarum mandati nobis per antefatos serenissimos dominos Reges datarum omnes illos articulos, cum omnibus eorum pertinentiis et clausulis nomine et in persona prescriptorum serenissimorum dominorum Regum confirmamus, ratificamus, et per omnia approbamus publicamusque solemniter hac die datarum presentium in pretorio et platea huius Civitatis Olomucensis, ad laudem dei omnipotentis, ad utilitatem publicam, ac bonam amicitiam et firmitatem prefatorum serenissimorum Regum, nec non ad bonum statum et pacem et subditorum et Regnorum suorum. In quorum omnium fidem et testimonium nos prefati oratores litteras patentes sigillis nostris antedictis fecimus communiri. Datum in prefata Civitate Olomucensi die lune in octava sancti Andree Apostoli Anno domini MCCCCLXXVIII etc.

Ex Bibl. Vallicellana Cod. Lit. B. Nro. 19. fol. 171.

DCXLIV.

Ioannes de Aragonia card. S. Adriani mittitur legatus apostolicus ad Hungariae, Bohemiae et Poloniae reges etc. ut eos contra Turcas excitet.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Aragonia sancti Adriani diacono Cardinali, ad Ungarie, Bohemie et Polonie Regna ac universas et singulas provincias, civitates, terras et loca Carissimis in Christo filiis nostris dictorum Regnorum Regibus subiecta, et illis vicina seu adherencia apostolice sedis legato, salutem etc. Pro humani genere redemptione de summis celorum ad yma mundi descendens, mortem tandem unicus dei filius Iesus Christus subiens temporalem, ne gregem sui precio sanguinis redemptum ascensurus post resurrectionem ad patrem absque pastore desereret, ipsius curam beato Petro apostolo, ut sue stabilitate fidei ceteros in christiana religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera sue accenderet devotionis ardore, commisit. Unde nos licet immeriti eiusdem apostoli, disponente domino, successores effecti, et ipsius redemptoris locum, quamquam indigni, gerentes in terris, circa gregis eiusdem custodiam, ne lupus rapax obrepat, illumque sua versutia, ac dolo et fraude dissolvat, necnon a rectitudinis tramite deviare comprimat, solicitis vacare vigiliis et animarum saluti iugis attentione cogitationis intendere, submovendo noxia, et agendo profutura, debemus, ut excusso a nobis negligentie somno nostrique cordis oculis sedula diligentia vigilantibus animas deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Cum itaque, sicut prohdolor oculi cunctorum Christifidelium possunt luce clarius intueri, immanissimus Turchorum princeps, qui adversus dominicam crucem, in qua salvati et redempti sumus, sathane vexillum reprobo ausu et vasta temeritate errexit, et fundendi christiani sanguinis ardore nimis extuans, quin plurima et innumerabilia fidelium milia cruentissima strage afflixerit, et proximis defluxis annis insulam Euboyam et civitatem Nigropontis in propria persona invadens, sue tirannidi subiugavit, omnemque sexum nulla usus humanitate inibi crudelissime extinxit, et incepta elata cervice continuans, in dominiis Carissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti, necnon Foroiulio, quod in prima Italie provincia, eiusque limitibus situm est, et pluribus aliis christianitatis partibus atrocissimas incursiones peregit, pluriumque christianorum milia in predam miserabilem, turpemque servitutem redegit, ex quibus et pluribus victoriis per eum, christianis in domibus torpentibus, obtentis in tanta superbie et arrogantie flamma ela-

tus est, ut terra marique reliquas fidelium regiones invadere et debellare, sibique, si possit, universe christianitatis imperium tirannice usurpare presumat, in maximam divine maiestatis offensam, nostram et catholicorum regum et principum, aliorumque fidelium ignominiam, dedecus et iacturam, repetentes etiam animo non sine ampliori cordis merore, quot sacratissime patriarchales, metropolitane, cathedrales, alieque insignes ecclesie pene innumere, ac utriusque sexus regularium personarum monasteria, cenobia et pia loca prophanata, deformi ruine subacta, illorum ornamenta, cruces et calices aliaque divinis deputata misteriis conflata, destructa, ac quod lamentabilius est, sanctorum venerande reliquie conculcate, et innumeros sexus utriusque fideles ad damnatam Machometicam sectam sub dura servitute recipiendam fuisse compulsos, et nisi per catholicos principes tante temeritati tantoque furori celeriter occurratur, maiora semper detrimenta videntur verisimiliter propediem futura. Et cum nos ad huiusmodi necessitates explicandas, regesque, principes, potentatus, communitates et dominia hortandum, requirendum et monendum, ut semotis quibusvis dissidiis huic sancto operi vacent, ac se ad reprimendum ipsius perfide Turchorum gentis elatos conatus accingant, personaliter progredi non valeamus, ad huiusmodi presentes necessitates, quas et maiores in foribus et prope futuras, nisi protinus obvietur, cernimus, declarandas, de venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium consilio nonnullos ex eis legatos de latere ad diversas mundi partes, regnaque et dominia transmittendos duximus. Igitur ad Circumspectionem tuam, quam in agendis providam et in arduis nostris ac Romane ecclesie negotiis experientia comprobatam, ac litterarum et scientiarum doctrinis eminentem cognovimus, direximus oculos nostre mentis, de eadem Circumspectione sumentes in domino fiduciam specialem, quod ea, que tibi duxerimus committenda, ad laudem omnipotentis dei et sedis apostolice ac nostrum honorem, necnon communem christiani populi salutem cura ac diligentia pervigili adimplere curabis, ad Ungarie, Polonie et Bohemie Regna, necnon universas et singulas provincias, civitates, terras et loca eisdem Regnis subiecta, circumvicina et adherentia predicta, et precipue ad Carissimos in Christo filios nostros Mathiam Ungarie, qui expeditioni adversus ipsos crudelissimos Turchos vacare, ac invictos exercitus gentemque belligeram parare, ac ipsorum Turchorum ferocitatem reprimere consuevit, necnon Kazimirum Polonie Reges Illustres atque alios prefatarum singularum provinciarum ac civitatum, terrarum et locorum principes, comites, barones ac dominos, tanquam angelum pacis et celestis virtutis ministrum, nostrum et apostolice sedis legatum de latere transmittimus. Tu igitur munus hoc pro dei honore et nostro, ac sedis apostolice reverentia prompta devotione suscipiens, iuxta exquisitam tibi a domino datam prudentiam rebus in discrimine positis providere, et oportune consulere, facere et exequi non diferas, que necessaria et expedientia paci ecclesie et christianorum populorum saluti cognoveris. Nos autem, ut fructus, quos inde futuros expectamus, quantocius eveniant, tibi omnes et singulas differentias, tam si que essent, aut quod absit, exoriri contigerit inter memoratos Reges, quam quosvis alios, quacumque ecclesiastica vel mundana sint prediti dignitate, occasione regni Bohemie huiusmodi et quorumvis aliorum dominiorum subortas, et que forsan suboriri poterunt, audiendi, illasque sedandi et quietandi, necnon quosvis pacis tractatus et confederationes inter eosdem reges et principes ineundi, et si oportunum tibi visum fuerit, treugas ad tempus vel tempora, de quo vel quibus inter se concordaverint, indicendi, etiam cum censurarum exaggeratione observari faciendi et mandandi, ac etiam ad hoc unam vel plures dietam seu dietas in loco utrique partium tuto, in quo reges ipsi et persone, quas presens potest tangere negotium, per se vel oratores suos legitimos comparere possint, prout tibi visum fuerit expedire; similiter indicendi et statuendi, excitandique tam eosdem reges, quam omnes et singulos catholicos principes et populos, ut adversus eundem nefandissimum Turchorum principem pro defensione fidei, pro salute patrie et propria ac aliorum christianorum tuitione se ardenter opponant, ipsiusque reprobos conatus reprimere studeant, insuper cruciatam contra eosdem Turchos predicandi et ab aliis predicari faciendi, et crucesignatis contra eosdem Turchos pugnantibus vel ad id contribuentibus, non solum semel in vita, sed etiam in mortis articulo iuxta ordinationem tue circumspectionis, ut indulgentiam plenariam consequantur, concedendi, precipiendi quoque in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis late sententie pena quibuscumque ydoneis verbi dei predicatoribus secularibus seu cuiuscumque ordinis regularibus, ut fideles excitare et inflammare debeant ad huiusmodi insolentes ausus vi et armis reprimendos, et ut suis viribus ac facultatibus occurrant ad commune periculum propinquius repellendum, absolvendi insuper sic crucem assumentes, pugnantes vel contribuentes et conferentes ab omnibus ecclesiasticis

sententiis, censuris et penis, quibus forsan qualitercumque ligati sint, preterquam ab homine specialiter latis, nisi prius satisfactum fuerit, aut pars ad hoc suum prestiterit consensum, necnon cum eis dispensandi super irregularitate divinis se immiscendo vel ex apostasia quomodolibet contracta, et super occulte vel male perceptis ac bonis indebite acquisitis, in expugnationem dictorum Turchorum dumtaxat convertendis, concordandi et componendi; preterea super ipsa cruciata et congregando exercitu in ducem belli ac capitaneum unum vel plures conveniendi, ac nostro et ecclesie Romane nomine eligendi, deputandi et confirmandi, ut onus hoc ad laudem et defensionem fidei suscipere et fideliter gerere velit, et ut reliqui omnes ei obediant pariter et intendant, iniungendi ac precipiendi, necnon contra omnes et singulos tam salutaris negotii executionem impedientes, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, procedendi, transgressores excommunicationis et alias sententias, censuras et penas tam spirituales quam temporales in illis contentas incurrisse declarandi, penitentes et reverti volentes ad ecclesie gremium, si id humiliter petierint, in forma ecclesie consueta absolvendi: verum cum ad tante rei molem nostre et dicte Romane ecclesie minime suppetant facultates, ut res tam salutifera ad votivos et felices exitus deduci possit, alieno opus est auxilio, unam integram decimam omnium fructuum, reddituum et proventuum secundum verum valorem annuum quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum, aliarumque ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum secularium et quorumcumque ordinum regularium, etiam militarium, infra limites tue legationis existentium, ab omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis administratoribus, commendatariis et abbatibus, ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, ordinum etiam Carthusiensis et militiarum quorumlibet, exemptis et non exemptis, preterquam a dilectis filiis magistro, prioribus, preceptoribus et fratribus prioratuum, preceptoriarum et domorum hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui iugiter adversus infideles et ipsos Turchos bella gerunt, et se suaque exponunt, huiusmodi fructus, redditus et proventus infra metas dicte legationis habentibus, cuiuscumque preeminentie, dignitatis, status, gradus, religionis, ordinis vel conditionis existant, quibus aut eorum alicui nulla privilegia vel indulta sub quacumque verborum forma vel expressione concessa quo ad hoc volumus suffragari, pro defensione eiusdem fidei atque christifidelium exponendam, ut prefertur, solvendam et exigendam modo, quo tue circumspectioni ac discretioni magis ac convenientius videbitur conducere, bonam in hoc devotionem omnium et singulorum contribuentium conservando, necnon collectores et succollectores, viros utique providos, quos ad id deputandos duxeris, colligendam, et ut premittitur, in eandem sanctam expeditionem convertendam, imponendi, non obstantibus si Archiepiscopis, Episcopis, Electis, administratoribus et commendatariis, abbatibus, prelatis et aliis personis ecclesiasticis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sede sit indultum, quod ad solutionem huiusmodi decime minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, eiusque toto tenore ac propriis ipsorum ordinum, locorum et personarum nominibus et cognominibus mentionem, et quibusvis aliis privilegiis, exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis dignitatibus seu ordinibus supradictis generaliter vel specialiter, etiam sub quacumque verborum forma concessis, etiam si de eis eorumque totis tenoribus ac de verbo ad verbum in presentibus habenda foret mentio specialis, et contentis in eis clausulis specialiter foret derogandum, ceterum omnes et singulos cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, etiamsi pontificali prefulgeant dignitate, qui de huiusmodi exigendis decimis aliquod usurpare vel detrahere, aut in exigendo, colligendo vel conservando illos, fraudem vel deceptionem aliquam committere malitiose presumpserint, maioris excommunicationis sententia innodandi, omnibusque et singulis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, que obtinent, privandi, et ad obtinenda inhabilitandi, illosque tamen debita satisfactione previa absolvendi et rehabilitandi, necnon omnia et singula ad premissum salutare negotium necessaria seu quomodolibet oportuna, etiam si talia essent, que mandatum exigerent magis speciale, et in generali commissione non caderent, gerendi, disponendi, exercendi, faciendi, statuendi, ordinandi, mandandi et exequendi, necnon contradictores quoslibet per censuras ecclesiasticas et alia oportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, et si opus sit, auxilium brachii secularis invocandi plenam et liberam tenore presentium facultatem, licentiam et auctoritatem concedimus et impartimur. Tu igitur, dilecte fili, tam acceptum tamque meritorium negotium devota mente suscipiens,

te in illius executione sic sollicitum, ac verbo, opere et sermone studiosum et diligentem exhibeas, quod ex tuis laboribus, divina tibi favente gratia, sperati fructus adveniant, tuque per solicitudinem tuam, que pias causas gerentibus pro retributione impenditur, palmam glorie sempiterne consequi merearis. Et cum difficile admodum foret, presentes litteras ad singula, ubi ille necessarie forent, loca transferre, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod earum transumpto manu alicuius publici notarii subscripto fides adhibeatur, et illi stetur firmiter, sicut originalibus litteris, si forent exhibite vel ostense. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice MCCCCLXXIX. Kalendis Iunii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. bul. div. lib. II. fol. 157.

DCXLV.

Exemptio et concessiones factae per duos ep̄os Quinqueecclesienses quibusdam rectoribus et capellanis suae dioecesis confirmantur.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Cunctorum Christifidelium statui, prout ex suscepto servitutis tenemur officio, solertius intendentes, que pro ipsorum tranquillitate ac prosperis successibus perinde processisse dicuntur, libenter, cum a nobis petitur, ut omni tempore illibata perdurent, nostro munimine roboramus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Thome Iavorino Rectoris, plebani nuncupati sancti Petri apostoli intra et sancte Helene Regine extra parrochialium ecclesiarum invicem unitarum, necnon sancti Spiritus et sancti Ladislai ac omnium Sanctorum Capellarum extra muros Opidi Wylak Quinqueecclesiensis diocesis, et altarium in eisdem ecclesiis et capellis consistentium modernorum Rectorum, ac perpetuas capellanias in illis obtinentium petitio continebat, quod bone memorie Henricus Episcopus Quinqueecclesiensis ex certis causis tunc expressis Rectores Capellarum, capellaniarum et altarium predictorum, qui pro tempore forent, a solutione decimarum Episcopo Quinqueecclesiensi debitarum de fructibus excrescentibus in certis vineis tunc expressis perpetuo exemit, et ne ad synodum accedere tenerentur, gratiose concessit eisdem, affirmans, quod earundem ecclesiarum Rector pro tempore existens, plebanus nuncupatus, eosdem Rectores capellarum, altarium et capellaniarum, exigentibus excessibus et demeritis eorum, corrigere poterat et emendare. Et deinde decursis fere iam annis octo vel circa, Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Quinqueecclesiensis ex quibusdam causis dicto Thome Rectori ordinaria auctoritate concessit, ut nullus archidiaconorum et vicearchidiaconorum ac aliorum iudicum in partibus inferioribus dicte diocesis pro tempore constitutorum eosdem Rectores capellarum, altarium et capellaniarum, ut ad ipsorum archidiaconorum, vicearchidiaconorum et iudicum convocationes accederent, compellere, et ab ipsis procurationes ratione visitationis exigere, in ipsorum presentiam et per eosdem alios utriusque sexus homines citari, attestationesque testium et alias executiones per eosdem exequi facere, aut aliquam iurisdictionem super eosdem habere ullatenus valeret seu posset; sed ipse dumtaxat Thomas et eius successores dicte ecclesie Rectores plenam et omnimodam in eosdem Rectores capellarum, capellaniarum et altarium et alias personas dictarum ecclesiarum, Gratianos nuncupatas, institutionem et destitutionem, legitimam subiectionem et correctionem, iurisdictionem quoque causarum omnium ad forum utrumque tam spirituale quam temporale spectantium, visitationes etiam et conquisitiones et nonnulla alia superioritatis iura tunc expressa haberent, prout in quibusdam litteris eorumdem Episcoporum desuper confectis, quarum Henrici in earum transumpto autentico contentarum et Iohannis Episcoporum predictorum litterarum huiusmodi tenorem diligenter inspici, et obmissis caracteribus et signis presentibus annotari fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Thome et modernorum Rectorum capellarum, capellaniarum et altarium huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessionibus predictis pro illorum subsistentia firmiori robur nostre confirmationis adiicere, et pro potiori cautela capellas, altaria et capellanias huiusmodi ac illa pro tempore obtinentes ab earundem decimarum solutione de fructibus in vineis ad capellas, altaria et capellanias predicta pertinentibus, et que pia Christifidelium largitione in futurum pertinere contigerit, perpetuis futuris temporibus de novo eximere et liberare, ac omnia et singula per eosdem Episcopos, ut prefertur, concessa et indulta de novo concedere, aliasque ipsis in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui personarum quarumlibet presertim ecclesiasticarum prosperos successus intensis desideramus affectibus, illarumque incommodis, quantum cum deo possumus, obviamus, dictos Thomam et altarium, capellarum et capellaniarum Rectores predictos a quibuscunque excommunicationis, suspen-

sionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad presentium dumtaxat consequendum effectum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Henrici et Iohannis Episcoporum predictorum concessiones huiusmodi, et prout illas concernunt, omnia et singula in dictorum Episcoporum litteris predictis contenta, et inde secuta quecunque auctoritate apostolica presentium tenore approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac pro potiori cautela altaria, capellas et capellanias huiusmodi ac illa nunc et pro tempore obtinentes ab earumdem decimarum solutione de fructibus excrescentibus in vineis ad capellas, capellanias et altaria predicta pertinentibus, et que pia Christifidelium largitione vel alias in futurum pertinere contigerit, perpetuis futuris temporibus alias iuxta eiusdem Henrici Episcopi litterarum continentiam atque formam de novo eximimus et perpetuo liberamus, ac omnia et singula eisdem capellis, altaribus et capellaniis, et illa ac ecclesias predictas pro tempore obtinentibus per dictos Henricum et Iohannem Episcopos, vel quemlibet eorum, ut premittitur, concessa et indulta in litteris predictis de novo eis dicta auctoritate concedimus. Et nichilominus dilectis filiis maiori preposito et lectori ac archidiacono ecclesie Bachiensis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa, ubi, quando et quotiens expedire cognoverint, fuerintque desuper pro parte Rectorum predictorum aut alicuius eorum legitime requisiti, solemniter publicantes, ac prefatis nunc et pro tempore existentibus ecclesiarum et altarium ac capellaniarum huiusmodi Rectoribus efficacis defensionis presidio assistentes, faciant eos vel altaria ac capellanias huiusmodi reliquasve ecclesiarum predictarum personas in dictis Episcoporum litteris comprehensis concessionibus et indultis predictis pacifice gaudere, non permittentes eos per dictum Iohannem et pro tempore existentem Episcopum Quinqueecclesiensem, seu archidiaconos aut vicearchidiaconos predictos contra litterarum et concessionis ac indulti huiusmodi tenorem indebite molestari, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque, aut si pro tempore existenti Episcopo Quinqueecclesiensi ac archidiaconis et vicearchidiaconis predictis, seu quibusvis aliis communiter vel divisim a sede predicta indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Tenor vero litterarum et transumpti predictorum sequitur et est talis. Nos Henricus dei gratia Episcopus ecclesie Quinqueecclesiensis memorie commendamus, tenore presentium significantes omnibus presentes cernentibus, quod nostri veniens in presentiam honorabilis vir magister Andreas de Wylak Canonicus ecclesie Bachiensis nobis significare curavit in hunc modum, quomodo Rectores altarium in ecclesiis beati Petri et sancte Helene de Wylak nostre diocesis Quinqueecclesiensis prefate forent, qui omnes horas canonicas in ipsis ecclesiis ad laudem creatoris omnipotentis et sanctorum suorum omnibus diebus et noctibus a diuturnis temporibus decantare soliti essent, et decantarent imposterum, supplicans nobis in ipsorum altarium Rectorum personis, quatenus vineas ipsorum altarium usque modo altaribus ipsorum legatas, et eadem cum eisdem dotata paternaliter ob honorem beati Petri principis apostolorum et sancte Helene a solutione decimarum, alias nobis et ecclesie nostre prefate provenire debentium, eximere, ipsosque, ne ipse hore canonice per eorum ad sanctam synodum per nos pro tempore dante domino celebrandam, et quolibet anno fiendam, ingressum negligerentur, paternali cum favore supportatos habere dignaremur. Nos itaque supplicationibus ipsius magistri Andree, et quippe ob amorem beati Petri apostoli et sancte Helene, in quibus spem gerimus specialem, paternaliter inclinati, vineas talismodi altaristarum et ipsas horas canonicas ad laudem altissimi creatoris decantandas, demptis vineis patrimonialibus seu a patrimonio habitis et erga manus eorumdem existentibus, aliis etiam acquisitis seu in futurum quoquomodo a die datarum presentium acquirendis atque dotandis, quarum decimas nobis et diete ecclesie nostre provenire debere reservamus, a solutione decimarum eximentes, ipsos etiam Rectores altarium ab ingressu synodali perenne, eo quod plebanus locorum prefatorum ipsos ab eorum excessibus et demeritis exigentibus emendare et in possibilibus corrigere, prout per alias litteras nostras exinde confectas habet atque potest, duximus supportandos, harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Dat. Quinqueecclesiis in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum. Anno domini millesimo quadringentesimo tricesimonono. Iohannes dei et et apostolice sedis gratia Episcopus ecclesie Quinqueecclesiensis dilecto nobis in Chri-

sto honorabili magistro Thome de Iaurino, Canonico ecclesie de Rib ac plebano de Wylak nostre diocesis predicte, salutem paterna cum benedictione. In nostri personaliter constitutus presentia proposuisti, quomodo Rectores altarium et Capellarum in dicta Wylak existentes tibi subiecti singulas horas canonicas, diurnas videlicet et nocturnas, et alia divina officia in dicta tua ecclesia parrochiali altissimo creatori habent decantare, ipsi tamen per Archidiaconos et Vicearchidiaconos ac alios Iudices in partibus existentes plurimum molestarentur in eo, ut ipsos ad convocationem ipsorum ire compellant, procurationem visitationis exigant, nonnullasque personas utriusque sexus homines citari, attestationem etiam testium recipi, et alias executiones fieri mandent, propter quod et occasione cuius divina officia suo tempore in dicta tua ecclesia perfici debere negligerentur, supplicasti nobis humiliter, ut tibi et tue ecclesie super hiis paternaliter et gratiose providere dignaremur. Unde cum nos certis rationabilibus ex causis animum nostrum moventibus eosdem Rectores altarium et Capellarum, et alios Gratianos in dicta Wylak pro tempore existentes, presentes videlicet et futuros, in tuam tantum et tuorum successorum plebanorum canonice intrantium iurisdictionem cum omni obedientia et subiectione tibi et tuis successoribus exhibentes (sic), ob honorem beati Petri principis apostolorum et beate Helene Regine, in quorum sacris nominibus dicte ecclesie tue canonice unite in dicta Wylak existentes forent dedicate, quorum precibus hic foveri et in futuro eterno Regno premiari confidimus, commendantes imperpetuum annuimus, et gratiose animo deliberato auctoritate nostra ordinaria indulsimus, ut nullus omnino Archidiaconorum, Vicearchidiaconorum, et aliorum Iudicum in partibus inferioribus constitutorum vel constituendorum ipsos Rectores altarium et Capellarum, ac alios Gratianos ad ipsorum convocationem ire compellere, ab ipsisque procurationem visitationis exigere, in ipsorum presentias nec per eosdem alios utriusque sexus homines citari, attestationesque testium et alias executiones per eosdem exequi facere, et nec aliquam iurisdictionem super eosdem habere valeant atque possint; sed tu dumtaxat et tui successores canonice intrantes plenam et omnimodam, prout in aliis litteris nostris clarius continetur, habeas et habeant iurisdictionem. in cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes litteras nostras privilegiales sigilli nostri pendentis munimine roboratas duximus concedendas. Dat. Quinqueecclesiis in vigilia festi beati Laurentii martiris, Anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo. Iohannes dei et apostolice sedis gratia Episcopus ecclesie Quinqueecclesiensis dilecto nobis in Christo honorabili magistro Thome de Iaurino, Canonico ecclesie de Rib ac plebano de Wylak nostre diocesis predicte, salutem paterna cum benedictione. In nostri personaliter constitutus presentia proposuisti, quod quamvis Rectores altarium et Capellarum, necnon alii Gratiani infra limites parrochie tue predicte existentes, iuxta predecessorum nostrorum et nostrum Indulta tibi debite obedientes sint subiecti, tamen nonnulli forent ex eisdem, qui timore dei postposito nonnullis se pravis operibus implicant, et hinc inde inhoneste conversantur et divagantur, plures etiam ex eisdem vineas altarium ipsorum, ex quibus vitam ducere habent temporalem, incultas reliquissent, et quod deterius est, super aliis a te correctionem et emendationem suscipere nollent in ipsorum salutis dispendium ecclesieque tue predicte dampnum non modicum, supplicasti nobis humiliter, ut tibi et tue ecclesie super hiis paternaliter providere dignaremur. Unde cum nos cunctorum nostrorum subditorum status undique conspicere et ordine debito dirigere habeamus, considerantes, quia prefata ecclesia de Wylak admodum in remotis ad ecclesiam nostram Quinqueecclesiensem et quasi in fine nostre diocesis predicte existat, ab illincque ad nos quandoque sine discrimine tum propter insultus Turchorum et aliorum malorum hominum in viis insidiantium, tumve propter tenues eorum sumptus venire non possint, ob quod ipsi Rectores altarium et Capellarum ab ingressu synodali sunt exempti, necessarium fore circa ipsorum vitam correctionemque et emendationem sibi convenientes providere: tibi igitur et tuis successoribus canonice intrantibus auctoritate nostra ordinaria, qua fungimur, paternaliter indulsimus et indulgemus, ut inter tuos Rectores altarium et Capellarum ac alios Gratianos ac Capellanos presentes et futuros habeatis institutionem et destitutionem, legitimam subiectionem et correctionem, iurisdictionemque quoque causarum omnium ad forum utrumque tam spirituale quam temporale spectantium, visitationes etiam et inquisitiones super crimina, que emerserint, faciendi, testes quoscunque clericos aut laicos utriusque sexus homines de nostra diocesi pro eisdem citari facientes, et etiam cum pena solita, si mora fuerit, ad testificandum compellendi, convictosque secundum demerita puniendi, ieiunia panis et aque pro negligentia divinorum imponendi, et eadem, si necesse fuerit, cum pena suspensionis et interdicti observandi, in aliisque iustis et rationabilibus causis contra rebelles dicte suspensionis et in-

terdicti sententias legitime infligendi habeatis potestatem, quas, si animo, quod absit, contempserint indurato, incurrere volumus ipso iure, caventes tamen, ne in huiusmodi correctione modus et sacrorum Canonum statuta excedantur, cui nos nullomodo contraire volumus. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes litteras nostras privilegiales pendentis sigilli nostri munimine roboratas duximus concedendas. Datum Quinqueecclesiis vigilia festi beati Laurentii martiris Anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, exemptionis, liberationis, concessionis et mandati infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, Decimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. bul. div. lib. XVI. fol. 183.

DCXLVI.

Epo Moldaviensi, ut Ladislaum Thabiasi absolvat et rehabilibet.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Moldaviensi, salutem etc. Sedis apostolice copiosa benignitas recurrentium ad eam post excessum cum humilitate filiorum statui libenter consulere, eosque gratioso favore prosequi consuevit, quos ad id alias propria virtutum merita laudabiliter recommendant. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Ladislai Thabiasi Rectoris, Plebani nuncupati, parrochialis ecclesie, Plebanie nuncupate, sancti Nicolai de Eezeel Albensis, Transilvanensis diocesis, peticio continebat, quod cum olim ipse in Cancellaria Carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Ungarie Illustris ad scribendum deputatus esset, nonnullas litteras nomine ipsius Regis diversis dominis et officialibus ad administrandum iustitiam per eundem Regem, etiam in causis criminalibus, deputatis scripsit, quarum vigore nonnulli malefactores, eorum culpis et demeritis exigentibus, iustitia mediante per dictos dominos et officiales ad mortem condemnati et ultimo supplicio traditi fuerunt; cumque etiam ipse Ladislaus una cum dilecto filio Georgio Thabiasi, eius patre, per ipsum Regem ad officium Iudicature in dicto Regno deputatus fuisset, quendam hereticum Vallacum iuxta morem patrie palo figi, ac unum ex suis colonis, Iobasionibus nuncupatis, patibulo suspendi, morte subsecuta, eorum demeritis exigentibus, et iustitia etiam mediante, fecit et mandavit; nonnulli etiam alii homines per eiusdem Ladislai officiales, quamvis eo inscio et non mandante, pro executione iustitie etiam neci traditi fuerunt. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Ladislaus in morte predictorum alias culpabilis non fuerit, ac de premissis ab intimis doleat, cupiatque ex singulari devotionis affectu ad omnes etiam sacros ordines promoveri, pro parte dicti Ladislai nobis fuit humiliter supplicatum, ut eum ab excessibus huiusmodi nec non reatu homicidii, quem propterea incurrit, absolvere, ac secum super irregularitate, quam premissorum occasione contraxit, dispensare, aliasque sibi statuique suo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur illius in terris vices gerentes, cui proprium est misereri semper et parcere, volentes eundem Ladislaum, qui, ut asserit, de nobili genere ex utroque parente procreatus existit, et premissorum occasione ad Romanam Curiam non sine magnis laboribus et expensis personaliter venit, ac parrochialem ecclesiam, Plebaniam nuncupatam, sancti Nicolai de Eezeel Albensis, Transilvanensis diocesis, obtinet, alias apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, ipsumque Ladislaum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, ac aliis ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, nec non fructuum, reddituum et proventuum dicte ecclesie verum annuum valorem presentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eundem Ladislaum, si hoc humiliter petierit, a reatu homicidii et aliis excessibus predictis auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda; et nichilominus secum super irregularitate per eum premissorum occasione contracta, quodque ad omnes etiam sacros ordines promoveri, et in illis ac aliis per eum susceptis ordinibus, citra tamen altaris ministerium, ministrare et ecclesiam predictam retinere, nec non quecumque, quotcumque et qualiacumque alia beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, se invicem et cum eadem ecclesia compatientia, etiam si canonicatus

et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, seu in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si sibi alias canonice conferantur, aut eligatur, presentetur vel assumatur ad illa, recipere et quoad vixerit retinere libere et licite valeat, et ratione ipsius ecclesie ad aliquem ex sacris ordinibus predictis, donec secum, ut in altaris ministerio ministrare possit, dispensatum fuerit, se promoveri facere minime teneatur, nec ad id a quoquam invitus coarctari valeat, auctoritate predicta dispenses, omnemque inhabilitatem et infamie maculam sive notam per ipsum Ladislaum premissorum occasione contractam penitus aboleas. Non obstantibus premissis ac apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, tertio Nonas Februarii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. bul. div. lib. XIII. fol. 271.

DCXLVII.

Ioanni card. S. Adriani, legato in Hungaria, causa a Rota advocata inter epum Zagrabiensem et comitem Zagoriae super non solutis certis decimis committitur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni sancti Adriani diacono cardinali, in regno Ungarie apostolice sedis legato, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Osualdi Episcopi Zagrabiensis petitio continebat, quod cum olim ipse dilectos filios nobilem virum Georgium Comitem Zagorie et nonnullos alios nobiles ac colonos et laboratores, aliosque incolas cultelli decimalis Warasdiensis Zagabriensis diocesis, ut sibi decimas consuetas ex terris et possessionibus, quas excolebant et excoli faciebant, persolverent, per tunc officialem Foranensem in ecclesia Chasmensi dicte diocesis moneri fecisset, ipseque officialis comitem, nobiles, colonos et laboratores ac incolas prefatos pro eo, quod decimas huiusmodi solvere recusabant, excommunicationis sententia innodasset, ac excommunicatos publice nuntiari fecisset, pro parte comitis, nobilium ac colonorum, laboratorum et incolarum predictorum minus veraciter pretendentium ex hoc indebite se gravari, ad curiam Colocensem loci metropolitani extitit appellatum: cumque officialis dicte curie in causa appellationis huiusmodi ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, processisset, bone memorie Stephanus tituli sanctorum Nerei et Achilei presbiter cardinalis, qui etiam ecclesie Colocensi ex commissione et dispensatione sedis apostolice preerat, causam huiusmodi ad se advocans, illam quondam Blasio tunc preposito ecclesie Bachiensis, que et dicta ecclesia Colocensis invicem canonice unite sunt, audiendam commisit et fine debito terminandam, qui in ea rite procedens diffinitivam pro Osualdo Episcopo et contra comitem ac alios supradictos sententiam, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, promulgavit, cui cum comes et alii predicti parere contumaciter recusarent, idem prepositus illos excommunicationis sententia similiter innodavit, ac fecit et mandavit excommunicatos publice nunciari, a quibus pro parte comitis et aliorum predictorum fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam ultime appellationis huiusmodi ac illius nullitatis et defectionis dilecto filio magistro Gaspari de Theramo, capellano nostro et causarum palatii apostolici auditori, ad instanciam comitis et aliorum predictorum audiendam commisimus et fine debito terminandam: et deinde postquam ipse Gaspar auditor in causa sibi commissa huiusmodi ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, processit, nos sibi per quandam specialem commissionem nostram mandavimus, ut refectis per comitem et alios prefatos expensis pro parte predicti Episcopi in huiusmodi causa factis, causam etiam negocii principalis audiret, et fine debito terminaret, qui postquam in illa ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, processerat, nos causam ipsam dilecto filio magistro Guillermo de Perreriis, etiam capellano nostro et eiusdem palatii causarum auditori, ex certis causis audiendam commisimus et fine debito terminandam, qui in illa ad nonnullos actus, etiam citra conclusionem, dicitur processisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, de meritis cause huiusmodi in partibus illis, quam in Romana curia, melius liquere possit, pro parte tam Carissimi in Christo filii nostri Mathie Ungarie Regis Illustris, quam dicti Osualdi Episcopi nobis fuit hu-

militer supplicatum, ut causam huiusmodi ad nos advocare, illamque aliquibus probis viris in partibus illis audiendam et fine debito terminandam committere, ac alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cause huiusmodi statum presentibus pro expresso habentes, illamque ad nos harum serie advocantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te ipsum, seu te alias impedito Venerabilis frater noster Episcopus Vesprimiensis, vocatis comite et aliis supradictis ac aliis, qui fuerint evocandi, causam huiusmodi audiatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari: testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede predicta deputati extra civitatem vel diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere presumant, et de duabus dietis in concilio generali edita, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dummodo aliquis ultra quatuor dietas a fine sue diocesis auctoritate presentium ad iudicium non trahatur, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si comiti et aliis supradictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXIX. quinto Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. bull. div. lib. XIII. fol. 491.

DCXLVIII.

Nicolaus electus Tinniensis et Benedictus de Chepel Osvaldo epo Zagrabiensi constituutur conservatores.

Sixtus episcopus etc. Dilectis filiis Nicolao Electo Tiniensi et in diocesi Vesprimiensi commoranti et Benedicto de Chepel Canonico ecclesie Vesprimiensis, sal. etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Osualdi Episcopi Zagabriensis peticio continebat, quod alias quondam Iohannes Bohemus, alias Panyar, comes Zagorie et Iohannes Erdegh de Maryasowycz, dum in humanis agerent, et dilecti filii Nicolaus Gasthalowcz, Nicolaus de Zuhodol, Osualdus Althafayl de Egedowcz armigeri Zagabriensis diocesis ecclesiam Zagabriensem ac Curiam Episcopalem Zagabriensem machinis, et nonnulla Castra in eadem diocesi consistentia et ad mensam episcopalem Zagrabiensem spectantia destruxerunt, ac alia diversa damna eidem mense intulerunt in animarum suarum periculum, ipsorumque Episcopi et mense preiudicium non modicum et gravamen. Quare pro parte eiusdem Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut omnes et singulas, quas ipse Episcopus adversus dilectos filios nobiles viros Georgium et Wilhelmum comites Zagorie Iohannis Boemi, Nicolaum presbiterum, Gregorium et Ulricum laicos Iohannis Erdegh predictorum natos ac alios heredes, necnon Nicolaum de Gathalowcz, Nicolaum de Zuhodol, ac Osualdum Althfayl prefatos et eorum singulos super damnis huiusmodi et illorum occasione movere intendit, causas aliquibus probis viris in partibus illis committere, ac alias ei in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, vocatis Georgio et Wilhelmo comitibus, Nicolao presbitero, Gregorio et Ulrico ac aliis heredibus, necnon Nicolao de Gathalowcz, Nicolao de Zuhodol ac Osualdo Althfayl prefatis, et eorum singulis ac aliis qui fuerint evocandi, auditisque hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Non obstantibus felicis recordationibus Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si Georgio et Wilhelmo comitibus, Nicolao presbitero, Gregorio et Ulrico ac aliis heredibus, necnon Nicolao da Gathalowcz, Nicolao de Zuhodol ac Osualdo Althfayl prefatis, vel qui-

busvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quoad hoc ipsis nolumus aliquatenus suffragari. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominice MCCCCLXXIX. Idibus Martii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. bul. div. lib. XVII. fol. 234.

DCXLIX.

Reformantur quaedam in statutis canonicorum ecclesiae Albaeregalis.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam in hiis potissime, que felicem ecclesiarum, presertim collegiatarum insignium et apostolice sedi immediate subiectarum, statum ac divini cultus conservationem et augmentum concernunt, nostra iugiter versatur intentio, cum exinde Christi fidelium devotio plurimum augeatur, ideirco ad ea libenter operarias manus apponimus, per que cultus ipse conservari et ampliari, ac ecclesie predicte prosperis cum dei honore proficere valeant incrementis. Sane pro parte dilectorum filiorum prepositi, Capituli et canonicorum ecclesie de Albaregali sedi apostolice immediate subiecte, Vesprimiensis diocesis, nobis nuper exhibita peticio continebat, quod licet in ipsa ecclesia, que admodum insignis et pre ceteris ecclesiis collegiatis in regno Ungarie consistentibus tam apostolicis, quam regalibus privilegiis et libertatibus dotata et decorata existit, per Capitulum et canonicos prefatos ac alias in dicta ecclesia perpetuos beneficiatos, inibi personaliter residentes, cum pace et tranquillitate ac magna fidelium devotione et consolatione divina officia semper retroactis temporibus inibi celebrari et personaliter deserviri consueverint, tamen ab aliquibus citra temporibus nonnulli ex Capitulo et canonicis ecclesie predicte terrena celestibus preferentes, servitium dicte ecclesie relinquere et per curias principum secularium vagari et discurrere, seque ad illorum servitia applicare et rebus profanis ac privatis immiscere non veriti fuere, ac in dies peramplius non verentur, et quod peius est, favoribus, minis et dictorum principum litteris Capitulum prefatos ac canonicos in dicta ecclesia residentes, oneraque illius diurnis et nocturnis temporibus perferentes ad respondendum ipsis canonicis absentibus ex fructibus, redditibus et proventibus dicte ecclesie, qui in unam massam recolliguntur et inter presentes ac onera huiusmodi perferentes describuntur, de portione et distributione, que ipsos ratione canonicatuum et prebendarum suorum, si personaliter residerent, oneraque huiusmodi perferrent, concernunt ac ad eos pertinent, cogere et compellere procurant, atque omnibus, quibus possunt, mediis, licet illicitis, innituntur, ex quo multiplices defectus et negligentie in dies in ecclesia predicta circa divinum cultum huiusmodi committuntur, et presentibus se absentandi et vagandi, quodque remissiores ad divina efficiantur officia, orianturque inter presentes et absentes occasione portionis et distributionis huiusmodi iurgia et dissensiones, et discordie prebeatur occasio in non modicum divini cultus in ipsa ecclesia preiudicium, ac malum exemplum et scandalum plurimorum. Verum si statueretur et ordinaretur, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nulli canonico absenti ex fructibus, redditibus et proventibus predictis portio aut distributio aliqua daretur, nisi saltem duarum partium Capituli predictorum et duorum ex constitutis in dignitate in ecclesia predicta, qui causas absentie dictorum canonicorum sic absentium haberent examinare, expressus accederet assensus, ex hoc profecto statui dicte ecclesie ac divini cultus inibi conservationi plurimum consuleretur: quare pro parte eorundem prepositi, canonicorum et Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis ac ecclesie predicte indempnitati super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui statum ecclesiarum quarumlibet in melius dirigi, ac divinum cultum in illis vigere et augeri nostris potissime temporibus intensis desideramus affectibus, volentes desuper debite providere, ac canonicos ipsos, ut merito debent, ad residendum in ecclesia predicta inducere, omnemque vagandi occasionem ac dissensionum materiam de medio tollere, huiusmodi supplicationibus inclinati, hac nostra irrefragabili constitutione perpetuo duratura, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nulli canonico absenti ex fructibus, redditibus et proventibus predictis portio aut distributio aliqua detur, nisi saltem duarum partium Capituli predictorum et duorum ex constitutis in dignitate in ecclesia huiusmodi, qui causas absentie dictorum canonicorum sic absentium habeant exanimare, et qui absen-

tes debeant reputari, declarare, expressus accedat assensus, exceptis tamen in Romana curia residentibus et litterarum studiis in locis, in quibus illa vigeant generalia, existentibus, privilegium super hoc ab eadem sede habentibus, auctoritate apostolica tenore presentium statuimus: decernimus pariter, et ordinamus Capitulo et canonicis sub suspensionis a divinis et interdicti ecclesiastici, ac preposito pro tempore existenti singulisque canonicis et personis ecclesie predicte sub excommunicationis, ac etiam suorum beneficiorum privationis late sententie penis, quas eo ipso incurrant, districte precipiendo mandantes, Capitulo videlicet, ne ipsi talibus absentibus contra statutum et decretum ac ordinationem huiusmodi aliquid dare et tradere, absentibus vero canonicis predictis, ne aliquid petere, exigere vel recipere, nec per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, quovis quesito colore seu ingenio Capitulum et canonicos pro tempore residentes premissorum occasione molestare vel perturbare, seu molestari vel perturbari facere, permittere aut procurare audeant atque presumant, quodque omnes et singuli in futurum in ipsa ecclesia in canonicos recipiendi in eorum receptione de observando statutum, decretum et ordinationem huiusmodi iuramentum corporaliter prestare teneantur, quodsi facere contempserint, eorum receptio nulla sit et esse censeatur, nec pro canonicis reputentur, nec se gerere presumant. Quocirca cupientes, ut presentium litterarum votivus succedat effectus, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Colocensi et Episcopo Vaciensi, ac dilecto filio preposito ecclesie Strigoniensis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras predictas ac premissa omnia et singula in eis contenta, ubi et quando expedierit, fuerintque desuper requisiti, solemniter publicantes, ac preposito, Capitulo et canonicis in premissis eisdem efficacis defensionis presidio assistentes, faciant litteras et in eis contenta huiusmodi inviolabiliter observari, non permittentes prepositum, Capitulum et canonicos predictos in ipsa ecclesia residentes, seu eorum aliquem contra tenorem litterarum predictarum quomodolibet impediri seu molestari, Contradictores per censuram etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque; aut si canonicis pro tempore absentibus predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostrorum statuti, decreti, ordinationis, mandati et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXX. tertio Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. bul. lib. LXXXI. fol. 136.

DCL.

Regi Hungariae, ut Georgium epm Nonensem iuribus suis frui sinat.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime etc. Venerabilis frater Georgius Episcopus Nonensis, sicut nobis exponi curavit, habet in locis dominio tuo subiectis nonnullas terras et possessiones ad ecclesiam suam Nonensem pertinentes, pro quarum capienda possessione cum impresentiarum illuc mittat, et nos de favore apud Maiestatem tuam requisiverit: idcirco attenta sua honesta petitione, eandem Maiestatem tuam hortamur in domino ac requirimus, ut pro nostra et apostolice sedis reverentia et tua Regia probitate, qui ecclesiarum, personarum et rerum iura soles semper more catholici et religiosi principis tueri et conservare, velis efficere ac permittere, ut libera atque expedita dictarum terrarum possessio et fructuum earundem perceptio eidem Episcopo vel suo procuratori tradatur. Erit res tue Celsitudini honorifica, nobisque pergrata. Datum Rome etc. die XXVII. Octobris MCCCCLXXX. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. brev. lib. XIII. fol. 138.

DCLI.

Epo Vesprimiensi, ut precibus Mathiae regis de civitate Budensi ornanda accedat.

Episcopo Vesprimiensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater etc. Exponi nobis fecit Carissimus in Christo filius noster Mathias Hungarie Rex Illustris, quod in civitate seu oppido Bude tue diocesis consuetudo est, quod domus ac pensiones seu responsiones domorum ecclesiis et piis locis inibi constitutis a Christifidelibus

sepe legantur, et quod ex eo plerumque domus ipse destruuntur, et deteriorantur non sine deformitate ipsius civitatis, et incolarum ac civium illius preiudicio. Unde cum cupiat ipse Rex suam civitatem ornare, humiliter nobis supplicari curavit, ut statuere et concedere dignaremur, quod quotiescunque alique domus aut pensiones, seu quevis responsiones domorum in dicta civitate constitutarum legari, donari aut dimitti contigerit quibuscunque ecclesiis seu piis locis, rectores ipsarum ecclesiarum et locorum domos predictas infra annum vendere, et precium inde proveniens in alia bona stabilia convertere teneantur: et si pensiones aut, ut prefertur, responsiones fuerint, pari modo infra annum astringantur responsiones ipsas remittere, postquam a dominis domorum requisiti fuerint, et in recompensam talis remissionis decem ducatos pro quolibet ducato pensionis et responsionis huiusmodi persolverint aut deposuerint, qui etiam in alia stabilia bona pariter convertantur; quibus sic et prefato modo persolutis, dicte domus libere et franche sint perpetuo et censeantur, attento quod ita et decori civitatis et utilitati ecclesiarum providebitur. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue committimus, quatenus si de premissis diligenter informatus ea in evidentem ecclesiarum et piorum locorum ipsorum utilitatem cedere cognoveris, super quo tuam conscientiam oneramus, premissa omnia et singula libere et licite modo et conditione predictis fieri posse tenore presentium auctoritate nostra statuas et decernas, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome etc. die xiv. Decembris mccccLxxx. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. brev. lib. XIII. fol. 233.

DCLII.

Conceditur plenaria indulgentia anni iubilaei visitantibus quandam ecclesiam in dominio regis Hungariae et Bohemiae per epm Vesprimiensem statuendam.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Divinus amor et christiane religionis zelus ac caritas proximi, pastoralis quoque officii debitum nos perurgent, ut ea vigilanti cura meditemur, et apostolica auctoritate largiamur, que animarum salutem et Christifidelium commoditatem concernunt, ipsosque fideles deo acceptos reddant, ut per bona opera expiatis variorum criminum et peccatorum culpis, quibus homines sese humana fragilitate devincti involverint et involvunt, piissimus salvator noster a nobis flagella iracundie sue, que pro huiusmodi excessibus iuste patimur, multa miseratione avertat, et pro nobis pugnando perfidissimorum et immanissimorum Turchorum rabiem, fidem et ecclesiam catholicam delere molientium, conterat dextera potencie sue. Sane cum longo tempore fideles Ungari pro divini nominis gloria et honore ac christiane fidei defensione adversus immanissimos Turchos intrepide animo indefesso pugnaverint, quanta ex huiusmodi sic continuato longissimo tempore bello Carissimus in Christo filius noster Mathias Ungarie et Bohemie Rex et eius genitor, ac alii antecessores sui Ungarie Reges subierint incommoda et onera expensarum, quotve labores pertulerint, et uberes fructus attulerint eorum sic continuata prelia memorata, et allatura sint imposterum ad Turchorum eorumdem etiam ex Italia expulsionem, universo pene orbi innotescit; fatigati enim per Ungaros Turchi suas pro eorum ab Ungaris defensione vires cumulare, et a iam cepte per eos invasionis Italice occupatione desistere, Idruntinamque civitatem, quam superiori estate in Apulia occuparunt, deserere cogentur inviti, poteruntque postea etiam christianorum vires utilius cumulari contra eos: et cum eidem Regi ad premissa non suppetant amplius Regie facultates, sed sint aliorum suffragia plurimum oportuna, nos cupientes oportune providere, ut non desit sibi copia facultatum pro belli sui huiusmodi continuacione, et id efficere nequeuntes habundanter, ut vellemus, ob ingentia onera expensarum, quas nos necessario subire oportet pro defensione fidei memorate, expedire putavimus eiusdem Regis subditos et alios Christifideles ad exhibendum sibi in tanta necessitate fidei pia suffragia, indulgenciis scilicet et peccatorum remissionibus invitare, et eapropter de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod omnes et singuli Christifideles vere penitentes et confessi, qui aliquam ex ecclesiis locorum dominii dicti Regis, designandis per Venerabilem fratrem nostrum Epm Vesprimiensem, aut ab eo ad id auctoritatem habentem, intra terminum ad id statuendum per eundem Episcopum, seu ab eo auctoritatem habentem devote visitaverint, et ad premissam fidei catholice defensionem de bonis eis a deo collatis in capsis vel cistis in eisdem ecclesiis ad hoc ordinandis per prefatum Episcopum, seu ab eo auctoritatem habentem, tantum immiserunt, quantum idem Episcopus, seu ab eo auctoritatem habens,

immitti debere ordinabit, illam prorsus plenariam indulgentiam anni iubilei et peccatorum suorum omnium remissionem, ac cum altissimo reconciliationem exinde consequantur, quam consecuti fuissent, si anno iubilei dictorum apostolorum basilicas et alias ecclesias alme Urbis visitassent, et alia, que pro ipsa indulgentia anni iubilei consequenda necessaria erant, adimplevissent. Et ut illi, qui huiusmodi indulgentie voluerint esse participes, conscientie pacem et anime salutem, deo propicio, facilius consequi valeant, Episcopo prefato et hiis, quibus in hoc vices suas duxerint committendas, deputandi in ecclesiis visitandis huiusmodi ad effectum indulgentie predicte consequende aliquos confessores scientia, vita, moribus et etate ydoneos in numero sufficienti, de quo sibi videbitur, qui confluentium ad ipsas ecclesias sic pro tempore designatas pro huiusmodi indulgentia consequenda confessionibus diligenter auditis, pro commissis per eos excessibus et peccatis quibuslibet, etiam si talia forent, propter que sedes apostolica esset merito consulenda, nec non a censuris, quibus quomodolibet ligati essent quavis etiam apostolica auctoritate, ecclesiastice libertatis offense, conspirationis in personam seu statum Romani pontificis, presbitericidii ac offense personalis in Episcopum vel alium Prelatum ecclesiasticum dumtaxat exceptis, de absolutionis beneficio providere, et penitentiam salutarem iniungere, ac emissa per eos vota quecumque, visitationis liminum apostolorum predictorum de Urbe et ecclesie sancti Iacobi in Compostella ac Ultramarino, et ingressus religionis ac castitatis votis dumtaxat exceptis, in opus defensionis fidei huiusmodi commutare libere et licite valeant, et deputatos amovendi ac alios eorum loco surrogandi totiens, quotiens eidem Episcopo et eius vices habenti videbitur et placebit, facultatem concedimus per presentes; et ut omnes, qui non possent seu nollent pro indulgentia huiusmodi consequenda designatas pro tempore ecclesias visitare, cuperent tamen ad premissum defensionis fidei opus manus porrigere adiutrices, exinde pro suarum animarum salute premia consequantur, eadem auctoritate statuimus, quod universi et singuli utriusque sexus, ecclesiastici etiam religiosi et seculares locorum quorumcumque, qui iuxta dicti Episcopi ordinationem miserint pia suffragia ad prefatas ecclesias designandas et collocandas in eis capsas seu cistas pro illorum collectione, possint ydoneum eligere confessorem presbiterum secularem vel religiosum, qui quo ad ipsos sic eligentes pari, qua deputati confessores predicti in dictis ecclesiis quo ad visitantes illas, potestate et auctoritate fungantur. Non obstantibus litteris nostris, per quas voluimus, quod confessores, qui vigore similium facultatum deputantur vel assumuntur pro tempore, nequirent in certis inibi expressis casibus cuiquam absolutionem impendere, quibus, illas eciam, si de eis earumque toto tenore, seu quevis alia expressio habenda esset, et in eis contineretur expresse, quod eis non censeretur derogatum nec derogari posset, nisi dum et quando sub certis inibi expressis modo et forma ac conceptione verborum contingeret derogari, presentibus pro expressis habentes, quo ad premissa eisdem presentibus concessa specialiter, specifice et nominatim derogamus, et aliis apostolicis constitutionibus ac factis per nos, et quas fieri contingeret, indulgentiarum et facultatum huiusmodi revocationibus et suspensionibus quibuscumque, in quibus decernimus presentes litteras et in eis contenta nullatenus includi, nisi de eis earumque toto tenore et causa specifica et individua, non autem per clausulas id importantes mentio haberetur in eis, et presentes littere, quas a prima dominica quadragesime proxime future computando usque ad primam dominicam quadragesime anni millesimi quadringentesimi octuagesimi tertii valere volumus, revocarentur seu suspenderentur nominatim, specifice et expresse, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostrorum decreti, concessionis, statuti, derogationis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo octuagesimo, quintodecimo Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. bul. div. lib. XV. fol. 212.

DCLIII.

Beatrici Hungariae et Bohemiae reginae indultum de lacticiniis cum caeteris conceditur.

Sixtus episcopus etc. Carissime in Christo filie Beatrici Hungarie et Bohemie Regine Illustri, salutem etc. Ad cognitam devocionis constantiam, fidei quoque et affectionis fervorem, quibus celsitudinem tuam erga nos et sedem apostolicam ac Romanam ecclesiam clarere prospicimus, exacte dirigentes considerationis intuitum, digne ducimur non immerito, ut petitiones tuas, in hiis presertim, que ad conscienciе pacem et anime tue salutem ac tue Capelle decorem cedere valeant, ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo possumus, favorabiliter admittamus. Hinc est, quod nos tuis devotis

supplicationibus inclinati, ut ovis et aliis lacticiniis quadragesimalibus et aliis diebus, quibus esus carnium et lacticiniorum huiusmodi de iure vel consuetudine est prohibitus, vesci et uti, ac aliquem ydoneum presbiterum secularem vel regularem cuiuscumque ordinis, etiam mendicancium, in tuum possis eligere confessorem, qui confessionibus tuis diligenter auditis, te ab omnibus et singulis excessibus et peccatis per te commissis, et que forsan pro tempore committes, etiam si talia forent, propter que sedes apostolica foret merito consulenda, necnon ab omnibus et singulis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine apostolica vel alia quavis auctoritate ex quacunque seu ex quibuscumque causis promulgatis et promulgandis, etiam si ipsarum relaxatio vel absolutio ab eisdem apostolice sedi ex quavis causa specialiter vel generaliter reservate fuerint, quas hactenus incurristi aut imposterum incurres, quotiens fuerit oportunum, absolvere et tibi penitentiam salutarem iniungere, necnon idem vel alter confessor, quem, ut prefertur, eligendum duxeris, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contrita et ore confessa fueris, semel in vita et semel in mortis articulo plenariam remissionem tibi in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia et devotione nostra et successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti, dum tamen non feceris aliqua, que sint contra sedem apostolicam, auctoritate apostolica predicta concedere valeat: et ne, quod absit, propter huiusmodi reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si hactenus in nos vel predecessores nostros Romanos pontifices, aut in ipsorum mandatorum contemptum, seu apostolice sedis vel ecclesiastice libertatis offensam aliqua forte commiseris, aut ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte commiseris, quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur: ita etiam, ut si forsan penitentiam tibi pro tempore iniunctam in toto vel in parte adimplere commode nequiveris, eo casu confessor ydoneus, quem elegeris ad hoc, penitentiam ipsam in alia pietatis opera commutare valeat, prout anime tue saluti videatur expedire; preterea ut liceat tibi habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in tuis palatiis sive domibus, ac aliis locis ad hoc congruentibus et honestis cum panis et aque benedictione, etiam cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit, antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, necnon in meridie, ita ut id nec tibi nec sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari, etiam si in loco ecclesiastico interdicto supposito, si forsan ad illa te declinare, seu in illis moram trahere contigerit, tu in illis, clausis ianuis, submissa voce in tua et familiarium tuorum tibi deservientium dumtaxat utriusque sexus presentia Missam et alia divina officia celebrari facere valeas; quodque etiam sacerdos, vel capellanus tuus maior Capelle tue, qui pro tempore fuerit, tibi ac reliquis in dicta Capella et domo Regia pro tempore actu servientibus et residentibus, penitentie, Eucharistie et alia sacramenta ecclesiastica ministrare, teque et illos etiam in casibus episcopalibus absolvere, necnon illos, qui pro tempore decesserint, cessantibus sollemnitatibus, ecclesiastice tradere sepulture, ac omnibus qui ? in presentia tua matrimonia legitime contracta et contrahenda, ut moris est, sollemnizare libere et licite possit et valeat, dummodo tu aut persone prefate causam non dederitis seu dederint interdicto, nec id tibi nec illis contigerit specialiter interdici, devocioni tue auctoritate apostolica indulgemus, ac auctoritatem, licentiam et facultatem quo ad omnia et singula supradicta tenore presentium concedimus, proviso quod huiusmodi indulto tu celebrari faciendo parce utaris, quare (quia) cum in altaris officio immoletur dñus noster Ihesus Christus Dei filius, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Non obstantibus constitucionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque cum clausulis oportunis. Nulli ergo etc. nostri indulti et concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, quartodecimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. bull. div. lib. XVI. fol. 476.

DCLIV.

Ioanni electo Sirmiensi indulgetur, ut plura beneficia ecclesiastica accipere possit.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni electo Sirmiensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque, sicut exhi-

bita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, fructus, redditus et proventus mense tue episcopalis Sirmiensis, causantibus maxime guerrarum turbinibus, qui in partibus illis cum perfidis Turchis christiani nominis atrocissimis hostibus diucius viguerunt, adeo tenues et exiles effecti existant, quod tu ex illis statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam commode tenere non potes: Nos tibi, qui Carissimi in Christo filii nostri Mathie Regis Hungarie Illustris orator ad nos destinatus existis, ut te decentius sustentare valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, teque premissorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, ac a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon fructuum, reddituum et proventuum dicte mense verum valorem annuum presentibus pro expresso habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut etiam postquam munus consecrationis susceperis, quecunque duo curata seu alias invicem incompatibilia secularia, aut cum cura vel sine cura, cuiusvis etiam Cluniacensis vel Cisterciensis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, etiam si secularia, parrochiales ecclesie vel earum perpetue vicarie aut dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, et dignitates ipse in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, regularia vero, prioratus, preposititure, prepositatus, dignitates, personatus, administrationes vel officia, aut eorum alterum monasterium fuerit, et ad prioratus, prepositatus, prepposituras, dignitates, personatus, administrationes vel officia secularia vel regularia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si tibi alias canonice conferantur aut commendentur, aut eligaris, presenteris, vel assumaris ad illa et instituaris in eis, recipere, et una cum dicta ecclesia Sirmiensi, que in confinibus eorumdem Turchorum situata existit, cuique preesse dinosceris, in commendam, quoad vixeris illique prefueris, retinere, illaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quotiens tibi placuerit, dimittere, et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia, ecclesiasticum vel ecclesiastica, duo dumtaxat invicem incompatibilia secularia, aut cum cura vel sine cura, cuiusvis etiam Cluniacensis vel Cisterciensis ordinum regularia similiter recipere, et dummodo regularia beneficia huiusmodi Conventualia seu Claustralia non existant, cum prefata ecclesia Sirmiensi, etiam quoad vixeris illique prefueris, in eandem commendam, ut prefertur, retinere, necnon debitis et consuetis beneficiorum tam secularium quam regularium pro tempore commendatorum huiusmodi supportatis oneribus, de residuis illorum fructibus, redditibus et proventibus, sicuti illa in titulum pro tempore obtinentes de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quacunque bonorum immobilium et preciosorum mobilium beneficiorum pro tempore commendatorum eorumdem tibi penitus interdicta, libere et licite valeas, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus secularia, ac monasteriorum seu regularium locorum, in quibus regularia beneficia huiusmodi forsan fuerint, seu a quibus illa dependere contigerit, et ordinum, quorum extiterint, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon privilegiis et indultis apostolicis eisdem Cluniacensi et Cisterciensi ordinibus concessis, illis presertim, quibus cavetur, quod beneficia eorum Cluniacensis et Cisterciensis ordinum nullis nisi sancte Romane ecclesie cardinalibus, aut ipsos Cluniacensem et Cisterciensem ordines expresse professis commendari possint, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, ac eisdem privilegiis et indultis hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus; proviso, quod beneficia tam secularia quam regularia, etiam monasterium pro tempore commendata huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, si qua illis immineat, ac in monasterio huiusmodi divinus cultus et solitus monachorum et ministrorum numerus nullatenus negligatur seu minuatur, sed eorum congrue supportentur onera antedicta. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, dispensationis, derogationis et voluntatis infrigere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, quatuordecimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. bul. div. lib. XVI. fol. 49.

DCLV.

Regi Hungariae, ut epm Zagrabiensem libertati restituat et Romam mittat.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Potest sibi persuadere Maiestas tua, honorem tuum nos semper amasse, et si quid est, quod aliquo modo notam tibi afferre possit, id nobis vehementer molestum esse ob singularem, qua te complectimur, benevolentiam. Intelleximus Venerabilem fratrem Osualdum Episcopum Zagabriensem a Maiestate tua captum detineri, quod difficile quidem credimus, cum te semper animi religiosissimi, et erga prelatos ecclesie dei modestissimi et amantissimi cognoverimus; tamen, si ita esset, hortamur te, ut Episcopum ipsum libertati restituas, cum ignorare non debeas, quas sententias et censuras a sacris Canonibus institutas incurrant ii, qui in viros ecclesiasticos, episcopali precipue dignitate fungentes, manus iniiciunt. Quod si fortasse in aliquo Episcopus ipse deliquerit adversus statum tuum, remittas eum ad nos, qui iustitiam pro meritis administrari faciemus, aut si suspectum eum haberes, tenebimus eum hic apud nos in Curia, ita ut neque tibi neque regno tuo obesse possit. Hec enim ut Maiestati tue scribamus, non solum pastorale officium, quo omnibus sumus in iustitia debitores, nos admonet, sed etiam singularis nostra caritas, qua te unice complectimur, nos hortatur, qui nichil te committere vellemus, quod honori tuo notam possit impingere. Datum Rome etc. die xviii. Octobris 1482. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 130.

DCLVI.

Cardinali Agriensi denuo confirmatur collatio ecclesiae parochialis B. Mariae de Cellulis Vulteranae dioecesis.

Cardinali Agriensi.

Sixtus PP. IV. Dilecte fili noster, salutem etc. Concessimus alias Circumspectioni tue reservationem super parrochiali ecclesia, Plebs nuncupata, beate Marie de Cellulis extra muros Castri Sancti Geminiani Vulterane diocesis, cum primum illa per cessum vel decessum, seu alias quomodolibet per dimissionem moderni rectoris vacaret, prout in aliis nostris sub bulla plumbea desuper editis litteris plenius continetur. Cum enim postmodum emanaverint a nobis omnium reservationum et similium gratiarum revocatio, volentes providere, ut ipsa tua Circumspectio ex gratia sibi facta speratum consequatur effectum, tenore presentium reservationem ipsam tuam in pristinum statum, robur et vigorem restituimus, et ipsius revocatione minime comprehendi decernimus et declaramus, sed te perinde ea uti posse, ac si dicta revocatio quantum ad illam non emanasset, revocatione ipsa, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Rome sub annulo piscatoris die xviii. Februarii 1483. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 386.

DCLVII.

Archiepo Colocensi eiusque collegis, ut Dominicum Chalmancher praepositum Albensem de quibusdam beneficiis providendum curent.

Sixtus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Colocensi et Quinqueecclesiensi ac Waciensi Episcopis, salutem etc. Romani pontificis providentia circumspecta singulis ecclesiis et monasteriis, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut utilium gubernatorum fulciantur presidio, prospicit diligenter, ac personis ecclesiasticis, ut in suis oportunitatibus aliquod suscipiant relevamen, prout decens est, de subventionis auxilio providet oportuno. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Dionisius Fegrieruck canonicus Albensis, qui monasterium sancti Egidii confessoris de Somoguar ordinis sancti Benedicti Wesprimiensis diocesis ex concessione et dispensatione apostolica in commendam tunc obtinebat, Commende huiusmodi coram certis notario publico et testibus fidedignis extra Romanam curiam sponte et libere cesserit, Nos tam dicto monasterio de gubernatore utili et idoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam dilecto filio Dominico Chalmancher preposito ecclesie beate Marie Virginis Terre Albereg alis dicte diocesis, apud nos de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu, necnon consideratione carissimi in Christo filii nostri Mathie Hungarie Regis Illustris pro ipso Dominico dilecto suo nobis super hoc humiliter supplicantis, ut se commodius substentare valeat, de alicuius

subventionis auxilio providere volentes, ipsumque Dominicum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dictus Dominicus etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum verum valorem ac huiusmodi dispensationis tenores, dictique monasterii verum et ultimum vacationis modum, etiamsi ex illo quevis generalis reservatio resultet, presentibus pro expressis habentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum cessionem huiusmodi, si postquam vobis de ea legitime constiterit, si alias rite admissa non sit, auctoritate nostra hac vice dumtaxat admittatis, eaque per vos admissa, monasterium predictum, cuius fructus, redditus et proventus triginta Marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, quovis modo aut ex cuiuscumque persona vacet, et ex quavis causa eius provisio ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore datarum presentium ei de Abbate provisum, aut illud commendatum alteri canonice non existat, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Dominico etiam una cum omnibus et singulis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, que, ut prefertur, obtinet, ac aliis, que imposterum obtinebit, tenendum, regendum et gubernandum, ita quod liceat sibi, eiusdem monasterii ac dilectorum filiorum conventus illius debitis et consuetis supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicuti veri ipsius monasterii Abbates, qui pro tempore fuerunt, de eis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti monasterii sibi penitus interdicta, dicta auctoritate commendare curetis, curam, regimen et administrationem dicti monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a prefatis conventu obedientiam et reverentiam congruentes, necnon a dilectis filiis vassallis et aliis subditis eiusdem monasterii consueta servitia et iura sibi ab eis debita integre exhiberi, Contradictores per censuram etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuscumque; aut si conventui, vassallis et subditis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, proviso, quod per commendam huiusmodi divinus cultus ac solitus monacorum et ministrorum numerus in dicto monasterio nullatenus minuatur, sed eius ac conventus predictorum congrue supportentur onera antedicta; nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud sanctum Petrum MCCCCLXXXII. duodecimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. bul. lib. LXXXIII. fol. 104.

DCLVIII.

Epo Vesprimiensi mandatur, ut certas exemptiones revocet.

Episcopo Wesprimiensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli sunt in isto regno Prelati maiores, qui pretextu quarumdam exemptionum erga personas suas a sede apostolica hactenus obtentarum, nolentes, quibus alias deberent, superioribus propterea parere, diversarum discordiarum et scismatum in ipso regno causam prebent. Nos, qui semper conati sumus et Carissimo in Christo filio Regi vestro ac aliis principibus et personis secularibus unionem et concordiam suadere, ut ipsum regnum, quod antemurale est fidelium contra Turchos, unitum sit, et procul a seditionibus et intestinis discordiis, doluimus vehementer, quod persone tales, que ad tantum bonum alios incitare deberent, contra debitum et officium suum, contra desiderium nostrum, et pretextu indulti, quo a predicta sede honorati sunt ad quietem inducendam, non autem ad discordiam, talia prestent fomenta. Unde fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus exemptiones huiusmodi, cum dicte persone, pro quibus emanarunt, se omnino illis reddant indignas, revoces et anulles, sicut

et nos tenore presentium revocamus et anullamus: excipimus tamen dilectum filium nostrum C. tituli SS. Sergii et Bachi presbiterum Cardinalem, cuius persona Romano solum Pontifici subiecta est, et ecclesiam suam Agriensem, quam ad singulares preces prefati Regis alias exemimus. Datum Rome etc. die XXII. Martii. 1483. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 441.

DCLIX.

Regi Hungariae super eodem negotio.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Que nobis per Maiestatem tuam nuntiata sunt circa exemptionem, quam alias Venerabilis frater Ioannes Episcopus Varadiensis a nobis obtinuit, plane intelleximus: dolemus equidem, quod preter opinionem nostram res evenerit, quam tibi gratam iri omnino credidimus. Cum ille nobis attulisset litteras Serenitatis tue pro persona sua admodum commendatitias, et asseveret se eadem exemptione indigere, quod servitiis tuis continuo insistens non posset rebus ecclesie omnino vacare, et ita intuitu Maiestatis tue id concessimus: cui cuperemus pro meritis suis erga fidem Christi et hanc sanctam sedem in omnibus, que cum Deo possemus, satisfacere. Habemus enim Serenitatem tuam loco carissimi et obsequentissimi filii, de quo omnia in rem nostram nobis facile permittimus et suademus: novimus namque virtutem tuam longo iam tempore, novimus quanto affectu prosequi debeat prefata sedes. Quod autem nunc visum est opportunum remedium circa exemptionem predictam, libenter adhibuimus, sicut per Breve directum Episcopo Wesprimiensi Serenitas tua videre potest. Placuerunt maxime commendationes, quas facis in personam dilecti filii nostri C. tituli SS. Sergii et Bachi presbiteri Cardinalis: is est, qui merito a te amari et commendari potest, tum propter plura, tum propter maxima, que honori et glorie et negociis tuis hic studet accuratissime. Datum Rome etc. die XXII. Martii 1483. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 442.

DCLX.

Archiepiscopo Strigoniensi, ut de matrimonio inter primogenitum regis Poloniae et filiam marchionis Brandeburgensis inito vel ineundo inquirat et referat.

Archiepiscopo Strigoniensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Cuperemus libenter, ut in negocio matrimonii inter primogenitum Regis Polonie et filiam Marchionis Brandeburgensis aliqua bona via caperetur, et propterea vellemus rem, uti se habet, intelligere: cum aliqui referant matrimonium ipsum esse per verba de presenti, aliqui vero per verba de futuro, ideoque inde varias controversias querelasque oriri. Quocirca freti probitate et fide tue fraternitatis, tibi iniungendum duximus, ut veram et plenam de matrimonii huiusmodi qualitate informationem capias, et quemadmodum compereris, nobis omnia fideliter litteris tuis perscribas, ut cognita re possimus studium adhibere ad introducendum medium alicuius bone compositionis. Datum Rome etc. die XVII. Aprilis 1483. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 488.

DCLXI.

Epo Agriensi et suis collegis, ut epo Quinqueecclesiensi monasterium S. Michaelis de Zebegen in commendam tradendum curent.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Agriensi, et dilectis filiis preposito Boznensis ac Nicolao lectori Canonico Waciensis ecclesiarum, salutem etc. Romani pontificis prudentia circumspecta ecclesiis et monasteriis omnibus, presertim in faucibus infidelium consistentibus, ac infidelium eorumdem vicinitate aliisque sinistris eventibus desolatis, ut debite restaurentur ac gubernatorum utilium fulciantur presidio, prospicit diligenter, nec non personis ecclesiasticis, presertim pontificali dignitate preditis, ut commodius substentari valeant, prout decens est, de substentationis auxilio providet oportuno. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium sancti Michaelis archangeli de Zebegen ordinis sancti Benedicti Quinqueecclesiensis diocesis certo modo vacavit et vacet ad presens, nos cupientes eidem monasterio, quod conventu caret, et propter Turchorum eisdem partibus vicinorum incursus aliosque sinistros eventus, quibus partes ille continue versantur, penitus destructum et desolatum

existit, cuiusque Carissimus in Christo filius noster Mathias illustris et pro tempore existens Rex Hungarie ex privilegio apostolico patronus existit, de gubernatore utili et idoneo, per quem circumspecte regi et salubriter gubernari valeat, ac Venerabili fratri nostro Sigismundo Episcopo Quinqueecclesiensi ob multarum merita gratiarum, quibus personam suam nobis et apostolice sedi devotam illarum largitor dotavit altissimus, ut statum suum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius substentare valeat, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, ipsiusque monasterii verum ultime vacationis modum, etiam si ex illo quevis generalis reservatio resultet, presentibus pro expressis habentes, discretioni vestre etc. quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios monasterium predictum, ad quod, ut prefertur, vacans dictus Sigismundus Episcopus per dictum Mathiam Regem nominatus seu presentatus fuit, quodque Archiepiscopo Strigoniensi pro tempore existenti immediate subiectum existit, et cuius fructus etc. viginti quatuor florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Sigismundus Episcopus asserit, non excedunt, quovis modo aut ex cuiuscunque persona vacet, et ex quavis causa illius provisio ad sedem predictam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore datarum presentium non sit ei de Abbate canonice provisum, seu illud alias alicui commendatum non existat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Sigismundo Episcopo per eum, quoad vixerit, una cum dicta ecclesia Quinqueecclesiensi imposterum, ac omnibus et singulis aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus et quorumvis ordinum regularibus, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus in titulum, commendam vel administrationem obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, quorumque fructuum etc. veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habemus, tenendum, regendum et gubernandum auctoritate nostra commendare curetis, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalis plenarie committendo, ac faciendo sibi de conventu dicti monasterii, cum illud ad Conventualitatem reductum fuerit, obedientiam et reverentiam congruentes, nec non a vassallis et aliis subditis dicti monasterii consueta iura et servitia integre exhiberi, Contradictores per censuram etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque; aut si Conventui, vasallis et subditis prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nos enim monasterium huiusmodi dicto et pro tempore existenti Episcopo Quinqueecclesiensi perpetuo subiicimus, ac illud a superioritate, iurisdictione et dominio prefati, et qui pro tempore erit, Archiepiscopi Strigoniensis eximimus et penitus liberamus, ac dicto Sigismundo Episcopo quoscumque et quotcumque dicti vel cuiusvis alterius ordinis monachos ad dictum monasterium accedere, et inibi perpetuum Domino famulatum reddere volentes, superiorum monachorum eorum et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, recipiendi licentiam concedimus et etiam facultatem, ac volumus, quod propter huiusmodi commendam prefatum monasterium in spiritualibus et in temporalibus detrimenta non substineat, sed eius congrue supportentur onera consueta; quodque ipse Sigismundus Episcopus, supportatis oneribus antedictis, de residuis dicti monasterii fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare libere et licite valeat, sicuti veri ipsius monasterii abbates, qui pro tempore fuerint, de illis disponere et ordinare potuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti monasterii sibi penitus interdicta, necnon quod ipse Sigismundus Episcopus, priusquam regimini et administrationi dicti monasterii in aliquo se immisceat, in manibus vestris vel alterius vestrum prestet fidelitatis debite solitum iuramentum iuxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod ipse Sigismundus Episcopus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuntium quantotius destinare procuret. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super (his) a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, sexto Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. bul. lib. CI. fol. 250.

DCLXII.

Cardinali Agriensi quaedam beneficia ecclesiastica in Italia sibi collata confirmantur.

Cardinali Agriensi.

Sixtus PP. IV. Dilecte fili noster, salutem etc. Concessimus alias Circumspectioni tue reservationes super Abbatia B. Marie de Carceribus Paduanis, ac parrochialibus ecclesiis, Plebes nuncupatis, Beate Marie de Cellulis extra muros Castri S. Geminiani Vulterrane, et S. Faustini de S. Faustino Regine diocesum, cum primum ille per cessum sive decessum, seu alias quomodolibet per dimissionem modernorum Abbatie Abbatis seu Commendatarii, et parrochiarum predictarum rectorum vacarent, prout in aliis nostris sub bullis plumbeis desuper editis litteris plenius continetur. Cum vero postmodum emanarint a nobis omnium reservationum et similium gratiarum revocatio sub die VII. mensis Maii proxime preteriti, volentes providere, ut ipsa tua Circumspectio ex gratiis sibi iam factis speratum consequatur effectum, tenore presentium reservationes ipsas tuas in pristinum statum, robur et vigorem restituimus, et ipsa revocatione minime comprehendi decernimus et declaramus, sed te proin de cetero eis uti posse, ac si dicta revocatio quantum ad illas non emanasset, revocatione ipsa ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Rome etc. die XIV. Iunii 1483. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 620.

DCLXIII.

Regi Hungariae pontifex refert, quam ob causam archiepm Colocensem in sacrum Cardinalium senatum cooptare non possit.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Intelleximus et ex frequentibus ad nos Serenitatis tue litteris, et ex relatione ac instantia, ne dicamus, importunitate tam dilecti filii nostri C. Cardinalis Agriensis, qui, quotiens ad solicitudinem postulantium de sacris comitiis factum est verbum, cum gloria et honore tuo plurima et virtutis et doctrine de illo testatus est, quam oratorum tuorum, et novissime per Franciscum Fontanam, maximum Serenitatis tue desiderium, ut Venerabilis frater Archiepiscopus Colocensis ad Cardinalatum modo promoveretur. Magna, sicut fatemur, merita tua, Carissime fili, erga hanc sanctam sedem, magna obsequia, magna fides, et propterea cupimus semper votis tuis omnibus cito satisfacere; verum dolemus, cum ea aliquando petuntur, que statim fieri non possunt. In designandis namque Cardinalibus hoc anno nulla habuimus comitia, postulante sic sacro Venerabilium fratrum nostrorum Collegio, tum propter ipsorum magnum numerum, tum quod multiplicibus ad preces aliorum, etiam Regum et principum, ad honorem hunc nobis propositis, nec eo dissentiente, nunc habituri sumus. Hortamur igitur Serenitatem tuam, ut patienti animo ferat, si desiderio suo respondere nunc non valemus. Quod si aliquando ad eam designationem devenire continget, conabimur non immemores esse glorie, honoris, precum et tantorum meritorum tuorum, qui si cuiusquam vel Regis vel principis amantissimi, tui maxime sumus, et omnia tibi secunda ac pro voto Maiestatis tue semper optamus. Datum Rome etc. die XXI. Iunii 1483. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 633.

DCLXIV.

Eidem regi de electione et provisione epi Modrusiensis.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Intelleximus emanasse certas litteras censurarum ad instantiam electi Modrusiensis contra illum, quem nobis Maiestas tua proposuit, ut ad ipsam ecclesiam promoveremus. Quod Maiestas tua egre ferre dicitur: certe littere ipse nobis insciis emanarunt, et ita declaramus neminem ligasse aut ligare, posteaquam nulla de his penitus notitiam habuimus. Distulimus nos hactenus complacere Maiestati tue de ipsa ecclesia pro illo, quem nominasti, quia expectabamus, prout expectamus vacationem alicuius alterius ecclesie, de qua electo ipsi Modrusiensi providere possimus, ne sine ecclesia, postquam ad episcopalem dignitatem est promotus, in opprobrium illius gradus remaneat. Datum Rome etc. die XVI. Iulii 1483. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 683.

DCLXV.

Archiepis Colocensi et Strigoniensi, ut fratres eremitas S. Augustini ad regularem disciplinam reducant.

Colocensi et Strigoniensi Archiepiscopis.

Sixtus PP. IV. Venerabiles fratres, salutem etc. Intelleximus non absque displicentia fratres ordinis Eremitarum S. Augustini istius provincie passim abiecto religionis iugo vagari, et dimisso ipsius religionis habitu, ad alias religiones sine provincialis seu eorum superiorum licentia transire, non absque solutione regularis discipline, animarum suarum periculo, et malo aliorum exemplo. Cui rei, quemadmodum ex nostri pastoralis officii cura tenemur, providere volentes, Fraternitati vestre per presentes committimus ac mandamus, ut eosdem fratres, qui de suo ordine ad alium sine sedis apostolice aut suorum superiorum licentia transierunt, ad ordinem suum redire, et in illo remanere iuxta felicis recordationis Martini V. et Eugenii IV. Romanorum pontificum, predecessorum nostrorum, institutiones per censuras ecclesiasticas et alia iuris oportuna remedia cogatis et compellatis, contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Rome etc. die xii. Augusti 1483. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 731.

DCLXVI.

Regi Hungariae, se votis eius satis fecisse, pontifex annunciat.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Intelleximus ea, que dilectus filius noster Cardinalis Agriensis ex tua commissione nobis retulit: audivimus eum libenter et leto animo tua maxime contemplatione. Idem etiam Cardinalis rescribet aliqua de his, que excogitata inter nos sunt, maxime de negotio germani tui, cuius litteris plenam adhibere poteris fidem, et in omnibus, que facere poterimus, prompti et propitii erimus. Datum Rome etc. die xx. Augusti 1483. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XX. fol. 750.

DCLXVII.

Eidem indulget, ut columnas lapidesque cuiusdam vetusti collapsi templi ad ecclesiam Albensem reaedificandam transferre possit.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Ut votis tuis, sicut hactenus semper, quantum cum deo potuimus, ita et nunc satisfaciamus, Serenitati tue tenore presentium indulgemus, quod columnas et lapides, quos in ruina cuiusdam vetusti et collapsi templi iuxta ecclesiam Prepositure Budensis esse, et frustra iacere scribis, quod templum, antequam nova illa Prepositure ecclesia fundaretur, locus eiusdem Prepositure fuisse creditur, ex eo loco removeri, atque ad reformationem Albensis ecclesie Beate Virginis in radicibus montium, e regione prefate Prepositure site, transportari facere possis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Rome etc. die xx. Augusti 1483. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 749.

DCLXVIII.

Georgio ord. Min. de observantia, ut episcopatum Nitriensem a rege sibi oblatum accipiat.

Georgio de . . . ordinis Minorum de observantia.

Sixtus PP. IV. Dilecte fili, salutem etc. Cupit Carissimus in Christo filius noster Mathias Hungarie et Bohemie Rex Illustris, ut ecclesie Nitriensi iamdudum pastoris solatio destitute te Episcopum preficiamus, et ad hoc plures tum honestas tum urgentes tam circa statum suum, quam eiusdem vacantis ecclesie causas adducit. Nos, qui prefato Regi, quantum cum deo possumus, continue libenter annuimus, ut voto suo huiusmodi nunc satisfaciamus, hortamur te ac in domino monemus, per hec apostolica scripta mandantes, quatenus et tu eiusdem Regis desiderio voluntatique consentias, nec te labor pastoralis cure deterreat, sed cogites, quod statu Episcopali nullus est perfectior. Facies in hoc rem gratam deo, postquam sua in te vota Rex populum illum representans emittit, et nobis, qui

cupimus illi tam diu vacanti ecclesie in confinibus istius Regni Hungarie site cum omnium consolatione providere. Datum Rome etc. die xx. Augusti 1483. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. brev. lib. XV. fol. 749.

DCLXIX.

Nicolao de Cassovia ord. Praed. committitur inquisitio haereticae pravitatis in Hungaria.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Ignacii de Cassovia ordinis fratrum predicatorum et theologie professori, salutem etc. Religionis zelus, litterarum scientia, vite integritas et fidei constantia, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam fidedignorum testimoniis novimus insignitam, merito nos inducunt, ut illa tibi committamus, per que orthodoxe fidei (lumen) et heresum et errorum extirpatio iuxta cordis nostri desiderium valeat provenire. Cum itaque per Regnum Hungarie, in quo prothdolor multi errores heresesque occulte vigere et continuo pullulare sepenumero auditi sunt, nullus ibi heretice pravitatis inquisitor existat, nos cupientes, ut errores et hereses huiusmodi penitus extirpentur, ac fidei predicte lumen in illis partibus magis elucescat, te, de cuius sana doctrina, singulari eloquio et fidei constantia, aliisque multiplicum virtutum donis plenam in domino fiduciam obtinemus, huiusmodi heretice pravitatis inquisitorem per totum Regnum et universum dominium Carissimi in Christo filii nostri Regis Hungarie instituimus, ac etiam deputamus, tibique contra omnes et singulos illarum partium hereticos et scismaticos inquirendi et procedendi, illosque capiendi et incarcerandi ac puniendi, omniaque alia et singula, que ad officium inquisitionis huiusmodi de iure vel de consuetudine seu alias quomodolibet pertinent, faciendi, exercendi, exequendi et committendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Et insuper te generalem apostolice sedis predicatorem in eisdem Regno atque dominio Hungarie auctoritate et tenore prefatis constituimus et deputamus, tibi verbum dei in et sub Regno et universo dominio dicti Regis Hungarie, etiam contra hereticos, scismaticos et perfidos Turchos, aliosque infideles predicandi, insinuandi fidem orthodoxam, ac ecclesiasticam libertatem et sedis apostolice dignitatem et honorem defendendi, et illorum inimicos seu eis quovismodo adversantes expugnandi, ac alios idoneos predicatores loco tui, ubi et quotiens tibi expediens videbitur, substituendi et surrogandi, aliaque omnia et singula, que pro fidei huiusmodi defensione et exaltatione, ac errorum et heresum profligatione, et infidelium confutatione, ac apostolice sedis defensione necessaria et oportuna cognoveris, faciendi, exercendi et exequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, districtius inhibentes omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum ordinariis et quibusvis aliis personis ecclesiasticis et secularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, sub excommunicationis pena, quam quilibet contrafaciens ipso facto incurrat, ne tibi in premissis per se vel alium seu alios, directe vel indirecte quovis quesito colore aliquod impedimentum afferre quomodolibet presumant, sed omnes favores et auxilia tibi ac a te substituendis, quando requisiti fuerint, omni mora et consultatione remota, realiter prestent. Et ut Christifideles ad audiendum verbum dei, quotiens illud seminari contigerit, eo ferventius animentur, quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui predicationibus devote interfuerint, quotiens id fecerint, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre constitutionis, deputationis, concessionis, inhibitionis et relaxationis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, quinto Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. bul. div. lib. XVIII. fol. 325.

DCLXX.

Mathiae regi Hungariae pontifex in pace reconcilianda assistere promittit.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime etc. Intelleximus alias sepius, referente dilecto filio nostro G. Cardinali Agriensi, desiderium Maiestatis tue, et novissime verbis dilectorum filiorum Anelli Carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Sicilie Regis Illustris ac Francisci Fontane tui oratorum, una cum prefato

Cardinali tam dicti Regis Sicilie, quam tuo nomine loquentium, ut salus christianitatis, quem exoptas, effectum sortiatur, et cuiuspiam desiderii tui, que cum a fide, religione et affectu, quo rempublicam christianam continue prosequeris, minime discedant, non possumus illa non comprobare, et sicut alias dicto Cardinali diximus, cuperemus semper votis tuis omnibus satisfacere posse: nam nihil est, quod tam benemerito de republica christiana Regi sententia nostra non debeatur, et ita nunc ad effectum huiusce rei promisimus illis omnem operam nostram, omneque studium, ac serenitati tue volenti omnino offerimus. Quo tamen ordine res ipsa tractanda sit, Cardinalis ipse latius significabit; sat nobis nunc est, ut intelligas, nos in re ipsa tibi, quantum potuerimus, non defuturos. Datum Rome etc. die xxvii. Novembris 1483. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Ex Reg. orig. An. XIII. brev. lib. XVI. fol. 154.

DCLXXI.

Eidem, ut haereticos in suo Bohemiae dominio reprimat.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Innotuisse credimus Maiestati tue, quod nuper etiam nobis tristi nuntio relatum est, hereticos scilicet civitatis Pragensis proxime facto tumultu insurrexisse contra Catholicos nostros, et rabiem suam crudeliter exercentes, eos quotquot in pretoriis, in sacris edibus, in privatis denique domibus inventi sunt, varie trucidasse: que res sicuti enormis in conspectu Dei et hominum extitit, ita nos, quibus cure est semper causa Catholice fidei, affecit incredibili dolore. Timentes itaque plurimum, nisi statim de remediis oportunis provideatur, ne longius serpat hic morbus, ac maiorem in partibus illis producat infectionem, Maiestati tue scribendum duximus, non quia putemus necessarium esse verbis excitare te, qui semper malleus infidelium et hereticorum fuisti, et cui Regnum illud Bohemie, existens etiam tue Maiestati subiectum, conservare ac defendere ab huiusmodi oppressionibus expedit; sed pro debito nostri Pastoralis officii non omittendum omnino censuimus, te, Carissime fili, hortari, sicut per presentes affectuose facimus, ut saluti Catholicorum hoc tempore velis consulere, et opem ferre, ne ab impiis hereticis tam fede lanientur: omne enim malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. Facile tamen erit, si manum tuam semper a Christo iuvari solitam apposueris, priusquam magis abundet saucio, ut hec sanentur vulnera: faciet Maiestas tua sanctum ac pium opus, dignum laude apud homines, ac meritis perpetuis apud Altissimum. Nos quecunque in hac causa intelligimus fore pro conservatione fidelium et oppressione heretice pravitatis accommoda, modo reddamur de statu ipsius rei certiores, non omittemus efficere. Scripsimus de hoc etiam Venerabili fratri Episcopo Civitatis Castelli, nuntio et oratori nostro, eique commisimus, ut cum eadem tua Maiestate latius nomine nostro loquatur. Datum Rome etc. die iiii. Decembris 1483. Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. brev. lib. XVI. fol. 178.

DCLXXII.

Epo Civitatis Castelli nuntio apost. ut apud imperatorem et regem Hungariae hac de causa instet.

Episcopo Civitatis Castelli.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Cum magna animi molestia nuper accepimus, quam fede et crudeliter superioribus diebus in civitate Pragensi heretici debacchati sint in nostros Christifideles. Nam, sicuti relatum est, quadam die cum signo dato in armis convenissent, ut eadem hora, qua per magistratus consilia habebantur, irruissent in ipsa pretoria, captos ibidem patritios omnes ex fenestris precipitavere, postea ad monasteria veluti canes rabidi currentes, raptis interea vasis argenteis et aureis, ac ceteris ad usum sacrorum ministeriorum deputatis, religiosos omnes trucidavere: nulla catholicorum domus vel publica vel privata remansit, quam non ipsi heretici sanguine ac cede resperserint. Que res cum pernitiosa admodum in conspectu dei et hominum visa sit nobis, et valde dubitemus, ne maiora quoque scandala pariat, nisi oportune provideatur, habentes continue cordi res fidei et conservationem gregis, cuius nos pastores in domino sumus, vocatis Venerabilibus fratribus nostris sancte Rom. eccl. Cardinalibus, consilium cepimus statim fraternitati tue scribendi, quam requirimus tenore presentium, et eidem iniungimus, ut his receptis immediate conveniat Carissimum in Christo filium nostrum Fredericum etc. etc. sue Maiestati scandali huius enormitatem com-

memoret; insuper illi declaret, quam grave periculum ex hac semel sumpta hereticorum audacia christianis immineat. Postremo volumus, ut horteris nomine nostro suam Celsitudinem, tanquam advocatum catholice fidei ac sancte Romane ecclesie defensorem, ut his nascentibus malis, antequam robustiora fiant, velit occurrere, ac subsidia necessaria prestare. Si quid vero per nos ac sedem apostolicam putabit posse fieri pro his sanandis vulneribus, aperire nobis velit consilium ac mentem suam: nos enim sumus adeo de hac re solliciti, ut nichil, quod utile fore huic negocio arbitremur, simus pretermissuri. Quibus recte expositis, et ipso Carissimo filio diligenter audito, volumus, ut responsa Maiestatis eiusdem nobis immediate significes. Idem fieri miungimus cum Carissimo in Christo filio nostro Mathia Hungarie et Bohemie Rege, quem licet putemus per se satis sollicitum fore de his rebus, cum et semper Maiestas sua malleus hereticorum fuerit, et maxime sua intersit, Regnum illud Bohemie sibi etiam subiectum defendere ab infidelium manu et quietum servare. Tandem eandem Maiestatem precaberis nomine nostro, ut de oportunis remediis velit consulere et providere, et quecunque intellexeris de re ipsa a principio gesta, an ita se habeant, ac de ceteris progressibus studeas nos reddere certiores. Scripsimus etiam in hanc sententiam nonnullis prelatis et Imperii principibus dicto Regno Bohemie adiacentibus, prout in copia inclusa, et eorum nomina et scriptorum nostrorum seriem clare conspicies. Ceterum post scriptas litteras accepimus exemplum litterarum per hereticos ipsos scriptarum, cuius etiam copiam ad te mittimus, ut de omnibus melius instructus esse possis. Datum Rome etc. die IIII. Decembris 1483. Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. brev. lib. XVI. fol. 182.

DCLXXIII.

Regi Hungariae, ut foederi a papa et principibus Italis contra Venetos inito accedat, sibique in defendenda Ferraria contra eosdem assistat.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime etc. Memor esse debet Maiestas tua, quam sepe annis proxime elapsis nos instantissime hortata est, ut pro bono non solum Italie, sed etiam communi omnium nos convenire vellemus cum dilectis filiis Duce Mediolani et republica Florentina pro reprimenda superbia et elatione Venetorum, aspirantium ad Italie monarchiam et omnium vicinorum oppressionem. Quorum effrenatam dominandi libidinem cum maxime detestareris, offerebas, si nos cum ceteris Italie potentatibus ad hoc conveniremus, Maiestatem tuam presto futuram ad Venetos ipsos invadendos, nec dubitare, quin brevi Venetorum superbia humiliaretur cum maxima totius Italie et vicinorum illorum securitate. Que omnia licet nos prudentissime dici a Maiestate tua cognosceremus, et rationes a te allegatas verissimas esse, tamen sperantes, quod Veneti ipsi bono animo incederent, nec vellent hoc tempore, que sua non sunt, querere, quia nobis firmiter asserebant et affirmabant, nichil querere, quod alienum esset, suis bonis verbis aliquandiu nos deceperunt. Verum ubi vidimus eos toto spiritu anhelare ad occupationem civitatis nostre Ferrarie, nos cum aliis Italie potentatibus coniunximus, et eo libentius fecimus, quod recordabamur, Maiestatem tuam ita consuluisse et desiderasse, nec unquam dubitavimus, prout etiam non dubitamus, quin Maiestas tua memor verbi sui nos sequeretur. Proinde cum unanimi et firmissimo vinculo sanctissima liga nostra stabilita sit, et cum potentissimo ac victorioso exercitu pro defensione Ferrarie contra Venetos ipsos arma moverit, nec quicquam aliud desit ad plenam de ipsis victoriam celeriter obtinendam, nisi quod Maiestas tua eos invadat, Maiestatem tuam hortamur et requirimus instantissime, ut memor verbi et promissorum suorum nolit tam ab altissimo oblatam occasionem pretermittere, sed potentissimo cum exercitu suo Venetos ipsos invadere et ita aggredi, quod intelligant Maiestatem tuam una nobiscum et cum sanctissima liga nostra pati nolle, quod Ferrariam sancte Romane ecclesie civitatem usurpent, et manus extendant ad aliena danna. Movere debet Maiestatem tuam tam Romane ecclesie, cuius semper devotissimus fuisti, interesse, quam totius Italie et Regnorum tuorum, ad que maxime semper Veneti aspirarunt. Accedit insuper, quod iure affinitatis debet Maiestas tua Duci Ferrariensi sororem consortis tue Regine in uxorem habenti opem ferre. Propterea iterum hortamur et requirimus, ut omnino Venetos ipsos hostiliter aggrediaris, cum in promptu victoria sit, ipsis minime potentibus ad resistendum viribus sanctissime lige nostre, quibus impares sunt, et Maiestatis tue, quam maxime timent, et potissimum hoc tempore, quo vident te et Regna tua a bello, incursionibus et vexationibus Turchorum secura esse, quam maximam et a te desideratam occa-

sionem nullo pacto pretermittere debet Maiestas tua. Datum Rome etc. die x. Martii 1484. Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. brev. lib. XVI. fol. 110.

DCLXXIV.

Eidem, ut pacem cum imperatore tandem firmare velit.

Regi Hungarie.

Sixtus PP. IV. Carissime etc. Quam vehementi semper desiderio cupierimus pro bono reipublice christiane, partiumque illarum Germanie et Regni tui Hungarie, quibus maxime afficimur, inter Carissimum in Christo filium nostrum Fridericum Imperatorem et Maiestatem tuam, vestraque dominia, sublatis discordiis, pacem et tranquillitatem esse, tam Maiestas Imperialis quam tua plene cognovisse potuerunt. Nunquam enim litteris, nuntiis et oratoribus nostris utrumque vestrum hortari, admonere et rogare cessavimus, ut pacem amplecti velletis, misimusque illuc propterea etiam sancte Rom. eccl. Cardinales legatos nostros, nec quicquam omisimus faciendum, quod ad huiusmodi rem conducere arbitramur. Verum cum videamus, humani generis hostis prevalente malitia, in longum nimis huiusmodi rem protrahi, cruciamur animo continue, nec quicquam dulce aut iucundum nobis esse potest, considerantibus inter vos potentissimos principes, vestraque dominia christianitatis propugnacula tam diutina bella discordiasque vigere. Dolemus rempublicam christianam tam gravissimo detrimento ex bellis vestris affici: compatimur subditis vestris, qui tot cedes, rapinas, incendia, et cetera bellorum mala patiuntur: Deum rogare non desistimus, ut vos ad pacem concordiamque reducere pro sua pietate et misericordia dignetur. Quocirca Maiestatem tuam in domino hortamur et requirimus, ac per viscera domini nostri Iesu Christi rogamus, ut se paci accommodare velit, et si quid superest impedimenti, illud causa et contemplatione nostra et huius sancte sedis removere velit. Petimus hoc a Maiestate tua in munus singulare, petit hoc universa christianitas et sancta mater ecclesia: noli hoc nobis denegare, quod unicum consolationis nostre culmen futurum est. Si unquam nos et hanc sanctam sedem tibi obligare cupis, amplectere hoc tempore sine ulteriori dilatione pacem cum Imperiali Maiestate. Habes illic Venerabilem fratrem Ep̃m Civitatis Castelli oratorem nostrum, qui Imperiali Maiestati et tue affectissimus est, et per cuius manus non nisi optime et cum laude pax fieri potest. Faciet Maiestas tua rem universe christianitati acceptissimam, deo gratissimam, et nobis eam dabit animi consolationem et quietem, quam super omnia desideramus et optamus. Datum Rome etc. die x. Martii 1484. Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. brev. lib. XVI. fol. 112.

DCLXXV.

Ep̃us Sibinicensis a legati munere apud imperatorem et regem Hungariae revocatur.

Episcopo Sibenicensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Pluries scripsimus tibi, ut cum presentia tua pro certis negociis indigeamus, velles ad nos te conferre. Quare cum necessario habeamus tecum plura conferre, volumus, et etiam tibi expresse mandamus, ut receptis presentibus te itineri committas, et huc quamprimum proficiscaris. In quo ita te geras, ut non sit opus amplius super hoc scribere. Datum Rome etc. die xxvi. Aprilis 1484. Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. brev. lib. XVI. fol. 172.

DCLXXVI.

Universis fidelibus ecclesiam in villa S. Elisabethae Zagrab. dioec. visitantibes et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Sixtus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Iniunctum nobis desuper apostolice servitutis officium tunc debite peragere non ambigimus, dum Christifidelium animarum salutem procuramus. Cum itaque, sicut non sine animi nostri perturbatione intelleximus, Turchi christiane religionis inimici terras et dominia ac loca dilecte in Christo filie Catherine Comitisse Corbavie subiecta, ipsis convicina, incessanter et continue depopulentur, depredentur, conturbent et devastent, ac per terras, dominia et loca huiusmodi alias vicinas provincias intrent, et eas etiam devastare in detrimentum totius christianitatis non cessent: nos igitur cupientes, ut Christifideles

omnium illarum partium eo libentius ad invasionem et defensionem contra ipsos Turchos audaciores efficiantur, quo ex hoc aliqua gratia perspexerint se refectos, omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, qui parochialem ecclesiam beate Marie Virginis in villa sancte Elisabet Zagabriensis diocesis, et capellam sive altare sub vocabulo Annuntiationis situm prope monasterium sancti Georgii in Caprina ordinis S. Benedicti Nonensis diocesis, per bone memorie quondam Iohannem Comitem Corbavie fundatum, in dominio dicte Comisse existentes, aut alteram illarum, ad quam commodius et securius ire valuerint, in ? ascensionis domini nostri Ihesu Christi aut annuntiationis, purificationis vel assumptionis beate Marie Virginis a primis vesperis earumdem festivitatum usque ad secundas vesperas inclusive devote semel visitaverint, et ad invasionem et defensionem contra ipsos Turchos de bonis suis medietatem expensarum, quas huc Romam venientes facere possent, in capsa infrascripta deposuerint, aut in prefatis civitatibus et diocesibus precipuum domicilium habentes, egritudinis tamen vel quocunque alio legitimo impedimento prepediti forent, quod ecclesiam et capellam predictas seu eorum alteram visitare non possent, et dictam summam deposuerint, ut prefertur, plenariam omnium suorum peccatorum remissionem concedimus. Et ut dicti Christifideles pro remissione huiusmodi consequenda pro tempore confluentes ad illam suscipiendam promptiores effici valeant, predictis Christifidelibus venientibus aut deponentibus, ut prefertur, concedimus, ut liceat eis et eorum cuilibet quemcunque presbiterum secularem vel cuiusvis ordinis regularem in suum eligere Confessorem, qui confessionibus eorum etiam impotentium et impeditorum supradictorum diligenter auditis, eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, inflictis et promulgatis, necnon eorum peccatis, delictis, criminibus et excessibus quibuscunque quantumcunque enormibus, et si talia forent, propter que merito sedes apostolica esset consulenda, preterquam in casibus contentis in bulla, que consuevit in die Cene domini per Romanos Pontifices publicari, semel dumtaxat absolvere, ac eis et cuilibet ipsorum pro commissis penitentiam salutarem iniungere; vota vero per eos vel alterum ipsorum emissa, que commode servare non poterunt, beatorum Petri et Pauli ac sancti Iacobi in Compostella, nec non religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, necnon plenariam remissionem et absolutionem impendere libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia indulgemus, Non obstantibus apostolicis, ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod in ecclesia et capella prefatis capsa duabus clavibus clausa ponatur, quarum altera per Catherinam Comitissam, altera vero per dilectos filios Vicarium Venerabilis fratris nostri Episcopi Nonensis in spiritualibus generalem et fideliter custodiatur, et in capsis eisdem pecunie et oblationes pro tempore misse sub pena excommunicationis late sententie, quam eo ipso incurrant, integre conserventur, ac cum dictis Comitissa et Vicario, ut videbitur, coram Notario publico et testibus extrahantur, et inter presentes equaliter dividantur: quarum una pars pro subsidio et defensione status sui prefate Catherine Comitisse tradatur et assignetur, secunda vero in reparationem et ampliationem prefate capelle convertatur, tertia vero Vicario prefato pro Camera apostolica in usus sancte Cruciate convertenda consignetur: quodque presens remissio et indulgentia, quacunque suspensione consimilium per nos seu per predecessores nostros Romanos pontifices quocunque respectu facta vel forsan facienda non obstante, plenum et omnimodum effectum habere debeant, quodque diocesani et ordinarii locorum, necnon parochialium ecclesiarum rectores, et quorumcunque mendicantium ordinum fratres in dictis partibus constituti, presentium litterarum publicationem, insinuationem et notificationem in sermonibus et aliis divinis officiis, que in ipsorum ecclesiis haberi contigerit, libere et absque alicuius rei exactione facere teneantur, et quotiens super hiis requisiti fuerint, fieri permittant, sub suspensionis a divinis in Episcopos et superiores, ac prefate excommunicationis in alios penis, quas, si secus fecerint, ipsos et eorum quemlibet incurrere volumus. Et insuper earumdem presentium litterarum transumptis manu alicuius Notarii publici signatis, et sigillo ipsius Vicarii vel alicuius prelati sigillatis, ubicunque fuerint exhibita vel ostensa, stetur, illisque plena fides adhibeatur in omnibus, prout eisdem originalibus litteris staretur et adhiberetur, si forent exhibite vel ostense, presentibus post biennium a dat. presentium computandum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXIV. Octavo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. bul. lib. CI. fol. 25.

DCLXXVII.

Epo Civitatis Castelli nuntio apost. ut imperatorem caeterosque principes Germaniae ac reges Hungariae et Poloniae ad extirpandam in Bohemia haeresim exhortetur.

Episcopo Civitatis Castelli.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, sal. etc. Plures a te litteras accepimus, que de tua ad diversas partes profectione et rebus a te gestis plene nos edocuerunt. Commendamus plurimum fidem et diligentiam tuam, et quod in omnibus prudenter et accurate procedas. Et quoniam circa res Bohemicas multa ad nos perscripsisti, ad ea potissimum respondebimus, ut iuxta nostram et Venerabilium fratrum nostrorum sententiam ea potissimum executioni demandes eo modo et ea via, que rebus illis prodesse, non autem obesse possint. Audientes maxime cum animi dolore, que per hereticos in catholicorum sanguinem et fortunas perpetrata sunt, scripsimus ad te et plerosque prelatos illic finitimos, necnon ad Hungarie et Polonie Reges, hortantes et requirentes, ut truculentissimo improborum illorum furori occurratur, et serpentem paulatim ignem ultro extinguere curarent, cum id valde nobis cordi esset, prout est, et pro officio nostro pastorali detestabilem illam heresim de medio tollere affectaremus. Persistimus in eadem sententia, excogitamusque omnia, que ad convincendam eorum rabiem possunt esse accommodata. De dieta indicenda ante omnia non probamus, cum experientia compertum sit, dietas nichil aliud esse quam tempus inaniter perterere: inter ceteros testis esse potest fraternitas tua, dietas nichil aut parum operari, casus iste celeritate et presentibus auxiliis indiget, non autem cunctatione et longa consultandi deliberatione. Fiat, quod tempore felicis recordationis Pauli predecessoris nostri graviter et mature factum est: accipiat aliquis potens in se provinciam illos debellandi, sicuti Rex Hungarie tunc fecit: ad illum alii omnes consilia sua dirigant, et pro facultatibus conferant. Primogenitus ipse Polonie ad hoc idoneus esset, et unusquisque magis proximus est et facultate valet, ita sese excitet, agat, contribuat, et nascenti igni tempestivis remediis occurrat. Prelati et principes decimas concedant; nam auctoritate nostra illas libenter exigi faciemus, et in usum hunc concedimus: omittantur inutiles diete, quia tempus moram non patitur. Sic enim faciendo speramus rem bene successuram: si adessent nobis facultates, pecuniis nostris libenter tam salutiferum opus iuvaremus; sed tu scis, quam exhausta sit hoc tempore sedes apostolica, que civitatem Ferrariam et alia Romane ecclesie loca a Venetis impio bello occupare conantibus tutari cogitur. Hec ubi persuaseris, et ordinem dederis, quem diximus, hec est enim communis omnium sententia, non dubitamus talem operam illos adhibituros, ut finitimum ignem facile possint extinguere sine dietarum expectatione et inani cunctatione. Quod si per nos aliquid faciendum erit, faciemus libenti animo ea, que poterimus. Et quoniam, ut alias ad te scripsimus, tibi Basileam accedendum est iuxta commissionem tibi datam, volumus, ut his ordinatis et officio tuo celeriter satisfacto, quamprimum Basileam ipsam te conferas, eaque ibi exequaris, que et per alias nostras tibi commisimus, et in presentia etiam repetimus, ut intelligas nobis valde esse cordi, ut illa executioni demandentur. Miramurque, quod scripseris, te in hoc non posse nobis obtemperare propter novam hanc demandatam tibi provinciam, et propter itineris distantiam: nam Imperialis Maiestas, ut nosti, per nullum alium hec agi desiderat, quam per te ipsum: et nisi necessitas ita impelleret, et virtus et fides tua nobis cognita esset, non gravaremus te hoc novo labore. Verum postquam ita placet Imperiali Maiestati, ita etiam nobis hoc idem placere volumus. Ad has res, si opus fuerit alium mittere, qui vices tuas suppleat, mittere non postponemus; sed speramus principes et prelatos illos pro eorum virtute etiam in absentia tua taliter facturos, ut non parvam gloriam ex detestabili hoste brevi sint reportaturi. Persuadeas tibi rem tanto nobis gratiorem te facturum, si his statim ordinatis Basileam te conferas. Quod discordias cleri et populi Ratisponensis composueris, placet nobis multum: de coadiutore dando Episcopo illi nichil nobis suggestum est, neque talia temere facere consuevimus, precipue ubi prelati consensus non accedit. Datum Rome etc. die xiv. Iulii 1484. Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. brev. lib. XVI. fol. 278.